for Ps-1 source, cf. p. 8 marked

Ps-1 (p. 11) [illegible] passage from D. XXI. c. 2.

See Dict. de Droit Canonique t. V, pp. 821–825.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/justinifebroniij00hont

Schafer Williams. Shaftesbury. 2c Aug. 1958.

JUSTINI FEBRONII JCti
DE
STATU ECCLESIÆ
ET
LEGITIMA POTESTATE
ROMANI PONTIFICIS
LIBER SINGULALIS,
AD
REUNIENDOS DISSIDENTES
IN RELIGIONE CHRISTIANOS
COMPOSITUS.



BULLIONI
APUD GUILLELMUM EVRARDI
MDCCLXIV.

CLEMENTI XIII.

SUMMO PONTIFICI,

PRIMO IN TERRIS CHRISTI VICARIO.

Junctus Cathedræ Petri, tanquam Centro Catholicæ unionis, à quo ſeparari nunquam permiſſum eſt: motus profundo reſpectu erga Romanam Sedem, tanquam in Eccleſia Primam: plenus ſincerâ veneratione erga eum, quem divina Providentia locavit in Apoſtolico throno, quemque ſubmiſsè colo ùt ſucceſſorem Principis Apoſtolorum, qui Primatum in univerſa Eccleſia divinitùs inſtitutum, legitimè tenet: de hujus Primatûs jure tractare præſumens, ejuſdem veros terminos delineare aggredior, ultra quos quidquid ſuſcipitur, ſanctæ noſtræ Religioni exitioſum eſſe intelligitur, tam quoad internum

Eccleſiæ regimen, quàm quoad illud decus & ſplendorem, quo illa in facie Orbis indiget apud exteros, ut hi ejus ſuavitate, Chriſti inſtituto conformi, leniter fortiterque attracti, nobis aliquando in eâdem doctrinâ, & ſub eodem viſibili Capite conſocientur. Scilicet omnia mea vota & conatus illuc tendunt, ut ceſſet aliquando fatalis illa diviſio, quæ duobus ſæculis & ultrà ſcindit Eccleſiam, ita, ut conformiter ad mentem Magni Leonis Papæ *nihil* vel ipſis adverſariis noſtris *remaneat in fide dubium*, *nihil* inter nos & ipſos *in charitate diviſum*. Porro, quidquid arbitrentur & dicant minùs perſpicaces, ſummæ Sedis dignitatem magis ex regulis humanæ ambitionis, quàm ex verâ ejus indole exiſtimantes: genuina ejus majeſtas (vel ipſis id agnoſcentibus & profitentibus Romanis Pontificibus) conſiſtit non in diminutione, ſed in conſervatione jurium Epiſcopalium, & privilegiorum omnium Eccleſiarum.

Epiſt. ad Theodoſ. Aug. 40. alias 25. Cap. 3.

Non dubito, quin futuri ſint, qui mihi temerè objiciant, à me Pontificiam authoritatem repudiari. Ego ſane poteſtatem nullam rejicio quæ ad utilitates Eccleſiæ, ad coædificationem Templi, hoc eſt ad compactionem membrorum, corporiſque Chriſti conjunctionem pertinere videatur; illam verò, quæ dominatum, à Chriſti inſtituto alienum, florentioribus Eccleſiæ ſæculis incognitum, iis, qui foris ſunt, terribilem quærit, à populi cervicibus removendum contendo. Vicarium Te, Beatiſſime Pater, Chriſti agnoſcimus omnes Catholici; at Vicarius Chriſti eſt, qui ejus partes ſuſcipit, vicariâ bonâque fide mandata ejus, cujus munus ſubit, exequens, non ad dominationem

com-

comparandam, ſed ad Chriſti doctrinam re ipsâ, plus quàm verbo, celebrandam. Probè verèque Epiſcopus Lincolnienſis in Epiſtola ad Innocentium IV. Papam: *Apoſtolicæ Sedis ſanctitas non poteſt niſi quæ in ædificationem ſunt, non deſtructionem; hæc enim poteſtatis plenitudo, omnia poſſe in ædificationem.* apud Matthæum Paris ad an. 1253. p.m.583.

Agnitum fuit in Tridentino, teſte Franciſco de Vargas Regis Hiſpaniæ Oratore, Hæreticos indies inſolentiores fieri, ex quo diſpiciant graves in Eccleſia abuſus non reformari. Nemo prudens dubitat (& Hæretici nobis id ipſum quotidie objiciunt) inter hos abuſus illum eſſe graviſſimum, qui in exceſſu ſacræ poteſtatis conſiſtit. Claudius Eſpencæus, vir pius, & boni eccleſiaſtici Zelator, Pio IV. Papæ prædixit, niſi reformetur diſciplina Eccleſiæ, *præſertim Romanæ*, majorem adhuc, quàm eòuſque fuerat, futuram populorum à fide defectionem. Quod ille prædixit, probavit eventus. Eodem jure & fundamento mihi licet augurari, niſi ea reformatio effectivè fiat, reunionem Hæreticorum cum Orthodoxis minime ſecuturam. Tanti intereſt Tuâ, Eccleſiæ, ac cauſæ Dei, ſollicitè indagari, & candidè aperiri, in quo hi abuſus, maximè circa regimen Eccleſiaſticum, conſiſtant. *Jus eſt, Pater, jus eſt veras exprimere voces, præſertim apud eum, qui amator eſt & patronus veritatis: utinam audiretis, quomodo inſultant vobis hoſtes Eccleſiæ!* ita ad Te, ſupreme Eccleſiæ Chriſti Pontifex, ſcribere præſumo calamo Joannis Saresburienſis electi Carnotenſis Epiſcopi. Equidem ad ſatisfaciendum Hæreticis jura Romani Pontificis minuenda non ſunt, neque veritati conſulitur, ſi ea cum errore componitur.

Vid. Cap. VI. §. 12.

cit. Cap. VI. §.13. n. 11.

Epiſt. 60. inter Epiſtolas S. Thomæ Cantuarien.

nitur. Verùm hic nemini ſuum, quodque vero jure competit, tollitur; ſuperfluum & uſurpatum abrogatur, amore pacis & juſtitiæ. Non ipſam Pontificiam poteſtatem, ſed exceſſivum ejus uſum moderandum, & ad normam genuinorum Canonum temperandum eſſe ſuſtinetur. Inter Chriſtum & Belial incedere medium, magna, fateor, impietas eſt; at inter Scyllam & Charybdim medium tenere curſum, arbitror eſſe prudentiam.

Judica me (ſic Te conjuro, Pater Sancte) me inquam, & hanc cauſam noſtram, ſeu potiùs Eccleſiæ, amatiſſimæ illius Chriſti Sponſæ, in verbo S. Stephani Papæ & Martyris: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*: & vide, ſi toto hoc Tractatu veras, an apocryphas Traditiones ſecutus ſim. Confer nova ac vetera, & appende animo non præoccupato de juſto, æquo, & bono ſtateram. Non novum vulnus detego, ſed antiquum & exulceratum, atque hoc etiam titulo gravius, & ſanando difficilius. *Quod ergo erat tunc* (tempore Concilii Viennenſis & Conſtantienſis) *dolendum*, *nunc* (poſtquam ſatis cognitum, atque origo & ſedes mali detecta fuit) *auferendum eſt, non aſperè, ſed, ſicut ſcriptum eſt, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis*. Cavebis tamen (ſic in Domino confido) ut media, quibus in hunc finem utendum eſt, non tam ſint *lenia*, quàm potiùs *levia*, ut vel hoc ipſo pro Te & Tuo pontificatu remaneant infructuoſa, ac magnum illud ſacræ reformationis & reunionis meritum Tuis relinquatur in Petri cathedra ſucceſſoribus. Finaliter tanto morbo medicina efficax ferenda erit; ſi mollia non juvant, ſuccedent aſpera. In Gravaminibus Centum, compilatis

apud Cyprianum Epiſt. 75.

S. Auguſtin. Epiſt. 22. alias 63. ad Aurel. Cartag.

latis anno 1523. in Comitiis Norimbergenſibus, declarant Status Imperii Germanici, ſe, ſi Pontifex gravamina ipſe non tollat, de viis & mediis cogitaturos, quibus liberari à tantis moleſtiis valeant. Durius ſanè foret, nec ſanctæ Sedi adeo honorificum, ſi ſæculares Poteſtates, auctoritate ſibi ad tuendos ſubditos adversùs omnem exteriorem vim, & injuriam (quod enim non jure ſuſcipitur, & alium onerat, injuria meritò appellatur) deſuper datâ, uti deberent ad tollendos illos, de quibus querimur, ſacri regiminis exceſſus. Vide itaque, an non expediat, ut conveniente Tuæ auctoritatis moderatione, & uſurpatorum ſpontaneâ dimiſſione tantum opprobrium prævenias. Noli fidem adhibere adulatoribus, qui dicunt, tuum & ſucceſſorum tuorum imperium ſemper ſubſtiturum. Vincula ſervitutis, ultra condignum adſtricta, facem accendunt, docentque uti lumine rationis ad reclamandam competentem libertatem. Quod veritate oppugnatur, diuturnum eſſe non poteſt; & inviſum imperium, poſtquam ejus vera indoles cognita eſt, nunquam retinetur diu. Non omnia poſita ſunt in eloquentiâ atque potentiâ: eſt quædam veritatis atque ſanæ doctrinæ vis, eaque tanta, ut neque imperio prohiberi, neque viribus ſuperari valeat. Vid. Cap. VI. §. 13. n. 6.

Non ignoro, quàm parum tuis Curialibus placita proponam; ſcio etiam, quibus incommodis vera in hoc genere ſcribentes ſe ſe exponant. Dudum ingemuit piiſſimus Gerſonius: *Heu! quòd graviùs plecteretur agens contra unum Papæ decretum, quàm delinquens contra divinum præceptum, & Evangelium, juxta improperium Chriſti ad Phariſæos: Irritum feciſtis mandatum* Conſideratione 30. de Cordis directione.

Dei

Dei propter traditiones veſtras. Sed nihil metuo, nec quidquam moleſtiarum aut incommodi recuſo, dummodo reverſio ad cœtum Chriſti fiat, & acceſſio. Verùm alius, & gravior, iſque indeclinabilis Te manet metus; hunc denunciavit tuus in ſæculo IV. deceſſor ſiricius, hæc ad diverſos Epiſcopos ſcribens: Romanus

Epiſt. 6. n. 1. Pontifex, *cui omnium Eccleſiarum cura* demandata *eſt, metum divini judicii cogitare* debet, ne audiat *Dominum dicentem, Rejeciſtis mandatum Dei, ut traditiones veſtras ſtatuatis. Quid enim aliud eſt, rejicere mandatum Dei, quàm privato judicio & humano conſilio novis rebus conſtituendis liberiùs delectari*. „ Noſtrum, inquit

Operum pag. 483. „ Eſpencæus (noſtrum inquam ego) eſt etiam quantumvis magnos & maximos admonere, hortari, efflagitare, qui nos inter tot licèt infirmitates, ſordes, & abuſiones in officio & obedientiâ continemus: non perduellium aut deſertorum, quibus cum eâ, quam reliquerunt, Eccleſiâ, nihil vel commune vel negotii eſſe vel poteſt, vel debet. " Præſumo cum eodem Eſpencæo ita proſequi: „ Equidem minùs ſperaverim, mea lectum ab Epiſcopis iri, in quorum rem ſcribo; ſed ſi fortè tamen ad eorum vel aures vel manus pervenerint, non diffido vel eorum ſummum (Pontificem) pro ſuâ tum pietate, tum medendis noſtris abuſibus & erratis voluntate boni conſulturum. Nam & ejus ſanctitatis præceſſor Paulus IV., cùm horum partim atque privatim monerem, adeo non eſt offenſus, ut ſeriò cogitârit de me Romæ retinendo, non ſine honore, quem ea ſedes largiri ſolet maximum. "

Sanè agimus cauſam Chriſti Capitis noſtri. Tu videris,

deris , ſanctiſſime Pater , an ea propter humanas rationes , quæcunque illæ eſſe valeant , deſerenda ſit . Quid reſpondebimus Tu & ego , brevi ante tribunal ejus , quod omni politicâ conſideratione ſuperius eſt , comparituri , ſi ſtationem noſtram deſeruerimus : ego, cui ex Patrum dictis & Conciliorum actis loquendi qualecunque talentum datum eſt , *tacendo* : Tu , in cujus manibus ſacra auctoritas poſita eſt , *non operando* conformiter Traditioni , ad nos per eoſdem Patres & Synodos fideliter tranſmiſſæ , ſicque optatam illam , ac Deo placitam Eccleſiarum unionem , quantum in nobis eſt , impediendo . Non hic me excuſabunt diſcrimina, quibus talia proferentes ſe ſe ſolent objicere ; neque Te Curialiſtarum , quorum ſummopere intereſt hæc conſilia impediri, inconcinnæ vociferationes . *Si adhuc hominibus placeremus , Chriſti ſervi non eſſemus* . Tuum eſt , per Te ipſum de jure & facto Tuo primùm judicare, eo candore , quo id facturus eſſes , ſi non Caput univerſalis Eccleſiæ , ſed qualis non ita pridem fuiſti , doctus prudenſque adhuc tores Epiſcopus in Statu Veneto , ejuſdemque Reipublicæ , qualis origine es , Nobilis Civis ; in qua quomodo de juribus Primæ ſedis reſpectu aliarum Eccleſiarum , & de ſtylo Curiæ ejuſdem , qualis modò eſt , ſentiatur , pauci ignorant . Illaudabile habitum eſt Pio II , quòd de jure Romanæ ſedis aliter ſenſerit , aut ſaltem ſcripſerit Pontifex , aliter Æneas Sylvius . Veritas una eſt , nec alia nunc erit , quàm fuerit ante quinquennium .

ad Galat Cap. 1. ỷ. 10.

Cur in gratiam Romanæ gentis , de qua nonnulli ajebant , ſatius eſſe , relinquere totum ſeptentrionem in ſeceſſu majoris partis , quàm intuitu gregis Catho-

ſici, qui adhuc per Germaniam ſupereſt, recedere à moderno ſyſtemate politico Curiæ, cur, inquam, in hujus gentis gratiam differs muneris Tui Apoſtolici partes, quod ſuperinducta jubet reſecari, ut oves, quæ ſeceſſerunt, ad ovile redeant, quæ manſerunt, eò lubentiùs permaneant? Nôſti Romam, nôſti genium Curiæ: attollunt Romani Papam ultra modum, ut ſe paſcant, repleantque marſupia denariis: colunt Te ſolùm propter ſe, & ad ſua deſideria: Rege, ſicut illi Te regere non amant, abdica quæ primitùs & legitimè Tibi non ſunt data, & illico videbis, quid Tuî loco coluerint, quidque ſibi avaritia decedere conqueratur. Quid externarum nationum Pontifices, viri Sancti atque ad rectum tendentes, exſpectare poſſint à Romanis, docent nos hiſtoriæ Paparum ex Germania oriundorum, Gregorii V. Saxonis; Clementis II. Bambergenſis Epiſcopi; Damaſi II. Bavari, Epiſcopi Brixienſis; Leonis IX. Alſatæ; Victoris II. Bavari; Stephani IX. Lotharingi; & in ipſo reformationis tempore Adriani VI. Belgæ. Horum fata cum non timeas, cur pigeat Te, Papa Sancte (ùt vox populi Romani erat, & adhuc eſt) perficere cœpta, opere exequi propoſitum: *non ſervire Curialium deſideriis* cum diſpendio animæ, & animarum? *Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſûs tui, & ſcientiâ; & proſequatur te verbum pacis & juſtitiæ*. Cogita, quòd Deus talium laborum, verè Apoſtolicorum, ſolus ſit remunerator; neque enim in aliquo alio ſalus, nec ſpes apud homines ulla.

Eccleſiaſtici Cap. V. ℣. 12.

Sed vix credibile eſt, quantum ad hæc exequendum, & ad frangendos contrarios aulicorum conatus,

requi-

requiratur animi ac Apoſtolicæ fortitudinis. S. Bernardi de Conſideratione Libros, ad dirigendos ſummos Pontifices, imò ad regendam univerſam Eccleſiam quaſi divinitùs dictatos, non modò Eugenius III. ad quem ſcripti ſunt, ſed præ cæteris Pius V. & Gregorius XIII. tanti faciebant, ut eorum lectionem etiam menſæ adhiberent: Clemens XI. mox atque ad ſupremum pontificatum tantùm non invitus raptus fuiſſet, eundem divum Bernardum propter ſummam loquendi, monendi, etiam arguendi libertatem ſibi gratiſſimum omnium conſiliorum ſuorum participem facere decrevit, & ſeorſim typis iterum ſubjici juſſit laudatos de Conſideratione Libros, qui pro enchiridio ei eſſent, ac facilè poſſent circumferri, nec ab ejus unquam avellerentur conſpectu. Non ignoras, Beatiſſime Pater, in iiſdem Libris diſpenſationes ſine cauſa taxari ùt *crudeles diſſipationes*: & meritò; quia ſic diſpenſato porrigitur gladius, quo animam ſuam juguleт. Nôſti quoque eodem Opere Bernardum non minùs juſtè, quàm amarè, queri, per Regularium exemptiones, quæ tunc multùm invaleſcebant, *perturbari terminos, quos Eccleſiis poſuere patres, confundi ordinem, mutilari diœceſes & Eccleſias membris, tolli cum læſione juſtitiæ jura Epiſcoporum*. Et tamen quid circa hæc emendârunt ii, quos jam nominavi, Pontifices, Bernardi cultores? *Nihil*: Quid obſtitit? *Aulici*..

Lib. III. Cap. 4. n. 18.

Ibid. n. 14.

Deus det nobis ſuam gratiam, ut impleatur commune Chriſtianæ Religionis & Catholicæ Eccleſiæ votum, quo proſtratis hæreſibus, atque abuſibus, primæva inſtituta & ſanctior diſciplina, Te Pontifice

 Ma-

Maximo , ubique floreſcant . Te concordiæ ſequeſtro detumeſcant odia ; tollantur ſciſſuræ ; reducantur devii à fide populi ; Pax illa denique tot expetita deſideriis , ac etiam tot diſſidiis fugata , Pax Veritatis & Juſtitiæ comes revocetur .

Cæterùm tanta mea eſt in Tuâ prudentia , æquitate ac pietate fiducia , ut non verear hìc mea facere ea verba , quibus S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus in libro *de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi* , quem inſcribit *Domino & Patri Univerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis, ſummo Pontifici* URBANO , hunc ita compellat : *Quoniam divina providentia veſtram eligit Sanctitatem , cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam , & Eccleſiam ſuam regendam committeret , ad nullum alium rectiùs refertur , ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia , ut ejus auctoritate corrigatur ; nec ulli alii tutiùs , ſi quid contra errorem reſpondetur , oſtenditur , ut ejus prudentiâ examinetur . Quapropter ſicut nulli digniùs poſſum , ita nulli libentiùs præſentem Epiſtolam , quàm veſtræ deſtino ſapientiæ : quatenus ſi quid in ea corrigendum eſt , veſtrâ cenſurâ caſtigetur ; & quod regulam veritatis tenet , veſtrâ auctoritate roboretur .*

Regibus & Principibus Chriſtianis .

Pacem Reipublicæ ex univerſalis Eccleſiæ pace pendere , rectè ſcripſit S. Gregorius M. ad Mauritium Auguſtum . Hoc ſicut verum fuit ſæculo VI. quo Gregorius floruit , ita ſubſequentium temporum idem comprobavit & confirmavit experientia . Revocet in memoriam ,

Lib. V. Epiſt. 20. edit nov.

moriam, quiſquis pacem inter Chriſtianos Principes diligit, quæ bella per omnes ferè Europæ partes concitaverit (ut altiùs non aſcendam) religionis diverſitas ſæculis XV. XVI. & XVII., & quæ mala eadem cauſare pergat in Germania hoc ipſo, quod nunc agimus, ſæculo. *Si de commiſſæ vobis Provinciæ ſecuritate tractatis*, inquit idem Magnus Gregorius ad Gennadium Exarcham Africæ, *nihil in vobis magis ad hoc proficiet, quam inteſtina Eccleſiarum quantum poſſibile eſt, bella compeſcere*. Tanti intereſt è medio tollere, quidquid prævideri poteſt Eccleſiarum pacem turbaturum, ac quod experientia probat, communem atque ordinariam hucuſque publicarum turbarum ac motuum in- & exterorum cauſam anſamve fuiſſe. Lib. IV. Epiſt. 7.

Nemo Catholicorum dicet, Primatum, in Eccleſia à Chriſto inſtitutum, eſſe objectum litium & bellorum; hunc Romano Præſuli nullus Epiſcoporum, præter inſanum Photium, hactenus diſputâſſe, vel etiam invidiſſe legitur; abuſum verò hujus poteſtatis horum malorum principium & cauſam ſæpiſſimè fuiſſe, dubitari non debet. Non memoro nunc bella, quæ ipſi Romanorum Pontifices moverunt, concitârunt, aut foverunt ad defendendam ac promovendam hanc Primatûs nimietatem, demum ad formam temporalis Monarchiæ redactam; ſunt etenim eruditis abundè cognita. Nec hîc repeto publicæ tranquillitatis diſcrimina, quæ experientiâ teſte regnis ac provinciis identidem imminent à multitudine hominum, qui *Exempti* nuncupati, ſub legitimâ ſuorum Epiſcoporum diſciplina & inſpectione vivere recuſantes, ſingularem Rempublicam, per univerſam Europam, quin & ultrà

trà, diſperſam, arctiſſimoque nexu colligatam, ſub privatis ſuis conſtitutionibus, haud rarò publicam lucem fugientibus, & uno Monarchâ Romano Pontifice, conſtituunt, quia de his & eorum politiâ, regnorum (quod Hiſtoriæ docent) quieti, ne quid amplius dicam, perſæpe infeſtâ, alibi locutus ſum; quod inſtitutum univerſalis Primatûs ſacri, malè intellecti, aut nimiùm extenſi, fructum eſſe, certum eſt.

Cap. VII. §. 8. n. 6. 7.

Sufficiunt hæc ad veſtram potentiſſimi Reges ac Principes attentionem & vigilantiam excitandam, eo fine, ut vobis per probos, doctos, nulloque particulari nexu Curiæ Romanæ addictos viros, præſertim Epiſcopos, cordatè ſignificari faciatis veros limites illius Primatûs, qui juxta inſtitutionem Chriſti & morem antiquum exercitus, Eccleſiæ neceſſarius, & regnorum quieti accomodus, extra legitimam ſuam ſphæram propter humanos & temporales fines deductus, utrique noxius eſt. *Debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*: ita ad Leonem Imperatorem ſcripſit S. Leo Papa. Pars hujus exterioris Eccleſiarum præſidii in eo poſita eſt, ut Principes non permittant, Eccleſias ſuorum territoriorum & provinciarum (hoc eſt, Clericos & Laicos ſibi ſubjectos) ab exteris Eccleſiis divexari aut deprimi, illarumque legitima jura ab his uſurpari; ut nihil patiantur, quod ex communi Epiſcoporum & prudentum judicio ſanctiſſimam Religionem noſtram iis, qui foris ſunt, ita inviſam reddat, ut per hoc Eccleſiarum reunio (quæ commune Chriſtianorum votum, & Principum maximè ſollicitudinem animare debet) præpediri

Epiſt. 125. al. 75.

pediri queat. Audite Cæleſtinum Papam ad Theodoſium Imperatorem loquentem: *Major vobis fidei cauſa debet eſſe, quàm regni; ampliùſque pro pace Eccleſiarum Clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quàm pro omnium ſecuritate terrarum. Sequentur enim omnia proſpera, ſi primitus quæ Deo ſunt cariora ſerventur.* Epiſt. 19. n. 2.

Minùs, ut ita dicam, Chriſtiani ſumus, quàm Patres noſtri, & infinitè plura, quàm illi, habemus officia & praxes. De illis, quæ verſantur circa cultum Sanctorum, venerationem reliquiarum & imaginum, purgatorii pœnas, harumque remedia &c. providit Concilium Tridentinum, aut ſaltem excitavit Epiſcoporum vigilantiam. Circa univerſale Eccleſiarum regimen tres etiam maximi momenti quæſtiones, quæ omnem, quam hìc tractamus, materiam potuiſſent exhaurire, in eadem Oecumenica Synodo agitatæ ſunt: ſcilicet de *prætenſo univerſali Epiſcopatu Romani Pontificis*: de *mediatâ, aut immediatâ aliorum Epiſcoporum juriſdictione*: demum de *Regularium exemptione à juriſdictione Ordinariorum*. Verùm adoptato circa poſteriorem Articulum (cujus adæquata deciſio à binis prioribus dependet) proviſionali ſolùm remedio, ambæ priores, propter notas cauſas indeciſæ manſerunt, neque, unquam, prout nunc res ſunt, conſentiente Curiâ Romanâ, & adſtipulantibus iis, qui ex ejus ſyſtemate commodum percipiunt, formaliter & apertè definientur. Vetus adagium eſt: *Citiùs clavam Herculi abſtuleris, quàm Romanis ſua prætenſa jura*. Interim exigit pax & bonum Eccleſiæ, ut Romanorum hac in parte genio, cum aliorum omnium populorum detrimento, non ſemper & perpetuò indulgeatur.

Optatus de Schiſmate Donat. Lib. II.

geatur. *Redeat in memoriam Conſtantinus Imperator Chriſtianus: quem famulatum exhibuerit Deo: quæ habuerit vota, ut remotis ſchiſmatibus, intermortuâ omni diſſenſione, ſub toto cœlo filios ſuos gaudens in uno videret ſancta mater Eccleſia. Reddiderat unam communionem, maritis uxores, parentibus filios, fratribus ſorores.* Hunc eundem famulatum exhibere Deo, eoſdem jucundiſſimos fructus percipere, eandem communionem reddere, in veſtra, sereniſſimi Principes, eſt poteſtate.

Noviſtis, quàm operosè priori ſæculo à Principibus & aliis magnis viris laboratum ſit pro pacificatione & reunione Eccleſiarum, tum per inſtituta ſolemnia Colloquia & Diſputationes, tum per publicas Conferentias & Tractatus. Et imprimis quidem in ipſo ſæculi exordio an. 1601. celebres quidam Lutheranarum partium Doctores cum tribus Jeſuitis, auctoritate Maximiliani Bavari, & Philippi Ludovici Palatini, de Normâ Religionis, & Judice controverſiarum, Ratisbonnæ diſputabant. Anno 1615. Wolfgangus Wilhelmus Palatinus Neoburgi Jacobum Kellerum Jeſuitam cum Jac. Heilbronnero Lutherano committebat. Anno 1645. Uladislaus Poloniarum Rex Theologos nobiliores, tam Catholicos, quàm Lutheranos & Reformatos, Thorunium, Boruſſiæ urbem, accerſebat, ut de tollendis Religionis diſſidiis inter ſe deliberarent. Anno 1651. Erneſtus Haſſiæ Landgravius Valerianum Magnum, Capucinum, cum Petro Haberkorno Doctore Gieſſenſi in arce Rheinfeldenſi congredi juſſit. In Gallia celebris eſt ea concertatio, quâ anno 1678. Joannes Claudius Theologus Reformatus cum Boſſueto

Mel-

Meldenſium Epiſcopo congreſſus fuit. Anno 1686. & ſequentibus Chriſtophorus de Roxas Thinenſis in Boſnia Antiſtes auctoritate Leopoldi Imperatoris primarias Principum Germaniæ, Proteſtantium ſacris addictorum, aulas adibat, media proponens, quibus Religionum tollerentur oppoſitiones. Extant & quædam pacis conditiones ab Electore Moguntino, juſſu & auctoritate ſummi Pontificis, anno 1660. in aulis Germanicis propoſitæ. Aſt omnium iſtorum congreſſuum, colloquiorum, tractatuum, unus idemque fuit exitus; ſcilicet commune pacis negotium nec in minimo per hæc media promotum eſt. Unde neque in hoc noſtro ſæculo hæc via, quam inutilem eſſe, tot experimenta probaverant, ampliùs tentata fuit.

Armis quoque, ac confœderationibus ſæpe nitebantur, hortante Papa, Catholici ruinas Eccleſiæ per Germaniam reſtaurare; ſed Deus exercituum armis non benedixit: plus plerumque amiſere Catholici; non videtur eſſe Chriſti voluntas, ut violentiis convertantur aberrantes. Controverſiarum etiam prædicatores, & ſcriptores tanto numero fuere, quantum ſatius fuiſſet non fuiſſe. Horum aliqui equidem non caruerunt omni fructu, ſed nondum eſt centuplus, ſive optatus finis. Sæpè convincitur intellectus, voluntas autem non vincitur. Proteſtantium politicorum voluntas magis ſauciata eſt, quàm intellectus. Cur medicinæ hactenus parum profuêre? non fuit inde quæſita medela voluntatum, unde proceſſerat origo mali morbi: odio Pontificii dominatûs nemo erat controverſiſtarum Catholicorum, qui afferret remedium; imò plerique, Regulares præſertim viri, ſuſtinendo per-

fractè, quæ ſuſtinenda per diſputationem debuerant minimè, auxerunt odium, proindéque voluntatis tenax malum.

Quiſquis me de bono Catholicæ religionis, & generali Sacrorum in Europa parificatione meditantem, ac pro eâ vota verbaque facientem audire volet, is unicam ad deſideratiſſimum hunc finem ſemitam ſupereſſe exiſtimet, ut omnis materia *Diſciplinæ* reducatur ad eum ſtatum, quo fuit, antequam adverſarii noſtri de injuſto jugo & exceſſu poteſtatis haberent non infundatam querendi materiam. Sublatis his ſcandalis (quæ quidem per ſe, tanquam ab Eccleſia nunquam approbata, non debuiſſent, nec potuiſſent dare fundatam anſam ſcindendæ unionis; attamen, prout nunc res ſunt, plurimorum animos ita occupant, ut propterea ſinum Matris horreant) apparebit Religio noſtra, omnibus, iis maximè, qui Evangelio credunt, qualis vel ipſis Ethnicis viſa eſt, ſancta & amabilis. Vidimus hoc noſtro ſæculo plures potentiſſimos Principes, etiam ſine ſpe temporalis commodi, imò cum gravi ſuo incommodo, ad avorum ſuorum ſacra reverſos. Similes alias & frequentiores converſiones ſperare poſſumus pro modo, quo Eccleſiam purgabimus à ſuperfluo & odioſo. Atque hæc vera & plana via foret, plures ſucceſſivè provincias & regna ad eam reducendi. Eo honeſto fine ego præſenti operâ id ago, ut inter hos offenſionis lapides omnium graviſſimus tollatur, aut ſaltem media ſuggerantur, quibus ille auferri valeat. Alii tantundem præſtent circa reliquos leviores, ac aſpirante divinâ gratiâ, veſtroque Sereniſſimi Principes favente potenti Chriſtia-

noque

noque præſidio , tandem obtinebimus finem bonis omnibus deſideratum .

Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ.

Poſt cauſam Dei & Eccleſiæ ejus , veſtra hic potiſſimum agitur, Reverendiſſimi in Chriſto Patres. Qualitatem *ſucceſſorum Apoſtolorum* & omnis eorum officii nemo vobis diſputat . Videte , an omnia adhuc illorum jura teneatis ! Si magnâ horum parte exuti eſtis, ſupereſt , ut inveſtigetis, quis vos eâ privaverit: Deus, an Eccleſia ? Si nec ille , nec iſta ; perpendite ulteriùs , num Eccleſiæ realis utilitas poſtulet , ut iis juribus , quibus totius Eccleſiaſticæ poteſtatis auctor , creator , & perpetuus Dominus , divino certè conſilio , non ad vanam gloriam , ſed ad opus ſuum perficiendum vos inveſtivit , porro & ſemper careatis . Ad hoc accuratè dignoſcendum , nullum, me quidem judice, aptius medium eſt , quàm ut ad origines eatis , perquirentes , quo tempore, qua occaſione , quo modo , & à quibus eadem jura vobis & Ordini veſtro abrogata fuerint . Nos ſingulas has quæſtiones , & circa quaslibet Juris Eccleſiaſtici partes , hoc Opuſculo examinamus ; Vos æſtimate & judicate , quâ ſoliditate . Quòd ſi vera , & quæ Eccleſiæ utilia ſunt , nos dixiſſe deprehenderitis, poſtulat religio veſtra, ut eidem Eccleſiæ non deſitis officio veſtro , id eſt , pietate & auctoritate vobis à Deo creditâ .

Si ad ſimplices Clericos & Presbiteros mihi ſermo eſſet , ſufficeret eis inſpirare cor rectum , perfectéque

diſpoſitum ad ſerviendum Deo in illo particulari ſtatu, ad quem quiſque eorum vocatus eſt. At cùm ad eos verba dirigantur, qui ad regimen Eccleſiæ à Deo deſtinati ſunt, amplius aliquid deſideratur, ut ſatiſfiat Capitis & æterni Paſtoris veſtri ſanctiſſimæ voluntati, & eorum exſpectationi, qui per vos ſuum Eccleſiæ ſplendorem, & divino ſimul ac providentiſſimo inſtitutori placitum ordinem redditum optimo jure poſtulant. Agite igitur, induite fortitudinem, & præcingite vos virtute, ut ſuus decor, & nativa poteſtas imprimis ordini ac ſacro muneri veſtro (quocum ſalus Eccleſiæ intimè conjuncta eſt) reſtituatur; hoc ipſo illa ſponte & quaſi naturaliter primævum ſuum ſtatum & gloriam recuperabit. Media huic fini propria præſenti Tractatu ſuppeditantur; veſtrum eſt illa ponderare, &, ſiquidem apta vobis viſa fuerint, ea adoptare, & executioni tradere.

Abſit, ut vel minimum proponam, quod deroget genuinis juribus, quæ Deus aut Eccleſia univerſali Primatui reverà & ſtabiliter voluerint eſſe annexa. Loquamur de primo Vicario Chriſti, veluti de eo locuta eſt omnis retrò antiquitas: exemplo hujus revereamur ſummum Epiſcoporum, atque intendamus Capiti Pontificum. Stemus reſpectu ipſius in eadem agendi ratione, in qua fuerunt Patres noſtri. Movere ad hoc nos debet, quòd Romana Eccleſia ſit Centrum unitatis Catholicæ. Sed hoc ipſo, quòd hac in materia loquamur & agamus cum Majoribus noſtris, res Romanæ non permanebunt in eodem ſitu, quo à nonnullis ſæculis perperam, & proprio ſuo damno, ſubſederunt. Reclamavit utique, & fortiter quidem,

Cu-

Curialiſtarum caterva, obtento etiam ſummi Pontificis nomine, titulo, quin & auctoritate. Verùm, quantum ad hæc in juſta oppoſitione communis boni Eccleſiæ, & cauſæ Dei attendi debeat, in præſenti Tractatu noſtro ſatis explicatum eſt. Repeto, & toto corde profiteor, vera jura Primatûs non ſolùm ſervanda, ſed & conjunctis Eccleſiarum viribus, ac Veſtrâ præſertim, reverendiſſimi Patres, ſollicitudine defendenda eſſe. Sed, ut ſuſceptus à vobis pro officii debito juſtus labor tantò ſuaviùs feliciùſque operetur, optandum eſſet, ut inſimul & concorditer Prima ſedes ſe ipſam, ſuo, id eſt, rationabili modo & jure tueatur; quod fieri non poteſt, niſi illa ſe reſpectu aliarum Eccleſiarum conformiter ad inſtitutum Chriſti & ad mores Patrum ſuorum habere tandem incipiat, ſponteque ſuâ inclinet. Prætendimus ſic non noxium, ſed profuturum, proindéque bonum eidem ſedi ejuſque Curiæ dare conſilium, ſcilicet in hoc ſenſu Euripidis; Cap. IX. §. 7.

Quicunque . . . . recta conſulunt ſemper,
Etiamſi non ſtatim, tamen poſteà ſunt utiles
Urbi. in Oreſte ℣. 908. ſeqq.

„ Maximis Principibus magis ſpectandum, quid „ velit *perpetua* voluntas Pontificis, quàm obſequium „ improbitate extortum, rectè inquit Eraſmus Roterodamus. Lib. XII. Epiſt. 10.

Quis neſcit, ex rigore & inflexibilitate Romanæ aulæ, prætenſa & immodica ſua jura ſuſtinendi, potiſſimas ejus jacturas & damna nata eſſe? ſi illa juſtas querelas contra ipſammet prolatas audiſſet in tempore, plerique populi, qui ejus imperio ſe ſubtraxerunt,

xerunt, fortè adhuc hodie in convenienti, eoque debito nexu perſtarent. Plerumque ſub initium non tam agebatur de doctrinâ ſpeculativâ, quàm de moribus ac politicis rationibus hujus Curiæ, ut non tam à jugo Eccleſiæ, quàm Romæ, ſe niterentur exſolvere Principes cum plebibus. Lutherus ad defendendum novas ſuas ſententias plurimùm debacchatus eſt adverſum praxes & uſus aulæ Romanæ. Excitârunt hi clamores attentionem Principum Germaniæ, & quamvis inviſi Romanorum mores, & ex ea urbe prodeuntes populorum vexationes Lutheri in fide novationes excuſare minimè valeant, nihilominus deſiderium populorum excutiendi jugum, cujus injuſtitiam magìs magíſque ſentiebant, eos determinavit ad acceptandum totum Reformatoris, ſeu potiùs Novatoris, ſyſtema, & hoc deplorando medio penitùs abjiciendi auctoritatem, à qua non ſperabatur malorum remedium. Quibus viis & cauſis olim integra regna & multæ Provinciæ legitimo Primatui ſubtracta ſunt, iiſdem nunc præcluditur illorum cum Catholicis ſub eodem primario Capite reunio.

An hæc complicatis brachiis aſpectabit copioſum illud *Corpus ſacerdotum*, quod teſte S. Cypriano *concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum eſt, ut ſi quis ex illorum collegio* (de quo & ipſe Romanus Pontifex eſſe dignoſcitur) *gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri*? Sanè veſtri, venerandi Domini ac Patres (quos etiam ad *univerſo gregi attendendum Spiritus Sanctus poſuit*) veſtri, inquam, officii eſt, laboranti Eccleſiæ hac in parte conſulere & ſuccurrere. Veſtrum, ſi id alii ſerio

Lib. III. Cap. 13.

Act. XX. Cap. ℣. 28.

ſerio & cum effectu præſtare omittant, erit, illud agere atque eniti, ut Ordini veſtro reſtituantur jura illi ex Chriſti placito ac vero Jure Sacro propria: ut Eccleſiæ miſerè disjunctæ reuniantur; quod, prout nunc res Romæ ſunt, in æternum non eveniet: ut denique his modis & viis Primæ ſedi reſtaurentur jura Primatûs, ei per omnes Eccleſias legitimè competentia. Pietas, ſcientia, prudentia, & fortitudo ſunt propriæ & quaſi congenitæ Ordinis veſtri dotes. Itaque nemo veſtrûm trepidabit timore ubi non eſt timor. *Leo foris eſt, in medio platearum occidendus ſum*: ſic in Proverbiis dixit *Piger*. Sed talis, ſpero, inter vos non datur. Timor in Epiſcopos, ſuo fungentes apoſtolico munere, non cadit, aut ſaltem cadere non debet. Objicite cuivis, vos vera rectaque ſectantes terrere volenti, illud Magiſtri & Ducis veſtri Baſilii magni: *Neque enim forſan in Epiſcopum incidiſti*, & ſtatim audietis timidum illud Modeſti Præfecti Imperatoris Valentis: *Nemo me ad hunc uſque diem ita allocutus eſt*.

Cap. XII. ℣. 13.

Gregorius Nazian. Orat. 20.

Deplorandum ſanè foret, & veſtro caractere indignum, ſi qui ex vobis propter ſpem tranſitoriam veſtræ veſtrorumque fortunæ, ſibi vellent adſciſcere illud Væ mutorum, non valentium latrare. Pluralitas Epiſcopatuum, Translatio ad fœcundiores cathedras, Brevia eligibilitatis, Retentio prælaturarum inferiorum cum Epiſcopatibus, Promotio nepotum, Indulta conferendi beneficia in menſibus reſervatis (quibus plerumque ineſcationibus Romani Epiſcopos, agere aliquid contra Curiam volentes, ablactant, non ſunt verba, quæ exaudire deberet Epiſcopus, cui

ſponſa

ſponſa pauper & unica tam debet eſſe chara , ac dives , pluresque contra Apoſtolum uxores . Hoc malo ſpiritu , quod abſit , vel in quibuſdam potentioribus Germaniæ Epiſcopis dominante , novit Romana Curia exterorum omnium zelum eludere : dividit per paucos reliquorum cœtum , & in diviſos exercebit , quod in coadunatos nunquam audebit . Itaque uno ſpiritu , & conſociatis viribus , veſtram , Eccleſiæ & Dei cauſam ſuſcipite , & evaneſcet omnis , ſi quæ adhuc ſupereſſe poſſet , etiam vana metuendi ratio .

Faxit Deus , ediſcant Eccleſiæ regendæ Principes , Eccleſiaſticum regimen non aulæ flatibus & motibus , ſed æternâ veritate ac Patrum traditione niti oportere .

Doctoribus Theologiæ & Juris Canonici .

Poſt hujus mundi Magnates , tam Eccleſiaſticos , quàm ſæculares , ad vos mea ſe convertit oratio , Eximii & Clariſſimi viri . Status eccleſiaſtici regiminis , ejuſque viciſſitudines vobis plus debent , quàm communiter exiſtimetur , aut ſaltem cogitetur . In Decretalibus , Extravagantibus & Clementinis formam Eccleſiæ monarchicam ſtabilitam eſſe , obſervarunt eruditi , & à nobis per decurſum hujus Operis demonſtratum eſt . Has Canonum Collectiones Gregorius IX. Bonifacius VIII. & Joannes XXII. legum more non publicârunt ſolemniter , ſed eas ad *Doctores* & *Scholares* , in celeberrimâ tum Bononienſi Academiâ degen-

degentes, direxerunt, ut per illos traderentur, per hos verò haurirentur hæc Monarchiæ Sacræ fundamenta. Cùm itaque ſæculis XIII. XIV. & ſequentibus utriuſque Juris Studium Bononiæ ita ferveret, ut ex univerſo cultiore orbe juvenes, tanquam ad mercatum ſapientiæ Civilis & Eccleſiaſticæ, eò confluerent, hi in ſuam quique patriam reduces, ſummiſque tum togæ tum ſtolæ officiis ac dignitatibus admoti, didicitæ Juriſprudentiæ principia in uſum & praxin redegerunt; atque ita facilè & quaſi naturaliter evenit, ut per medium eorundem Doctorum Juris Canonici, ac dein Theologiæ, Monarchicus ille ſtatus, tanquam genuinus & unicè verus, ubique reciperetur, & per totum Occidentem ſtabiliretur.

Et quis Canoniſtarum ac Theologorum, præſertim *Regularium*, adhuc hodie, ſaltem in Italia & Germania (in Gallia enim quodammodo aliter ſapitur) à teneris annis imbutus Syſtemate Monarchiæ Eccleſiaſticæ, & cum hoc proximè conjunctæ Pontificiæ infallibilitatis, eadem principia ſuis diſcipulis non inſtillat? Ego hoc Syſtema refutare aggreſſus ſum: non quidem ex argutiis ſcholaſticis, quibus veſtrûm non pauci vacantes operosè nihil agunt, ſed ex ſenſu antiquæ & univerſalis Eccleſiæ, factis ipſis ſe ſe manifeſtante, atque ex interpretatione Sanctorum Patrum primi nominis, oppoſitâ textibus illis, in quibus vos ponitis fundamentum ædificii veſtri Monarchici, non momento rationum, vel auctoritatum, ſed quadam conjuratione multitudinis, prædominari in docendo Eccleſiam affectantis, id jam ferè lucrati, ut Italorum & Germanorum vix unus apertâ fronte,

ac cum ſubſcriptione nominis, auſit veſtro ſyſtemati contradicere. Si hoc effeciſtis in ſplendorem ac putativum decus *Romanæ Curiæ*, quid profuiſtis, aut quantum econtra non nocuiſtis *Univerſali Eccleſiæ* veſtris iſtis doctrinis, aulæ politiam potiùs redolentibus, quàm veritatem? An lapidem ſcandali poſuiſtis de medio? minimè: imò verò reliquiſtis eum, & augetis nimietate veſtri ſtudii pro ſede Petri: Optatis, quod & ego, teſtis mihi eſt Deus, ſincerè percupio, ut extirpentur hæreſes, ut qui à nobis receſſerunt, depoſitis erroribus Theologicis, revertantur ad nos, & ſapiant nobiſcum id ipſum circa fidem, ut denique Eccleſia Orientalis cum Occidentali reuniatur ſub eodem viſibili Capite; hoc laudabile eſt prorſus, ſed videamus, quis proximiùs attingat ad metam.

Vultis, & toto ſtudio contenditis, *eſſe abſolutam in Eccleſia Monarchiam*. Nos id negamus, formam Eccleſiæ ejuſque regiminis talem ſtatuentes, qualem
Cap. II. §. 12. ex ſincerâ antiquitate hoc Opere deſcripſimus; quæque integris octo ſæculis nulli mortalium, ſaltem nulli Chriſtianæ genti, offenſioni fuit. Ex fructibus cognoſcitur arbor: Videamus qui ſint effectus, quæ corollaria ſyſtematis veſtri monarchici, omnem ſæcularem Monarchiam tranſcendentis. Enarramus ea hoc
Cap. III. §. 11. Tractatu, non mutuata à Curiæ Romanæ inimicis, ſed ab ejus primariis fautoribus ac ſtatoribus: prætenſa inquam hujus Monarchiæ jura, ab ipſis ſummis Pontificibus acriter defenſa, & in quantum ab aliâ poteſtate, præſertim laicâ, obicem non inveniunt, toto die in uſum deducta. Ex quàm plurimis hìc

repe-

repeto pauca : *Epiſcopi non ſunt immediati CHRISTI*, *ſed ſolummodo Papæ Vicarii : Omnis juriſdictio eccleſiaſtica unicè reſidet penes Papam , ſicut reſedit omnis poteſtas ſæcularis penes Imperatores adhuc monarchicè regentes : Omnes Epiſcopi , Archiepiſcopi & Patriarchæ ſunt meri ejus officiales : Papa explet minima per plebanos & alios inferiores , media per Epiſcopos , & ſuprema per ſe ipſum : Epiſcopi Eccleſiis particularibus non ſunt neceſſarii ; ſuppleri omnes poſſunt per Prælatos juriſdictione quaſi-Epiſcopali inſtructos : Sacramentum Confirmationis paſſim delegari poteſt à ſummo Pontifice ſimplicibus ſacerdotibus , pro quorum ordinatione ſufficit interdum peregrè advenire aliquem Epiſcopum ; hoc ſi fiat , legi divinæ ſatisfactum iri &c.* Atque hæc ex præſtabilito ſacro Papæ monarchiſmo , & aulicè explicato Pontificatu univerſali , totum orbem pro diœceſi habente , quaſi naturaliter dimanant . Quid dicam de aliis , pias ac prudentes aures ferientibus adagiis eorumdem Canoniſtarum , ad Romana principia eruditorum ? *Papa poteſt Rex appellari : eſt Princeps Principum , & Dominus dominantium : eſt quaſi Deus in terris : eſt ſupra jus , ſupra leges , ſupra Canones : contra jus , & extra jus omnia poteſt : Eſt major omnibus Sanctis excepto Petro* ; alii dicunt : *Eſt major Apoſtolo , nec Petri nec Pauli præceptis adſtringitur : Ejus ſententia prævalet ſententiæ totius mundi : Sola ejus voluntas in beneficialibus eſt pro ratione : Non committit ſimoniam vendendo beneficia : Poteſt aliquem privare ſuo beneficio ſine omni cauſa : In his , quæ ſunt juris poſitivi valet diſpenſare abſque ullâ cauſâ , & ſic diſpenſati ſunt tuti quoad Deum : Poteſt auferre rem*

uni Eccleſiæ & dare alteri etiam ſine cauſa ; nec quiſquam poteſt ei dicere, Cur ita facis : Non tenetur Concordatis : Papa & Chriſtus unum faciunt Conſiſtorium : Poteſt de injuſtitia facere juſtitiam : Poteſt mutare ſubſtantiam rerum & de eo, quod nihil eſt, facere aliquid : poteſt mutare quadrata rotundis. Ut verò nemo his auderet contradicere, terruerunt piaculo ſacrilegii, dicentes : *de potentia Papæ diſputare, ſacrilegium eſt ; Papa enim eſt cauſa cauſarum ; unde non eſt de ejus poteſtate inquirendum, cùm primæ cauſæ nulla ſit cauſa*. Poteſtne major dominatus mundanus ficto iſto ab auctoribus dominatu Papæ cogitari ? Vix invenietur aliquis politicorum majora attribuiſſe abſolutiſſimo deſpotiſmo. Et vos exiſtimabitis, Chriſtum talem formam dediſſe Eccleſiæ, quam declaravit *liberam*, non *ſervam* ? *Eccleſiam*, inquam, declaravit liberam, non *Papam* ſolum. Aut vobis talia docere vel comminiſci pietas videbitur ? A nobis certè nulla pietas agnoſcitur, niſi cum Veritate & Traditione conjuncta.

Sed hìc nondum ſiſtitur. Inter reliqua attributa juris ſui monarchici etiam hoc ponunt Romani, quòd *Papa non ſubjiciatur Canonibus*, & quòd *à nemine poſſit judicari*, ne à totâ quidem Eccleſiâ, in generali Concilio congregatâ. Inde fit, ut graviſſimi abuſus, non eos tantum, qui foris ſunt, ſed & ipſam Eccleſiam ſcandalizantes, quos ſuo loco exhibuimus, non attentis ſæpe iteratis remonſtrationibus Imperatorum, Regum, integrarum Nationum, Synodorum, Epiſcoporum, denique piorum & Doctorum virorum, in Romana Curia quaſi perpetuentur, atque inde pleraſque

Cap. VI. §. 13. & 14.

raſque

raſque alias Eccleſias afficiant , de quibus rectè dixit Epiſcopus Ruremundenſis Lindanus : *Multùm cæcutiat , qui ea non videt ; & inſanus ſit , qui excuſare conetur* .. Cùm econtra , ſi depoſitis hiſce deſpotici Monarchâtus principiis omnia ſecundùm placita Concilii Generalis Conſtantienſis agerentur , Diſciplina Eccleſiæ ubique in ſalvo eſſet , & incurrentibus ſubinde abuſibus tutò obviaretur . An putatis , talibus doctrinis & diſciplinis licèt ſubſtantiam fidei non afficiant , devios ad veram Eccleſiam facilè reducendos, aut non potiùs horrorem eis injiciendum eſſe & implacabile odium adversùs illud Eccleſiarum Caput , quod nutritur & fovetur principiis , è quibus ipſamet ejuſdem primaria tribunalia , & ſummi ejus Conſiliarii ac Miniſtri , imò Pontifices ipſi , tam inviſas , ne quid amplius dicam , ſequelas deducunt ?

Tertium , quod difficilem & ſpinoſam reddit viam reverſuris ad ſacra Catholica , eſt pertinax multorum ex vobis doctrina *de infallibilitate Romani Pontificis* , quæ minùs ſolidis nixa præſidiis , & ab odioſo illo Monarchatu plurimùm participans , animis Proteſtantium ferè tantundem odii inſtillat , & plus adhuc infunderet , niſi prudentiores inter eos ſatis informati eſſent , hanc doctrinam ab Eccleſiâ Gallicanâ, apprimè Catholicâ , ambabus ulnis rejici . Declamate , quantum vultis , & vox ſufficit , è doctoralibus cathedris veſtris pro hac veſtrâ ſententiâ , quam cum lacte bibiſtis , & in qua multos ex vobis ſtatuta Religioſorum Ordinum veſtrorum retinent , cujuſque contrariam , etiam agnitam , veritatem alios docere vobis non permittitur ; ſed addite , quæſo , hanc

ſen-

Vid. Cap. I. §. 10. ſententiam, quia mera Opinio eſt, *in fidei controverſiis nullius momenti eſſe*, & ſollicitè monete diſcipulos veſtros, ut & ipſi alios de hoc ſeriò moneant, non contenti ſolùm leviter eis inſinuaſſe, quòd Pontificiæ inerrantiæ doctrina non ſit articulus vel dogma neceſſarium Catholicæ fidei. Cur enim vultis, etiam ſtudioſa talium ſuppreſſione, exagitari conſcientias infirmas, ut redeant ad obedientiam canonicam Papæ, ſubjicientes eidem ſe *tanquam* Paſtori, eos monarchicè recturo, & *tanquam* Doctori, qui errare non poſſit ſolus? Quid igitur has veſtras doctrinas tanto æſtu Germaniæ, in tres Religiones diviſæ, obtruditis, perſequendo etiam illos, qui longiùs proſpicientes à vobis diſſentiunt? An reducetis hac viâ oves, quæ diſceſſerunt, ad antiquum Chriſti ovile, & Vicarii ejus legitimam obedientiam? Vereor, ne non obtineatis, niſi mecum revertamini ad genuinam Eccleſiæ Catholicæ formam, verumque gubernationis univerſalis modum, à Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis practicatum, multo tempore ſervatum, donec Monarchiſmus, ope falſarum Iſidori Decretalium, non ſpiritu Dei, ſed mundi, animos agente, intravit in *Curiam*, & ſuſtinere ſe fecit per vulgarem Doctrinam *Scholæ*.

Verùm, iterum quæro: Quid Romanum hoc ſyſtema, & ex eo depromptæ Italorum Doctorum conclusiones Papæ profuerunt? Nihil: imò, quo magis aſcenderunt impotentes ſuî doctrinæ, putantes, ſe obſequium præſtare Deo, & ejus Vicariis, eò plus his nocuere: inde enim à tribus ferè ſæculis tanta plurium animorum averſio à Papa prognata eſt, quaſi

Ca-

Catholici in talibus conſtituerent Primatum Petri : inde Nationes integræ ab obedientia etiam canonica, metuentes, eo prætextu exercitum iri intolerabilem dominatum, diſceſſêre. An eæ ſe reunirent Petræ, niſi ante omnia removeatur petra ſcandali? neque ſolùm à docendis ejuſmodi conſecutionibus abſtineatur, ſed etiam ab ipſo Monarchiſmo, tanquam principio talium conſequentiarum, & fonte tantorum abuſuum atque malorum. Hoc præſtare conatus ſum, & nihilominus *petræ adhæreo, & cathedræ Petri conſocior* cum S. Hieronymo, affectu intimo : *Dominatûs* doctrinam, minimè Evangelicam, abominor, non dogma *Primatûs* Apoſtolico-Romani, ratus, non ferendam eſſe in Eccleſia Chriſtianorum ſententiam, *quaſi univerſis plus poſſit unus, & tanta poſſit, quæ prudentis viri animum percellunt*. Pontificiæ dignitati majori quâm quiſquam alius reverentia advolvor; ſed quoniam omnibus Eccleſiæ Epiſcopis cum Romano Pontifice communis eſt Epiſcopalis dignitas, id inter alios profitente S. Leone M., abſit, ut quam in uno Epiſt.XII.
veneror, in cæteris calcari velim. Vos, ſi putatis Cap. 11. nov. edit.
expedire, ut monarchiſmi atque inerrabilitatis extra Concilium opinio porro promoveatur à vobis, promovete eam, pace mea; *Romanus orbis ruit, & tamen cervix veſtra erecta non flectit*.

His omnibus, & quibuſcunque aliis, utcunque gravibus ac evidentibus, inattentis, non dubito, quin veſtrûm haud pauci futuri ſint, qui obfirmato præjudiciis à juventute hauſtis animo, ſcandalum accipiant ab hoc, quod ſcripſi, verbo : commovebuntur velut ad inexpectatum obtutum cujuſdam hære-

ſeos,

ſeos , fuco catholico illitæ : exacuentur calami adverſus hoc ſcriptum : excitabuntur librorum Cenſores , ac ſanctum Officium pulſabitur importunè , donec continuatus Romæ Index prohibitorum ſuo illum regiſtro inſeruerit . Exaggerantes latens venenum calumniæ neutiquam deerunt : *Paulus Sarpi* , *Marcus Antonius de Dominis* , *Edmundus Richerius* , & ſi qui alii erant erga ſedem Apoſtolicam malevoli , revixiſſe dicentur : ita me mihimet præſagire jubent tum præjudicia , tum habitus plurimorum ex vobis ſpecialis ad Curiam Romanam . Sed nolite ſaltem me

Proverb. cap. 18. judicare ante tempus : *Qui priùs reſpondet quàm audiat , ſtultum ſe eſſe demonſtrat , & confuſione dignum*: priùs totam compagem Operis legite , iterum , atque iterum ; & Hiſtoriâ Eccleſiæ , præſertim Conciliari , ſimul adhibita deprehendetis , ſi æquo animo eſſe volueritis , nec ad legendum cum immaturo propoſito refutandi accedere , quòd noſtra hæc Eccleſiaſtici regiminis ratio non tantùm ſit vera , ſancta & Catholicè genuina , ſed etiam Sanctæ , quam colo, amo, veneror , ſedi præ Monarchiſmo ſalubrior .

Quorumcunque Superiorum , maximè autem Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ , de hac qualicunque operâ meâ judicium eò majore fiducia exſpectabo , quòd nullam à me propoſitionem in medium prolatam meminerim , quæ non proximè dimanet ex ſanis Doctrinis , non incidenter ſparſis , ſed ex profeſſo traditis in probatiſſimis Operibus Joannis Gerſonii , Benigni Boſſueti , Natalis Alexandri , & Claudii Fleury , virorum , quorum ſcriptis ſancta mater noſtra Eccleſia tantum debet , ut nulli in hoc genere poſt

San-

Sanctos Patres debeat amplius, ac quorum virtutem & inſignem eruditionem ipſa Romana Curia non poteſt non ſuſpicere. Neque tamen horum auctoritatem cœcè ſecutus ſum, ſed fontes adii, quibus illi, & eorum æmuli, Romanorum partium in Studio & ratione politicâ Advocati, hauſerunt, quodque ex his Divino verbo, & illud declaranti Eccleſiaſticæ Traditioni, magis conforme mihi viſum eſt, hoc pro ea portione luminis, qua me Dominus illuſtrare dignatus eſt, fideliter adoptavi. Maximam autem vim hujus luminis mihi ſentire viſus ſum in admirabili illo concentu, non tam verborum, quàm omnis generis factorum, non privatorum, non rarorum, ſed publicorum, communium, continuorum, nullo contrario uſu interruptorum, nec ulli ambiguitati aut æquivocationi ſubjectorum, quæ dum in unam ſummam coaleſcunt, uníque omninò formæ reſpondent, evidentiam conſtituunt ſatæ Traditionis, antequam ea per falſas Decretales obſcuraretur: imò & poſt receptos hos malos Canones; quorum ùt ùt ferè univerſalis per Occidentem (Oriens enim hac in parte beatior fuit) adoptatio non potuit genuinæ Traditionis lucem ſubitò extinguere.

Qui ex privatis ad me refellendum ſe ſe accingent, eos obteſtor, ut id faciant chriſtianè, non (quod ex odio Theologico haud raròvidemus evenire) truncando propoſitiones, & eas aliter venditando, quàm Auctoris mentem eſſe, ſuadent; tota libri ſeries & materiæ cohærentia. Interim hoc apud me ſtatutum eſt, illis, qui me meaque ſcripta prudenter ac ſobriè oppugnaturi ſunt, reſpondere imprimis, quantum in meis viribus eſt, ſolidè, quod in & pro bona juſtáque cauſa præſtare non adeo erit arduum: deinde breviter & modeſtè; eâ ferè methodo,

e quam

quam ſervavit paulò antè laudatus Natalis Alexander, dum reſponderet Religioſis (ſubinde valde irreligioſis) ſuis Cenſoribus. Contumelias contemptu vindicabo, ad poſteritatem ultrò provocans, ad quam potiùs, quàm ad præſens ſæculum, ſemper reſpexerunt, quicunque graviter de Republica ſcripſerunt.

Valete! Sponſam Chriſti ſincerè ac prudenter (id eſt, Papam propter eam) amate; & primorum veſtrorum Bononienſium Magiſtrorum errores in hoc cultiore ævo emendate. Agnoſcitis jamtum, illos fraude Iſidori fuiſſe deluſos: ſupereſt, ut perdurantem hactenus falſi effectum, peſſimarum illarum concluſionum atque inordinationum principium, quoque generosè auferatis. Quantùm ad me: Pax Eccleſiarum primarius finis eſt, quem mihi in hoc Tractatu propoſui. Quantum mihi gaudium, ſi *Dominus* puriſſimæ huic meæ intentioni ad perfectionem tanti operis benedicere dignaretur! Quidquid eveniat, honeſtum ſemper erit hanc pacem deſiderare, & ad eam conciliandam allaborare. Quòd ſi vel omni etiam fructu deſtituatur votum, ſpes & opera mea, dicam tamen confidenter cum Propheta: (*a*) *Et ſi fruſtra laboravi, & vanè fortitudinem meam conſumpſi, judicium tamen meum cum Domino eſt, & opus meum cum Deo meo: Et licèt Iſrael non congregetur, glorificatus tamen ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea*. Si (quod amplius & facile eſt) illorum etiam odium incurram, qui citra neceſſitatem, imò contra omne bonum & æquum, bellis ac diſſidiis frui malunt, hæc ſemper erit dulcis mea conſolatio, tale propoſitum à viris bonis minimè poſſe improbari, cui promovendo ea attuli, quæ pro ingenii ac lectionis mihi conceſſæ modo optima, à vera, Catholica & Apoſtolica Religione in nullo puncto aliena, & habitâ temporum, quibus vivimus, aliquâ ratione, videbantur aptiſſima. Iterum valete!

SUM-

(*a*) Iſaiæ Cap. XLIX. ℣. 4. & 5.

SUMMA
Capitum, & Paragraphorum.

CAPUT I.

De exteriore forma regiminis, quam in ſua Eccleſia Chriſtus Dominus inſtituit.

§. I. DE methodo ritè interpretandi textus Sacræ Scripturæ ad hanc materiam pertinentes. pag. 1.
§. II. Diverſæ Patrum ſententiæ circa textum Matthæi XVI. ℣. 18. referuntur.
Inter has communior & materiæ conveniens interpretatio adoptatur. 7.
§. III. Genuinus & Patrum judicio conformis ſenſus verborum Chriſti Joan. XXII. proponitur. 13.
§. IV. De aliis S. Scripturæ locis, quæ in hanc cauſam allegantur. 14.
§. V. Formam Eccleſiæ non eſſe Monarchicam, ex Sacra Scriptura demonſtratur. 17.
§. VI. Poteſtas clavium univerſitati Eccleſiæ à Chriſto data eſt.
Illam hæc per Miniſtros ſuos exercet;
Inter quos Rom. Pontifex primarius quidem eſt,
Nihilo tamen minùs Univerſitati ſubordinatus. 22.
§. VII. Omnium Apoſtolorum in Eccleſiaſtica poteſtate æqualitas (ſalvo Petri Primatu) ex Scriptura demonſtratur.
Eadem ſpeciatim confirmatur ex iis, quæ ab Apoſtolis in Synodo Hieroſolymitanâ geſta ſunt.
Formam regiminis Eccleſiaſtici, Monarchiæ oppoſitam, prodit diſciplina primitivæ Eccleſiæ, tam ſub Apoſtolis,
Quàm ſub Epiſcopis, qui in illorum locum proximè ſucceſſerunt: 28.
§. VIII. Capitalis hæc quæſtio de formâ Eccleſiæ monarchicâ in Concilio Tridentino agitata, nec tamen favore Romani Pontificis deciſa fuit.
Argumenta pro Pontifice in Synodo allegata referuntur & refutantur. 34.

§. IX. *Eccleſia hodieque regitur exteriore Chriſti inſtitutoris aſſiſtentiâ.*
Inde ſuam habet infallibilitatem; quæ non eſt revelationis, ſed directionis.
Hæc non ſolùm verbis Sacræ Scripturæ,
Sed & ratiociniis celeberrimorum Philoſophorum & Theologorum Angliæ demonſtratur. 46.
§. X. *Ultramontanorum doctrina de Romani Pontificis infallibilitate neque ab aliis Catholicis Eccleſiis agnoſcitur;*
Neque practicam habet utilitatem. 64.

CAPUT II.

De Primatu in Eccleſia, & genuinis ejus juribus.

§. I. *Probatur exiſtentia Primatûs ex Scriptura & Traditione.* 69.
§. II. *Fundamentum hujus Primatûs eſt bonum Unitatis in Eccleſia.* 74.
§. III. *Quæ ratio movit ad inſtituendum Primatum, eadem illum fecit perpetuum.*
Hic Primatus Romano Præſuli creditus eſſe probatur:
Non quidem à Chriſto, ſed à Petro & ab Eccleſia,
Adeoque & hujus auctoritate ad aliam ſedem transferri poteſt. 76.
§. IV. *In quo conſiſtat natura Primatûs, & quæ ſint genuina ejus jura?* 83.
§. V. *Eccleſia, cui Primatus annectitur, per hoc fit Centrum Unitatis.* 88.
§. VI. *Ea, quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent, ubivis gerantur, ad Romanum Pontificem, tanquam Primatem, referenda ſunt,*
Ut is ſollicitudinem ſuo Miniſterio convenientem expleat. 91.
§. VII. *Rom. Pontifex eſt tutor & vindex Canonum per univerſam Eccleſiam.*
In fideli horum obſervatione Papa ſui Primatûs invictum præſidium invenit. 98.
§. VIII. *Summus Pontifex habet jus, univerſalis Eccleſiæ nomine, leges aliaque obſervanda proponendi.* 103.
§. IX. *Qua ratione Papa ſollicitudinem ſuam, ad omnes Eccleſias pro obſervantiâ Canonum ſe ſe extendentem, exercere debeat ex SS. Cypriano & Auguſtino declaratur.*
Idem exemplis ab Eccleſia Orientali deſumptis oſtenditur. 108.

§. X.

§. X. *Romanus Pontifex habet jus mittendi Legatos ad opus officii ſui Primatialis.* 113.
Ne verò in hoc committantur abuſus, in pleriſque regnis muneri & functionibus Legatorum fines ponuntur.
§ XI. *Principatus ſummi Pontificis per univerſum Eccleſiam non tam eſt juriſdictionis, quàm ordinis & conſociationis.*
Quo ſenſu Papa dicatur Epiſcopus univerſalis? 117
§. XII. *In primævo ſtatu, quo Primatus octo Sæculis perſtitit, bono Unitatis optimè proſpectum fuit.* 123.

CAPUT III.

De incrementis jurium Primatûs Romani, illorumque anſis tum fortuitis & innocuis tum ſontibus.

§. I. *Epiſcopatus in Eccleſia unus eſt, & omnibus Epiſcopis certo modo communis.* pag. 128.
§. II. *Non omnia, quæ Romani Pontifices in aliorum diœceſibus geſſêre, præcisè vi univerſalis Primatûs egiſſe, aut ſuâ auctoritate perfeciſſe cenſendi ſunt.* 133.
§. III *Varia etiam præter vel contra Statuta Canonum in alienis diœceſibus acta leguntur, quæ in exemplum trahi non debent*
Nonnulla ex ſpeciali privilegio & prærogativâ exercebantur, quæ ultra fines privilegii extendi non poſſunt. 135.
§. IV. *Antiqua ratio communicandi, ejuſque jus, non erant effectus juriſdictionis reſpectu excommunicati.* 137.
§. V. *Qualitas ſedis* Patriarchalis, *Romæ adhærens, ſæpe cum Univerſali Primatu miſcetur, & errores generat.* 141.
Addenda pag. 626.
§. VI. Apoſtolicæ *ſedis dignitas, Romanæ præcipuè competens, magnam huic auctoritatem conciliavit, ſed nativi Primatûs juribus nihil addidit.*
Idem obſervandum de qualitate Matris & Magiſtræ, *quæ Romæ reſpectu Eccleſiarum Occidentis tribuitur.*
Titulus & dignitas Capitis Eccleſiæ, *nec non* Vicarii Chriſti, *Romano Pontifici propria, abſolutam ſuperioritatem non importat.* 145.
§. VII. *Relationes in gravioribus & dubiis cauſis, ad Romanam ſedem fieri ſolitæ, magnum ei auctoritatis pondus addidêre.* 153.
§. VIII. *Quæ hinc inde occurrunt figuratæ aut ampullatæ Patrum*

elocu-

elocutiones, ſubſtantiam rei non mutant. 157.
§. IX. *Status Eccleſiæ exterior per falſas Iſidori Decretales penitus immutatus eſt.*
Lineamenta hujus novi Syſtematis. 164.
§. X. *Novum illud Syſtema leviter roboratum per amplum dominium & regimen temporale, quod Romanæ Eccleſiæ circa eadem tempora acceſſit.* 171.

Addenda num. 3. pag. 627. num. 5. pag. 628.

§. XI. *Syſtema falſarum Decretalium etiamnum in Romana Eccleſia viget; quin multò durioribus, quàm olim, conditionibus practicatur.* 175.
Addenda p. 629.

C A P U T IV.

De Cauſis, quæ vulgò majores vocantur.

§. I. *De Cauſis Majoribus in genere, & quando illæ Sedi Apoſtolicæ reſervari cœperint?* 185.
§. II. *Cauſæ fidei non ſunt reſervatum ſummi Pontificis?*
Singuli Epiſcopi & particularia Concilia habent jus damnandi hæreſes.
Doctrinas ab Apoſtolica Sede damnatas poſſunt Concilia particularia ad examen revocare.
Qua causâ, & quo fine, graviores fidei quæſtiones ad Romanum Pontificem referendæ ſint? 189.
§. III. *Confirmatio electionis Epiſcoporum genuino Jure ad Synodum provincialem, aut ad Metropolitanum pertinet.*
Eò etiam datâ opportunitate reduci poſſet. 196.
Addenda. p. 630.
§. IV. *Idem Jus in Poſtulatione obtinet.* 198.
§. V. *Datio Coadjutoris cum futura ſucceſſione ſeriùs inter cauſas Majores numerata eſt.* 199.
§. VI. *Translationes Epiſcoporum, ſemper auctoritate Provincialium Synodorum factæ, demum vi falſarum Decretalium Romano Pontifici reſervatæ fuerunt.* 200.
§. VII. *Iiſdem mutationibus etiam ceſſiones Epiſcoporum ſubjectæ fuiſſe noſcuntur.* 201.
§. VIII. *Cauſæ depoſitionis Epiſcoporum de jure ad Synodos Provinciales pertinent.*

Ut

Ut eæ inter reſervata ſummi Pontificis referrentur , plurimæ Decretales confictæ ſunt . 202.
§. IX. *Erectio novorum Epiſcopatuum nullo expreſſo Juris textu , ſed tantùm obſervantiâ , Romanæ Sedi reſervantur ,* 207.
§. X. *Quod in erigendis Epiſcopatibus , idem & in novis Metropolibus & Eccleſiis Primatialibus inſtituendis juris eſt .* 210.
§. XI. *Nec ullum juris Monarchici attributum per totam Eccleſiam Romanæ Sedi adhærere , adversùs Cardinalem Orſum ſingillatim demonſtratur .*
Attamen in negotiis univerſam Eccleſiam , concernentibus Papa , tanquam Primas , extra Concilium , multum valet , præſertim ſui negatione aſſensûs . 212.

C A P U T V.

De Legibus Eccleſiaſticis, earum pro Univerſali Eccleſia ferendi jure ; & de Appellationibus ad Romanum Pontificem .

§. I. *Romanus Pontifex an & quatenus habeat jus condendi leges in cauſis fidei , univerſam Eccleſiam obligantes?*
Exponitur genuinus ſenſus verborum Lucæ XXII. ℣. 32. 221.
§. II. *In materiis diſciplinæ Papa non habet poteſtatem obligandi totam Eccleſiam .*
Imò ne generalium quidem Conciliorum decreta in materia diſciplinari particulares Eccleſias obligant ſine receptione .
Leges etiam pro univerſa Eccleſia legitimè latæ non obligant , niſi in provinciis debitè promulgatæ .
Semel autem receptæ, non poſſunt ad beneplacitum Papæ mutari . 226.
Addenda . num. 5. p. 632.
§. III. *Collectiones Canonum non niſi ex receptione & obſervantiâ Juris vigorem obtinent .*
Hoc nominatim verum eſt de Decreto Gratiani , de Decretalibus Gregorii IX. & reliquis partibus Juris Canonici .
Eadem , imò minor ratio habetur Regularum Cancellariæ, Bullæ Cœnæ, & Declarationum Concilii Tridentini . 236.
Addenda num. 4. p. 632. num. 7. pag. 633. ibidem p. 635.
§. IV. *Ampla quidem auctoritas , non tamen juriſdictio propriè talis, Romano Pontifici in omnes Eccleſias competit .*
Argumentis , quæ hanc in rem ex Tridentino , Florentino , & aliis Conci-

Conciliis pro Papa petuntur, ſatisfit. 242.
§. *V. Romano Pontifici ex natura & iure Primatus non competit jus appellationum ex omnibus totius Eccleſiæ partibus.*
Genuinus ſenſus Sardicenſium Canonum exponitur. 258.
§. *VI. Provida & cauta fuit Canonum Sardicenſium ordinatio:*
Nec tamen omnibus locis congrua; hinc nec ubique recepta.
Illam falſæ Decretales in infinitum extenderunt,
Magno Diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimento, & juſtitiæ diſpendio, in hodiernum uſque diem perdurante. 266.
§. *VII. Summorum Pontificum Gelaſii & Nicolai I. Epiſtolæ, quæ favore Romanorum appellationum ſolent allegari, explicantur.* 272.
§. *VIII. SS. Athanaſii, Joannis Chryſoſtomi & Flaviani provocationes ad Sedem Romanam, neque fundant, neque ſupponunt illud jus appellationis, quod ſibi Romani tempore Gelaſii Papæ aſſeruerunt, aut etiamnum prætendunt,* 274.

CAPUT VI.

De Conciliis Generalibus.

§. *I. Jura Univerſalium Conciliorum prætenſo ſtatui Monarchico Eccleſiæ repugnant.*
Romanum Pontificem Generalibus Synodis ſubjectum eſſe, Conſtantienſe & Baſileenſe Concilium apertè definiverunt.
Idem pluribus Concilii Tridentini locis haud obſcurè inſinuatur.
Facultas diſpenſandi in Lege Conciliari non arguit ſuperioritatem in illud.
Hæc de Jure etiam Epiſcopis ſuo modo competit.
Epiſcopi in Conciliis ſunt Conjudices, non meri Conſultores Papæ. 281.
Addenda p 636.
§. *II. Nullâ lege divinâ aut humanâ convocatio Univerſalium Conciliorum Romano Pontifici reſervatur.*
Octo priora Concilia Generalia ſolâ Imperatorum auctoritate convocata fuere. 296.
§. *III. Tacito Principum & Eccleſiarum conſenſu jus congregandi Univerſales Synodos Romano Præſuli delatum fuit;*
Non tamen abſolutè, & pro omni caſu. 299.
§. *IV. Duplex in Conciliis præſidium: unum ab Imperatoribus, alterum regulariter à Pontificibus exercitum.*
His etiam competit jus proponendi & primam ſententiam edicendi:
Attamen ſalvo jure Epiſcoporum. 302.

§. *V.*

§. V. *Generalium Synodorum Decreta non indigent Pontificiâ confirmatione.*
Hujus non uſum probant Acta ſingulorum Conciliorum. pag. 305.
§. VI. *Nullus unquam Pontifex auſus eſt de novo diſcutere decreta alicujus Concilii Univerſalis.*
Econtra Synodi Generales frequenter ad novum examen revocârunt materias & quæſtiones à ſummis Pontificibus deciſas.
In Conciliis Epiſcopi jure ſuo diſcernunt & judicant. 313.
§. VII. *Concilia generalia abſolutè neceſſaria eſſe, Eccleſia ſæpiùs agnovit.* 323.
§. VIII. *Parum firma eſt illorum ſententia, qui à plurima parte Epiſcoporum, definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhærentium, ultimatum & irrefragabile judicium conſtitui exiſtimant.* 331.
§. IX. *Quæ priore §. tradita ſunt, illuſtrantur & confirmantur ex controverſia de Baptiſmo Hæreticorum inter SS. Cyprianum & Stephanum Papam.* 351.
§. X. *Legitimitas appellationis à Romano Pontifice ad Generale Concilium, proinde hujus ſuperioritas, omnibus Sæculis, & ab omnibus Nationibus in Eccleſia agnita fuit.* 359.
Addenda p. 637.
§. XI. *Dilucidatur ulteriùs materia appellationum à Romano Pontifice ad futurum Concilium; & declaratur, quibus caſibus illæ obtineant.* 366.
§. XII. *Magna Generalium Conciliorum in negotiis fidei utilitas; & ex horum neglectu hæreſum propagatio.*
Major eorundem pro conſervandâ & reſtaurandâ Diſciplinâ neceſſitas.
Concilium Tridentinum uberem adhuc reformationis meſſem poſt ſe reliquit, à futuris Conciliis Univerſalibus colligendam. 369.
§. XIII. *Referuntur ſingulatim Eccleſiaſtici abuſus, inde à Conſtantienſi Concilio à viris piis & integris Nationibus publicè incuſati, per Tridentinum non ſublati.* 378.
Addenda. p. 638. *num.* 2. 4. *& ſeqq. p.* 639.
§. XIV. *Summa abuſuum, hodienum in Eccleſia vigentium, qui forti indigent remedio.*
Illos quiſquis ſponte tolerat, ſummâ injuriâ in Eccleſiam agit, nec poteſt ſalvare animam ſuam. 394.
§. XV. *Adversùs modernos abuſus Eccleſia ſemper in generalibus Conciliis reclamavit, & eorum reformationem ſtudioſe quæſivit;*

Sed per Romanam Curiam ab optimo propoſito nunquam non impedita fuit . pag. 398.
§. *XVI. Quæ de jure Generalium Conciliorum hoc Capite tradita ſunt, ea firmantur & illuſtrantur auctoritate Cardinalis Juliani, Pontificii ad Baſileenſe Concilium Legati ac Præſidis .* 418.
Addenda. num. 9. pag. 640.

CAPUT VII.

De auctoritate Epiſcoporum ex Jure Divino .

§. *I. Chriſtus Epiſcopatum inſtituit, eique propria ipſa jura attribuit, perpetuò illi adhæſura.*
Inde colligitur æqualis omnium Epiſcoporum auctoritas . 441.
§. *II. Quæſtio de immediatâ aut mediatâ Epiſcoporum auctoritate, in Concilio Tridentino propoſita, nec tamen apertè definita fuit .*
Argumenta, quæ in utramque partem propoſita fuerunt, recenſentur & ponderantur . 446.
Addenda. pag. 642.
§. *III. Refutatur Fagnanus, omnem juriſdictionem à Papa in Epiſcopos dimanare ſuſtinens .*
Epiſcopalia jura in aliorum diœceſibus exercendi facultas Romano Pontifici non competit . 452.
§. *IV. Omnium beneficiorum collatio originario ac genuino jure ad Epiſcopos pertinet .*
Seriùs, & variis modis atque titulis, plerumque in ignorantia veri Juris Eccleſiaſtici fundatis, beneficiorum proviſiones ad Romanam Sedem devolutæ ſunt .
Equidem inconvenientiis inde natis per varia Concordata modus aliquis poſitus fuit, ſed non ſatis firmus . 460.
Addenda. pag. 643. & num. 10. p. 644.
§. *V. Indagatur in originem Annatarum .*
Earundem illegalitas, tam quoad ſubſtantiam quàm in modo oſtenditur . 467.
Addenda. p. 646. & num. 9, pag. 648.
§. *VI. Jure Divino, & antiquo Eccleſiaſtico, nulli caſus ſummo Pontifici reſervantur .*
Sed nec Jure veteri ullæ diſpenſationes Sedi Apoſtolicæ ſervatæ noſcuntur .
Quibus modis & viis cœperint reſervationes quorundam graviorum criminum ?

Quis

Quis ſenſus, & quæ vis declarationis eâ de re per Concilium Trid. editæ? pag. 475.
§. *VII. Exploſâ Cardinalis de Luca ſententiâ de Romani Pontificis univerſali Ordinariatu,*
Corruit privilegium Mendicantium excipiendi Confeſſiones in aliorum Diœceſibus.
Referuntur Epiſcoporum adversùs hoc privilegium oppoſitiones. 479.
§. *VIII. Per exemptionem Regularium juribus Ordinariorum durum & immeritum vulnus inflictum eſt.*
Quid de tollenda hac exemptione in Concilio Tridentino actum fuerit?
Gravia motiva, tam politica, quàm Eccleſiaſtica referuntur, harum exemptionum abrogationem adhucdum poſtulantia. 487.
§. *IX. Quod Epiſcopi Cardinalibus ſeriùs fuerint poſtpoſiti, non debet neque poteſt præjudicare illorum ordini ex divina inſtitutione in Eccleſia abſolutè primo.* 509.
§. *X. Qua viâ Epiſcopi in jura ſua redire queant, oſtendit Cancellarius Gerſon.* 513.

CAPUT VIII.

De libertate Eccleſiæ, ejuſque reſtaurandæ jure & cauſis.

§. *I. Cauſa primaria lapſus Diſciplinæ, & alteratæ formæ Eccleſiaſticæ, ſunt fictæ Decretales Iſidori,*
Quæ uſque ad noviora tempora Actis publicis normam dederunt. 515.
§. *II. Fraus Iſidori facilem Romæ acceſſum invenit.*
Sed neque ab initio potuit, neque etiamnum valet Romanæ Eccleſiæ patrocinari. 520.
§. *III. Non adeo falſæ Decretales genuina Eccleſiæ jura obſcuraverunt, quin ſubinde perrumperet veritas: præſertim tempore Concilii Viennenſis & Conſtantienſis.* 523.
§ *IV. Eccleſia Romana ex ſuppoſititiis Decretalibus maxima commoda percepit.*
Quibus, veritate nunc detectâ, ſalvo jure gaudere non poteſt. 530.
§. *V. Non proſunt hac in parte Romanis præſcriptio, ceſſio, poſſeſſio, conſuetudo &c.* 534.
Addenda p. 649.
§. *VI. Quæ ex nimietate religionis obſcuris ſæculis Pontificiæ auctoritati adjecta fuerunt, nunc cognito genuino Jure Publico Eccleſiaſtico, in juſtum ordinem redigenda ſunt.* 538.
§. *VII. Exceſſiva poteſtas, quâ Rom. Pontifex poſt falſas Decretales uti cœpit, quâque hodiedum fruitur, Eccleſiæ valde noxia eſt. Eadem reunioni Eccleſiarum impedimentum ponit.* 540.
Addenda p. 650.

§. *VIII.*

§. VIII. *Quod Galli ex libertatibus Eccleſiaſticis ſervaverunt, in id redire aliis gentibus fas eſt.* pag. 549.
§. IX. *Reductionem genuini Juris Canonici non impediunt Concordata à Romanâ Sede cum variis Nationibus inita.* 554.
Addenda p. 651.
§. X. *Libertati Eccleſiaſticæ non tam officiunt Pontifices, quàm Rom. Curia.* 556

CAPUT IX.
De mediis recuperandæ Libertatis Eccleſiaſticæ.

§. I. *Semper invigilandum, & cautè attendendum ad omnes Romanæ Curiæ paſſus, vero Juri ſacro contrarios, & ſingularum Eccleſiarum juribus præjudiciales.*
Ipſa, ut hoc faciamus, nos monet Religio. 559.
§. II. *Primum adversùs abuſum Eccleſiaſticæ poteſtatis remedium eſt in aptâ inſtructione populi.* 561.
§ III. *Alterum remedium ponitur in Concilio Generali libero.* 568.
Addenda p. 652.
§ IV. *Tertium medium in Conciliis Nationalibus quærendum eſt.* 571.
§ V. *Hæc multò commodiùs expediuntur in regno Monarchico.*
In aliis Romana Curia facilius diviſiones excitat.
Quandoque Principes ſæculares propter propria ſua comoda exorbitantes Romanorum prætenſiones tolerant, imò ſuſtinent, 576.
§. VI. *Quartum medium haberi poterit in concordi Conſtituto Catholicorum Principum, adhibito pro horum directione Eccleſiaſticorum, maximè Epiſcoporum, conſilio.* 580.
§. VII. *Non ſunt hìc metuenda cenſurarum fulmina.*
Neque ſubeſt ſchiſmatis periculum.
Cautelæ ad ſuſcipiendam & perficiendam generalem reformationem opportunæ ſuppeditantur. 588.
§. VIII. *Quintum remedium Retentio Bullarum Apoſtolicarum; cujus juſtitia & univerſalis uſus demonſtratur.*
Exponuntur ſingulares effectus falſarum Decretalium, qui populos egregie gravant, & Principum attentionem præ cæteris excitare poſſunt ac debent. 598.
Addenda p. 653.
§. IX. *Sextum idque generalius remedium in legitimâ reſiſtentiâ defigitur.* 607
Addenda p. 654.
§. X. *Poſtremum remedium Appellatio ab Abuſu.* 617.
§ XI. *Eccleſiæ omnino intereſt Primatum ſervari, ſed ad legitimos fines redactum.*
Hæc reductio aliter fit per Papam ipſum, aliter per Concilia. 620.

CAPUT I.

DE EXTERIORE FORMA REGIMINIS, QUAM IN SUA ECCLESIA CHRISTUS DOMINUS INSTITUIT.

§. I.

De methodo rite interpretandi textus Sacræ Scripturæ ad hanc materiam pertinentes.

DUo ſunt fontes, è quibus Status Eccleſiæ eruendus venit: ſcilicet *Scriptura* & *Traditio*. Qui cum Ultramontanis formam monarchicam Eccleſiæ tribuunt, ij ex ſacris litteris nonnullos textus maximè Matthæi *cap. XVI. v.* 18. & Joannis *cap. XXI.* in rem ſuam trahere amant. Ut verò eandem ſententiam etiam ex Traditione confirment, ad varia SS. Patrum aſſerta provocant, qui ipſis videntur S. Petrum, & poſt hunc Romanum Antiſtitem, non ſolùm Caput Eccle-

ſiæ conſtituere, ſed etiam Principem, & cum plenaria poteſtate Rectorem; ita, ut penes illum ſit, & apud ejus ſucceſſores perpetuò maneat totius Reip. Eccleſiaſticæ ſumma. De jam indicatis, aliiſque Scripturæ locis infrà agemus ſpeciatim; hìc ſolùm prævie & generatim obſervamus, ab erroris periculo minimè remotos eſſe, qui in interpretandis ſacris textibus tanquam *Sophiſtæ verboſi* (uti S. Hieronymus loquitur) ſuo genio indulgent, & non magis attendunt ad genuinas interpretandarum SS. Scripturarum regulas, quas ex omnium aſſenſu ſapientiſſimè tradidit VINCENTIUS LIRINENSIS in *Commonitorio I. cap. 2.* videlicet: " Cùm Scripturam ſacram, pro ſui „ & altitudine & obſcuritate, non uno eodemque ſenſu om- „ nes accipiant, ſed aliter atque aliter alius atque alius inter- „ pretetur, & penè, quot homines, tot illinc ſententiæ erui „ poſſe videantur (aliter nampe illam *Novatus*, aliter *Sabelli-* „ *us*, aliter *Arius*, aliter *Donatus*) neceſſe fuit, ut propheticæ „ & apoſtolicæ interpretationis lineæ propter tam varii erroris „ anfractus ſecundùm normam aliquam dirigerentur. Ob id „ ergo poſt Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas, ſanctos „ quoque Doctores accepimus, quò eorum *Catholicam*; hoc eſt, „ *univerſalem* intelligentiam, *tanquam Eccleſiæ regulam* à Deo „ præſcriptam ſequeremur." Mente & ſpiritu hujus Legis ducti, in commentandis laudatis textibus ſectabimur potius SENSUM *Patrum*, quàm *dialectica ratiocinia*, & umbratilem illum recentiorum Scholaſticorum diſputandi modum; *ſenſum* inquam *univerſalem*, quem certò nobis aperiet conſtans eorundem Patrum & Eccleſiæ *agendi* ratio, quando *ſcribendi* modus aut obſcurior, aut inter ſe contrarius videbitur. Sequemur egregium illud INNOCENTII III. monitum in cap. 2. X. de Presbytero non baptizato; ſcilicet: *SOPITIS QUÆSTIONIBUS DOCTORUM, PATRUM SENTENTIAS TENEAS.*

(1) *Mutilum eſt, & prorſus invalidum, ſumptum è Scripturis argumentum, ſi pro cujuſque arbitrio, quod adductum fuerit, ... in eam, quam ſemel imbiberint ſententiam pertinaciùs detorqueant. Nam quid promovebis, cùm, ſi quid defenderis, negetur; & ex diverſo, ſi quid negaveris*

ris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris, niſi vilem de blaſphematione laudem . . . . Internuntiis PATRUM, & ſacrorum CONCILIORUM organis, Spiritus Sanctus docet nos omnia, & ſuggerit nobis omnia: ſine quorum auſpiciis qui Scripturæ Sacræ ſenſum habere ſe jactitant, non intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, ſed videntes non vident, & audientes non audiunt: Ita Concilium Senonenſe Anni 1528. *in IV. Decreto fidei*.

(2) Si unanimis [uti in quibuſdam fit] Patrum in eandem interpretationem conſenſus haberi non poſſit, convenit obſervari præcepta, quæ laudatus VINCENTIUS LIRINENSIS *cit. Commonit. I. cap. 32.* commendat: " Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorii iſtius ſanctos & doctos viros tradidiſſe nobis ſcripſimus, ut Divinum Canonem ſecundum univerſalis Eccleſiæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt *univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem*. Et ſi quando pars contra vetuſtatem, unius vel paucorum errantium diſſenſio contra omnium, vel certò multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellaverit, præferant partitionis corruptioni univerſitatis integritatem: inque eadem univerſitate *novitatis profanitati antiquitatis religionem*, itemque in ipſa vetuſtate unius, ſive pauciſſimorum temeritati primùm omnium generalia, ſi qua ſunt, Univerſalis Concilii decreta præponant: tunc deinde ſi id minus eſt, ſequantur, quod proximum eſt, *multorum atque magnorum conſentientes ſibi ſententias Magiſtrorum*.

(3) Jubet itaque LIRINENSIS, cæteris etiam paribus, & ubi multorum & magnorum Magiſtrorum conſentientes ſententiæ (quas tamen pro nobis ſtare omnino credimus) haberi non poſſunt, *novitatis profanitati* præferri *antiquitatis religionem*. Ad probandam hanc præcipuam antiqui-

tatis religionem *Traditione* potiſſimùm utimur; hæc autem ex diutinâ & conſtanti multorum ſæculorum obſervantia multò certiùs eruetur, quam ex nudis verbis Scriptorum; maximè quando ea tam varia ſunt, ut alia in hanc, alia in illam ſententiam trahi poſſe videantur. *Uſus conſtans* & *uniformis Diſciplina* plerumque certa ſunt; ſcribentium verba, in hoc præſertim rixoſo ævo, diſputantium æſtu redduntur dubia, tum maximè, quando memorata antiquior Diſciplina ex cauſis, quas ſuo loco, ſcilicet *cap. III.* referemus, ſeriùs alterata fuit; quo caſu homines, ſive præjudicii, in quo enutriti ſunt, amore, ſive commodi, quod in novo illo Syſtemate inveniunt, cauſâ, omnes nervos intendunt, ut veterum Scriptorum verba recentiori huic Syſtemati accommodent.

(4) His nixi regulis judicabimus facilè & ſecurè, etiam relativè ad textus Sacræ Scripturæ, de regimine Eccleſiæ, quale illud à Chriſto Domino inſtitutum Eccleſia primitùs agnovit, & multis ſæculis retinuit, qualeque ſic agnitum & retentum probant certiſſima monumenta hodieque proſtantia; nequidquam obſiſtentibus quibuſdam locis Patrum, quæ communiori, & *uſu rerum* firmatæ aliorum interpretum ſententiæ ad ſpeciem magis repugnare videntur, quam revera opponantur, infinitè autem abſunt ab illa unanimitate, quam Tridentinum *Seſſ. IV.* ad authenticam Scripturarum interpretationem requirit; dum interim Romani, ſibimet ipſis adulantes, ſub illorum ſcuto tuti eſſe, & ſub hac umbra tranquillè degere poſſe exiſtimant.

(5) Non venit hic prætermittenda ingens inter Theologiam *Scholaſticam* ac *Poſitivam* & utriuſque methodum differentia, atque hujus præ illa principaliùs meritum ac virtus in commentandis locis Sacræ Scripturæ, & dijudicandis capitalibus illis quæſtionibus, quæ in omnium ſæculorum diſciplinâ ſua debent invenire monumenta, Divini Inſtitutoris mentem & ſenſum interpretantia, de quarum numero eſt illa, quam hic de forma regiminis Eccleſiæ proponimus.

mus . Juvat hunc in finem adoptare fidelem relationem, ùt ùt aliquanto diffuſiorem, attamen præſenti noſtro inſtituto apprimè convenientem, ex tractatu idiomatis gallici Lud. le Gendre *de Moribus & Conſuetudinibus Gallorum pag. 35. edit. in fol.* " L'ancienne Theologie, à laquelle
„ on eſt revenu depuis 40. ou 50. ans, conſiſtoit à bien
„ étudier l'Ecriture & la Tradition; la Religion ordonnant
„ de croire ſans approfondir les Myſteres: On ſe conten-
„ toit de ſçavoir quels étoient les Dogmes de la Foy, ſans
„ entreprendre de les prouver autrement que par l'Ecri-
„ ture & par les Ouvrages des Péres. Ce fut l'orgueil
„ de *Berenger* Archidiacre d'Angers, & l'émulation qu'il
„ y avoit depuis quelque tems entre lui & *Lanfranc* Prieur
„ de l'Abbaye du Bec, qui firent naiſtre ſans y penſer la
„ *Theologie Scholaſtique*; l'Archidiacre ayant enſeigné des
„ erreurs ſur l'Euchariſtie, environ l'an 1047. l'Abbè lui
„ oppoſa un fort grand nombre de paſſages tant des Pé-
„ res que de l'Ecriture, ſi clairs & ſi convaincans, que
„ pour en eluder la force, Berenger eut recours aux So-
„ phiſmes & aux Diſtinctions, que la Logique d'Ariſtote
„ ſuggere à un eſprit fin: *Lanfranc* & ſes ſeconds voyant
„ les acclamations, que ces ſubtilités attiroient à ſon Ad-
„ verſaire; puiſerent dans la même ſource de quoy def-
„ fendre & attaquer non ſeulement ſur cette matiere, mais
„ encore ſur toutes les autres. *Abelard*, *Gilbert de la* Abelardus obiit an 1142. & Gilbertus an 1154.
„ *Porrée* Evêque de Poitiers, & autres ſçavans de ce tems-
„ là ſuivirent la même methode. . . . .
„ Quoy que le mérite de Gens ſi doctes, l'eût déja miſe fort
„ en vogue, elle y fut beaucoup davantage, depuis qu'un
„ de nos Evêques (c'eſt le celebre *Pierre Lombard*, que
„ l'on regarde communement comme le Pere de la Scho-
„ laſtique) eut mis au jour en 1150. ſon livre appellé *des*
„ *Sentences* . . . . . . *Alexandre de Hales*, *Albert le Grand* Alexander deceſſit 1242. Albertus 1280. S.Thomas 1274.
„ & *Saint Thomas* commenterent le Livre des Sentences.
„ La Somme de S. Thomas a toujours été regardée com-
„ me un excellent Abregé de toute la Theologie; les Gens
„ à qui elle ne plait pas, n'y trouvent autre choſe à redire,

„ ſi

„ ſi non que trop frequemment il s' y eſt ſervi d'Ariſtote „ pour prouver & pour expliquer les verités chrêtiennes. „ Ces ſommes de Theologie furent reçuës par le plus grand „ nombre avec applaudiſſement, parce qu' il falloit bien „ moins de tems à apprendre ſon Saint Thomas, qu' à „ bien ſçavoir la *Poſitive*; qui comprend l'Ecriture ſainte, „ les Conciles, les Peres, & l' Hiſtoire. Une autre rai- „ ſon du progrés de la Scholaſtique, c' eſt que ceux qui „ la poſſedoient étoient preſque aſſurés de vaincre tel ad- „ verſaire que ce fût, & de n'être jamais vaincus, tant „ elle fourniſſoit d'argumens, de ſubtilités, de réſponſes „ & de faux-fuyans: ces avantages charmerent tellement „ les jeunes Gens, qu' ils ſe donnerent tout á fait à cette „ nouvelle Theologie, & n' étudierent plus l' Ecriture ni „ la Tradition, ni même les Humanités, ce qui eſt cauſe, „ que le Latin qu' on a parlé jusqu' à preſent dans les Eco- „ les de Theologie, eſt ſi barbare & ſi groſſier.

„ Les vieux Theologiens qui avoient fait d' autres études, „ s'éleverent contre les Nouveaux & les accuſerent hau- „ tement d'être au moins ſuſpects d'héréſie; les Nouveaux „ ſe moquant des Vieux les traiterent de bonnes gens, qui „ n'avoient pas aſſés d'eſprit pour aimer les ſubtilités; & Biblici. „ les appelloient par ironie des *Theologiens à Bible*, c' eſt „ à dire, qui ſçavoient la Bible, & qui du reſte n'euſſent „ pû ſe débaraſſer d'un ſophiſme. La querelle dura long- „ tems; enfin les Scolaſtiques l'emporterent, & depuis „ cinq à ſix cens ans on n' a point enſeigné d'autre Theo- „ logie que la leur. Cette Theologie eſt née en France, „ & c' eſt où elle a le plus fleuri. L'eſprit de chicane ſe „ gliſſa preſque en même tems dans l'Ecole de Droit &c. "
His ſimilia, imò graviora, de methodo *poſitivâ* præfe-rentialiter ad *dialecticam* in definiendis cauſis Religionis uſurpandâ, tradunt eruditiſſimi Auctores Hiſtoriæ Litteraria Gallicæ *Tom. IX. pag.* 207. *ſeqq.*

§. II.

§. II.

Diverſæ Patrum ſententiæ circa textum Matthei XVI. v. 18. referuntur.
Inter has communior & materiæ conveniens interpretatio adoptatur.

Primus, qui ad determinandam Eccleſiaſtici regiminis formam ponderandus venit, ſacer textus, eſt Matthæi XVI. v. 18. Hic poſtquam JESUS diſcipulos ſuos interrogaſſet: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reſpondénsque Petrus dixiſſet: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi:* tunc regerens JESUS ait ei: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Et ego dico tibi, quia *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Unde Romani, eorumque fautores concludunt, ſolùm S. Petrum, ejuſque in Romana ſede ſucceſſores, eſſe lapides fundamentales Eccleſiæ; ſoli Petro immediatè a Chriſto datas eſſe claves Eccleſiæ; ac per hunc in reliquos Apoſtolos, per ejus ſucceſſores in omnes Epiſcopos, omnem ſacram authoritatem dimanare; quod quàm parum Patrum, imò univerſalis Eccleſiæ ſenſui conveniat, mox videbimus.

(1) Variis modis hunc textum SS. Patres interpretantur. Primò multi per *Petram hanc* intelligunt *FIDEM*, ſeu *CONFESSIONEM*, quam de Chriſti Divinitate Petrus fecerat. Hoc agunt HILARIUS *Lib. IV. de Trinit. n. 36. 37.* GREGORIUS NYSSENUS in Opere, *de Adventu Domini.* CHRYSOSTOMUS *Homil. 55. in Matth.* & *Orat. II. contra Jud.* AMBROSIUS *Lib. IV. in Lucam*, & in *cap. XI. Epiſt. ad Epheſ.* GREGORIUS M. *Lib. IV. Epiſt. 38. edit. nov.* THEODORETUS *Epiſt. 77. pag. 947.* In eandem ſententiam, ſeu ſenſum ab eruditis laudantur ſaltem trigin-

ta

ta quinque Patrum & antiquorum graviorum Scriptorum commentarii. His addenda loca ipſorummet Romanorum Pontificum, S. LEONIS, HADRIANI I., NICOLAI I., STEPHANI VI., INNOCENTII II., & URBANI II. apud Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 375. *edit. Paris.*, quibus omnibus hic textus de *Fide Petri* accipitur. Eundem ſenſum retinet Oratio in Miſſa Vigiliæ Apoſtolorum Petri & Pauli in Miſſali Romano: *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut nullis nos ſinas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ Confeſſionis petrâ ſolidáſti*. Cui nullatenus repugnat Oratio pro feſto Cathedræ S. Petri die 18. Jan. in Miſſali & Breviario præſcripta: *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus regni cœleſtis, ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti* &c. Itaque cùm non aliter credat, & aliter oret Eccleſia (*legem* enim *credendi lex ſtatuit ſupplicandi*, ut ſcribit Cœleſtinus I. ad Epiſcopos Galliæ) videtur eſſe doctrina *Eccleſiæ*, ut hæc ipſa ſupra confeſſionem S. Petri fundata credatur, ſicque Chriſti verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, ad eandem fidem, & ad Catholicam Eccleſiam, in qua illa prædicatur, referantur.

(2) Alii hoc loco per *Petram* intelligunt JESUM CHRISTUM, qui revera eſt Eccleſiæ ſuæ fundamentum, lapis angularis, & eſſentiale Caput, juxta plures S. Scripturæ textus: 1. *Corinth.* 3. *v.* 11. Item 1. *Corinth.* 1. *v.* 4. Porrò *ad Epheſ.* 11. *v.* 20. Inſuper 1. *Petri* 2. *v.* 4. 6. 7. Denique *ad Hebræos cap.* 6. *v.* 1.. Facit hoc præ cæteris S. AUGUSTINUS Tract. CXXIV. in Joan. ubi: *Eccleſia fundata eſt ſuper Petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, ſed Petrus à Petra; ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatus. Ideo quippe ait Dominus: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Super hanc ergò, inquit, Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus: ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum*

quippe

quippe aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergò, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro: id eſt, poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Idem repetit S. Doctor in ſuis retractationibus Lib. I. cap. 21. ibi: *Tu es Petrus, Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus.* Eadem interpretatio legitur in Commentariis S. HIERONYMI in *cap. VII. S. Matthæi*, nec non in THEODORETO ſuper *cap. III. Epiſt. I. ad Corinth.* aliiſque.

(3) Communior autem ſententia eſt eorum Patrum ac ſacrorum Interpretum, qui Chriſti verba de S. Petro quidem, ſed ita accipiunt, ut quemadmodum Petrus Domino *omnes* interroganti ſuo & condiſcipulorum ſuorum nomine reſpondit, ita & in replica Chriſti cum Petro intelligantur *RELIQUI QUOQUE APOSTOLI*, quippe qui omnes revera ſunt fundamentum Eccleſiæ juxta illud S. Pauli ad Epheſ. cap. II. v. 20. *Ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum*; nec non Apocal. cap. XXI. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni.* In ſumma: Chriſtus ipſe eſt *unicum* & *primarium* fundamentum ſuæ Eccleſiæ; & ſi S. Petrus dicatur *ſecundum*, & *miniſteriale* fundamentum, debebit & tantundem aſſeri de reliquis Apoſtolis. Itaque ſi de *ſecundario* hoc fundamento accuratè loqui velimus, Petrus erat *primus*, ſed non *unicus* fundamenti lapis. Sic (*a*) ORIGENES Tract. I. ſuper cap. 16. Matthæi Tom. II. p. 22. edit. Paris. an. 1604. *Tu es Petrus. Petra enim eſt quilibet Chriſti diſcipulus, & ſuper talem Petram conſtruitur omnis Eccleſiaſtica doctrina . . . . . Quòd ſi ſuper illum unum Petrum tantùm exiſtimas ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque?* &c. (*b*) S. HIERONYMUS Lib. I. adverſus Jovin. Tom. II. p. 27. edit. Francof. *At dicis: ſuper Petram fundatur Eccleſia, licèt id ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant,*

piant , & *EX ÆQUO ſuper illos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur* , *tamen propterea inter duodecim unus eligitur*, *ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio* . (*c*) S. AUGUSTINUS Tract. 108. *Unus pro omnibus dicit* , *Tu es filius Dei vivi* , & *propter hoc claves cum omnibus*, *tanquam perſonam gerens Eccleſiæ* , *accepit* ; *ideo unus pro omnibus* , *quia unitas in omnibus* . Adde alia ejuſdem S. Doctoris loca , cum hoc non diſcordantia, paulo antè relata, & infrà §. VI. referenda . Inter diverſa interpretationum genera , quibus textum Matthæi explicat AUGUSTINUS , quæque omnia in eundem finem à nobis intentum collimant, dat finaliter in ſuis Retractationibus Lib. I. cap. 21. lectori optionem : *Harum autem*, ait , *ſententiarum* , *quæ ſit probabilior* , *eligat Lector*. (*d*) S. LEO Sermone III. in Anniverſario die ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum cap. 3. *Tranſivit in alios Apoſtolos vis iſtius poteſtatis* , & *ad omnes Eccleſiæ Principes hujus decreti conſtitutio commeavit* : *ſed non fruſtra uni commendatur* , *quod omnibus intimetur*; *Petro enim ſingulariter hoc creditur* , *quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus forma præponitur* . (*e*) THEOPHILACTUS in hunc locum Matthæi : *Licet ad Petrum tantùm dictum ſit illud* : *Tibi dabo claves &c.* , *tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt* , *quando dicit* : *Quorum remiſeritis &c.* (*f*) EUCHERIUS Lugdunenſis Epiſcopus Homil. de Nat. Petri : *Hoc enim quod Petro principaliter dicitur* , *cæteris quoque Apoſtolis dictum eſſe intelligi debet*. (*g*) PASCHARIUS RATBERTUS Lib. IV. in Matth. *Non ſuper unum Petrum*, *verùm ſuper omnes Apoſtolos* , *Apoſtolorumque ſucceſſores Eccleſia Dei ædificatur* . Eodem ſenſu hunc textum intelligunt HINCMARUS Epiſt. XXXIII. ad Hincmarum Laudun. cap. 20. & alibi . ODO CLUNIACENSIS Lib. IV. Collat. cap. 19. PETRUS BLESENSIS Serm. 44. , aliique innumeri . (*h*) Eandem interpretationem amplexus eſt Gratianus *Cauſa XXIV. Quæſt.* 1. *Can.* 6. cum S. AUGUSTINO , & *Can.* 18. cum S. CYPRIANO . Atque adeo quidem hæc opinio de auctoritate annuntiandi Evangelium,

&

& regendi Eccleſiam, omnibus Apoſtolis *ex æquo* datâ, Sæculo VIII. conſtans erat, & communis, ut ipſa eam *Pſeudo Iſidorum* expreſſerit in Decretali *Anacleto* Papæ ſuppoſitâ, cujus fragmentum idem Gratianus refert *Diſt. XXI. Can. 2.* His adde Cardinalem Cajetanum *Tract. de Auctorit. Papæ, & Conciliorum cap. III.* " Si qui autem interpretes illud *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, ad Petram quoque referunt; ii quidem pauci ſunt, ac pro uno mille in contrarium recenſere poſſumus; " inquit Ill. Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis in *Defens. Declarationis Cleri Gall. Lib. XV. cap. 34.*

(4) Omnium Interpretum loco, quoad intelligentiam hujus ſacri textûs, & applicationem ejuſdem ad genuinum, antiquæ & ſanæ doctrinæ conformem *Primatum* Petri, hujuſque in Romana ſede ſucceſſorem, eſſe poteſt jam laudati LEONIS Papæ Sermo II. in Anniverſario ſuæ Aſſumptionis cap. 3. in quo ita: *In univerſa Eccleſia, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit: & omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magiſterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captivorum ejus vincula diſſolvit. Hæc erutos mundo, inſerit cœlo: & portæ inferi adversùs eam prævalere non poſſunt. Tanta enim divinitus ſoliditate munita eſt, ut eam neque hæretica unquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia. His itaque modis, dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtivitas; ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodiâ perſeverat & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Unde venerabilium quoque fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mihi & honoranda præſentia hinc ſacratior eſt & devotior, qui pietatem hujus officii, in quo adeſſe dignati ſunt, ei principaliter deferunt, quem non ſolùm hujus ſedis Præſulem, ſed & omnium Epiſcoporum noverunt eſſe primatem.* Hoc loco omnia ferè continentur ſimul & junctim, quæ *ad ſpeciem diverſa* è Patribus retulimus in eum, quem mo-

dò interpretamur, locum Matthæi: Scilicet (*a*) *Fides* Petri. (*b*) Huic conjuncta *univerſalis Eccleſiæ* fides, (*c*) *adverſus quam* portæ inferi non prævalebunt. (*d*) Perſeverans in Petri ſucceſſoribus ſollicitudo omnium Paſtorum, & ovium his creditarum, id eſt, *ſollicitudo omnium Eccleſiarum* in ſenſu Apoſtoli ad Corinthios II. cap. 11. v. 28. (*e*) fundata in *Primatu*, à Petro in Romanos Pontifices quaſi hæreditariè translato.

(5) Hæ Patrum doctrinæ, ad ſpeciem diverſæ, in ſubſtantia tamen non diſcordantes, multùm abſunt, ut in textu Matthæi agnoſcant inductionem *formæ Monarchicæ* in Eccleſiam, vigore cujus regimen Univerſæ *uni Petro* ita committeretur, ut reliqui Apoſtoli tantùm vocati cenſerentur *in partem ſollicitudinis* ejuſdem Petri, cui liberum eſſet Coapoſtolis ſuis, quam voluerit, portionem ſacri regiminis communicare, quam voluerit, ſibi reſervare. Et quanquam nonnulli Patres, in hunc locum Evangeliſtæ diſſerentes, aut de Romano Pontifice tanquam Primate Eccleſiæ, datâ occaſione, honorificè loquentes, S. Petro, hujùſque in Primatu ſucceſſoribus, figuram ſacrorum verborum (quod Scriptoribus Eccleſiaſticis familiare eſt) retinentes eum ſpecialiùs applicent, inde tamen haud ſequitur, quòd reliquos Apoſtolos, horùmque ſucceſſores ab illius verâ ſignificatione ac ſenſu, & à Chriſti, Collegium Paſtorum inſtituentis, intentione, excludant.

(6) Illud nihilominùs ex commentario D. HIERONYMI in ſuprà adductis verbis, *Propterea inter omnes unus eligitur, ut CAPITE CONSTITUTO ſchiſmatis tollatur occaſio*: nec non ex illo Magni LEONIS, *Petro SINGULARITER hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus FORMA præponitur*: demum ex mox referendis verbis S. AUGUSTINI: *Petro PRIMITUS; quia in Apoſtolis Petrus eſt PRIMUS*: ritè infertur, etiam ex hoc loco S. Matthæi eluceſcere, & probari *Primatum Petri*, ſed talem, qui fines *directorii*, & *formæ* non egrediatur, nec impediat, quominùs reliqui

Apo-

Apoſtoli pariter dicantur, & revera conſtituant *fundamentum Eccleſiæ*, habeantque, æque ac ipſe, *immediatè* à Chriſto claves Eccleſiæ cum poteſtare gregem dominicum paſcendi, nec non ligandi atque ſolvendi. Vide interim Matthæi *cap.* 28. *v.* 18., & Joannis *cap.* 20. *v.* 22. Ex quibus textibus apparet, oppidò falli illos, qui *uni Petro* claves a Chriſto datas autumant.

§. III.

Genuinus, & Patrum judicio conformis ſenſus verborum Chriſti Joann. XXI. *proponitur*.

Alter textus ſacer, qui pro *indefinita* & *monarchica* poteſtate S. Petri in Eccleſia allegari ſolet, eſt Joannis XXI.; Ubi Petrus de amore Chriſti ter interrogatus, ter oves ejus paſcendas accepit, per verba: *Paſce agnos meos*; *Paſce oves meas*. Hic volunt, *uni Petro*, licet alii Diſcipuli ac Apoſtoli præſentes fuerint, adeòque & *ſoli* in cathedra Petri *ſucceſſori*, independenter à Corpore Paſtorum, *illimitatam*, & ad nullum determinatum vinculum reſtrictam ſolvendi, ligandique poteſtatem conceſſam eſſe. At, ſi Patres Eccleſiæ conſulamus, etiam hoc loco Chriſti verba in Perſona Petri ad omnes Paſtores Eccleſiæ diriguntur.

(1) Ita (*a*) S. AUGUSTINUS Sermone CVIII. cap. 4. de Diverſis: *Non enim inter diſcipulos ſuos SOLUS meruit paſcere Dominicas oves: ſed, quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur; & Petro primitùs, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus*. (*b*) S. AMBROSIUS Lib. II. de Dignit. Sacerd. cap. 2. *Repetitum eſt ter à Domino, Paſce oves meas; & quas oves, & quem gregem tunc beatus ſuſcepit Petrus? ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum eo illas nos ſuſcepimus omnes*. (*c*) S. CHRYSOSTOMUS Homil. 79. in Matt. *Amas me Petre? Paſce oves meas. Quod non ad ſacerdotes ſolummodò dictum eſt, verùm etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimus grex commiſſus eſſe videtur*

tur. (*d*) S. BASILIUS in Conſtit. monaſt. cap. 22. *Hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre amas me plus his? Paſce oves meas. Et omnibus præterea deinceps Paſtoribus, ac Magiſtris eandem tribuit poteſtatem*. Et multi alii. Itaque ex eo, quòd hæc verba, ad omnes Apoſtolos & Paſtores pertinentia, à Chriſto dirigantur ad Petrum, hujus equidem præeminentia iterum intelligitur; ſed id nullatenus impedit, quominùs, eâdem præeminentià ſalvâ, ovium cura, & cuſtodia æque immediatè & directè reliquis diſcipulis, Chriſto tunc loquenti & committenti adſtantibus, tradita fuerit.

(2) Qualitatem *Paſtoris* & *Conductoris* Dominici gregis non eſſe ſingularem & propriam ſolius Petri & Succeſſorum ejus, ſed omnibus Apoſtolis & Epiſcopis communem, docemur ab Eccleſia in Præfatione Miſſæ de Apoſtolis canente: *Quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe Paſtores*. Et ipſe Petrus ad Presbiteros ſuos: *Parcite*, inquit, 1. Petri cap. 5. v. 2. *qui in vobis eſt, gregem Dei*. Diſtinctio, quam aliqui Scholaſtici faciunt inter *Agnos*, & *Oves*, quaſi per has *Epiſcoporum*, per illos cæterorum *fidelium* cura Petro à Chriſto commiſſa fuerit, ſecùs ac aliis Apoſtolis, imaginaria ſubtilior eſt, antiquitati incognita, noviter ad ſuſtinendam abſolutam poteſtatem Romani Pontificis adinventa.

(3) Contineat de reliquo verbum *Paſcendi*, Petro [ſuppone etiam ſoli] dictum, quantamcunque authoritatem & poteſtatem: non repugno; hoc contendo, nullam verbo *Paſcendi* ineſſe, quæ non æque, imò amplius, contineatur illis Chriſti dictis ad omnes Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; item his: *Euntes docete omnes gentes*.

§. IV.

De aliis ſacræ Scripturæ locis, quæ in hanc cauſam allegantur.

Equidem Romanæ Curiæ advocati adhuc alia Scripturæ loca hanc in rem atque in ſuam ſententiam trahere moliuntur;

ſed

ed veriùs dicam, ſacro textu abutuntur. Bellarminus *Lib. II. de Conciliis cap.* 17. quinque loca pro ſe allegat, ex quibus deducere nititur, Romanum Pontificem ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam univerſam, & ſupra Concilium generale: Primus ejus locus eſt in Evangelii Lucæ cap. XII. *Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Alter in Epiſt. I. Pauli ad Timotheum cap. 3. *Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire citò: Si autem tardavero, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Tertius in Evangelii Joannis cap. ult. *Paſce oves meas.* Quartus in Epiſtola Pauli ad Epheſios cap. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.* Et poſt alia: *Veritatem autem faciemus in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus.* Quintus in ejuſdem Epiſtola cap. 5. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea.* JOANNES LAUNOJUS Tom. I. Lib. 2. Epiſt. 1. hic accuſat Bellarminum violatæ regulæ Concilii Tridentini, quod Seſſ. IV. *ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, eandem contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat*: Tantum autem abeſt, ut Bellarminus relata quinque Scripturæ loca juxta unanimem conſenſum Patrum acceperit & interpretatus fuerit, ut ne unum quidem è Patribus propoſiti lemmatis aſſertorem in medium proferre potuerit; id quod obſervâſſe, Bellarmini placitum ferè confutâſſe eſt. Singula hæc Scripturæ loca curatiùs dilucidat Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſ.* 4. *Art.* 1. §. 3. De textu Lucæ cap. XXII. v. 32. in quo Romani præcipuè, licet fruſtra gloriantur, agemus ex profeſſo infrà *cap. V.* §. 1. Cæterum manet inconcuſſa regula, quam tradit Ill. Boſſuetus *de Poteſt. Eccleſ. Lib. XIII. cap.* 25. " Non ex proprio cerebro, vaniſque " ratiocinationibus Chriſtianæ Reip. formam effingendam eſſe " ſed Scripturis & Traditione demonſtrandam: *Eccleſiaſticam*

Mo-

„ Monarchiam ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam, ad „ formam Monarchiæ *Sæcularis* penitùs inſtitutam eſſe ; quod „ falſiſſimum eſt.

(1) Silentium Sacræ Scripturæ in re tanti momenti, in qua de ſummâ rei Sacræ *uni perſonæ* per univerſam Eccleſiam cum *illimitata* poteſtate credendà agi contenditur, naturaliter in omnium non præoccupatorum animis erudens idque ingens dubium debet excitare de hujus aſſerti veritate & ſubſiſtentiâ ; neque enim Chriſtus ſuæ Eccleſiæ ſatis proſpexiſſe videri poteſt, ſi Monarchiam ſacram, eamque abſolutam, inſtituere volens, eam tam obſcuris & incertis expreſſionibus involvit, ut imprimis in quinque illis textibus, de quibus hoc §. præcipuè agimus, nullus SS. Patrum illam ſubodoratus fuerit : ſed neque in reliquis Scripturæ locis integræ Provinciæ & Regna, de cætero apprimè Catholica, adhibito impigro ſtudio, eandem invenire unquam potuerint, nec in hunc uſque diem videre queant.

(2) Scripſit S. LUCAS integrum librum de Actis Apoſtolorum, in quo horum Geſta, præſertim quantùm ad noſtram inſtructionem pertinet, accuratè traduntur. Nihil in eo conſpicitur, ex quo colligi valeat, cæteros Apoſtolos ſuſpexiſſe Petrum ut *Magiſtrum* & *Præceptorem* ſuum, qualem reveriti fuerant CHRISTUM ; minùs ùt talem, *à cujus nutu & voluntate illorum miniſterium dependeret*. Contrarium potiùs ex eadem Apoſtolorum Hiſtoria intelligitur. Scilicet Actorum cap. VIII. v. 14. legimus : *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem*. Quæ verba expendens GERSONIUS Tract. de Poteſt. Eccleſ. Conſiderat. XI. Operum edit. Antverp. Tom. II. col. 245. " Apoſtoli, inquit, miſerunt in Samariam Petrum & „ Joannem, *tanquam ſubditos Eccleſiæ*.

(3) Poſſunt haud dubiè Interpretes ingenia ſua exercere circa curioſitates hiſtoricas & genealogicas circa Judaicos ritus,

tus, & ejus generis alia, quæ S. Scripturam elucidant, ipſi autem Religioni innoxia ſunt; hæc enim propriè non ſunt objectum Traditionis & Doctrinæ Eccleſiæ. Aliud eſt in & de his, quæ ſanctæ noſtræ *Religioni* & *Eccleſiæ* Chriſti poſſunt cauſare præjudicium, quale huic per Syſtema Monarchiſtarum (qui tot ſacros textus, nullo præeunte Patre, quin magis contra omnium ſenſum; in rem ſuam violenter detorquent) effectivè inferri hoc opere ſatis demonſtramus. Porro Decretum Tridentini non ſolùm pertinet ad materias fidei & morum ab Eccleſia jam *decisas*, ſed etiam ad *præveniendos* errores, ita ut cùm *petulantia ingenia* ſibi nimiùm indulgere voluerint, auctoritas Patrum eorum temeritati fines ponat. Hæc monuit Illuſtriſſimus Boſſuetus in ſua Inſtructione circa Verſionem & Notas Richardi Simon in Novum Teſtamentum.

§. V.

Formam Eccleſiæ non eſſe Monarchicam, ex Sacra Scriptura demonſtratur.

Aliam planè ideam de forma & ſtatu Eccleſiæ, *Monarchiæ oppoſitam*, nobis præbent clari textus Sacræ Scripturæ, & genuina horum interpretatio; quippe quibus innoteſcit, Eccleſiam Primo Apoſtolorum non fuiſſe ſubjectam; ſed econtra, hanc, & illam repræſentans univerſale Concilium, ſuam auctoritatem immediatè habere à Criſto, eſſeque ſupra Petrum, & ejus ſucceſſorem Romanum Pontificem. Et imprimis quidem, quòd Oecumenicorum Conciliorum auctoritas *immediatè à Chriſto* ſit, ſolent eruere ex verbis Joannis XIV. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit VOBIS, ut maneat VOBISCUM in æternum, Spiritum veritatis*. Cui addendum hoc Matthæi XVIII. v. 20. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; Item illud 1. ad Timotheum 3. *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei Vivi, columna & firmamentum veritatis*. Cum quibus denique oportet conferri verba ſynodi Hieroſolymi-

lymitanæ Apoſtolorum & Seniorum, ad terminandam controverſiam de legalium ceremoniarum obſervatione congregatorum, Actuum XV. *Viſum eſt Spiritui Sancto & NOBIS*. Quo quid magis pro hac authoritate dici, aut ab ullo mortalium pro majore robore expectari debeat, non video, & nemo [uti quidem cenſeo] non præoccupatus poterit videre. Quando hæc *Collegio* Apoſtolorum & Diſcipulorum ſuorum promittit & largitur Chriſtus, ex contrario de *ſingulis*, nec excepto quidem Primo, ſic diſponit Matthæi XXIII. v. 8. ſeqq. *Nolite vocari Rabbi, unus enim eſt Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Nec vocemini Magiſtri quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus*. Quæ ſane infinite abſunt ab omni idea Monarchæ, à Criſto, ut prætenditur, inſtituto. Porro quod univerſæ Eccleſiæ authoritas ſit *potior dignitate Papali*, habeatque hanc à ſe dependentem, prudenter eruitur ex illo Matthæi XVIII. v. 15. ſeqq. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audieris eos, dic ECCLESIÆ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Sub *fratris* nomine, hoc loco indicati, continetur etiam *Papa*, æque circumdatus infirmitate, & peccato obnoxius. Poteſt itaque & debet in ipſum quoque fraterna correctio exerceri; maximè ſi ob hæreſim, ſchisma, vel diſſolutos mores, multis ſcandalo ſit & offenſioni. Sic Paulus reprehendit Petrum non rectè ambulantem ad veritatem Evangelii. Si verò fratrem corripientem, vel adhibitis teſtibus, non audiat, denuntiandus erit *Eccleſiæ*, quæ non poteſt dici eſſe Pontifex ipſe: ne idem ſit reus & Judex, corripiens, & correctus. Neque poterit his caſibus Pontifex deferri Eccleſiæ *diſperſæ*, quæ ipſum coërcere non valebit, ſed debebit *congregatæ* in univerſali Concilio, quod totius nominis Chriſtiani repræſentatio eſt. Sed nec poſſet Papa Eccleſiæ ſic congregatæ denuntiari, nec ab ea corrigi, niſi hujus ſuperior eſſet poteſtas, immediatè à Deo accep-

cepta ad ligandum ſolvendumque omnes fideles, atque ipſum etiam Romanum Pontificem. Unde Dominus noſter jam relatis verbis Matthæi mox v. 18. ſubjicit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

(1) Hoc argumentum ex Evangeliſta Matthæo depromptum urget GERSONIUS Tract. de *Poteſtate Eccleſ. Conſideratione IV. cit. Tom. II. col.* 231. ubi " Hanc poteſtatem, inquit, contulit Chriſtus *Matth. XVIII. v.* 15. dum „ dixit Petro vice omnium: *Si peccaverit in te frater tuus,* „ *vade & corripe eum &c.* Sequitur, *quòd ſi te non audierit, DIC ECCLESIÆ; quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit* „ *tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Quo in loco fundatur „ juridica poteſtas excommunicandi, vel interdicendi ab „ Eccleſiaſticis ſacramentis, & communione fidelium re„ belles & inobedientes Eccleſiæ, ſicut uſus eſt Apoſtolus „ & idem hortatus eſt ad *Titum III. v.* 10. ſcribens: *hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem* „ *devita.* Et ſimile dicit 1. Corinth. V., v. 11. *Si quis* „ *frater nominatur inter vos &c.* Sequitur: *cum hujuſmodi nec cibum ſumere.* Fundatur rurſus, abſque omni „ calumniâ poſſibili, in hoc textu plenitudo poteſtatis gla„ dii ſpiritualis, & executio ejus in Eccleſia, ſuper quem„ libet Chriſtianum, qui eſt frater noſter, etiamſi *Papa* „ fuerit. Nec accipiendum eſt hìc *DIC ECCLESIÆ*, id „ eſt, *PAPÆ*; quoniam Chriſtus *Petro* loquebatur, qui „ non dixiſſet ſibi ipſi. Item quia ſubjunctum eſt plura„ liter. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram &c.* Deni„ que ſi non haberet Eccleſia talem poteſtatem & execu„ tionem, fruſtra dixiſſet Chriſtus: *DIC ECCLESIÆ*; quia „ potuiſſet impunè non audiri, contra illud, quod ſequi„ tur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi &c.* Fundatur „ etiam in hoc textu nedum poteſtas *excommunicandi*, ſed „ & poteſtas *definiendi*, determinandi, ſtatuendi, decer„ nendi, conſtituendi præcepta, leges & Canones; pro„ cedendi denique contra non obedientes uſque ad ſen-

„ tentiam excommunicationis incluſivè ; immò ſecundùm
„ Canones nunc inſtitutôs, uſque ad invocationem brachii
„ ſæcularis; quia dicitur in textu , *quod ſi Eccleſiam non*
„ *audierit* &c. Audire igitur debet Eccleſiam quilibet fra-
„ ter noſter, qui dicit ad Deum : *Pater noſter*, ſicut ex-
„ plicat alibi Chriſtus: *Qui vos audit, me audit*. Luc.
„ X. 16.

(2) Concluditur autem ex præmiſſis [ſic proſequitur Gerſo) quod ſi poteſtas prædicta ſit *Eccleſiæ* data, *Concilium*
„ *generale* repræſentans Eccleſiam habeat illam ; imò vide-
„ tur, quòd Eccleſia, ut *ſparſim conſiderata* , non habet
„ illam poteſtatem, niſi in quodam materiali & potentiali:
„ ſed *congregatio ſua*, & *unitio*, quæ fit in Concilio gene-
„ rali, dat quaſi formam, ſicut in aliis Communicationi-
„ bus exemplum dari poteſt . Et fundatur prædicta po-
„ teſtas Eccleſiaſtica Jurisdictionis in unitate vel unione ta-
„ li ; quemadmodum notâſſe videtur elevatus Auguſtinus,
„ dum dicit : quòd *Claves Eccleſiæ datæ ſint unitati* . Ve-
„ rum tamen hoc non impedit, quin datæ ſint Petro, tan-
„ quam monarchæ, legitimiſque ſucceſſoribus ſuis, prin-
„ cipaliùs tamen Eccleſiæ. Primò , ratione indeviabilita-
„ tis, *quia portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* .
„ Matth. XVI. v. 18. nec deficiet fides ejus; non ſic in
„ Papa. Secundo ratione regulabilitatis ; quoniam habet
„ regularem uſum poteſtatis Papalis ; non ſic è converſo .
„ Tertiò ratione multiplicitatis ; quoniam Eccleſia continet
„ poteſtatem quamlibet Eccleſiaſticam , etiam Papalem ;
„ non ſic Papa, præſertim in extenſione . Quartò ratio-
„ ne obligabilitatis ; quia Eccleſia poteſt condere leges ob-
„ ligantes , & regulantes etiam ipſum Papam, tam quoad
„ perſonam , quàm reſpectu uſus poteſtatis . Non ſic e-
„ contra poteſt Papa judicare totam Eccleſiam , vel uſum
„ ſuæ poteſtatis limitare ; imò ſi Papa condat Leges &
„ Canones, videtur obſervandum illud , quod dicit AU-
„ GUSTINUS . *Leges inſtituuntur, cum promulgantur, fir-*

man-

„ *mantur autem, cùm moribus utentium approbantur* : Hoc „ enim dicitur ad reprimendum præſumptionem quorun- „ dam ſummorum Pontificum vel eis adulantium , qui vi- „ dentur voluiſſe debere ſervari pro regula immutabili de „ Papa , reſpectu cujuslibet Provinciæ vel totius Eccleſiæ: „ *Quod placuit Principi , legis habet vigorem* .

(3) S. Petrus & reliqui Apoſtoli , ſicut inter ſe fratres , ita ejuſdem Corporis , quod eſt Eccleſia , *membra* fuere , ut ut ille principalius . Quis autem dubitet , uni membro minorem eſſe auctoritatem , quàm toti corpori ? Agnovit id S. GREGORIUS Lib. V. Epiſt. 18. edit. nov. ad Joannem Conſtantinopolitanum ſcribens : *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum Sanctæ & Univerſalis Eccleſiæ eſt . Paulus , Andreas , & Joannes , quid aliud quàm ſingularum plebium Capita ; & tamen SUB UNO CAPITE CHRISTO , omnes ſunt membra Eccleſiæ* . In nullo ſtatu Monarchico ſubditi unquam dicti ſunt *fratres* ſui Regis, Princeps unà cum eis *membrum* Reipublicæ . Naturale eſt Eccleſiæ , etiam ex inſtituto Chriſti , *coïre in Corpus* , ſeu *Collegium*; non ita in regnis Monarchicis (quorum pauciſſima habent Status) ſubditi cum Rege , tanquam commembro & conſodali ſuo Collegium faciunt , collegialiter deliberant, ſtatuunt , & definiunt . Quare ex communiſſimis omnis juris Collegialis notionibus ac regulis aptè de Eccleſia tanquam *corpore* dicitur , quòd major ſit auctoritas Corporis, quàm cujuſque membri , etiam primi ; ſecus ac in regnis, in quibus , quantùm ad adminiſtrationem publicam , & directionem univerſi, nihil de Collegio noſcitur . Atque hoc eſt quod dicit S. HIERONIMUS apud Gratianum Diſt. 93. Can. 24. *Si auctoritas quæritur , ORBIS major eſt URBE* . Quo loco ſanè non quæritur, quis multitudine aut quantitate , ſed quis auctoritate præſtet .

§. VI.

§. VI.

Poteſtas clavium univerſitati Eccleſiæ à Chriſto data eſt.
Illam hæc per Miniſtros ſuos exercet;
Inter quos Romanus Pontifex primarius quidem eſt,
Nihilo tamen minùs Univerſitati ſubordinatus.

Quando anterioribus §§. probavimus, *non unum* Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, neque *illi ſoli* traditas eſſe claves cum poteſtate ſolvendi atque ligandi, illud volebamus & debebamus inferre, *Petrum ſolum non eſſe ſubjectum immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ*, ſed clavium poteſtatem *Univerſitati Eccleſiæ* propriè, & ita tranſcriptam eſſe, ut illa per ejus Miniſtros pro ſua cujuſque portione, ac inter hos per ſummum Pontificem, exerceatur. Ea eſt communis ſententia Theologorum Galliæ, tam veterum, quàm recentiorum. Juvat hanc dilucidare, & firmare verbis Toſtati Abulenſis *in cap. XIII. Num Quæſt.* 48. ubi ita: " Claves datæ ſunt à Chriſto *toti Ec-*
„ *cleſiæ*; quia tamen non poterat univerſa Eccleſia diſpenſare
„ illas, cùm non eſſet aliqua perſona, eas Petro dedit *nomine*
„ *Eccleſiæ*. Si tamen intelligeretur claves traditas eſſe *Petro*
„ *ſpecialiter*, non ſolùm ſequeretur inconvenienter, quod indu-
„ citur, ſcilicet, quòd alii Apoſtoli non habuiſſent, ... ſed
„ adhuc inconveniens majus erat, quòd defuncto Petro non
„ manſiſſent claves, quod neceſſe erat, ſi ſoli Petro datæ fuiſ-
„ ſent; & non ſolùm, ſi ipſi ſoli, ſed etiam ſi omnibus Apoſto-
„ lis datæ fuiſſent, *tanquam determinatis perſonis*, defunctis illis
„ non manſiſſent claves in Eccleſia, quia iſti non habent pote-
„ ſtatem dandi aliis claves, faciendo eos ſucceſſores ſuos, cùm
„ nemo poſſit Prælatum ſucceſſorem ſibi facere ...... Ergo
„ non fuerunt datæ claves illis, *tanquam determinatis perſonis*,
„ ſed tanquam *Miniſtris Eccleſiæ*; & tunc magis dabantur cla-
„ ves *Eccleſiæ*; cùm Eccleſia, quæ ipſos habet *radicaliter*, nun-
„ quam moriatur. Hinc leviter apparet, quomodo mortuo
„ Petro ſuccederent alii ſummi Pontifices in æquali poteſtate
„ quia illa poteſtas clavium erat in Eccleſia ..... Hinc
mor-

„ mortuo Petro poteſt eligere ſucceſſorem, & eligendo confert eam poteſtatem. Hoc idem patet in Communitatibus, „ ſi enim aliqua communitas, vel collegium eſt, ibi erit juriſdictio; & quia non poteſt adminiſtrari per univerſam ſocietatem, adminiſtratur per unum de communitate: non eſt tamen juriſdictio in illo, ita, quòd non ſit in communitate; ſed „ eſt magis in communitate, quia antequam ille conſtituatur „ in Judicem, vel Rectorem, nullam habet juriſdictionem: illo mortuo, vel cadente, non penitùs exſpirat juriſdictio: poteſt alius præfici in Rectorem vel Judicem; non tamen poſſet hoc fieri, ſi non maneret juriſdictio in communitate; ergò ipſa communitas habet magis juriſdictionem . . . . „ Ergò videtur, quòd juriſdictio illa *radicaliùs* erat in *Eccleſia*, „ quàm in *Prælato*. Non tamen haberet eam Eccleſia, niſi in „ principio ei tradita fuiſſet, quia juriſdictio clavium non eſt „ talis, quales ſunt juriſdictiones, quas conſtituunt ſibi homines; quia, cùm juriſdictio ſit in remittendo peccata & ligando, non poſſunt eam homines ſibi fingere, ſed à Deo ſolo „ eſt, cùm ipſe ſolus remittat peccata, in Eccleſia autem eſt iſta „ juriſdictio. Ergo oportet, quod illam aliquando acceperit; & „ hoc non fuit, niſi cùm primò traditæ ſunt claves à Chriſto.

Deinde idem Thema proſecutus Abulenſis *Quæſt.* 49 ſic diſſerit: "Eccleſia ſuſcipit claves à Chriſto, & Apoſtoli *tanquam Miniſtri Eccleſiæ*; & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati etiam: ſed *aliter Eccleſia*, quàm *Prælati*: nam Eccleſia „ illas habet *ſecundum originem & virtutem*, Prælati autem habent *ſecundùm uſum earum*. Dicitur Eccleſia habere ſecundùm virtutem claves, quia poteſt illas conferre Prælato per „ electionem . . . . Exemplum hujus rei in *domino rei*, „ & *uſufructuario*, atque *uſuario*; nam dominus rei habet uſum „ rei, & confert illum uſum alteri, ſed non eo modo, quo habet; quia ſibi reſervat uſum ut proprietario, alteri concedit „ ùt uſuario, vel uſufructuario; & in hoc confert dominus, „ quod habet, quia dominus rei non eſt uſufructuarius vel uſuarius. Conformiter in Eccleſia: ipſa enim non habet claves, „ *quantum ad uſum*. Omnia autem iſta deſcendunt ex hoc, „ quod

„ quòd Eccleſia non eſt aliquid *unum per ſe*, potens habere „ *adminiſtrationem* clavium; ſi autem poſſet per ſe adminiſtra- „ re, non committeret alicui Prælato.

(1) Hanc doctrinam agnovit *Tridentinum*, licèt eo tempore necdum eſſet ſuſpicio de falſitate *Iſidorianarum* Epiſtolarum, quæ omnem auctoritatem Eccleſiaſticam Romano Pontifici tribuunt. Tanta eſt vis veritatis! Hoc Concilium Seſſ. XIV. Can. 15, decernit: *Si quis dixerit, claves, ECCLESIÆ datas, tantùm ad ſolvendum, & non ad ligandum &c.* Item Seſſ. XXV. cap. 21. de Indulgentiis: *Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto ECCLESIÆ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi traditâ antiquiſſimis etiam temporibus uſa fuerit, ſacroſancta ſynodus &c.* Hoc loco poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto conceditur *Eccleſiæ*; priori eidem *Eccleſiæ* conceduntur claves. Quare & Epiſcopi ac Paſtores in uſu Clavium numquam non ſe agnoverunt Miniſtros *Eccleſiæ*, exemplo Pauli Apoſtoli, ſcribentis ad Coloſſ. Cap. I. v. 25. *Pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego Miniſter.*

(2) Sed neque alia fuit Patrum ſententia omnibus retrò ſæculis. Sic (*a*) TERTULLIANUS Scorpiace Cap. 10. *Memento, claves hìc Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* (*b*) S. AUGUSTINUS Lib. de Agone Chriſtiano C. 30. *Huic enim Eccleſiæ claves regni cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Paſce oves meas.* Idem Tractatu L. in Joannem: *Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit*; quem locum etiam laudat & adoptat GRATIANUS Cauſ. XXIV. Qu. 1. Can. 6. qui & alibi in ſuo Decreto hanc interpretationem conſtanter retinet. vid. Diſt. I. de Pœnitent. Can. 44. nec non cit. Cauſ. XXIV. Quæſt. 1. Can. 4. Item cit. S. AUGUSTINUS Tract. CXXIV. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam . . . . . . Eccleſia ergò, quæ fundatur in Chri-*

Chriſto , claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata . Denique , ut ejuſdem S. Doctoris alia plura in hanc rem loca prætermittam , idem Sermone CVIII. de diverſis Cap. 2. *Dominus Jeſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam elegit , quos Apoſtolos nominavit . Inter hos PENE UBIQUE SOLUS PETRUS TOTIUS ECCLESIÆ MERUIT GESTARE PERSONAM ; propter ipſam perſonam , quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat , audire meruit : Tibi dabo claves regni cælorum . Has enim claves NON HOMO UNUS, ſed UNITAS accepit ECCLESIÆ . . . . Nam , ut noveritis ECCLESIAM accepiſſe claves regni cœlorum , audite in alio loco , quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis : Accipite Spiritum Sanctum ; & continuò : ſi dimiſeritis peccata , dimittentur eis ; ſi cujus tenueritis , tenebuntur . Hoc ad claves pertinet . &c.* [c] S. CYRILLUS ALEXANDRINUS Lib. XII. ſuper Joannem v. 22. & 23. *Quomodo ergò , nec immeritò , quærit aliquis , quandoquidem verè aberat* (S. Thomas) *S. Spiritus verè factus eſt particeps , cùm diſcipulis Salvator apparuit , & inſufflavit dicens : Accipite Spiritum Sanctum ? Reſpondemus , virtutem in omnes permanaſſe , & ſcopum largientis impleſſe . Dedit autem Chriſtus NON ALIQUIBUS SEORSUM , ſed UNIVERSIS diſcipulis . Quapropter eam accipiunt , tametſi quidam non adeſſent, dantis liberalitate non ad preſentes ſolùm contracta , ſed in omnem ſanctorum Apoſtolorum chorum permeante* . (*d*) S. FULGENTIUS Lib. I. de Remiſſione peccat. C. 19. *In ſola ergo Eccleſia Catholica datur & accipitur remiſſio peccatorum , quam ipſe ſponſus unam dicit eſſe columbam ſuam , unam electam ſuam , quam ſuper petram fundavit , cui claves regni cœlorum dedit , cui etiam poteſtatem ligandi ſolvendique conceſſit , ſicut beato Petro veritas ipſa repromittit , dicens : Tu es Petrus , & ſuper hanc petram &c. Ab hac Eccleſia , quæ claves regni cælorum accepit , quiſquis foris eſt , non cœli viam graditur* . Idem eod. Lib. Cap. 24. , nec non Libro de Fide ad Petrum Cap. 3. [e] GREGORIUS I. Lib. VI. Expoſitionis

nis in Cap. 16. Lib. I. Regum Cap. 3. pag. 387. Tom. III. edit. nov. *Cornu quidem ſalutis quid eſt, niſi ſublimitas Eccleſiaſticæ poteſtatis? nam, quod antiquis nuſquam dicitur, modò UNIVERSALI ECCLESIÆ dicitur, quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* f) Ven. BEDA in Cap. XIX. Matthæi: *Claves regni cœlorum Petrus, TANQUAM PERSONAM GERENS IPSIUS UNITATIS, accepit*. Et in Cap. XXI. *ECCLESIA ergò in Petro claves regni cœlorum accepit*. Denique in Homilia de S. Petro: *OMNI igitur electorum ECCLESIÆ juxta modum culparum, vel pœnitentiæ; ligandi atque ſolvendi datur auctoritas*. Quàm plurima alia Patrum & Doctorum in hanc rem loca, quaſi continuatâ ſerie, uſque ad tempora Concilii Tridentini refert JO. LAUNOJUS Epiſt. ad Hadrianum Vallantium, quæ eſt quinta Tom. I. Part. 2. edit. noviſſ.

(3) Cùm itaque Eccleſia ipſa *principaliter* & *radicaliter* obtineat poteſtatem clavium, quæ ab illa in omnes ejus Miniſtros, ipſumque ſummum Pontificem, derivatur, & ſingulis quibuſque pro ſuâ portione communicatur, hinc ſequitur, Eccleſiam *juxta propriam ſuam diſpenſationem*, id eſt *CANONE* regi; *Conciliorum* (quippe quæ totam Eccleſiam repræſentant] auctoritatem ſuperiorem eſſe illà *cujuſque Miniſtri*, etiam *ſummi*; Papam non poſſe abrogare legem in Concilio Univerſali latam, aut ab ejus obſervatione diſpenſare, niſi de conſenſu *ſaltem præſumpto*, Concilii, id eſt, *in eo caſu*, quo Concilium ipſum diſpenſaturum fuiſſet; Epiſcopos in generali ſynodo congregatos eſſe judices omnium controverſiarum Eccleſiaſticarum, & perſonarum, atque ipſorum etiam Pontificum Romanorum, ſi in fide, officio vel moribus peccent; frequentem Conciliorum celebrationem perutilem eſſe, & vix non neceſſariam &c.

(4) Non ignoro effugia, quibus ad declinandum genuinum ac integrum hac in parte eccleſiaſticæ Traditionis ſenſum, utuntur Romanæ Curiæ fautores. Inter hos alii claves in per-

perſona Petri non tam ipſi Eccleſiæ, quàm *in commodum totius Eccleſiæ* datas eſſe aſſerunt. Alii quòd *JESUS* loquens Petro non intenderit ei dare perſonale privilegium, Petri morte finiturum, ſed ejus Primatui perpetuò adhæſurum, hòcque ſenſu *Eccleſiam* accepiſſe claves, in ejus ſinu uſque ad conſummationem ſæculi ſubſtituras. Verùm hæ interpretationes, ùt ùt de ſe bonæ ac veræ, non exhauriunt totam vim traditionis à Patribus ad nos transſcriptæ. Ponderentur verba S. AUGUSTINI Serm. 149. n. 7. *Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit?* Item Tract. 2. in Joan. *Petrus univerſam ſignificat Eccleſiam*. Et deinceps: *Ergo ſi*, Apoſtoli *perſonam gerebant Eccleſiæ, ſic eis hoc dictum eſt tanquam ipſi diceretur Eccleſiæ*. Porro Lib. III. de Bapt. Cap. 4. n. 6. *Si ergo perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt tanquam ipſi Eccleſiæ diceretur; pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio retinet peccata*; & judicet quiſque æquus rerum arbiter numne verum ſit quod tradit Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV. & XVI. Diſſert. VIII. n. 54. ſcilicet: " Ex his porro omnibus „ evidens eſt, inconcuſſum manere principium iſtud ex „ Scriptura Sacra & Traditione acceptum, & à S. Augu„ ſtino apertè frequenter, perſeveranter traditum & in„ culcatum, claves toti Eccleſiæ à Chriſto datas; immedia„ tè ipſi collatam à ſponſo auctoritatem ligandi & ſolven„ di; poteſtatem juriſdictionis in tota univerſalitate Eccle„ ſiæ principaliter reſidere, ut Scholaſtici loquuntur: quod „ unum eſt ex fundamentis ſententiæ, quam Eccleſia Gal„ licana, & ſacra Facultas Pariſienſis propugnant, aſſeren„ tes Concilium Oecumenicum ſuperius eſſe Romano Ponti„ fice, ut agnoſcunt Dominicus Soto & Martinus Na„ varrus.

§. VII.

Omnium Apoſtolorum in Eccleſiaſtica poteſtate æqualitas [ſalvo Petri Primatu] ex Scriptura demonſtratur .
Eadem ſpeciatim confirmatur ex iis , quæ ab Apoſtolis in Synodo Hieroſolymitanâ geſta ſunt .
Formam regiminis Eccleſiaſtici , Monarchiæ oppoſitam, prodit diſciplina primitivæ Eccleſiæ , tam ſub Apoſtolis . Quàm ſub Epiſcopis , qui in illorum locum proximè ſucceſſerunt .

Quam ſemel *in domo*, id eſt *in Eccleſia ſua*, Chriſtus inſtituit *œconomiam*, hanc deinceps non mutavit . Illam jam quodammodò, imò ſufficienter , agnoſcimus ex Divinis verbis, eccleſiaſticæ poteſtatis inſtitutivis , & collativis , in quæ in prioribus §§. ex ſententia Patrum , imò ex ipſiuſmet Eccleſiæ ſenſu , commentati ſumus . Certè , ſi *ab uno homine* totam Eccleſiæ ſummam perpetuis futuris temporibus Domi us dependere voluiſſet , tanti ea res fuiſſet momenti , tam omnibus ſcitu neceſſaria, tàmque facilis enuntiatu, ut neſciam, an Divinæ Sapientiæ regulis fuiſſet conforme , fideles deſuper relinquere in dubio inſuperabili, aut potiùs in errore . Dicamus veriùs , dubium, eâ de re *ſeriùs motum* , humanæ imbecillitatis partum eſſe ; quandoquidem ſatis certum , & ex œconomia Eccleſiaſtici regiminis (quatenus id à Deo conſtitutum eſt) excluſum haberi debeat , quod ex una parte ſacræ Litteræ nullatenus declarant, ex altera multorum ſæculorum uniformis obſervatio (ſi ea bonâ fide & tranquillo animo inſpiciatur, & perpendatur) manifeſtè excludit .

(1) Videtur hæc quæſtio ipſos Apoſtolos anxios tenuiſſe eo ipſo ferè tempore , quo Chriſtus poſtremum ipſis Vale dedit . Ortâ etenim inter illos , referente Evangeliſta Luca Cap. XXII. v. 24. & 25. diſceptatione ; *Quis inter ipſos Major eſſet* , reſpondit Salvator , & eâ quidem dictionis cla-

claritate, quæ nullas tenebras admittit: *Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor* [textus græcus habet *junior*, quod opponitur *ſeniori*] *& qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. Erat hìc quæſtio, ſi minùs Apoſtolis, certè Chriſto, non de *temporali regno* inter illos inſtituendo, ſed de *Eccleſia*, de ſacro cœtu; ab hac ergo ipſe Eccleſiæ fundator Statum Monarchicum exulare volens, opponit præcellentiæ *Regis* munus *Præceſſoris*; vixque poterunt verba Lucæ accipi in aliâ, quam in hac ſignificatione: *Reges gentium dominatum gerunt, & qui poteſtate iſtâ ſummâ fulgent, beneficorum titulo ornantur. Abſint autem hæc à veſtro cætu; ſed in eo, qui prior ſeniorve eſt, ſit veluti junior; & qui res dirigit, miniſtrum ſe eſſe cogitet*. Unde vel per ſe corruit, quod relativè ad hunc locum Evangeliſtæ ingerit Cardinalis Orſi *de Rom. Pontificis Auctoritate Tom. III. Lib. VII. pag.* 599, ſcilicet *Eccleſiaſticam* Monarchiam ad formam Monarchiæ *Sæcularis* equidem non eſſe inſtitutam, *quantum ad dominandi faſtum* & libidinem, opum amplitudinem, & omnem exteriorem apparatum ac ſplendorem: benè verò *quoad vim Principatus*, in eo poſitam, ut univerſa Reſp. *unius mente*, *& imperio* regatur.

(2) Ex Epiſtola Pauli ad Galatas Cap. II. v. 7. ſeqq. clàrè ſatis eruitur Apoſtolorum in poteſtate æqualitas. Eandem firmat CYPRIANUS in Lib. de Unitate Eccleſiæ ſcribens: *Et quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat poſt reſurrectionem; hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædicti honoris & poteſtatis*. Eadem eſt ſententia HIERONYMI Lib. I. adverſus Jovinianum, ubi: *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt hoc ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & EX ÆQUO ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*. Hinc & omnes Apoſtoli à Patribus, imò ab Eccleſia, *Vicarii Chriſti* appellantur omnes eadem authoritate, eadem poteſtate à

Chri-

Chriſto donati ſunt, illàmque eodem modo, quo Petrus, exercuerunt; nam Eccleſias, ut ille, fundarunt, Evangelium ubique annuntiaverunt, Epiſcopos conſtituerunt; nec quidquam poteſt aſſignari, quod iſte fecerit, illi verò non fecerint, *exceptis ſolis functionibus primatus*, de cujus jure agemus cap. ſequenti.

(3) Cùm *Antiochiæ* nata eſſet controverſia circa obſervantiam Legis Judaicæ, Petrus eam ſua auctoritate non diremit, prout potuiſſet, & haud dubiè feciſſet, ſi penes ipſum ſolum fuiſſet ſumma ſacræ poteſtatis, ſed Apoſtolos congregavit *Hieroſolymis*, & præſedit eorum conventui, in quo nec decidit ſolus, nec deciſionem *ſuo nomine* publicavit. Ex ſimplici ſacri textus in Act. Apoſt. Cap. XV. complexione ſeu analyſi forma regiminis Eccleſiaſtici facile & certò eruitur: Scilicet Paulus & Barnabas aſcenderunt Hieroſolymam, ubi tum erat Eccleſia principalis, in qua ſedebat Petrus Apoſtolorum Princeps. Aſcenderunt autem (*a*) in qualitate *condiſputantium* adverſus quoſdam, dicentes, non poſſe ſalvari gentiles ſine circumciſione: (*b*) in qualitate *deputatorum*, ab Antiochenâ Eccleſiâ: *STATUERUNT*, *ut aſcenderent Paulus & Barnabas*. Aſcenderunt illi, non ſignanter *ad Petrum*, ſed in communi ad *Apoſtolos & Presbiteros* ſuper hac quæſtione. Hieroſolymæ ſuſcepti ſunt *ab Eccleſia*, *ab Apoſtolis*, & *à Senioribus*: en gradationem à majori ad minores. Convenerunt *Apoſtoli*, & *Seniores*, videre de verbo hoc. Fiebat *magna conquiſitio*, id eſt, diſputatio pro & contra. Surgens Petrus poſtea peroravit, non quaſi rem ſe ſolo *definiturus*, ſed argumentis adductis *perſuaſurus* cœtum. Itaque deliberatio à Petro inchoatur, qui mos deinde invaluit, ut ſacri cœtus Principes primi ſententiam dicerent, iiſque auctoribus decretum ſanciretur. Tacuit interim *omnis multitudo*, non quaſi jam adfuiſſet concluſum, ſed *audiebant Paulum & Barnabam*, *narrantes*, *quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos*, in confirmationem argumentorum, quæ protulerat perorans Petrus: nolebant iſti duo con-

conjudicare, quia ipſimet erant in controverſia cum Phariſæis, & velut partes conteſtantes. Paulo & Barnaba tacentibus locutus eſt Apoſtolus Jacobus, non dicens: *Petrus locutus eſt, cauſa finita eſt*; ſed recapitulans narrata Petri quoad ea quæ *facti* erant: *Simon narravit*: deinde adjecit ea quæ ſunt *juris*: *Et huic concordant verba Prophetarum* &c. Subjunxit: *propter quod ego JUDICO*, ſentiens primum id ipſum, quod Petrus, deinde monuit *ulteriora* ſcribenda Gentibus, ultra id, quod dixerat Petrus, ut abſtineant nempe ab idolothytis, à fornicatione, à ſuffocatis, & ſanguine. Concluſum poſtea factum eſt: *tunc placuit Apoſtolis & Senioribus*. Decretum Concilii expediebatur ſub nominibus communibus, & appellativis: *Apoſtoli, & Seniores fratres*: . . . . . *Placuit nobis collectis in unum* . . . *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis*.. Expediebatur accuratè juxta votum Apoſtoli *Jacobi*, quod fecerat quandam reſtrictionem voti à Petro dati, ut adeo nonnullis in mentem venerit dubitare, an non plus hìc fecerit authoritas Jacobi quàm Petri. Plura de hoc Concilio dicemus *cap. VI. §. 6. n.* 4. 5. Si ageretur de formâ veteris cujuſdam Reip. determinanda, non poſſet convincentius argumentum contra ſtatum ejus Monarchicum adhiberi. Bellarminus, ea ſic quidem, ſed nulla neceſſitate facta aſſerit, cum non modò Petrus, ſed & reliqui Apoſtoli, ex ſe ſe ac ſingulares, quæſtionem determinare potuiſſent. Ergo ſic quaſi luſiſſe Apoſtolos ſtatuit, ac ſimulatè ab iis inſtitutam quæſtionem de re, quam exploratam habebant. Supponamus tamen, ſic eſſe: igitur nullo concilio ac deliberatione indigentes, tamen ut formam darent poſteris, hanc inierunt viam, ut idem fatetur Bellarminus. Hoc ſanè loco fidem Cardinalis Orſi deſidero *cit. Tr. Tom. I. Par. 1 p.* 129. ſcribentis: " Cùm Petrus certam de re, quæ
„ in quæſtionem vocabatur, ſententiam pronuntiaſſet, eam
„ deinde Jacobus ad Scripturarum amuſſim, & Prophetarum
„ oracula exegit; non equidem, quòd Petri definitionem
„ haud ſatis ſuo pondere firmam & immobilem judicaret,
ſed

„ ſed ut, *quos Petri auctoritas non moveret*, in eandem „ ſententiam veterum Scripturarum auctoritate pertrahe- „ ret. “ Soliditatem hujus ratiocinii, cum ſacro textu collati, cujuſque prudentis judicio ponderandam relinquo; illud tantum moneo, qualiter ipſemet Eminentiſſimus hìc agnoſcat, fuiſſe tunc, *qui unius Petri è cathedra decidentis auctoritate ſe non ſiviſſent trahi*. Plura vide infra. *Cap. 6. §. 6. n. 5. 6.*

[4] Apoſtoli erant inſpirati, *quoad ea*, quæ relata ſunt in Canonem S. Scripturæ; *non* verò *quoad omnes actiones ſuas* relativas ad Eccleſiarum gubernationem. Sic certè opinatus eſt D. AUGUSTINUS de S. Petro, cui *judaizanti* reſtitit Paulus; agens enim S. Doctor de cauſa Baptiſmi hæreticorum, in qua S. CYPRIANUS reſtitit S. STEPHANO Papæ definienti, ait *Lib. II. de Baptiſmo contra Donatiſtas Cap.* I. “ Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam „ poſtea Eccleſia tenuit, *cogere gentes judaizare*, cur non „ potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea „ tota Eccleſia tenuit, cogere hæreticos vel ſchiſmaticos „ denuo baptizari? Puto, quòd ſine ullà ſui contumeliâ „ Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quan- „ tum attinet ad Martyrii coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis „ enim neſcit, illum Apoſtolatûs principatum cuilibet Epi- „ ſcopatui præferendum? “ Itaque licèt cæteri Apoſtoli, ſicut & Petrus ipſe, Spiritu Sancto fuiſſent pleni, non credebant tamen, controverſiam circa legales ceremonias motam aliter definiendam eſſe, quàm congregatæ Eccleſiæ judicio.

[5] Synodus illa Hieroſolymitana *Act. Cap. XV.* ab omnibus ſignanter à Bellarmino *Lib. II. de Concil. Cap.* 8. pro norma Conciliorum Eccleſiæ habetur. Quod adverſus horum *neceſſitatem*, & pro deciſionum Papalium *ſufficientiâ* allegatur: ſcilicet [*a*] Concilia, licèt neceſſaria non ſint, tamen ideo utilia eſſe, quia plurium judicio res prudentius agi

agi creditur: (*b*) Ex omnium Nationum conventu certiorem Eccleſiaſtici ſtatus rationem haberi poſſe: [*c*] Minus ſuſpectum videri judicium, quod plurium conſenſu perficitur: Hæc inquam, Petro & Hieroſolymitano Concilio nullatenus convenirent, ſi cognitum Apoſtolis fuiſſet, ſoli Petro omnem ſacram auctoritatem & judicii Eccleſiaſtici certitudinem inhærere.

(6) Cûm naſcente Eccleſiâ aliud ſubortum eſſet dubium, *an ad Evangelii gratiam vocandæ ſint gentes*, quas veluti immundas Judæi perhorreſcebant: Petrus objecto cœlitus viſo de voluntate Dei edoctus, viſionem ipſam & divinam ſententiam Coapoſtolis ſuis aperuit Act. *cap. XI.* ubi: *his auditis*, inquit ſacer textus *v.* 18. *tacuerunt*, *&* *glorificaverunt Deum dicentes*: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Vidi Theologum, qui ex hoc reliquorum Apoſtolorum *ſilentio* inferebat agnitam in uno Petro gubernante totius Eccleſiæ poteſtatem. Ego potiùs contrarium inde arguerem. Scilicet *tacuerunt*, poſtquam divinâ & miraculoſa revelatione, à Petro narratâ, certi facti fuiſſent de mente Salvatoris; an, ſi ſententiam de proprio Petrus deprompſiſſet, magis in hoc conventu tacituri fuiſſent, quàm in Hieroſolymitano illo *Act. XV.* de quo paulò ante memoravimus, meritò dubitaretur. Ipſum illud *Tacuerunt*, non ſine cauſa poſitum, contrarium videtur innuere.

(7) Natura regiminis Eccleſiæ meliùs cognoſci non poteſt, quàm in obſervatione & conſideratione modi, quo ea gubernata eſt per Apoſtolos, horum diſcipulos, & illorum ſucceſſores, uſque ad Concilia generalia, imò per novem priora ſæcula, in quibus octo horum Conciliorum celebrata fuerunt. Porrò quamdiu Apoſtoli vixêre, teſtantibus id eorum Actis, Eccleſia *univerſalis* non fuit recta à Petro ùt Monarchâ, ſed ab Apoſtolis conjunctim cum illo. Diſcipulos Apoſtolorum horum exemplum ſecutos eſſe, planum fit ex Conciliis, quæ celebrata ſunt ad imitationem Hieroſolymitani illius, cujus acta jam retulimus. Ex his

etiam dignoſcitur, Epiſcopos provinciarum rexiſſe *particulares* ſuas Eccleſias inconſulto Romano Pontifice. Videantur Concilia *Africana*, uti & *quinque* priora *Orientalia*. Notandi hanc in rem ſunt Canones Concilii Nicæni *IV*. *V*. & *VI*. Antiocheni *XIII*. & *XIV*. nec non Sardicenſis Canon. *III*. & *VII*., qui in judiciis Epiſcoporum recurſum ad Pontificem primùm induxerunt.

(8) Quoad ſævientibus perſecutionibus deficiebat via congregandorum Generalium Conciliorum, non deerant tamen media, quibus particulares Eccleſiæ de negotiis ad rem communem pertinentibus inter ſe conferrent, & communia concluſa perficerent. De his agemus infrà *Cap. II*. §. 8. nec non *Cap. IV*. §. 2. Quamvis itaque ante annum 325. nulla Oecumenica ſynodus celebrata eſſet, non ignorabantur tamen eò uſque illarum jura reſpectivè ad formam & ſyſtema Univerſalis regiminis ſacri. Hoc eſt, quod relativè ad Annum 256. fecit dicere S. AUGUSTINUM in cauſa S. CYPRIANI (de qua nos *cap*. *VI*. §. 9.) *ſe non audere tale quid aſſerere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritas per plenarium Concilium fuerit eliquata & ſolidata*.

§. VIII.

Capitalis hæc quæſtio de formâ Eccleſiæ Monarchicâ in Concilio Tridentino agitata, nec tamen favore Romani Pontificis deciſa fuit.

Argumenta pro Pontifice in Synodo allegata referuntur, & refutantur.

Quamdiu Eccleſia à præconceptu *falſarum Decretalium* vacua fuit, nullum prudens dubium ſuboriebatur favore feriùs prætenſi ſtatûs ejus Monarchici. At poſtquam per ſex vel ſeptem Sæcula in illarum, quaſi per primos eoſque ſanctiſſimos Pontifices & Martyres revera editæ fuiſſent, verba ab omnibus jura-

jurareturꝫ; minimè mirandum, ſi in Tridentinâ Synodo quæſtio mota, quin & magno fervore agitata ſit. Num Romanus Pontifex pro *Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopo* & Rectore haberi debeat? Econtra pro ſingulari Divinæ providentiæ ac ſapientiæ effectu, nec non Chriſti Eccleſiam etiamnum in & exteriore ſuâ aſſiſtentiâ regentis operatione habendum, quòd eandem quæſtionem, etiam in illâ, quâ tunc plerique circa hanc materiam premebantur caligine, non permiſerit juxta placita Romanæ Curiæ, & ferventia Ultramontanorum deſideria, id eſt, juxta *Iſidoriana* decreta in univerſali Concilio decidi. Quid eà de re ibidem per integros decem menſes actum fuerit, breviter referemus verbis Natalis ALEXANDRI *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert.* 12. *Art.* 13. " Canon octavus de ſummi Pontificis auctoritate „ ſub hac forma paratus fuit: *Anathema ſit, ſi quis dixerit, B.* „ *Petrum per inſtitutionem Chriſti non fuiſſe primum inter Apo-* „ *ſtolos, & ejus Vicarium in terrâ, vel neceſſe non eſſe, ut ſit* „ *in Eccleſiâ unus Pontifex Petri ſucceſſor, eique æqualis in au-* „ *ctoritate regiminis: atque in ſumma Sede legitimos ejus ſuc-* „ *ceſſores ad hoc uſque tempus non habuiſſe jus Principatus in* „ *Eccleſia; nec fuiſſe Patres, Paſtores & Doctores omnium Chri-* „ *ſtianorum, nec fuiſſe ipſis traditam à Domino noſtro Jeſu Chri* „ *ſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi & gubernandi Eccle-* „ *ſiam univerſalem*. Hæc verba quamvis pene ad verbum ex- „ ſcripta ex *Florentino* Concilio, maximas difficultates & oppo- „ ſitiones pepererunt. Epiſcopi enim Theologique Galli ad- „ mittere noluerunt has poſtremas voces, quibus exprimeba- „ tur, traditam eſſe à Chriſto poteſtatem Romano Pontifici „ paſcendi, regendi & gubernandi Eccleſiam univerſalem, quod „ ſententiæ Gallicanæ Eccleſiæ, aſſerentis Concilium Generale „ ſuperiùs eſſe Romano Pontifice, officere videretur ..... „ Cardinalis *Lotharingus*, ſe verba illa admittere non poſſe, con- „ teſtatus eſt, abſque regni perturbatione, famæ ſuæ diſpendio, „ & damnationis periculo. Pro ſedis Apoſtolicæ auctoritate „ totum ſe profuſurum ſanguinem, ſalvis tamen juribus verita- „ tis, & conſcientiæ officio, quam Eccleſiæ auctoritati ſemper „ erat ſubjecturus. Hæc ſummo Pontifici & Cardinali *Borro-* *mæo*

,, *mæo* nomine ſuo dicenda *Britoni* Secretario ſuo præſcripſit.
,, Aliis parati Canonis formam ac tenorem Romæ propugnan-
,, tibus reſpondit : *Major eſt Orbis Urbe . Præterea meliorem*
,, *& perfectiorem orbem & habitationem inquirimus , & per mi-*
,, *ſericordiam Dei exſpectamus . Parùm tandem profuerint , qui*
,, *verbum unum aut alterum ad gloriam & auctoritatem ſedis*
,, *Apoſtolicæ adjecerint , quæ non ab hominibus pendet , ſed à Deo*
,, *fundata eſt ſupra firmam petram ; & interim nobiliſſimum*
,, *regnum , aut etiam regna ab obedientiâ alienaverint . Ego plus*
,, *exiſtimo , reipſa prodeſſe ſedi Apoſtolicæ , ſi in fide & obedien-*
,, *tiâ regnum Galliæ perſeveret , quàm ſi duo verbà meo ſenſu*
,, *attulerim , & eas diſputationes excitaverim , quæ ad ſubver-*
,, *ſionem tantummodò nunc proſunt . Ego neminem volo judica-*
,, *re : ſed qui me judicat , Dominus eſt ; & me etiam ſuus Vi-*
,, *carius Dominus meus Beatiſſimus Papa judicet , pro cujus ſem-*
,, *per auctoritate tuendâ mortem non detrectabo* . Scribit in eâ-
,, dem Epiſtola Cardinalis *Lotharingus* : ſe Gallum , & in Aca-
,, demiâ Pariſienſi inſtitutum profiteri , in qua auctoritas Con-
,, cilii ſupra Romanum Pontificem propugnatur . . . .
,, Propoſitionem hujuſmodi ad ſubverſionem audientium , &
,, regni ſeparationem , ejuſque deſolationem tendere . Inſa-
,, num eſſe ſibi perſuadere , quòd aliquis Gallicanæ Eccleſiæ
,, Præſul huic ſententiæ aſſenſum præbeat ; Chriſtianiſſimi Re-
,, gis Oratores interceſſuros , & proteſtationem oblaturos ; id
,, ſchiſmatis initium futurum : libros ab utraque parte ſcriptum
,, iri , & ſedis Apoſtolicæ auctoritatem in dubium revocandam.
,, Reſcripſit Cardinalis *Borromæus* ad Legatos , & ſpeciatim ad
,, Mantuanum , Pontificio nomine . . . . ubi difficultas in eo
,, offenderetur ſine diſſidio inſuperabilis , ſatis futurum Ponti-
,, fici , ſi nec de ſua , nec de Epiſcoporum poteſtate quidquam
,, exprimeretur , illis tantùm editis definitionibus, in quas Pa-
,, tres unanimi conſenſu conſpirarent . Denique , modò ſedis
,, Apoſtolicæ auctoritati nullum vulnus inferretur , ea Præſides
,, agerent , quæ in obſequium Dei , & Eccleſiæ utilitatem ceſ-
,, ſura exiſtimarent . Salebroſa igitur quæſtio , conſentiente Pon-
,, tifice , & *Ferdinando* Imperatore favente , omiſſa eſt, & Ca-

non

„ non de auctoritate Romani Pontificis ſuppreſſus , cum ejus „ Primatum novo Canone definiri opus non eſſet , quem in „ ipsâ Synodo Oecumenica exercebat , & inextricabiles contro- „ verſias inter Catholicos excitare periculoſum , & Chriſtianæ „ rei exitiale videretur . Iſta conſtant ex Hiſtoria *Pallavicini*, „ & ex Commentariis Rerum ad Synodum Tridentinam ſpe- „ ctantium à *Puteano* editis . “ Alia quæſtio , cum hac intimam connexionem habens , inſimul in Synodo mota , ſed pariter indeciſa relicta eſt : nimirum de *Epiſcoporum inſtitutione*, *jure* , & *auctoritate* : an illa *immediatè* à Deo ſit , an à Romano Pontifice , ita ut hujus proximi ſint Vicarii , non Chriſti . Nos de hac ex profeſſo agemus infrà Cap. VII. Utramque autem quæſtionem Concilium non finivit , quòd eæ non inter Catholicos & Hæreticos controverſæ eſſent , ſed inter Catholicos Theologos diſceptarentur .

(1) Nulla Tridenti propoſita fuit materia , de qua tam ſæpe & tam ferventer fuerit diſceptatum . Stabant ab unâ parte Itali , ab altera Hiſpani cum Gallis . Momentis Juris quæ pro illorum parte proferebantur , adminiculum quærebatur à rationibus politicis . Fecit inter eos dexterè ſpargi Cardinalis *Simoneta* , diminutionem Pontificiæ auctoritatis toti Italiæ futuram probroſam & præjudicialem , ex quo illa inter Nationes vix ſingularem exiſtimationem haberet, præter eam , quam à ſummo Pontificatu mutuatur . Adeo autem vel in ipſa Synodo certum habebatur , multum in hac materià intervenire gratiæ & obſequii, ut vel ipſe *Didacus Lainez* , Jeſuitarum Generalis (quem Præſides ultimo loco ad diſſerendum pro jure Pontificio ſervaverant) in ingreſſu ampliſſimæ ſuæ Orationis , quam dixit in Concilio die 20. Octobris anni 1562. , apud PALLAVICINUM *Lib. XVIII. Cap.* 15. publicè profeſſus fuerit, *complures ab eo opere ſe dehortatos , ne in vituperationem aſſentatoris Pontificii caderet* . Sanè Gentianus Hervetus , qui cum ſingulari nominis famâ in eâdem Synodo ſtetit , dedit anno ſequenti literas ad Salmeronem Lainii ſocium , quibus ſuos hac de re ſenſus ita exprimit : „ Jeſuitæ ſub ipſa

„ ipſa Societatis initia vitiis Pontificum & Curiæ Romanæ „ adulabantur. At vos apello Alphonſe Salmeron & Jacobe Lainez ...... Quidnam vos movit, ut hanc „ tueremini ſententiam, & miſeris Epiſcopis, qui ad ſuum „ præcipiter ruunt exitum, frigidam, ùt aiunt, ſuffunderetis ...... Si ſodalitatis Jeſu verè eſtis Sodales, quod „ vobis verbo tribuitis, re ipsâ oſtendite. “ Add. *Cap. VIII.* §. 8. *n.* 8.

(2) Refert PAULUS SARPI *Hiſt. Concil. Trid. Lib. VII. p.* 592. *edit. Amelot. an.* 1713. & noſcitur ex Litteris Vicecomitis de 19. Octob. 1562. Legatos Præſides, dum hæc materia in Concilio agitari inciperet, exiſtimaſſe, ab Epiſcopis aliud non intendi, quàm ut eorum auctoritati decus aliquod & incrementum accederet; at ſeriùs, ſcilicet poſt alteram demum Congregationem, habitam ante Seſſionem XXIII., ab eis ex Patrum ſuffragiis & adductis rationibus obſervatum eſſe, cujus ſequelæ & præjudicii ſint hæ quæſtiones: quippe ex quarum deciſione (ſi Galli & Hiſpani audirentur) ſequeretur, Claves ſoli Petro non fuiſſe datas; Concilium eſſe ſupra Pontificem; Epiſcopos ei (excepto Primatu) eſſe æquales; præeminentiam Cardinalium præ Epiſcopis vix ſubſtituram; reſidentiam Epiſcoporum eſſe juris Divini; magnum denique has res influxum habituras in collationes beneficiorum ad excludendas reſervationes, & preventiones &c.. Quo comperto Legati omnem in hoc nervum intenderunt, ut impedirent, ne plura Italorum ſuffragia Hiſpanis accederent.

(3) Propoſuit tandem in Concilio Cardinalis *Lotharingus*, ut, quia nimis contentioſi eſſent hac de re Patrum animi, neque facilè in unum conventuri, illa pro nunc relinquatur in medio, eâ ſpe, futurum, ut adjuvante Deo alio tempore perficiatur, quod nunc vix poſſit obtineri. Repoſuit Granatenſis Archiepiſcopus, & cum eo Hiſpani Præſules, indignum eſſe, & Patribus proborſum, nolle poſt

tam

tam accuratas diſcuſſiones definire rem æque certam, atque ſint ipſa Decalogi præcepta. Cumque Lotharingus regereret: ſufficere impediri malum, & præjudicium veritati ab adverſariis intentatum, ſi bonum, quod intendimus, cum effectu obtinere minùs valeamus: ſic denique, at ægrè ſatis, quievit contentioſum illud negotium.

(4) Quæ pro Monarchico ſtatu Eccleſiæ à Patribus, & Theologis Romanæ Curiæ addictis in Concilio prolata ſunt, ea potiſſimùm fundantur in textibus S. Scripturæ, quos huic ſyſtemati parum favere ſuprà ſatis probatum eſt. Ne quid tamen eorum diſſimulemus, quæ pro eodem argumento ampliùs adducta fuerunt, hinc porro addimus, quod [*a*] à *Simone Florentino*, Cardinalis *Seripandi* Theologo, ibidem propoſitum eſt: ſcilicet Imperium Monarchicum omnium eſſe perfectiſſimum; igitur, niſi illud in Eccleſia obtineat, dici non poſſe, huic à Chriſto optimà ratione proviſum fuiſſe. Huic addebat *Lainez* Jeſuitarum Generalis (*b*) Salvatorem noſtrum, quamdiu inter homines verſabatur, Eccleſiam ſuam rexiſſe abſolutè & monarchicè; proinde, quando mundum viſibiliter relicturus erat, eadem cum poteſtate, atque in eadem regiminis forma, Vicarios ſibi conſtituiſſe S. Petrum, ejuſque in Romanà ſede ſucceſſores, his committendo & ſubjiciendo Eccleſiam, qualis Chriſto Domino ſubdita fuerat. Addit Lainius (*c*) abſolutam & univerſalem Petri poteſtatem porro elucere ex eo, quòd Chriſtus jamjam moriturus ei adjecerit privilegium infallibilitatis, illo Lucæ XXII. v. 31. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos &c.* Nonnulla alia ad firmandum idem thema protulerunt jam nominatus Jeſuitarum Præpoſitus, & alii Theologi Itali, ſed quæ tam exigui ponderis ſunt, ut à nobis, qui brevitati ſtudemus, ſine ullo cauſæ diſpendio hic prætermitti poſſint.

(5) Itaque *ad primum* reſpondeo, mirum videri debere, quod Theologus regimen Eccleſiæ velit reducere ad humanæ politices regulas, & non potiùs ad eas, quas ipſe præſcripſit

ſalu-

ſalutis noſtræ Auctor, & ſuæ Eccleſiæ fundator JESUS Chriſtus, qui in illius inſtitutione nihil minùs deſignat, quàm Monarchiæ formam. Deinde: anne certum eſt, monarchicum ſtatum reliquis eſſe perfectiorem? Negant id omnes Republicani, manetque quæſtio hactenus indeciſa. Neque ſic antiqui Pontifices cogitarunt, quorum acta & ſcripta nihil tam parum ſpirant, quam abſolutam auctoritatem. Cùm tamen *CÆLESTINUS* Papa frequentiore Executorum in Africam miſſione rationes ſuas ita conſtitueret, ut monarchici regiminis formam imitari velle videretur, ſcripſerunt ad eum Africani Patres è generali ſua Synodo anni 425. *ne fumoſum typhum ſæculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere*. Apud Harduinum Concil. Tom. I. col. 950. Suppoſito etiam, quòd forma Imperii monarchica optima ſit abſolutè & in ſe, non erit tamen hìc talis comparatè ad circumſtantias. Cùm enim Eccleſia non in uno populo, non in uno orbis angulo ſit incluſa, ſed per totum mundum diffuſa, ut impoſſibile ſit, unum omnibus poſſe intendere, ſemperque meliùs proſpectum Reip. nimis remotæ, ſi à propriis Dominis, non mercenariis, regatur: non expedit illi forma regiminis monarchica, quæ facilè ſolet in deſpotiſmum declinare, quod eſt contra naturam regiminis Eccleſiaſtici, in charitate & humilitate fundati. Communio Sanctorum, quæ ſcopus eſt Eccleſiæ, pietate & charitate fovetur, non imperatoriâ vi, quam Reges gentium affectant. Sed nec ex alterâ parte expediret imperium *merè ariſtocraticum*, cùm ſit ſemen diſcordiarum, proin unitas vix poſſit ſervari. Atque ita inſtitutus à Deo eſt Primatus, talis, qualem ex ſincerâ antiquitate hìc deſcribimus, ad ſervandam unitatem apprimè idoneus.

(6) *Ad ſecundum*: Quàm verum eſt, Chriſtum, quamdiu inter homines verſatus fuit, Eccleſiam ſuam indefinitâ auctoritate rexiſſe, tam eſt ſuppoſititium, quod in cœlum aſcendens parem ſuæ poteſtatem Primo ex ſuis Vicariis reliquerit.

rit. Quam Redemptor noſter in terris habuit auctoritatem in Eccleſiam ſponſam ſuam, eam & in cœlis exercere pergit, juxta id quod ante aſcenſionem dixit Apoſtolis: *Ego vobiſcun ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; ita, ut per operationem Spiritus Sancti etiamnum veniat à Salvatore & Capite noſtro non ſolùm *interior* gratiarum *influxus*, ſed & *exterior aſſiſtentia*, vi cujus per Apoſtolos Paſtores & Doctores obfirmantur fideles adversùs errores, & deducuntur ad unitatem fidei; Miniſtri quoque munera ſua fideliter exercent ſecundum menſuram poteſtatis & portionem juriſdictionis, quæ cuique à Deo tributa eſt. Sic Lainio aptiſſimè in Concilio reſpondit Jacobus de Nogueras Epiſcopus Aliphanus; in cujus confirmationem placet ſubjungere quod docuit Petavius *Tom. V. Theol. Dogm. Lib.* 12. *de Incarnat. Cap.* 17. *n.* 1. ſcilicet: " Quibus omnibus ex „ Apoſtoli locis, aliiſque tria maximè in *Capitis* proprietate „ ſpectanda ſunt & *ad Chriſtum* accommodanda. Primum „ eſt illius cum membris omnibus ac toto corpore ſumma conjunctio, quæ ex ambobus unum efficit. Secundum eſt Principatus quidam & eminentia, quà cunctis „ antecellens, iis ipſe velut in arce quadam proſpiciens, „ conſulit ac moderatur. Tertium eſt vivifica vis, & „ communicatio gratiæ auxiliorumque omnium, quæ ex „ largiſſimâ copiâ & plenitudine per univerſa membra dimanat à Capite . . . . . *Et num.* 3. Quod equidem „ ſpiritualis corporis Caput, non tantùm *morale*, ut vocant, cujuſmodi à pleriſque conſtituitur; ſed eatenus „ etiam *Phyſicum* appellari putem poſſe, quod *phyſica eſſentia* (ſic enim nominant) gratiam producat, ùt in Euchariſtiæ Sacramento, in quo Caro Chriſti in Verbo ſubſtans, Sanctitatem & gratiam in iis qui ritè digneque „ participant, efficit.

(7) *Ad tertium*. Siniſtram profecto textui Lucæ, qui ſimpliciſſimus eſt, interpretationem affingit Jeſuitarum Generalis, ejuſque ſequaces. Eo loco Chriſtus Petro ſe negatu-

gaturo mandat, ut ab hoc, quem ei prædicebat, gravi lapſu relevatus, fratres ſuos confirmet; id eſt, impediat, quominus probroſa morte ſua ſcandalizati infirmentur in fide, quam Salvator eis tradidit, curetque, ut in ejus profeſſione maneant conſtantes. Quæ ſanè nulla ratione applicari poſſunt *ad judicia doctrinæ* deinceps à ſolo Petro, multò minùs ab ejus ſucceſſoribus, ferenda. Pluribus de hoc loco Evangeliſtæ agemus *Cap. V. §.* 1.

(8) Quæ ex Actis Tridentini hactenus prolata ſunt, omnino evincunt, non fuiſſe hujus Concilii mentem agnoſcere, aut declarare monarchicum Eccleſiæ ſtatum, in quo unus ſummus Pontifex ad *regendam* univerſalitatem à Deo conſtitutus ſit, reliqui ad ei *miniſtrandum*. Inde certò concludi debet, in eum ſenſum minimè accipiendum eſſe, quod legitur in eodem Concilio Seſſ. XIV. de Pœnit. Cap. 7. *Pontifices maximos pro ſuprema poteſtate, ſibi in univerſa Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poſſe peculiari judicio reſervare*. Item Seſſ. XXIV. Cap. 1. de Ref *Beatiſſimum Romanum Pontificem ſollicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debere*. De priore horum locorum agemus ſpeciatim infrà *Cap. V. §.* 4. nec non *Cap. VII. §. 6.* De poſteriore legimus in PAULI SARPI *Hiſt. Concil. Trid Lib. VIII. pag.* 794. Cardinalem Lotharingum, à Synodo Tridentina in Galliam reducem, inter alias etiam hanc exprobrationem ſuſtinuiſſe, quòd poſtquam cum reliquis Gallis per decem menſes adverſus prætenſam Romani Pontificis poteſtatem, & ſollicitudinem *univerſalis Eccleſiæ* legitimè decertaſſet, hìc eandem minùs cautâ expreſſione quaſi ſignificari paſſus eſſet; multò accuratiorem futuram fuiſſe poſitionem *ſollicitudinis omnium Eccleſiarum*, quippe quæ, cum S. Pauli Apoſtoli 2. *Cor. Cap. XI.* eſſet, nemini non potuiſſet arridere.

(9) Equidem Tridentinum Seſſ. XXV. Cap. 21. declaravit, ut in Decretis de Reformatione, ſub quibuſcunque clauſulis, *ſalva ſemper auctoritas ſedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe* intel-

intelligatur . Hoc Romani explicant, ut ſalvum ſit arbitrium, & voluntas Pontificis, ſicque in praxi majorem circa hæc Decreta ipſi poteſtatem tribuunt . Aſt rectè obſervat cl. BARTHELIUS in *Annotat. ad Jus Can. Lib: I. Tit. 2. pag.* 54. id menti ſynodi Tridentinæ adverſari, & ea tantum ratione hoc additum fuiſſe, quia auctoritas Pontificis maximè à Proteſtantibus oppugnata fuit ; alia quoque Concilia , licet id non expreſſerint, eandem auctoritatem ſemper ſalvam voluiſſe . Addit Barthelius , ideo etiam in Bullis addi : ſi quid contra Concilia conceditur, per hoc tamen Decretis Concilii Tridentini derogari nolle. Cæterùm reſcriptum, quod aliquid continet contrarium Concilio generali , ſub & obreptitiè obtentum cenſetur . Confer GIBERT *Corp. Jur. Can. Tom. I. pag.* 158. ubi aſſerit, verum ſenſum Clauſulæ , *ſalva ſit ſedis Apoſtolicæ Auctoritas* , hunc eſſe , " quòd ſi Pontifex validis ex ra„ tionibus expedire ducat , ut ab obſervatione Decreto„ rum Concilii ceſſet in quibuſdam circumſtantiis , Con„ cilium tunc libenter conſentire , ut Pontifex illa non „ obſervet in iis circumſtantiis. .

(10) Falſitas Decretalium Iſidori tempore Concilii Tridentini necdum erat aperta ; quare minimè mirandum, ſi multi Iſidorianis his principiis (quæ Gratianus, Juris communis Eccleſiaſtici ſtator, non ſolùm plenè adoptavit, ſed etiam auxit) ſplendido nomine primorum ſanctiſſimorumque Pontificum corruſcantibus , tam tenaciter adhæſerint, & nonnulla eundem ſpiritum redolentia in Acta publica Conciliorum , etiam Generalium , irrepſerint, quæ nullum veritati poſt detectæ præjudicium generant . Dum hodie Hiſtoriam ſacram & Acta Eccleſiaſtica ſeptem vel octo primorum ſæculorum in fontibus ſcrutamur , multò certius de genuina poteſtate ſummi Pontificis , quatenus ea revera ex Deo eſt , judicamus , quàm Patres noſtri , falſis illis documentis innocenter deluſi . Confer infrà *Cap. VIII.* §. 4. *n.* 4.

(11)

(11) In Tridentina Synodo *PONTIFICII LEGATI* omnes nervos intendebant, ut abſoluta Romani Præſulis Monarchia apertis verbis declararetur; quam verò ii hàc in parte à Gallis Hiſpaniſque ſentiebant reſiſtentiam, ea novos illis ſtimulos anſamque dabat, omnem ſuam induſtriam verſutiamque eò dirigendi, ut quas prætenſiones non poſſent ſine gravi omnium exterorum Epiſcoporum, quin & quorundam Italorum offenſa *directè* & *apertè* ſuſtinere, eas ſaltem *obliquè* inſinuarent. Ciſalpini ſanè Epiſcopi nihil ardebant amplius, quam ut excuterent illegale illud jugum,& rumperent catenas immeritæ ſervitutis; verùm minor erat horum numerus, noveratque Aula Romana eis objicere numerum multò ampliorem Italorum, huic ſervituti à multo tempore adſuetorum, & pro religione exoſculantium. Inde evenit, ut quanquam Hiſpanis & Gallis id datâ quavis opportunitate urgentibus, nonnullorum jurium poſſeſſio Epiſcopis reſtituta ſit, nihilominus eis pro parte Romanorum hiſque faventium *imprimis* nunquam concedi voluerit, ſuam illos jurisdictionem divino jure & virtute ſui caracteris tenere: *deinde*, ut illud, quod recuperarunt, ipſis ſolùm tanquam ſummi Pontificis delegatis concederetur, non verò tanquam jus eorum dignitati inhærens. Unde verè THUANUS *Hiſt. Lib. VI.* ſcribit: *Epiſcoporum poteſtas* in Concilio Tridentino *non ſolùm non aucta, ſed ex ea multum delibatum eſt; cum ea poteſtas, quæ ipſorum propria eſt, & ex Dei inſtituto iis attributa, iis tanquam à ſede Apoſtolica delegatis concedatur*. Fertur etiam Philippus II. Hiſpaniæ Rex ea occaſione dixiſſe: *Prælatos, qui Tridentum iverunt ut EPISCOPI, inde rediiſſe ùt PAROCHOS*. Atque hæc quidem ita ex facto hominum, veritati, quæ multis modis obfuſcatur, non concedentium. Sed ea molimina non impedierunt, quominus vis veritatis, præter agentium intentionem, in eadem ſynodo in gratiam genuinæ & nativæ formæ Regiminis Eccleſiaſtici, atque ita in declarationem veri Juris Epiſcoporum, perrumperet, uti infrà demonſtramus *Cap. VI. §. 1. n. 5.* ſi autem exceſſu politici zeli pro commodis ſuæ Curiæ

riæ fortè peccarunt Legati Sedis Romanæ, debetur ex altera parte hæc eis juſtitia, quam & ipſe Paulus Sarpius illis tribuit, quòd in materiis doctrinæ ſe ſe ſatis continuerint, & circa Patrum vota ac ſynodi deciſiones impartiales geſſerint. Conſtat etiam omnibus, quòd quanquam Patres & Theologi quoad quaſdam quæſtiones ſubinde diviſi fuerint, nihilominus in damnanda Lutheranorum doctrina ſemper convenerint.

(12) Ut autem ad primariam noſtram concluſionem revertamur, ſcilicet *CONCILII* animum non fuiſſe, Romano Pontifici attribuere abſolutum in Eccleſia imperium, addimus præclaram obſervationem eximii Theologi & Canoniſtæ JO. PETRI GIBERT *cit. pag.* 158. ubi: " Quòd
" Concilium partim convocatum fuerit ad reducendos
" Hæreticos, in gremium Eccleſiæ revocandos; idcirco
" multoties invitati fuere ad conveniendum, imò enixè
" rogati; quod ut illis ſuaderetur, polliciti ſunt iis Patres,
" fore ut benignè audirentur, iiſque omnem ſecuritatem
" obtulerunt. Porro Concilium ignorare non poterat,
" quòd attribuendo Pontifici imperium abſolutum, ejuſ-
" que mero arbitrio temperatum, removerentur Hæreti-
" ci à reditu ad Eccleſiam, quia queſti erant, quòd Pon-
" tifices Eccleſiam regerent deſpoticè & declaraverant hoc
" unam eſſe è ſeparationis ſuæ cauſis. Proinde vel Con-
" cilium non egiſſet conſequenter ad propoſitum ſuum,
" vel nulla eſt probabilitas, quod mero Pontificis arbitrio
" Decreta ſua ſubjicere voluerit.

§. IX.

§. IX.

Eccleſia hodieque regitur exteriore Chriſti inſtitutoris aſſiſtentia.
Inde ſuam habet infallibilitatem; quæ non eſt revelationis *ſed* directionis.
Hæc non ſolùm verbis Sacræ Scripturæ,
Sed & ratiociniis celeberrimorum Philoſophorum & Theologorum Angliæ demonſtratur.

Quod cum Jacobo Giberto de Norgueras Hiſpano, Aliphenſi Epiſcopo, diximus paulò antè Eccleſiam etiamnum regi *exteriore* Chriſti fundatoris ſui *aſſiſtentia*, quà ſervetur in puritate & unitate fidei, hoc ad figendum noſcendumque Eccleſiæ ſtatum apprimè pertinet. Scilicet in illis, quibus mens humana circumdatur, infirmitatibus fideles omni vento doctrinæ circumferrentur, ipſaque fides, quæ aſſenſum *firmiſſimum* ex eſſentia & notione ſuà exigit, in dubio ac ſuſpenſo hærere, & perpetuò fluctuare deberet, ſi deficeret legitima auctoritas, enatas controverſias decidendi ex vero ſenſu Sacrarum Scripturarum, *in quibus ſunt difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant*. 2. Petri III. v. 16. Sed neque unitati fidei adhuc ſatìs foret conſultum, ſi *merè perſuaſiva*, & *pædagogica* eſſet hæc auctoritas, non autem *publica*, taliſque, cui omnis humana ratio cedere debeat, & ſe ſe ſubmittere; inſuper etiam ab omni errandi periculo remota, ita, ut omnibus rationabile mentis & intellectus obſequium imperare poſſit. Quamobrem ipſamet ſapientiſſima Divinæ providentiæ œconomia exigebat, inter Chriſtianos conſtitui auctoritatem, *nec ſimpliciter Divinam*, quia hominibus accommoda, *nec ſimpliciter humanam*, quia certiſſima, & erroris omnis neſcia, ac circa religionem, quæ tota ſupernaturalis, & ex Dei liberà prorſus voluntate ac inſtitutione pendet, occupata eſſe debebat; atque ita *humanam* quidem, ſed *divinitùs directam*, atque hominibus non tantum *à Deo communicatam*, ſed & infallibili Divini ejuſdem Spiritus

San-

aſſiſtentiâ, ac *inerrantiæ dono* perpetuò *munitam* eſſe oportebat. Habet, inquam, Eccleſiæ infallibilitas pro principio *Spiritum Dei*, illi aſſiſtentem, eamque illuminantem, juxta illud Salvatoris noſtri Joannis Cap. XIV. v. 25. & 26. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Spiritus autem ille veritatis ſemper manebit cum Eccleſia, conformiter ad illud ejuſdem Domini noſtri promiſſum cit. Cap. XIV. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum IN ÆTERNUM.* Hoc inquam *principium* infallibilitatis Eccleſiæ; ipſa autem ejus *inſtitutio* aliis locis perſpicuè legitur, ſcilicet Matthæi XVI. v. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus EAM.* Ibidem Cap. XVIII. v. 17. *Si ECCLESIAM non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Nec non Cap. XXVIII. *Ecce ego VOBISCUM ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Item Lucæ X. v. 16. *Qui VOS audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Adde 1. Timoth. III. v. 15. *ECCLESIÆ Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Omnia hæc liquidò ſic exponit S. Auguſtinus contra Creſconium *Lib. I. Cap.* 33. *n.* 29. " Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod *univerſæ* jam placuit *Eccleſiæ*, quam ipſarum „ Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam Sacra Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis eamdem *Eccleſiam de illa conſulat*, quam „ ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat. " Obſervandum interim, hanc Sancti Spiritus influentiam & aſſiſtentiam non eſſe *revelationis*, qualis fuit Prophetarum; ſed *directionis* & *providentiæ*, quà Spiritus ille veritatis vigilat, & intendit conſervationi ſacri depoſiti Eccleſiæ crediti, impediendo, ne Paſtores concordent ad proponendum fidelibus, & ne hi pari conformitate amplectantur aliquid, quod non ſit conforme regulis fidei, in verbo Dei contentis. Ita in Concilio Generali, in quo omnia ordinatè aguntur, juxta formam primi Concilii Hieroſolymitani, ubi materiæ diſcutiuntur ex Scriptura & Traditione,

ubi

ubi Epiſcopi plenâ libertate pronuntiant, non eveniet unquam, ut realis vel moralis Paſtorum unanimitas in errore concordet. Quod ſi verò Canonicæ hæ regulæ non ſerventur, & Epiſcopi congregati, ſpretâ miniſterii ſui dignitate, veritatem prodant, uti evenit in Concilio *Arminenſi* & *Epheſino II.*, ſuſcitabit Deus quoſdam è fidelioribus ſuis Miniſtris, qui favore orthodoxæ fidei adverſus talem prævaricationem reclament: dabit illorum verbis & actibus efficaciam, quæ ſeductionem diſſipet, & veritati triumphum paret; iniquitas ſenſim detegetur, & quod initio *tanquam Concilium* prætenditur, ex poſt *tanquam Conciliabulum*, & *Latrocinium* rejicietur.

Eadem eſt diſciplina earum ſacrarum doctrinarum, quæ longo tempore *conſtanter* & *uniformiter* in Eccleſia obſervatæ ſunt; quippe circa quas obtinet aurea illa regula à S AUGUSTINO *Lib. IV. de Bapt. contra Donaſtitas. Cap.* 24. tradita, & ab eodem aſſiduè inculcata: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi ab Apoſtolis traditum rectiſſime creditur*. Unde monente VINCENTIO LIRINENSI *Commonit. I. Cap.* 9. non licet *contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem atque inſtituta Majorum* novam doctrinam invehere, qua toti Eccleſiæ mortiferi erroris labes inureretur. Vid. infrà *num.* 2. *hoc* §. Dixi, quæ *conſtanter* & *uniformiter* obſervata ſunt; aliud eſſet *in* & *de novis dubiis*, aut de iis quæſtionibus in quibus *contra communem ſententiam ſtarent haud pauci*, iique graves & probi viri, quales fuerunt CYPRIANUS, eique adhærentes in cauſa Baptiſmi Hæreticorum, quo in caſu quid agendum ſit, antequam quid pro articulo fidei haberi debeat, dicemus infra *Cap. VI.* ubi de Conciliis generalibus tractabimus, præſertim §. 8. *&* 9. Quod autem *Univerſitati* Eccleſiæ Chriſtus tribuit privilegium, hoc *in unius*, licèt primi, *perſona* recognoſcere non poſſumus. Totum præſens opus noſtrum in eo verſatur, ut ejiciamus ex animis Italorum, & quorundam aliorum, *ideam ſtatus Monarchici* in Eccleſia, quæ inde a detecta falſitate Iſidorianarum Decretalium plurimum vacillat, & jam antè apud Gallos & Hiſpanos (quibus adverſum falſa hæc documen-

cumenta ex legitima Traditione meliùs quodammodo cautum fuerat) nihil auctoritatis habuit, & in Concilio Tridentino egregiè oppugnata non potuit caput attollere. Quidquid autem illi ſyſtemati ex *Traditione*, & longâ primorum ſæculorum *Obſervantiâ*, adverſatur, etiam officit *unius irreformabili judicio* in materiis fidei; textus verò *S. Scripturæ*, qui pro ſolius Summi Pontificis infallibilitate adferri amant, jam præſenti Capite in alium & genuinum ſuum ſenſum explicati ſunt.

(1.) Adeo apertum firmumque videtur *Catholicum* Syſtema *de infallibilitate Eccleſiæ*, à perpetuo Chriſti Capitis ſui præſidio in eam derivante, tum à perſpicuis textibus ſacrarum Litterarum, quos allegavimus, tum à ratione & œconomiâ Eccleſiæ per Salvatorem noſtrum inſtitutâ, ut aſſenſus ſapientum ei negari non poſſit. Utemur hìc pro ejus confirmatione non tam teſtimonio, quàm ratiocinio trium *Anglorum*, virorum à prudentia & eruditione celebrium, qui in hac cauſa nemini ſuſpecti eſſe poſſunt. Primus eſt JOANNES LOCKE, qui in Opere, quod inſcripſit *le Chriſtianiſme raiſonnable*, *pag. m.* 368. & *ſeqq.* his verbis, quæ ex Gallico Sermone in Latinum verſa, damus, diſſerit: „ Nonne verum eſt, *Sacram Scripturam unicam* „ *eſſe debere Fidei Chriſtianæ regulam*? An non verum, „ *nullum nunc in terris reperiri Scripturæ Sacræ intepre-* „ *tem infallibilem*? Omnes *Proteſtantes* de his duobus prin„ cipiis conveniunt. Porrò, ſi ea ſincerè probant, ſicuti „ millies & millies eadem propugnârunt, tum in ſuis ſer„ monibus, tum in Confeſſionibus fidei, tum in libris edi„ tis adversùm Catholico-Romanos: concedant neceſſum „ eſt cuilibet Chriſtianorum æquale jus, per ſe ipſum S. „ Scripturam interpretandi. Fateantur oportet, eandem „ doctrinam reſpectu unius, illam videntis in Scriptura, „ eſſe articulum fidei, secùs reſpectu alterius, qui illam „ in Scripturis non eſſe exiſtimat. Hinc neceſſariò ſequi„ tur, nullum Proteſtantibus jus ineſſe diffamandi, excom„ municandi, & hæreſis notam inurendi illis, qui poſt di„ ligens Scripturarum ſtudium, diverſa prorſus vident ab

„ iis, quæ vident Proteſtantes. Eſto exemplum: Vos Pro„ teſtantes invenitis in Scripturis *Conſubſtantiationem*, *Ubi„ quitatem JESU Chriſti Corporis*, *Prædeſtinationem abſo„ lutam*. Hæc credenda vobis ſunt. Huic fidei renun„ tiare haud valetis, quoniam Scripturam reſpicitis ut in„ fallibilem fidei veſtræ regulam. Verùm ſi ego hæc ipſa „ dogmata rejiciam, quia in Scripturis illa non invenio, „ nego vos in me irruere jure poſſe, meque infamare, & „ ùt deteſtandum, atque diabolo & ejus angelis devotum „ hæreticum damnare. Hoc mihi paradoxon eſt. Niſi „ præſumatis, ut pro æterna obtinenda ſalute ego crede„ re adſtringar, reipſa in Scriptura reperiri omnia illa „ dogmata, quæ vos videtis, ſecus ego. Quòd ſi hoc à „ me poſtulatis, cur jubetis, ut ego Scripturam legam, „ *omniaque expendam*, *& id teneam*, *quod bonum eſt*, „ quemadmodum S. Paulus luculenter præſcribit? Cur „ potiùs catalogum mihi non porrigitis omnium dogma„ tum, quæ vos contineri in Scripturis ſanctis exiſtimatis, „ *ut ad ea credenda feſtinem*, ùt falsè ajebat Comes de „ Grammont? Quid ejuſmodi dogmata expiſcari ego de„ beo in Scripturis, in quibus forſitan illa non inveniam, „ ſi mihi æque credenda illa ſunt, ſive inveniam, ſive ſecus?

Vid. Menagiana T. II. p. 7. edit. Holl.

„ Rurſus, quo fundamento exigitis, ut ego credam „ aliquod in Scripturis reperiri dogma, ſi ego illud in iiſ„ dem non deprehendo? Forſitan auctoritate veſtrâ nixus? „ Quia vos eſtis Doctores, Profeſſores, Prædicantes qui „ linguas Arabicam, Græcam, Hebræam, Latinam, Sy„ riacam callètis, qui ingentia controverſiarum Theolo„ gicarum volumina ediditis? At numquid homines ni„ hilòſeciùs non eſtis errori abnoxii? Jure ergo deſtituti „ eſtis me aſtringendi, ut vi auctoritatis veſtræ credam, „ hæc & illa dogmata in Scripturis contineri, niſi ego „ ipſe in eiſdem illa videam. Ut ad id me cogatis, Dei, „ qui nec falli nec fallere poteſt, auctoritate egetis. Cla„ riùs loquar. Ut jure me ad credendum cogatis Con„ ſubſtantiationem, Ubiquitatem Corporis Chriſti, Præ-

„ deſti-

„ deſtinationem abſolutam, alioſque fidei articulos, quos
„ tanto ardore defenditis, quoſque ego in Scripturis non
„ invenio, neceſſum eſt, ut miraculis, iis ſimilibus, quæ
„ Jeſus Chriſtus, ejuſque Apoſtoli patrârunt, mihi oſten-
„ datis *interpretationem*, quâ exponitis ſanctos Scripturæ
„ textus, in quibus veſtros fidei articulos contineri exiſti-
„ matis, eſſe ita *authenticam*, ut ſunt textus ipſi. Ani-
„ madvertite, amabo vos, mihi animus haud eſt onus vo-
„ bis imponendi, ut miracula patretis, per quæ demum jus
„ vobis obveniat amplectendi dogmata, quæ in Scripturis
„ reperitis. Adeo longè ab hoc abſum, ut contrà aſſeram,
„ vos obſtrictos eſſe ad credenda illa dogmata, quæ cer-
„ tò doceri exiſtimatis à JESU Chriſto, & ſuis Apoſtolis
„ in Scripturis. Verùm ſubdo, ſi ego hæc dogmata in
„ Scriptura non deprehendo, nullum vobis ineſſe jus, me
„ obſtringendi, ut illa credam, niſi ſaltem mihi palam faciatis,
„ luculentiſſimis miraculis, vos (Proteſtantes) à Deo miſ-
„ ſos eſſe, ut ejus nomine annuntietis hominibus inter-
„ pretationem, quâ exponitis hos aut illos textus, qui-
„ bus dogmata veſtra confirmatis. Quo in caſu eo ob-
„ ſequio interpretationem veſtram ſuſcipere debeo, quo
„ ipſam Scripturam Sanctam amplector . . . .

„ Tandem ſi verum eſt, Scripturam eſſe unicam re-
„ gulam Fidei Chriſtianæ, quemadmodum omnes Prote-
„ ſtantes profitentur ſe credere; quo jure poſſunt illi ex-
„ communicare, & ad inferni flammas damnare diſcipu-
„ lum JESU Chriſti, qui pro fidei articulo habet, ea cre-
„ denda eſſe, quæ ipſe exiſtimat in Scripturâ Sanctâ con-
„ tineri? Hoc eſt, quod non capio. Quamvis hæc do-
„ ctrina oppoſita ſit principiis Lutheri, & Calvini, aut de-
„ finitionibus Concilii Nicæni, aut Synodi Dortrechtanæ,
„ aut Confeſſioni Auguſtanæ, nequeo non illam videre
„ in Scripturis, quouſque illam video, & nequeo non
„ illam credere, quouſque ſincerè convictus ſum revela-
„ tam eam eſſe à JESU Chriſto, aut à ſuis Apoſtolis: ni-
„ ſi tenear uno in ſenſu *intelligere* Scripturam, & in alio

„ contrario illam *credere*; illam explicare ùt *Arminienſes* „ aut *Anabaptiſtæ*; eamque credere in ſenſu quem eidem „ affingunt *Lutherus* & *Calvinus* . . . . .

„ Plures Theologi opponent, me haud rectè ratio„ cinari. Reverà nemo Chriſtianorum, ut ſalvus fiat, te„ netur credere ea omnia, quæ credidere *Lutherus* & *Cal*„ *vinus*; quin oppoſita his magnis viris credere valet. At „ ſunt certi fidei articuli ab omnibus Chriſtianis credendi, „ certa *dogmata fundamentalia*, quorum profeſſio unam „ ab altera communionem ſecernit, quæque nemo revo„ care in diſcrimen poteſt, quin fiat *hæreticus*, & omni„ bus Eccleſiæ ſuæ cenſuris dignus. Hæc oppoſitio ſe „ ipsâ corruit. Si Scriptura eſt unica fidei noſtræ regu„ la, ùt penes omnes Proteſtantes convenit, articuli iſti „ propoſiti ſint conceptis verbis in Scriptura neceſſum „ eſt. Quo in caſu omnes, qui credunt in Chriſtum Je„ ſum, illos ſuſciperent . . . . . . Si *Calvinianus* vellet „ in *articulos fundamentales* erigere interpretamenta, qui„ bus ipſe exponit Scripturæ loca, *Lutherani* & *Arminia*„ *ni* eodem jure poterunt ſua commenta, tanquam *dog*„ *mata fundamentalia*, tametſi oppoſita proponere, imò „ propinquiora Spiritui Sancto: imò id præſtare pro in„ genio cæteri omnes poterunt, quoniam ſingulis pro„ pria dogmata conformiora, quàm illa Arminienſium, „ Sancto Spiritui apparent.

„ Accedit, actum eſſe de *vulgi* ſalute, ſi fides *dogma*„ *tum horum fundamentalium* ſit neceſſaria ad ſalutem, cùm „ tamen non minùs pro rudis populi, quàm pro Theo„ logorum ſalute mortuus ſit Chriſtus. Quandoquidem „ ſi excommunicari & anathematizari illi debent ùt hære„ tici, qui hæc dogmata fundamentalia in ſenſu à Theolo„ gis hujus aut illius ſocietatis expoſita non credunt; ru„ dis populus, qui eadem vix intelligit, nedum credit, „ in pejori reperitur ſtatu, quàm illi, qui hæc dogmata „ rejiciunt, quia in Scripturis illa non reperiunt . . . .

„ *Ca-*

„ *Catholici Romani* in ratiocinio ſibi magis conſtant, „ Eccleſia Romana, inquiunt illi, eſt infallabilis. Chriſtus „ Jeſus poteſtatem ei dedit, regendi fidelium conſcentias, „ eoſque imbuendi in omni veritate ad ſalutem neceſſaria. „ Veri igitur Chriſtiani neceſſariò hujus Eccleſiæ definitio- „ nibus ſe ſubmittere adſtringentur. Has illi rejicere ne- „ queunt definitiones, quin ſint rebelles ipſimet Chriſto „ Jeſu, qui hujus Eccleſiæ ore loquitur. Jure ergo Ec- „ cleſia Romana illos excommunicat, qui amplecti renu- „ unt ſuam doctrinam. Juſtè illa in iſtos annathemata vi- „ brat, & ſathanæ devovet, ùt hæreticos, infideles & apo- „ ſtatas, qui jugum Jeſu Chriſti Domini & Magiſtri ex- „ cuſſerunt. Conſequentia eſt ineluctabilis. Nemo infi- „ ciari illam poteſt ſemel admiſſo principio, undè neceſ- „ ſariò manat. Sed illud in quæſtionem vertitur, ſitne Ec- „ cleſia Romana infallibilis, & num Chriſtus Dominus fa- „ cultatem eidem tradiderit, fidelium conſcientias regendi, „ eoſque inſtruendi in omni veritate ad ſalutem neceſſa- „ ria. Id ſi ita eſſet, procul dubio infallibilitas Romanæ „ Eccleſiæ foret articulus fundamentalis, quem neceſſariò „ Chriſtiani omnes admittere tenerentur.

Utitur ſub finem Lockius æquivoco, dum ait, de eo quæri, num *Romanam* Eccleſiam Chriſtus dotaverit jure infallibilis inſtructionis. Si per *Romanam* intelligatur *particularis* illa Eccleſia Italiæ, ut ut inter reliquas nunc prima, certè de hoc non quæritur ſolùm, ſed inter ipſos etiam Catholicos valde (ne quid amplius dicam) dubitatur. Si econtra intelligatur Eccleſia *Romano-Catholica* non diffitebitur Lockius, eam revera, ſolamque eſſe, quæ hoc jure, eoque divino inſtituto, quod tot loca S. Scripturæ evidenter exprimunt, & ſana ratio firmat, ſemper uſa eſt, proinde vel *in hac Eccleſia ſola*, vel in nulla, *authenticam* Scripturarum interpretationem, veramque fidem eſſe, & conſervari poſſe.

(2) Huic loco Lockii, non minùs notabili, quàm longo, addamus ſecundum æque diffuſum, ac ſana ratione plenum. Hunc

Hunc deſumimus ex Præfatione Doctoris GUILIELMI SAYWEL in editionem Epiſtolarum Joannis Launoji anno 1689. Cantabrigæ vulgatam, ubi ita: "Tota poteſtas
„ & auctoritas docendi, regendi, corrigendi Eccleſiam,
„ Epiſcopis & Paſtoribus commiſſa eſt, & nihil magis
„ Chriſtianis injungitur, quàm pacem colere, ſchiſmata
„ vitare, Paſtores audire, iis obedire, & ſe ſe ſubjicere, eo-
„ rum fidem ſequi: & ne ſub aliquo prætextu in doctri-
„ na & moribus ab Eccleſiæ unitate recedant, ſemper ad
„ Epiſcopos in dubiis & arduis recurrendum eſt: *Qui vos*
„ *audit, me audit; qui vos rejicit, me etiam rejicit; &*
„ *ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. De-
„ inde Dominus ipſe modum definiens, quomodo lites &
„ diſſidia in Eccleſia terminanda ſunt, ait: *Si peccaverit in*
„ *te frater, dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit*
„ *tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Et per Eccle-
„ ſiam hìc Epiſcopi & Presbiteri ſunt intelligendi, quia ſta-
„ tim ſubjungit: *Quodcunque ligaveritis in terris, ligatum*
„ *erit & in cœlis*. Per Eccleſiam itaque Servator notat eos,
„ quibus incumbit ſententiam ferre, & non obedientes
„ excommunicationis vinculo ligare. Et ſi poſſent omnes
„ Epiſcopi in unum convenire procul dubio omnibus æ-
„ quale eſſet jus & auctoritas de rebus Eccleſiaſticis com-
„ muni ſuffragio dijudicandi, ut eſt in regimine Ariſtocra-
„ tico: ſed cum hoc ſæpe fieri non poſſit, unanimi Epi-
„ ſcoporum conſenſu Eccleſia ita in Provincias, Diœceſes,
„ & Parochias diſtributa eſt, ut quamvis diverſis locis, ean-
„ dem tamen fidem & charitatem omnes verè Chatolici ſum-
„ ma cum benevolentia amplectantur; & ad oſtendendam
„ ſtrictam unionem, & connexionem omnium membrorum
„ inter ſe, & cum Chriſto Capite, ſæpè Eccleſia compara-
„ tur *corpori, viti, domui*, &c. quorum partes vitam & perfe-
„ ctionem amittunt, quamprimum à toto, vel ſua propria ſe-
„ de, & loco ſeparantur. Atque ita hac ratione, Laicus, qui
„ non audit Parochum, & Parochus qui non audit Epiſcopum,
„ & Epiſcopus, qui non audit Synodum Provincialem, &

Syno-

„ Synodus Provincialis, quæ non audit Collegium Paſtorum, ſive Concilium verè Generale, in rebus ad pacem & unitatem Eccleſiæ ſpectantibus, non audit Eccleſiam, ac proinde non Dominum ipſum, qui dicit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Hanc etiam methodum praxis Apoſtolorum & totius Eeclesiæ, & recta ratio in aliis rebus peragendis nobis demonſtrant. Unde rectè AUGUSTINUS contra Donat. Lib. II. cap. 9. *Si auctoritas Cypriani eſt ſequenda, magis eam ſequendam eſſe in unitate ſervanda, quam in Eccleſiæ conſuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic eſt univerſæ Eccleſiæ poſterius Concilium præponendum, nam univerſum partibus ſemper jure optimo præponitur.* *Carthaginenſe III.*

„ At objiciat aliquis: verum eſt, hanc methodum, & Scripturæ, & Eccleſiæ praxi, & rectæ rationi conſentaneam eſſe; nec aliter pax & ordo in regimine Eccleſiæ conſervari poſſit, niſi ubi populus à Paſtoribus, Paſtores à Conciliis Oecumenicis, h. e. membra à capite, & partes à toto dirigantur. Sed quomodo conſulendum eſt Collegium Paſtorum aut Concilium generale, cum per mille annos nullus ejuſmodi conventus haberetur, nec unquam ſperandum eſt, Epiſcopos per tot terrarum ſpatia, quibus ſparguntur, iterum poſſe in unum coire ad Concilium generale celebrandum? Quamvis igitur Concilium Generale ſit *unus* modus, quo Eccleſia mentem ſuam de rebus Theologicis exponit, non tamen eſt *ſolus*, & per ſe abſolutè neceſſarius. Non enim Dominus dixit ſolummodo, *Obedite Eccleſiæ, & Paſtoribus in Concilio congregatis*, ſed, *ſi ECCLESIAM non audierit*, ſive in Concilio, ſive extra Concilium, eadem eſt auctoritas Paſtorum, & eorum monitis & decretis de rebus Eccleſiaſticis fideles obedientiam præſtare tenentur. Abunde enim ſufficit, ſi ex *Scripturis* & *Antiquorum ſcriptis*, & *Uſu paſſim recepto* res nobis traduntur, licèt nullis Conciliorum decretis confirmen-

„ mentur . Fundamentum enim , & norma omnis veri-
„ tatis eſt Sacra Scriptura : Eccleſia eſt cuſtos & interpres
„ iſtius regulæ ; & ſemper in omnibus ſæculis in Liturgiis,
„ & Catechiſmis, in Concionibus, in Litteris formatis ,
„ in Conciliis particularibus, & nonnunquam in genera-
„ libus, quando Eccleſiæ neceſſitas poſtulabat, fidem Evan-
„ gelicam unà cum Scripturis , omnibus Chriſtianis com-
„ mendavit . . . . Tantum aberat , ut per Tradi-
„ tionem Eccleſiæ , aut Concilium verè generale ab Ec-
„ cleſia Catholica approbatum aliquid contra fundamen-
„ talem veritatem in hunc uſque diem decerneretur, quod
„ audacter affirmare poſſimus , quòd tot hæreſes & ſchiſ-
„ mata funditùs evellerentur, aut ſaltem reprimerentur ,
„ & veritas Chriſtiana tanta claritate per orbem terrarum,
„ ringente diabolo , obnitentibus hæreticis, & frendenti-
„ bus atheis, diffunderetur, maximè deberi Epiſcoporum
„ ſtudiis & pietati, & œcumenicorum Conciliorum de-
„ cretis . Ingrati igitur ſunt poſteri , ſi non geſta ſancto-
„ rum Patrum cum laude celebrent , & ſummæ injuriæ
„ poſtulandi , ſi contemptui habeant , quæ ab illis in fide
„ Catholica , & Eccleſiæ pace , & unitate conſervandà
„ feliciter peraguntur .

„ Non ignoramus , quòd prædixerit Apoſtolus ;
„ *Oportet eſſe hæreſes , ut & qui probati ſunt , manife-*
„ *ſti fiant in vobis* . Et S. Paulus monet Epiſcopos Act.
„ XX. *quòd ex ipſis exurgant viri loquentes perverſa , ut*
„ *abducant diſcipulos poſt ſe* : imò & frequentibus Con-
„ ciliis idem contingere poteſt . Sed de Collegio Paſto-
„ rum aut Conciliis verè æcumenicis, ab Eccleſia Catho-
„ lica receptis, & approbatis, nihil tale dici poteſt . Nec
„ eſt quòd aliquis Scripturam , & Traditionem Eccleſiæ,
„ traditioni Concilii æcumenici paſſim recepti & appro-
„ bati opponat : idem enim docent , & pari paſſu fidem
„ Evangelicam enunciant , nec aliter teſtantur Paſtores
„ ſparſim diffuſi, aliter in Concilio verè libero collecti .
„ Eadem veritas continetur in Scripturis , continetur in
Tra-

„ Traditione, continetur iu Conciliis œcumenicis . . . .
„ Si quid dubium & difficile occurrit in Scripturis, Eccle-
„ ſiæ doctrina & Traditio lumen affert Textui, & tene-
„ bras depellit; ſi quid diſceptationi obnoxium eſt in Ec-
„ cleſia, Scripturæ Canon litem dirimit; & ſi de mente
„ Scripturæ & Eccleſiæ controvertitur, Paſtores afflatu
„ Divini Spiritus ad hoc munus inſtructi, de Doctrina
„ recepta, & recto ſenſu teſtimonium perhibent.

„ Dum itaque alii ſuam particularem Eccleſiam &
„ interpretationem Scripturis & Eccleſiæ Catholicæ præ-
„ ponunt, & alii ſuam privatam expoſitionem Scriptu-
„ ræ Decretis Conciliorum generalium, & Traditioni Ec-
„ cleſiæ Catholicæ opponunt, ambo à veritate Evangeli-
„ ca recedunt, & hæreticis & ſchiſmaticis ad Eccleſiæ
„ pacem & unitatem convellendam, viam præmonſtrant:
„ Unde factum eſt, quod membra Corporis myſtici Do-
„ mini noſtri in tot particulas diſcerperentur; nec un-
„ quam ſpes ſubeſſe poteſt, ut in unum coirent, donec Tra-
„ ditionem Eccleſiæ ad normam Sacræ Scripturæ, & interpre-
„ tationem Scripturæ ad analogiam fidei, ſeu Traditionem
„ Eccleſiæ Catholicæ componant. Si verò è medio tollantur,
„ quæ præter vel contra ſcripturas pro doctrina Catholica
„ traduntur, vel quæ præter vel contra Scripturas pro do-
„ ctrina Evangelica prædicantur, ſtatim diſſentientes Eccle-
„ ſiæ inter ſe communionem colerent. Nec opus eſt, ut
„ Concilium generale ad has lites dirimendas cogeretur:
„ ſi id, quod ſuperadditum eſt a *Romanenſibus* auferretur,
„ & id, quod omiſſum eſt à *Reformatis*, reſtitueretur, nul-
„ la diſceptandi cauſa reſtaret, nec ulla contentio inter
„ Eccleſias ſupereſſet, niſi ut pio affectu erga Deum, &
„ & fraterna erga ſe invicem charitate aliæ aliis antecedant
„ Imò ſi Pontifex Romanus limites à Canonibus præſcrip-
„ tos, quorum obſervationi juramento aſtringitur (*Diſt.
„ XVI. Can.* 8.) non tranſiliret, & Eccleſiæ Reformatæ
„ ordinem Epiſcopalem ſecundùm Traditionem Apoſto-
li-

„ licam, Canonibus definitum, & uſu Eccleſiæ Catholi-
„ cæ per mille & quingentos annos ubique receptum,
„ denuo reſtituerent, quod facilè poſſunt & debent, Pax
„ & Communio Eccleſiaſtica non tam miſerè perturbare-
„ tur . . . .

„ At dicant nonnulli: Hæc quidem ſatis commodè
„ proponuntur, & optandum eſſet, ut Paſtores & Conci-
„ lia Sacris Scripturis tam firmiter inhærerent, ut eorum
„ Traditionibus & Decretis ſine damno ſalutis tutò inni-
„ tamur. Sed ex nullo S. Scripturæ textu hoc *non de-*
„ *ficiendi* privilegium Paſtoribus & Conciliis certò ac ne-
„ ceſſariò colligitur. . . . . . Verum imprimis in dubium
„ non vocatur, utrum vox Dei in Scripturis ſit audien-
„ da; ſed de vero ſenſu & interpretatione verbi Dei in
„ rebus ad unitatem & pacem Eccleſiæ ſpectantibus, cui
„ ſit fides adhibenda: Plebeis, an Epiſcopis? privatis Pa-
„ ſtoribus, an Conciliis? particularibus Conciliis, an Col-
„ legio Paſtorum? hoc eſt, partibus, an toti? ſi Scriptu-
„ ræ ſunt claræ & perſpicuæ populo, ſunt etiam Paſto-
„ ribus; ſi uni Epiſcopo, multò magis ſynodo provin-
„ ciali, & Collegio Paſtorum, ſeu Concilio verè generali.
„ De fide, pietate & diligentia Conciliorum in tradenda
„ Eccleſiæ doctrina, & in eruendis & expendendis Sacra-
„ rum Literarum myſteriis, multò minus quam de pri-
„ vatorum hominum fide & diligentia dubitandum eſt:
„ quod unus videt, plures videre poſſunt, præſertim
„ Epiſcopi, qui ſunt ſpeculatores, & huic muneri a Deo
„ ipſo præficiuntur. Et ſi non in apertis verbis, tamen
„ certis rationibus hanc Paſtorum in tradenda veritate fir-
„ mitatem colligere licet: non ſolum enim promiſit Deus,
„ *quod portæ inferorum* contra Eccleſiam in genere *non*
„ *ſint valituræ*, ſed in hunc finem dedit Paſtores, *ne cir-*
„ *cumferamur omni vento doctrinæ*; & ubique præcipit
„ *obedire eis, & habere abundantiùs in honore propter opus*
„ *illorum, & pacem habere cum iis, eorum fidem ſequi*.
„ Et ne fortè aliquis metus ſubeſſet, quaſi ipſi deficerent,

pro-

„ promiſit Chriſtus, ſe cum illis adfuturum uſque ad „ conſummationem ſæculi; nec ſolum in angulis & latibulis; ſed *Mons Domini exaltabitur ſuper omnes montes, & non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum, erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*. Eccleſia dicitur *Columna & Firmamentum veritatis*; ſemper itaque extat, & errantibus viam demonſtrat. Nec ſolùm unitatem, ſed pulchritudinem, & ordinem Eccleſiæ Scripturæ repræſentant. Hinc comparatur domui, horto, exercitui, in quibus omnia decenter & certis regulis diſponuntur . . . . . Hæc itaque ſupradicta, ſi non certò probare, ſatis innuere videntur, quod Spiritus Sanctus ita reget & diſponet corda Epiſcoporum, ut ſaltem in Decretis & Interpretationibus, quæ ſpectant ad fidem & pacem Eccleſiæ, nuſquam à veritate Catholica aberraverint. Omnes fatentur Eccleſiam uſque ad finem mundi, ſaltem in angulis & locis abditis, permanſuram. Sed cum tot præclara & magnifica de ordine, pulchritudine, pace & unitate hujus Civitatis Dei in Sacris Scripturis dicantur, & ea tanquam dux & lumen dubiis & errantibus porrigatur; Deo curæ erit procul dubio, ne inſtabiles & indocti in hæreſes & ſchiſmata auctoritate Collegii Paſtorum, aut Concilii verè œcumenici impellantur, & pax & regimen Eccleſiæ defectione Epiſcoporum diſſolverentur.

(3) Lockii Philoſophica ratiocinia egregiè ſuſtinentur momentis rationum & ſacrarum Litterarum, pro Eccleſiæ Univerſalis jure fideles inſtruendi, pro abſoluta & indefinita ſubjectione debita doctrinæ ejuſdem Eccleſiæ; denique pro perpetua hujus viſibilitate à Sayvvello prolatis: Addit tamen is: etiam Paſtoribus extra generale Concilium obedientiam in rebus ſacris eſſe præſtandam; quod & ſuo certè modo verum eſt, ſalva illa ſubordinatione, quam Sayvvellus ipſe ſtatuit inter Paſtores, Epiſcopos, Synodos Provinciales, & Concilia generalia. De eo, quod idem Auctor in gratiam Launojanarum Epiſtolarum ſuſtinet, Ec-

cleſiæ docenti extra Concilium (cujus nomine ipſe intelligit Sacras Traditiones per viros eruditos ex monumentis Eccleſiaſticis erutas & ſtabilitas) tantum eſſe auctoritatis, quantum in univerſali Synodo collectæ, agemus infrà *Cap. VI. §.* 8. Audiemus autem interim mox dicentem GUILIELMUM CAVE, & ſuo modo rectè: *Veneramur Patres non tanquam fidei Judices, ſed Teſtes*.

(4) Itaque quod de Traditione Sayvvellus memorat, amplius illuſtrabitur ex GUILIELMO CAVEO, pariter Anglo, quem pro tertio teſte adducimus. Is in Epiſtola Apologetica adverſus Joannem Clericum *Tom. II. Hiſt. Literar. edit. Baſil. in Append. pag.* 68. ſequentia tradit: " In hoc
„ omnes fermè conveniunt Reformati, Sacram Scripturam
„ primam eſſe, & unicè infallibilem fidei, morumque nor-
„ mam; proximum poſt Sacras Literas locum Sanctis Pa-
„ tribus dandum eſſe, quatenus iis conſentiunt, & verita-
„ tem inibi traditam ſuo judicio comprobant & confirmant.
„ Veneramur Patres, non tanquam fidei judices, ſed te-
„ ſtes, qui quid quovis ſæculo geſtum creditumve ſit, no-
„ bis fideliter exponunt, ſacrum fidei depoſitum ad nos
„ tranſmittunt; quæ hæreſes, & quando ortæ hunc vel il-
„ lum fidei articulum oppugnarunt, perſpicuè docent. Et
„ quo vetuſtiores hi teſtes ſunt, eo validius fuerunt teſti-
„ monium, & nos majori nitimur certitudine. Hanc vi-
„ am in defendenda religione Chriſtiana inierunt olim for-
„ tiſſimi ejus athletæ, Tertullianus, Auguſtinus, alii, ad
„ anteceſſores ſuos perpetuo provocantes. Nemo vero hoc
„ argumentum felicius, diſertius, luculentius tractavit quam
„ VINCENTIUS LIRINENSIS in Commonitorio adver-
„ ſus Hæreticos, è quo pauca excerpam. Pag. 317. edit.
„ Baluz. *Si quis velit exurgentium hæreticorum fraudes*
„ *deprehenderè, laqueoſque vitare, & in fide ſanus ac inte-*
„ *ger permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino*
„ *adjuvante deberet. Primò ſcilicet divinæ legis auctorita-*
„ *te, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. In ipſa Ca-*
„ *tholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus,*

QUOD

„ *QUOD UBIQUE, QUOD SEMPER, QUOD AB OMNIBUS CREDITUM EST: Hoc eſt verè proprieque catholicum (quod ipſa vis nominis, ratioque declarat) quod omnia ferè univerſaliter comprehendit; ſed hoc demum ita fiet, ſi ſequamur univerſalitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Verùm omnia huc ſpectantia notare, integrum eſſet Commonitorium exſcribere, Concludit tandem pag. 356. *Hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolemne eſſe ac legitimum, ut ſemper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contra verò Catholicorum hoc verè proprium, depoſita Sanctorum Patrum & commiſſa ſervare, damnare profanas novitates, & ſicut dixit, atque iterum prædixit Apoſtolus, ſi quis annuntiaverit, præterquam quod acceptum eſt, anathema ſit.* Pluribus deinde interjectis hæc habet pag. 362. *Quibus hac lege credendum eſt, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque ſenſu, manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.*

„ Ex his liquet, non eſſe efficaciorem hæreſes confutandi rationem, quam ſi poſt allegatam S. Scripturæ auctoritatem, conſtantem & univerſalem Veterum conſenſum ad partes noſtras advocemus. Expertus eſt id Theodoſius Imp. apud Sozomenum *Lib. VII. Cap.* 12. *p.* 718. SOCRATEM *Lib. V. Cap.* 10. *anno* 383., quando Catholicos Epiſcopos cum Arianis, Macedonianis, Eunomianis, coacta Synodo confligere vellet; ſuadebat potius Nectario & Agellio, qui ipſum conſuluerant, Liſinnius, ut interrogarent hæreticos iſtos, num admitterent illos doctores atque interpretes SS. Scripturarum, qui ante diſſidium Eccleſiæ floruiſſent. *Etenim*, ajebat, *ſi iſtorum teſtimonia rejecerint, à ſuis conſortibus explodentur. Si verò illos ad dirimendas controverſias idoneos eſſe arbitrabuntur, proferendi ſunt eorum libri: probè enim*

norat

„ *norat*, inquit SOZOMENUS, *antiquos, qui Filium Patri coæternum credi reperiſſent, nunquam auſos fuiſſe dicere, quod generationis ſuæ aliquod habuiſſet initium.*
„ Hoc conſilio uſus Imperator tentare cœpit hæreticorum
„ animos, quidnam ipſi de veterum interpretationibus ſen-
„ tirent: & percontatus ex iis, qui veteres magnopere
„ laudarent, utrum ex illorum dictis controverſias deci-
„ ſuri eſſent, & num illos idoneos doctrinæ teſtes judica-
„ rent, mox diſſentientes inter ſe ſectarum principes abie-
„ runt; unde ſtatim lege lata Theodoſius hæreticos pe-
„ nitus exterminavit.

(5) Non habent Proteſtantes, quod infallibilitati Eccleſiæ, tam evidentibus argumentis ex propria illorum agnitione a Scriptura & Ratione ſtabilitæ, ut eis aſſenſum negare magnæ temeritatis eſſet, opponant, quam illud, quod injecit Andreas Epiſcopus Wintonenſis in Apologia pro Rege Jacobo contra Bellarminum cap. XIV. pag. 333. ſcilicet: *Date nobis Concilia legitimè congregata & procedentia. Date Patres unanimi conſenſu judicantes, & in eorum ſententiam ibimus ſtatim.* Ergo juxta illorum principia, contra prædictionem, ordinationem & promiſſionem Chriſti, contra analogiam fidei, contra rationis ſenſum, omnia iterum ſunt in incerto, & deficientibus Patribus tanquam veris *Teſtibus* traditionis doctrinæ Majorum & diſciplinæ antiquæ: deficientibus item legitimis Conciliis, tanquam ultimatis *Judicibus*, omnia demum ad S. Scripturam hujuſque privatum intellectum & interpretationem redeunt; ſicque vera Eccleſia contra prophetiam & promiſſum Chriſti eſt, & perpetuò manebit, non tanquam omnium regula ſupra *montem* poſita, ſed *in angulo* abſcondita; de quo audi S. AUGUSTINUM *Expoſit. 2. in. Pſalm.* XVIII. „ In
„ ſole poſuit Tabernaculum ſuum, in manifeſtatione Ec-
„ cleſiam ſuam, non in occulto; non quæ lateat, non
„ velut operta, ne fortè fiat ſicut operta ſuper greges
„ hæreticorum . . . . In ſole ergo poſuit tabernaculum
„ ſuum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? &c. „ Rectè

ctè profectò vereque dixit Concilium Senonenſe anni 1528. Decret. de Fide: *Conciliis ſi ea decernendi, quæ ad ſinceritatem fidei, & extirpationem hæreſum, Eccleſiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, poteſtas adimatur;* (ſive directè ſive indirectè) *nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo poſſit internoſci.*

(6) Conſtat, quod Proteſtantes nihil reformaverint in *Moribus*; quin ex contrario ſatis evidens eſt, quod per relaxationem veteris diſciplinæ libidini & licentiæ frœna laxata ſint. In *Doctriná* equidem reformarunt haud pauca; at per hoc circa eadem puncta reformata non ſuſtulerunt dubia & controverſias, ſiquidem ipſi circa illa inter ſe diviſi ſint. Non eſt autem hominis veritatem ſincerè diligentis, de una Communione tranſire ad aliam, tantum ad mutandas *opiniones*, & abſque majore certitudine ex capite *evidentiæ*, multò autem inferiore ex capite *auctoritatis*. Taceo, quod temeritate non videatur vacare, propter rationes non evidenter certas abjicere & damnare loquendi formulas ab antiquitate ſacratas, & uſus quos conſtans traditio fecit venerandos, quoſque penitus ſupprimi nulla ſuadebat neceſſitas. *Nos religionem, non quà velemus ducere, ſed potius quà illa duceret ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare*, docet VINCENTIUS LIRINENSIS in Commonit. Cap. 8. occaſione controverſiæ de Baptiſmo Hæreticorum; tumque ſic proſequitur: *Sed forte tunc ipſi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Immo verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed planè novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi tanti moliminis cauſam novitatis profeſſio deſtituiſſet.* Ingenuè faſſus eſt Hugo Grotius in *Voto Pro Pace*, fidem omnium antiquorum dogmatum hodieque in Eccleſia Romano-Catholica ſubſiſtere,

mi-

minuſque ei exprobari poſſe repudiationem eſſentialium veritatum, quam ſuperfluorum & inutilium adoptionem. Inter hæc ſuperflua illud nunc impugnamus, quod cæteris omnibus intolerabilius eſt; ſed poterit, imò debebit id debellari, & ad juſtos terminos redigi, *ſine Schismate*, imò ſine generali Concilio, uti ſuprà rectè monuit Sayvvellus.

§. X.

Ultramontanorum doctrina de Romani *Pontificis infallibilitate neque ab illis Catholicis Eccleſiis agnoſcitur; Neque practicam habet utilitatem.*

Quam hactenus non tam probavimus, quam demonſtravimus, *univerſalis Eccleſiæ* in decretis & definitionibus fidei infallibilitatem, illam Tranſalpini *etiam ſoli Romano Pontifici* aſſerere nituntur; atque ad hanc ſtabiliendam varios textus & loca Patrum proferunt, qui tamen omnes in alium, eumque Catholicum ſenſum aptè exponi poſſunt, & de facto à pleriſque SS. Patribus & à celeberrimis Galliæ Theologis exponuntur. Singula hæc loca nunc expendere non vacat: celebriora tamen, eaque in quibus adverſarii noſtri potiſſimum ſuum præſidium collocant, præſenti tractatu, & ubi ſe ad hoc offert opportunitas, examinamus. Duò hic ſolum generaliora principia affirmamus: *Primum*: quod cadente Romani Pontificis Monarchiâ Sacrâ, cui omnis antiquitas Eccleſiaſtica repugnat, etiam prætenſa ejus infallibilitas nutet. *Secundum*: quòd aſſertio Pontificiæ inerrantiæ parum practicæ utilitatis in Eccleſia habeat; ex quo regulam dirimendarum controverſiarum fidei nunquam valeat conſtituere; mera etenim *Opinio* eſt, contradicta à viris celeberrimis, inter quos GERSON Univerſitatis Parienſis Cancellarius; TOSTATUS, vir præ eruditione dictus *Stupor mundi*; DIONYSIUS CARTHUSIANUS; PETRUS DE ALLIACO Cardinalis; ALMAINUS; ADRIANUS VI. Papa; CLAUDIUS SANTESIUS Tridentini Concilii Theologus; & qui unus plurium inſtar eſſe poſſit BOSSUETIUS:

opinio

opinio inquam , à maximis, iisque apprimè catholicis Eccleſiis rejecta ; quamque , ut ait PETRUS COLLET Inſtit. Theol. Tom. II. p. m. 598., *alii* (Itali præſertim & Monachi) *utràque ulna complectuntur* , *alii* , *SI LICERET* , *rejicerent triplici* . Sed erit horum libertatis & veritatis impedimentorum aliquando finis . *Non eſt autem fides æſtimatio* , *ſed certitudo* , inquit S. BERNARDUS Tract. de Erroribus Abaelardi Cap. IV. edit. Paris. Tom. I. col. 655. Nec replicam patitur quod tradit idem BOSSUETIUS in Defenſ. Cleri Gallicani Lib. XV. c. 36. nempe . " Non ratiociniis aut votis duci nos , ſed certis „ promiſſis, certaque traditione niti oportet : ac ſi vovere, aut „ potius ſomniare placet, certè expetemus homines, ut Romanus Pontifex , tanti gregis ductor , non modò nullo errore, „ ſed etiam nullo unquam peccato , nulla ignorantia, aut negligentia, aut cupiditate teneatur . Quod cur Chriſtus non „ fecerit, ne quæri quidem fas eſt.

(1) *ECCLESIA GRÆCA* Sæculo XII. (ut antiquiora hic prætertream , quæ tamen alibi , data occaſione occurrent) per os NECHITIS Nicomediæ Archiepiſcopi ſuos hac de re ſenſus abundè declaravit in Anſelmi Havelbergenſis Dialogo III. Cap. 8. impreſſo in d'Acherii Spicileg. Tom. XIII. pag. 212. ubi : *Quid igitur* , ajebat , *nobis Scripturarum ſcientia ? Quid nobis literarum ſtudia ? Quid Magiſtrorum doctrinalis diſciplina ? Quid Sapientum Græcorum nobiliſſima ingenia ? Sola Romani Pontificis auctoritas* , *quæ ſicut tu dicis* , *ſuper omnes eſt* , *univerſa hæc evacuat ? Solus ipſe ſit Epiſcopus*, *ſolus Magiſter* , *ſolus Præceptor* , *ſolus de omnibus ſibi ſoli commiſſis* , *ſoli Deo ſicut ſolus bonus Paſtor reſpondeat . Quod ſi in vinea Dei voluerit habere cooperatores* , *ipſe quidem conſervato Primatu ſuo exaltatus glorietur in humilitate ſua* , *& non contemnat fratres ſuos, quos veritas Chriſti non in ſervitutem* , *ſed in libertatem in utero matris Eccleſiæ generavit* . . . . *Proinde in nullo Symbolo hoc reperitur* , *quòd Romanam Eccleſiam confiteri ſpecialiter jubeamur* ; *quinimo Unam* , *ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam confiteri ubique docemur . Hæc*

de Romana Eccleſia , ſalva pace tua , dixerim , quam ego tecum veneror , ſed non tecum per omnia ſequor , nec ex neceſſitate per omnia ſequendam arbitror : cujus etiam auctoritatem tam excellentem tu pro nobis propoſuiſti , ut depoſito ritu noſtro ejus formam & imitationem in ſacramentis indiſcuſſa ratione & Scripturarum auctoritate ſuſciperemus , & ut tanquam cæci clauſis oculis ducentem ſequeremur , quocunque illa proprio Spiritu ducta præiret . Quod quam ſecurum , ſeu honeſtum nobis fuerit , judicent tam Latini quam Græci ſapientes . Eadem Eccleſia Græca in Concilio Florentino nunquam voluit agnoſcere Romanum Præſulem aut Concilio ſuperiorem eſſe , aut infallibilem ; ſed antiqua duntaxat Romanæ Eccleſiæ privilegia ſervanda. *Scimus*, inquiebat Seſs. IX. Beſſarion pro Græcis verba faciens , *quæ ſint jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ : nihilominus ſcimus etiam , prærogativæ ejus quos terminos habeant* . Et infrà : *Quantacunque facultate polleat Romana Eccleſia , minus tamen pollet Synodo œcumenica , & univerſali Eccleſia* .

(2) Haud aliter ſenſit *ECCLESIA AFRICANA*, quæ ſententiam de valore Baptiſmi hæreticorum , a Stephano Papa damnatam , in tribus Conciliis Carthaginenſibus acriter propugnavit, inattento , quod Pontifex Africanos Epiſcopos a ſua communione propterea removere tentaverit . Sed de hoc pluribus agemus infrà *Cap. VI.* §. 9.

(3) *GALLICANA ECCLESIA*, quæ decretis Conciliorum Conſtantienſis , & Baſileenſis circa ſupremam Conciliorum Generalium auctoritatem ſupra Pontificem ſemper adhæſit, in horum ſequelam anno 1682. conſpirantibus omnibus regni Ordinibus , Curiis & Academiis , ſe Romanum Pontificem in decretis fidei , niſi accedente Eccleſiæ aſſenſu pro infallibili haud agnoſcere , ſolemniter profeſſa eſt .

(4) Sed nec aliam fuiſſe *ECCLESIARUM GERMANIÆ* ſententiam abunde liquet ex Actis Synodi Conſtantienſis , quam , uti & Baſileenſem , pro œcumenica & legitima omnes

nes & ſinguli Status & Prælati Germaniæ una cum Regibus ſuis Sigiſmundo, Alberto, & Friderico III. agnoverunt, receperuntque. Vid. HERMANNI VON DER HARDT *Acta Concil. Conſtantien. Tom. I. Part.* 5. *pag.* 172. Adde Acta Conventus Moguntini, in quo edebatur inſtrumentum acceptationis Decretorum Concilii Baſileenſis per Principes Alemanniæ, in S. A. WURWDENI *Collect. Concil. Moguntin. ad an.* 1439.

(5) Ipſe Cardinalis Orſus, qui noviſſimus inter Ultramontanos, & magna quidem animi contentione, adverſus Declarationem Cleri Gallicani de anno 1682. & æternum ejus Defenſoris Meldenſis Epiſcopi Opus, inerrantiam Pontificiam ſuſtinere conatus eſt, in Præfatione primi Tomi ſincerè confitetur: " Ipſe & Romæ & alibi plures audivi nec malos, nec indoctos, aut imperitos, qui Boſſuetiano Opere pervoluto, nec indiligenter, ut eis videbatur, expenſo, cauſam hanc non ultra a Romanis Theologis ſuſtinendam, ſed veluti conclamatam & deploratam, dimittendam eſſe cenſerent. Nihil eſſe quod perſpicuæ veritati objici poſſit, nec unquam ſcholaſticis ſubtilitatibus aut diſtinctiunculis retundendam, aut hebetandam aciem argumentorum, quæ Clariſſimus adverſarius eduxerat. Non enim, ut in Scholaſtica diſputatione fieri ſolet, unum aut alterum locum ab eo produci, unde ſuas ipſe concluſiones eliciat; quas ope dialecticæ artis eludere, aut aliis objectis locis obruere, arduum non eſt: ſed omnibus Eccleſiæ ſæculis decurſis, omnium Conciliorum actis evolutis, omnium celebriorum controverſiarum hiſtoria clarè lucideque contextà, demonſtratum ab eo eſſe, omnia, quæ ad ſummam attinent, coaleſcere, & uni omnino formæ reſpondere, quam Gallicani Epiſcopi editâ declaratione informarant." Sic fatente Eminentiſſimo Romæ & alibi *pluribus viris bonis ac doctis*, poſt vulgatum Opus Boſſuetianum, nec *probabilitas* quidem ſupereſſe viſa fuit Romano infallibilitatis Syſtemati. Hanc equidem Orſus reſtituere conatus eſt: ſed

quo effectu, judicent alii. Supponamus interim, quod apud aliquos, facilius apud ſuos, Romanæ doctrinæ exiſtimationem reparaverit, manebit nihilominus verum, quod eadem Præfatione agnoſcit & declarat Cardinalis noſter, nimirum: *Non probabiliter, SED CERTO conſtare debet, eſſe Petri ſucceſſores ad fidei controverſias dirimendas divina præditos auctoritate, ut eorum decreta veluti Spiritus Sancti oracula, ac veluti certas & irretractabiles fidei Catholicæ regulas excipiamus.*

(6) Si, qui ex adverſæ ſententiæ patronis vehementiſſimi ſunt, & alterius partis argumenta tanta occupatione animorum legunt, ut interdum non legiſſe, ſed curſim tranſiliiſſe videantur, hic illud, quod de Superioritate Rom. Pontificis ſupra Concilium aſſeruit Bellarminus *Lib. II. de Concil. c.* 17, uſurpent nempe ſuam ſententiam *FERE DE FIDE ESSE*: ii patientur à nobis interrogari: Quid hoc monſtri ſit, quod eſt *fere de fide*, totum de fide non eſt? Vel enim illud ſuum *ferè de fide* ad Dei revelationem referunt, vel ad Eccleſiæ conſequentem declarationem. In primo ſuſtinebunt, quod Deus *ferè* revelaverit; in altero, quod Eccleſia *ferè* definiverit. At quod Deus *plenè* non revelavit, neque Eccleſia *plenè* definivit, nullo modo de fide eſſe conſtat: neque enim ex parte fides, ſed ex toto, plenoque & perfecto eſt. *Quæcumque ab Scholæ placitis diſſident, ſcholaſtico Theologo ſunt hæretica; quod crimen ita vulgatum eſt, ut rebus quoque leviſſimis impingatur, cum ſit ipſum per ſe atrociſſimum,* inquit JO. LUDOVICUS VIVES celeberrimus Sæculi XVI Theologus.

[7] Itaque eſt, & ſemper manebit verum quod Tournelyanæ Theologiæ Continuator & Abbreviator Colletus, Theologus equidem Gallicanæ Eccleſiæ principiis imbutus, valde tamen moderatus cum de Romano Pontifice & ejus prærogativis diſputat, cit. Tom. II. pag. 592. ſtatuit, ſcilicet *Infallibilitatem Pontificiam, quam tantopere jactitant Ultramontani NULLIUS IN FIDEI CONTROVERSIIS MOMENTI ESSE.*

CA-

CAPUT II.

DE PRIMATU IN ECCLESIA, ET GENUINIS EJUS JURIBUS.

§. I.

Probatur exiſtentia Primatus ex Scriptura & Traditione.

QUamvis juxta relata *Cap. præced.* in Eccleſia non ſit ſtatus Monarchicus, nec Monarcha *propriè dictus*, inde tamen non ſequitur, in ea neque *Primatum* eſſe, neque *Primatem*. Econtra quiſquis unitatem Eccleſiæ agnoſcit, facilè intelliget, quantùm ejuſdem interſit, eſſe Primum aliquem inter Epiſcopos, qui bono communi principaliter intentus, continuò invigilet, ut arceantur profanæ novitates, diſciplina Eccleſiaſtica ſervetur integra; nec minus fatebitur, conveniens eſſe, ut hic Primatus credatur Epiſcopo, qui dignitate & præcellentia ſuæ ſedis plus habeat auctoritatis ad defendendam veritatem & promovendam virtutem: Primatus, inquam, Spiritui Domini noſtri JESU CHRISTI conformis, ſanctus, & apoſtolicus, qui ſit ſine contagio humani dominatus, quique fundetur in charitate.

(1) Bini illi textus, Matthæi XVI., v. 18. & Joannis XXI. (quos Cap. I ex ſententia Patrum ita interpretati ſumus, ut in perſona Petri reliquis nihilominus diſcipulis claves Eccleſiæ traditæ, paſtura ovium credita, illi denique omnes fundamenta Eccleſiæ poſiti ſint) non obſcure indicant, *præcipuum aliquid in Petro* præ reliquis Apoſtolis, quod aptiùs exprimere non poſſumus, quam huc repetendo eademinet, quæ ibi retulimus. Patrum verba. Inter hos TERTULLIANUS ait: *Petrus propter Apoſtolatus ſui primatum Eccleſiæ, gerebat*

rebat figurata generalitate perſonam. LEO PAPA : *Petro ſingulariter, quia cunctis Rectoribus forma proponitur*. BASILIUS : *Chriſtus Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit*; *& omnibus præterea deinceps Paſtoribus eandem tribuit poteſtatem*. EUCHERIUS Lugdunenſis : *Quod Petro principaliter, hoc reliquis quoque Apoſtolis dictum intelligi debet*. VEN. BEDA : *Claves regni cœlorum Petrus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis accepit &c.*

(2) Hunc Petri Primatum annuntiant Evangeliſtæ, qui dum Apoſtolos enumerant, non modò ſemper Petrum primo loco collocant, ſed & *primum* fuiſſe affirmant. Sic Matth. X. v. 2. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt* : *PRIMUS*, *Simon, qui dicitur Petrus &c.* Et Marci III, v. 16. nec non in Act. Apoſt. Cap. I. v. 13. Simon Petrus commemoratur primus. Denique Lucas Cap. VI. v. 14. electos à Chriſto Apoſtolos recenſens, orditur à Petro. Ne quis autem exiſtimet, nihil per hoc ſpeciale à ſacris Scriptoribus intendi, audiat ORIGENEM in Joan. pag. 382. Tom. II. edit. Huet. ſic loquentem : *Quod ſi opus eſt Scripturam perſcrutari uſque ad ea, quæ minima eſſe putantur* : *quæret aliquis, cur tandem in numerandis Apoſtolis primum locum obtineat Petrus? Fortaſſis, quia cæteris honorabilior. Quoniam etiam vere omnium ultimus Judas ob malum affectum in ultimum locum projectus jacet*. Eodem ſenſu EUSEBIUS CÆSAREENSIS Lib. III. Demonſtrat. Evangel. pag. 123. *Petrum* dixit *omnibus Apoſtolis præpoſitum*. Item in Pſal. LXIX. pag. 373. *Maximum inter Apoſtolos* &c.

[3] Cauſam, ob quam Chriſtus Petro hanc prærogativam contulerit, alii aliam proferunt : Hieronymus & Chryſoſtomus ejus *ætati* id delatum aſſerunt. Epipahnius, Cyprianus & Hilarius inde hoc privilegium repetunt, quia Petrus *primus ad Apoſtolatum fuit vocatus*. Auguſtinus & Cyrillus id præcipuæ *ejus in Chriſtum charitati* tribuunt. Sed perinde eſt, quâ ratione motus Petrum reliquis Chriſtus

ſtus prætulerit; ſufficit, quod illud effectivè fecerit, ſicque Caput ſuæ Eccleſiæ dederit, ſine quo Corpus non potuiſſet non ſæpius nutare.

(4) Hunc locum etiam poſt mortem Chriſti retinuiſſe Petrum, conſtat ex Actis Apoſtolorum, ubi Cap. I. primum Eccleſiæ coegit Concilium, in quo Apoſtolis electionem alicujus è diſcipulis in locum proditoris Judæ propoſuit. *Quam eſt fervidus*, inquit in hunc locum S. CHRYSOSTOMUS; *quam agnoſcit creditum à Chriſto gregem: quàm in hoc choro princeps eſt?* Et poſtea: *Meritò primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Item *Act. cap. II.* primus omnium Apoſtolorum Chriſtum annuntiat. *Cap. III.* & *IV.* comitem licet habeat Joannem, ſolus tamen orationem habet, & pro ſe reſpondet ac pro illo. *Cap. XV.* in cauſa Legalium Hieroſolymis iterum Synodum congregat, eidemque præſidet. Adde locum S. CHRYSOSTOMI ex Homilia 5. de Pœnitentia, quem paulo infrà *num.* 6. referemus. Unde magis magiſque declaratur, Eccleſiæ cœtibus præſidendi jus ita fuiſſe huic Apoſtolo conceſſum, ut illud nemo in controverſiam vocarit, nemo non libentiſſimè tulerit.

[5] Equidem Petrus non magis eſt Apoſtolus & Epiſcopus, quam Joannes, Philippus & Bartholomæus; ſed primus eſt Apoſtolorum & Epiſcoporum. Doctrina ejus neque purior eſt, neque certior, quam reliquorum. Eſt, ſicut illi, una ex petris vivis, ſuper quas ædificarit Dominus Eccleſiam ſuam; ſed primus lapis eſt ex miniſterialibus; adeo ut quodammodo ſingularius de illo dixerit Chriſtus: *Tu es Petrus &c.* Ita tamen, ut Chriſtus ſit & maneat lapis angularis myſtici hujus ædificii, a quo ſolo venit ejuſdem æternitas & indeflectibilitas, ipſo dicente: *EGO vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.*

(6) Lo-

[6] Loca Patrum in confirmationem primatus Petri cumulare ſuperſedeo, quia ubivis proſtant. Juvat tamen paucorum teſtimonia adferre, è Græcis, & Latinis. (*a*) Ex Græcis S. BASILIUS in Procemio de Judicio Dei: *Beatus ille Petrus*, inquit, *omnibus diſcipulis prælatus, cui ſoli majora data quàm aliis ſunt teſtimonia, qui prædicatus eſt beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ ſunt*. S. CYRILLUS Hieroſolymitanus Catech. 2. pag. 31. & Catech. 11. pag. 151. *Petrus Apoſtolorum ſummus & Princeps*. GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. 26. pag. 453. *Vides quemadmodum ex Chriſti Diſcipulis, magnis utique omnibus & excelſis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in Fidem ſuam accipiat*. Item Orat. 7. pag. 142. *Petrus Eccleſiæ columen*. Demum Carmine adverſus Epiſcopos apud Tollium pag. 25. *Petrus Apoſtolorum princeps*. S. EPHRÆMIUS SYRUS Sermone de Compunctione & ſalute animæ pag. 142. *Princeps ac vertex Apoſtolorum Petrus flens amarè veniam impetravit, ac coryphæus permanſit*. Item in Panoplia p. 479. *Princeps Apoſtolici cœtus Petrus*. S. GREGORIUS NYSSENUS Sermone 2. de S. STEPHANO pag. 339. apud ZACAGNIUM: *Ille, quem Dominus Apoſtolici chori principem & choryphæum deſignavit &c.* Ibid. pag. 343. *Celebratur Petri memoria, qui Apoſtolorum eſt Caput, & una quidem cum ipſo cætera Eccleſiæ membra glorificantur; Dei verò Eccleſia in ipſo ſolidatur. Hic enim juxta prærogativam ſibi à Domino conceſſam, firma & ſolidiſſima petra eſt, ſuper quam Salvator Eccleſiam ædificavit*. S. EPIPHANIUS Doctor Eccleſiæ Hæreſi 59. Cap. 7. pag. 50.: *Princeps Apoſtolorum Petrus...... ſolidæ petræ inſtar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur*. Et in Anchorato Cap. 9. pag. 14. *Hunc* (Petro) *Germanum ſuum filium indicat, & beatus idcirco dicitur .... Sic enim ei, qui inter Apoſtolos primus eſſet, conſentaneum erat, ſolidæ, inquam, illi petræ, ſupra quam Eccleſia Dei eſt fundata, & portæ inferi non prævalebunt illi. Quarum*

rum portarum nomine hæreſes & hæreſeon conditores intelliguntur . S. JOANNES CHRYSOSTOMUS Homilia 5. de Pœnitentia pag. 311. Tom. II. *Gravem poſt illum caſum ; nam nullum negationi par malum : ſed tamen poſt tantum malum , iterum eum ad priorem honorem revehit : Eccleſiæ præfecturam ipſi* (Petro) *per univerſum mundum tradidit* . Item Homilia de decem millium talentorum Debitore pag. 4. Tom. III. *Petrus chori Apoſtolorum princeps , os diſcipulorum , columna Eccleſiæ , firmamentum fidei, confeſſionis fundamentum, orbis terrarum piſcator , qui genus noſtrum ex profundis errorum in cœlum adduxit &c.* Denique Homilia 87. in Joan. ſub initium : *Quia Petrus erat os Apoſtolorum & Princeps , propterea Paulus eum viſurus aſcendit* . B. THEODORETUS Epiſt. 77. pag. 947. *Hac de cauſa Chriſtus Dominus noſter Apoſtolorum principem , cujus confeſſionem velut baſim quandam & fundamentum Eccleſiæ defixerat , fluctuare & errare permiſit &c.* (*b*) Ex Latinis S. AMBROSIUS Lib. X. in Lucam p. 1542. *Quia Petrus ſolus profitetur ex omnibus , omnibus antefertur* . Porro in Cap. 12. Epiſt. 2. ad Corinth. : *Primatum non accepit Andreas , ſed Petrus* . S. HIERONYMUS Lib. I. adverſus Pelag. Tom. II. pag. 179. Lit. e. edit. Francof. *Quid Platoni & Petro ? Ut ille enim princeps Philoſophorum , ita hic Apoſtolorum fuit , ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt* . Alium in hanc rem locum S. HIERONYMI referemus §. ſeq. S. AUGUSTINUS Lib. II. de Bapt. n. 2. *In Scripturis Sanctis didicimus Apoſtolum Petrum , in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratià præeminet , aliter quam veritas poſtulabat , de circumciſione agere ſolitum* . Item Serm. 76. num. 1. & 4. *In illo uno Apoſtolo , id eſt, Petro , in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo , in quo figurabatur Eccleſia , utrumque genus ſignificandum fuit , id eſt , firmi & infirmi , quia ſine utroque non eſt Eccleſia* . Item Lib. I. contra JULIANUM Cap. 4. : *Puto eam tibi partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo*

ſiſſimo martyrio coronare . S. CYPRIANUS Epiſt. ad Quintum : *Petrus* , *ſuper quem* Dominus *ædificat Eccleſiam ſuam* : ad quæ verba AUGUSTINUS Lib. II. de Bapt. Cap. 1. *Ecce*, inquit, *commemorat Cyprianus* , *quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus* , *Apoſtolum Petrum* , *in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet* . Plura de CYPRIANI in hanc rem doctrina vide in Petri Couſtant. Præf. ad Epiſtolas Rom. Pontificum pag. 4. & ſeq. S. GREGORIUS M. Lib. V. Epiſt. 20. : *Ecce claves regni cœlorum accepit*, (Petrus) *poteſtas ei ligandi ac ſolvendi tribuitur* , *cura ei totius Eccleſiæ & principatus committitur* , *& tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur* . Item Lib. III. Epiſt. 30. *Apoſtolica ſedes* , *Deo auctore* , *cunctis prælata conſtat Eccleſiis*. Lib. V. Epiſt. 13. *Curæ nobis fuit* , *quæ univerſis Eccleſiis a nobis impenditur* . Denique Lib. VII. Epiſt. 19. *Quia cunctarum Eccleſiarum injuncta nos ſollicitudinis cura conſtringit* . ALCUINUS Epiſt. ad Eanbaldum Tom. II. Lectionum Caniſii , edit. 1725. *Non deſpiciant Romanos diſcere ordines* : *Quatenus Caput Eccleſiarum Chriſti ſecundum facultatem virium imitantes* , *benedictionem a Beato Petro Principe Apoſtolorum* , *quem Dominus noſter Jeſus Chriſtus caput electi ſibi gregis ſtatuit* , *habere mereantur æternam* . S. PASCHASIUS RADBERTUS Lib. VI. in Matth. Cap. 10. pag. 473. *Jure igitur in meritis primus æſtimatur* , *per quem* , *& in quo* , *ad alios dona tranſmittuntur* . *Accipiunt autem reliqui in eo omnes claves regni cœlorum* , *cum ei a Domino ſpecialius committantur* . *&c. &c.*

§. II.

Fundamentum hujus Primatus eſt bonum Unitatis in Eccleſia .

Cauſa inſtituendi inter Apoſtolos , & fundandi in Eccleſia Primatus , eſt bonum Unitatis in eadem ſervandæ : bonum, ſine quo impoſſibile eſt Eccleſiam ſubſiſtere aut perdurare , uti abun-

abundè demonſtravimus Cap. I. §. 9. Aptè id expreſſit S. OPTATUS MILEVITANUS, ſcriptor Sæculi IV, , à S. AUGUSTINO Lib. II. de Doctrina Chriſt. Cap. 40. n. 6. comparatus Cypriano, Lactantio, Victorino & Hilario. Is *Lib. II. contra Parmenianum pag.* 28. *Negare*, inquit, *non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur; ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.*

(1) Nec minus clarè alibi idem ſanctus & egregius Scriptor hanc Eccleſiæ Unitatem Primatui Petri annectit. Sic Lib. VII. pag. 104. *Bono unitatis beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi, quod negavit, ſolam veniam conſequeretur, & preferri Apoſtolis omnibus meruit, & claves regni cœlorum communicandas cœteris ſolus accepit.* Revera, quæ *Matth. XVI*, Petro datæ ſunt claves, erant poſtea *Matth. XVIII.* & *Johan.* XX. communicandæ reliquis Apoſtolis, equidem *immediatè à Chriſto*, ut ex iiſdem textibus apparet, attamen ſine præjudicio Unitatis, & fundati ſuper eà Primatus, qui jam Matthæi XVI. inſtitutus noſcebatur. Hinc idem S. OPTATUS. pag. 105.: *Stant tot innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur.*

[2] Neque ſingularis ea fuit Optati opinio, ſed communis Patrum ſententia. Hinc HIERONYMUS Lib. I. adverſus Jovinianum pag. 27. Tom. II. edit. Francof.: *Super Petrum fundatur Eccleſia; licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant: & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: attamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* AUGUSTINUS Tract. 108. *Ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* S. PACIANUS Barcinonenſis Epiſcopus Epiſt. 3. pag. 311. *Ante paſſionem ſuam dixerat Dominus Apoſtolis: Quæcum-*

que ligaveritis in terra &c. . . . . . . Ad Petrum locutus eſt Dominus; ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno: mox idipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit: Et ego tibi dico: Quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam &c. S. LEO Papa Serm. 3. pag. 53. edit. Lugdun. an. 1700. *Dicitur beatiſſimo Petro: Tibi dabo claves &c. Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos jus poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti hujus conſtitutio commeavit: ſed non fruſtra uni commendatur quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur.* S. CYPRIANUS Epiſt. 59. pag. 275. Romanam Eccleſiam vocat *Petri cathedram atque Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis orta eſt.*

§. III.

Quæ ratio movit ad inſtituendum Primatum, eadem illum fecit perpetuum.
Hic Primatus Romano Præſuli creditus eſſe probatur.
Non quidem a Chriſto, ſed à Petro & ab Eccleſia.
Adeoque & hujus auctoritate ad aliam ſedem transferri poteſt.

Ratio unitatis, ſuperiore §. expoſita, quæ Chriſtum Dominum in fundatione Eccleſiæ ſuæ movit, ut inter hujus Miniſtros, unum conſtitueret Primum, & Corporis moderatorem, ea quoque effecit, ut eundem Primatum in Eccleſia perpetuò voluerit ſubſiſtere. Perſonas, quæ poſt futurum Petri deceſſum primarium hoc in Eccleſia munus geſturæ eſſent, Salvator non deſignavit: Fecit id vel Petrus ipſe, & ſolus; vel cum eo Eccleſia. Perinde eſt, quâ ratione & quo tempore, id factum fuerit: ſufficit Primatum à Chriſto inſtitutum eſſe; proviſione eatenus à Deo non factâ. Ritè id exponit Bellarminus

Lib.

Lib. II. de Rom. Pont. Cap. 12. *Opp. Tom. I. pag.* 835. *edit. Col.* „ Succeſſio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex inſtituto Chriſti eſt: ratio autem ſucceſſionis, quà *Romanus* Pontifex potius quam *Antiochenus*, vel aliquis alius, ſuccedat, „ *ex facto Petri* initium habuit. Succeſſio ergo ipſa ex Chriſti „ inſtituto & jure divino eſt, quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro Pontificatum duraturum uſque ad finem mundi; & proinde quicunque Petro ſuccedit, à Chriſto accepit Pontificatum. At verò quod Epiſcopus *Romanus*, quia Epiſcopus „ Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, *ex facto Petri* ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam eligere, ſicut „ fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro, non „ Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is, „ quem *Eccleſia* ſibi elegiſſet; potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet. „ Quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, „ inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat.

Cum itaque firmum maneat, quoad perſonam & locum ſucceſſoris in Primatu, à Deo nihil proviſum ſtatutumque eſſe, reliquum eſt, ut penes Eccleſiam (cui, uti dictum, poteſtas clavium, & omnis Eccleſiaſtica auctoritas tradita fuit) ſteterit, & etiamnum perduret jus determinandi, per quem unam alteramve partem clavium adminiſtrari, adeoque, per quem primum in Eccleſia officium, per quem inferiora munia, conformiter ad inſtitutionem Chriſti, geri velit. Hinc, ſicut per rationes convenientiæ *humanâ auctoritate* Romanæ urbis Antiſtiti ſacer Primatus creditus fuit; ſic & ex rationabilibus motivis *auctoritate Eccleſiæ* eundem ad alium Epiſcopum e. g. Mediolanenſem, Pariſienſem &c. transferri poſſe, rectè ſtatuunt Scotus *in IV. Diſt.* 24. Card. de CUSA *de Concordantia Cath. Lib. II. cap.* 33. CORDUBENSIS *Lib. IV. Quæſt.* 1. BANNES *in II. Quæſt.* 1. *Art.* 10. & alii. Ea Sæculo XVI. fuit conſtantiſſima ſententia regni Galliæ, quam in Articulis Germanis Smalcaldæ propoſitis, his verbis exprimunt: *Sentire Regem Gallorum, jure*

tantùm

tantùm humano, non divino, Romanum Pontificem habere Primatum. Apud SECKENDORF *Hiſt. Luther. Tom. II. p.* 105.

Quòd autem inde à Petri exceſſu, per continua non interrupta tempora, hoc, de quo agimus, eminens Primatùs officium, non ab aliis, quam ſolis Romanis Præſulibus, nunc cum *juſtâ & legitimâ*, nunc cum *exceſſivâ* auctoritate, geſtum, ſed & in illis à Catholica Eccleſia reſpectivè agnitum fuerit, certum reddunt Acta Conciliorum, Geſta eorundem Pontificum, denique Scripta & elogia Patrum, tam Orientis, quàm Occidentis.

(1) Fidem Romani Primatus præ primis faciunt antiquiſſima Concilia. Inter hæc Concilium generale NICÆNUM I. anni 325. Can. VI., qualiter Paſchaſinus ſedis Apoſtolicæ Legatus in Concilio Calcedonenſi anni 451. ſic hunc Canonem ex ſuo codice recitavit: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*: apud HARDUINUM Collect. Concil. Tom. II. Col. 638. Dixerant autem judices in eadem CHALCEDONENSI Synodo ibid. col. 642.: *Ex his, quæ geſta ſunt, & ab unoquoque depoſita, perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ amantiſſimo Archiepiscopo conſervari &c.* Dum Patres Concilii CONSTANTINOPOLITANI an. 381. Capitulo V. apud Harduinum Tom. I. col. 810. decernunt, *Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportere primatûs honorem poſt Romanum Epiſcopum*, ſupponunt utique & agnoſcunt, Romanum Antiſtitem eſſe omnium primum. Patres Concilii AQUILEJENSIS ejuſdem anni in Epiſtola ad Gratianum, Valentinianum & Theodoſium A A A. apud Harduinum cit. Tom. I. col. 837. *Romanam Eccleſiam* vocant *totius orbis Romani Caput*. Afri è numeroſo MILEVITANÆ Synodi conventu ad Innocentium I. ſcribentes, cum nec ipſorum, nec complurium aliorum ſententiæ cederent Pelagius Cæleſtiusque, dixerunt: *Arbitramur adjuvante miſericordiâ Domini Dei noſtri, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire digna-*

dignatur, *auctoritati Sanctitatis tuæ DE SANCTARUM SCRIPTURARUM AUCTORITATE DEPROMPTAE*, *faciliùs eos*, *qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt*, *eſſe ceſſuros*. INNOCENTII I. Epiſt. 27. n. 3. apud Petrum Couſtant col. 875 Concilium CONSTANTIENSE, Pontificibus de cætero haud ultrà condignum favens, Romani Epiſcopi Primatum abundè firmat, dum adverſas ei ſententias damnat, illam quidem JOANNIS WICLEF: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*; hanc verò JOANNIS HUSS: *Romanus Pontifex non eſt Caput Romanæ Eccleſiæ*. Concilium FLORENTINUM, poſt agitatam multis in Collationibus Latinos inter & Græcos de Romano Primatu quæſtionem, ſic tandem ſanxit: Definimus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum.

(2) His Conciliorum, maximè *Orientalium*, decretis, addamus exſtantiora quædam Græcorum Patrùm pro Romano Primatu elogia. Inter hos S. ATHANASIUS Epiſt. ad Felicem Papam Tom. II. pag. *676. Ob id vos*, inquit, *prædeceſſoresque veſtros*, *Apoſtolicos videlicet Præſules*, *in ſummitatis arce conſtituit*, *omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit ut nobis ſuccurratis*. S. GREGORIUS NAZIANZENUS Carm. de Vita ſua pag. 9. Tom. II.

Fides vetuſtæ [Romæ] *recta erat jam antiquitus*,
Et recta perſtat nunc item, *nexu pio*,
Quodcunque labens ſol videt, *devinciens*,
Ut univerſi Præſidem mundi decet,
Totam colit quæ Numinis concordiam.

B. THEODORETUS Epiſt. 116. ad Renatum pag. 989. *Habet ſanctiſſima illa Sedes Eccleſiarum*, *quæ in toto ſunt orbe principatum multis nominibus &c.* Notum S. IRENÆI locum referemus infrà §. 5. S. CHRYSOSTOMUS, poſt-

poſtquam accepit, latam in ſe à Theophilo Alex. & à Synodo ad Quercum exauctorationis ſententiam, ad Innocentium I. Rom. Pontificem confugit, *Obſecro*, inquiens, *ut ſcribas, quòd hæc tam iniquè facta non habent robur: illi autem, qui adeo iniquè egiſſe deprehenſi ſunt, pœnæ eccleſiaſticarum legum ſubjaceant.*

(3) Ex Latinis Patribus laudamus imprimis CYPRIANUM, qui Epiſt. 55. ad Cornelium Papam ſcribit: *Petri cathedra, Eccleſia principalis, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.* Idem de Unitate Eccleſiæ: *Qui Petri cathedram deſerit, in Eccleſia non eſt.* Plura S. Cypriani in hanc rem loca collegerunt Hagiographi Antverpienſes in Commentario prævio ad Acta hujus ſancti Tom. IV. Septembris pag. 314. ſeqq. S. HIERONYMUS Epiſt. 57. ad Damaſum pag. 90. Tom. II. edit. Francofurt. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Benedictioni tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* S. AUGUSTINUS Epiſt. 43. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Epiſcopi *GALLIÆ* in Epiſt. ad Leonem Papam Opp. Leonis pag. 288.: *Magna & ineffabili quadam tui gratulatione ſuccreſcimus, quòd illa ſpeciali doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conventicula celebratur, ut verè conſona omnium ſententia declaretur: meritò illic Principatum ſedis Apoſtolicæ conſtitutum, unde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referentur.* Ipſe S. LEO M. Sermone II. in Anniverſario die aſſumptionis ſuæ ita loquitur: *Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt; & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit . . . . . Manet ergo diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non relinquit.* Tum inferiùs: *Celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum*

ſolli-

ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. S. PROSPER Carmine de Ingratis num. 40.

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta Caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

S. BERNARDUS Lib. II. de Conſiderat. ad Eugenium Papam Cap. 8.: *Non modò ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium Paſtor &c.* His addendus VALENTINIANUS IMP. Epiſt. ad Theodos. Opp. Leonis pag. 263. ubi *Beatiſſimus Romæ civitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit &c.* Dum ſic Imperator in cauſa religionis ſcribit ad Imperatorem, debuit ea tunc fuiſſe publica & communis fidelium ſententia. Alia, & fortiora his occurrent per decurſum hujus Capitis præſertim §. 5. *& ſeqq.*

(4) Inter tot Romanos Pontifices, primorum præſertim ſæculorum, ſanctitate & doctrina conſpicuos, ne unus quidem deprehenditur, qui ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ collatam hanc prærogativam non crediderit, ut eſſet totius Eccleſiæ Caput. Econtra intra reliquas omnes Chriſtiani orbis Eccleſias, illas etiam, quæ ab Apoſtolis fundatæ ſunt, nullam offendimus, cujus Præſul eò devenerit ambitionis, ut ſe totius Eccleſiæ Caput affirmare non vereretur, uno excepto Photio, Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopo, qui præter alia multa, quæ per ſummam impudentiam dixit, ſcripſit, egit, hoc etiam cum ſuis affirmare non timuit: *Quando de Romana urbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tum & Primatum Romanæ Sedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis Eccleſiæ Romanæ privilegia translatà fuiſſe*. NICOLAUS I. Epiſt. 70. ad Epiſc. Galliæ n. 7. Aſt nulla id ratione ſuſtineri potuit, & ſecuta tempora docuerunt, per translationem regiæ ſedis, Eccleſiæ Romanæ ne quidquam

L de

de ſuo Primatu deceſſiſſe. Et verò antequam Byzantium migraret Conſtantinus, quid Præſulibus Romanis conferebat Imperatorum præſentia, niſi ut vexationum ærumnas & incommoda, & quaſcunque ſævientium Principum furor inferre pœnas poterat, mortem denique ipſam citius ac facilius ſubirent?

(5) Quòd autem is, qui Eccleſiæ totius Caput erat, in urbem totius orbis dominam pervenerit, ibique ſedem fixerit ſuam, ſingulari divinæ providentiæ conſilio factum videtur, ut ſcilicet ipſe ejuſque ſucceſſores inde, quaſi ex ſublimi loco excubias agere, & muneris ſui partes commodius implere poſſent, non tantum ſine perturbatione quietis populorum, ſed adjuvante etiam civilium rerum in Imperio diſpoſitione. *Sedi Senioris Romæ, QUOD URBS ILLA IMPERARET, Patres jure privilegia tribuerunt*, inquiunt Patres Concilii Chalcedonenſis anni 451. Càn. 28. Poſſunt hæc non minus accipi de & pro cauſâ fixationis Primæ ſedis in urbe orbis domina, quam de juribus Patriarchalibus eidem poſtea attributis. Conveniunt inſuper omnes ex Imperio negotiorum cauſa Romæ, tanquam in ſede ordinaria Imperatoris & Senatus, datque hic civium Romanorum in Urbe quaſi naturalis confluxus occaſionem conveniendi Caput univerſalis Eccleſiæ, vel per ſe, vel per epiſtolas, atque ab eo reſponſa accipiendi. Erat demum ſitus Romæ, quaſi in meditulio Orientis Occidentiſque poſitæ, idoneus ad novas Eccleſias fundandum, ac fundatis proſpiciendum. *Romani Imperii amplitudinem Eccleſiæ exordiis & amplificationi ſervire*, agnovit & tradidit S. LEO M. Lib. II. de Vocatione gentium cap. 16. & Sermone LXXX. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli Cap. 2.

(6) Sententia, licet in ſe veriſſima, quod Primatus cum omni ſuo jure, auctoritate Eccleſiæ, aliò transferri valeat, non placet Romanis; iraſcitur ei ſinguláriter BENEDICTUS PP. XIV. in ſuo Opere de *Synodo Diœceſana Lib. II.*

II. Cap. 1. *n.* 1. Quamvis ipſe ibid. haud diffiteatur, *in aliquo ſenſu* (non exprimit in quo) *dici poſſe, ſupremam Eccleſiæ Monarchiam jure tantùm humano Romanæ ſedi annexam eſſe*. Quidquid ſit: cùm talis tranſlationis legitimæ cauſæ hactenus defuiſſe videantur, & omnis prudens ratio ei obſtitiſſe meritò cenſenda ſit; hinc ne fortè per talem mutationem ipſi Primatui noceatur, Chriſtus ejuſdem auctor & conſervator ſuam ei fecit (non obſtantibus tot tantiſque viciſſitudinibus) in Romana Sede conſtare firmitatem: Fecit id, cum ſancta illa ſedes ſub Romanis perſecutoribus infidelium tyrannidi ſubeſſet; idem fecit, quando exagitati ſeditionibus Romani Pontifices aliò ſe conferrent, ibique multo tempore conſiſterent; idem probabiliter faciet, ſi quid aliud humano animo prævifum, aut imprævifum, Romæ eveniat. Noſtrum non eſt in hæc divinæ Providentiæ arcana indagare, ſed in *naturam rei*, de qua agimus, inquirere.

§. IV.

In quo conſiſtat natura Primatûs, & quæ ſint genuina ejus jura?

Joannes Wiclef, Joannes Huſs, Lutherus & Calvinus, eorumque ſequaces, Primatum in Eccleſia vel negant penitus, vel ita deprimunt, ut ad nihilum ejus jura redigantur. Theologi Romanæ Curiæ addicti eum econtra tam enormiter efferunt, ut maximam illi invidiam conflent. Qui ſaniores ſunt, & rem ex Jure ac æquitate æſtimant, illum nec extenuant cum Romanæ aulæ inimicis, nec ultra condignum extollunt cum ejuſdem Curiæ adulatoribus. Nos, dum in naturam Primatus ſollicitè inquirimus, eam in ſtatu monarchico, hujuſque juribus nullatenùs deprehendimus; hunc ſiquidem ſtatum ab Eccleſiâ penitùs exulare, non ſolùm ſuperiore Capite generatim probavimus, ſed ne *unicum* quidem effectum juris monarchici in ſacro noſtro Primatu, qualis à Chriſto inſtitutus, & ante falſas Decretales exercitus eſt, in Eccleſia deprehendi, per

decurſum hujus Tractatus demonſtrabimus, tanquam in quo ſingulas ejus partes probè excutiemus. Econtra cum genuinum fundamentum ejuſdem Primatus in *bono UNITATIS Eccleſiæ*, ſupra §. 2. invenerimus, hinc pro principio ſtatuemus, *OMNIA ILLA ET SOLA ESSE PRIMOGENEA, ET ESSENTIALIA JURA PRIMATUS, SINE QUIBUS UNITAS NON POTEST SERVARI*. Quia autem in applicatione hujus regulæ facilè affectibus indulgeri poſſet, aliis eam ad ſuperfluum dominatum extendere, aliis illam cum præjudicio unitatis nimis coarctare volentibus; hinc, ut in re tam gravi, & ad juſtum Eccleſiæ regimen pertinente, æqua ponatur ratio, certius aliud & prudentius ad tollendas quaſcunque enaſcituras difficultates ac dubia non ſupererit medium, quam ut circa ſingulas ſæpefati Primatus partes ejuſque jura conſulamus *conſtantem uſum* & *diſciplinam Eccleſiæ*; non quidem qualis fuit, poſtquam falſi Canones plurima in jure Publico Eccleſiaſtico corruperant, ſed qualem primis ſex vel ſeptem Sæculis cum maximo Eccleſiæ bono & unitatis (poſt heu nimium ruptæ, & prout nunc res ſunt, ægrè reſtaurandæ) conſervatione viguiſſe, ex ſcriptis Patrum, actis Conciliorum, ipſorumque Romanorum Pontificum geſtis evincitur. Demum à prudentia vacuum, & à propoſito nobis fine alienum non putamus conſilium, quo auctoritatem ſedi Apoſtolicæ divina inſtitutione conceſſam in iis rebus collocamus, de quibus Scholæ Catholicæ omnes conſentiunt; nihil enim eget Cathedra Petri concertationibus noſtris; quodque in ea Catholici omnes unanimi conſenſione venerantur, planè ſufficit ad eam tuendam poteſtatem, quam ſedes Apoſtolica ad ædificationem, non autem ad deſtructionem accepit.

(1) Nulli Apoſtolorum in particulari erat poteſtas, ſeu juriſdictio propriè dicta in alium, ſed ſinguli ſubjiciebantur Collegio, hujuſque deciſionibus & mandatis. Qualis in Senatu eſt Præſes, talis propemodum in Collegio Apoſtolorum Petrus. Ille Senatorum ſententias rogat, non cogit; uno ſuo arbitrio nihil decidit; reliquorum actibus intendit; eos commonefacit; arguit etiam, ſed non deſtituit.

Caput

Caput ipſorum eſt, ac *Major*, non *in ſtricta ſignificatione* ſuperior, minus *Dominus*; quam qualitatem quidam imperitè tribuunt Petro ex malè intellecta denominatione *Principis Apoſtolorum*. Caput, inquam, erat Petrus: Inde deferebatur ei primarius honor; ejus ſententiæ multùm tribuebatur; nulla cauſa majoris momenti ſine ejus participatione definiebatur, maximè, ſi Univerſum Corpus Eccleſiæ reſpiceret. Ipſe in conventibus proponebat materiam, de qua deliberandum erat; ipſe cùm id opportunum eſſet, levabat vocem ſuam, & omnium loco ac nomine loquebatur.

(2) Verùm inter hos *nudi directorii* fines jura Primatus non ſubſiſtunt; exigit amplius aliquid conſervatio Unitatis in Eccleſia, non ſemper in Conciliis congregata, quam pro fundamento & principio Primatus ponimus. Qui ad genuinum ſenſum S. Scripturæ, Traditionis, ac Diſciplinæ primorum ſæculorum ſapiunt, illi quanquam ſciant, claves à Chriſto toti Eccleſiæ, collectim ſumptæ, datas eſſe ita, ut harum jus juxta ejuſdem Eccleſiæ beneplacitum & deſtinationem per Prælatos & Antiſtites exerceatur: norunt nihilominus, quod, cum Romanus Pontifex inter hos ſit *primus*, ſupremo ejus muneri annexa eſſe debeat ſollicitudo, ut per univerſum orbem obſerventur Canones, ut fides illibata cuſtodiatur, ut iidem ritus ſubſtantiales in miniſtrandis Sacramentis adhibeantur, ut denique unam omnes, eamque ſanam, doctrinam moralem profiteantur. Quiſquis enim primus eſt in aliqua ſocietate, is lege naturali tenetur invigilare, ut leges ſocietatis ſerventur. Cum verò, qui id procurare tenetur, neceſſarià auctoritate inſtructus eſſe debeat, refragantes ad id compellendi mediis ſyſtemati convenientibus, & per Canones eum in finem ſtatutis, hinc minimè dubitandum, quin talis auctoritas Romano Pontifici quà Primati univerſali competat. Atque illud eſt, quod in Concilio Florentino diſponitur, quando ratio exercendi Primatus determinatur, ſcilicet *juxta eum modum, qui in Actis Conciliorum, & in ſacris Canonibus*

nibus continetur. Porrò, qualis modus circa ſingulas ſupremi hujus Miniſterii partes exercendas in *Conciliis*, & *ſacris* Eccleſiæ, qualis viciſſim in *improbis* Iſidori *Canonibus* contineatur, per decurſum hujus Tractatus, in quo de omnibus ſuo ordine agemus, explanabitur.

(3) Communiter agnoſcitur, quòd quanquam penes ſummum Pontificem ſolum legislatoria poteſtas reſpectu univerſalis Eccleſiæ non reſideat, nihilominus in magna congregandorum Generalium Conciliorum difficultate condere poſſit leges generales, eaſque toti Eccleſiæ proponere obſervandas, non antè tamen vim habituras, quàm communi conſenſu fuerint receptæ.

(4) Licet Pontifex non ſit omnium controverſiarum *ultimus* judex, ſunt tamen ejus *præcipuæ* in judicando *partes*; & quanquam ejus definitiones de fide ac moribus non ſint omnino irrefragabiles, ſunt tamen magni apud omnes momenti, ſolentque ſingulæ privatim Eccleſiæ ſingularem eis reverentiam præſtare, adeo, ut *proviſoriè* illis obſequendum ſit, ſaltem, ut ait GERSO, *ad non dogmatizandum contrarium*, quamdiu Eccleſia non reclamat. Quod ſecus eſt circa privata *Epiſcoporum* Decreta, quibus ii tantummodò ſunt obſtricti, qui eorum juriſdictioni ſubjiciuntur.

[5] Si tamen pertinacius ſit malum, nec tantæ ſedis judicio poſſit omnino extingui, ſive ob plurium inſignium Eccleſiarum oppoſitionem, ſive ob Hæreticorum, aut Schiſmaticorum contumaciam, cum neceſſe ſit hoc caſu, generale Concilium univerſam Eccleſiam repræſentans congregari, nemo dubitabit, aliis hoc facere omittentibus, id Romanum Pontificem virtute Primatus ſui poſſe & debere.

(6) Cum Papa ſit *Centrum Unionis* eccleſiaſticæ, ſic inde ab initio naſcentis Eccleſiæ per omnium ſæculorum decurſum, tum in negotiis gravioris momenti, tum in iis, quæ Univerſam Eccleſiam ſive in fide ſive in diſciplina reſpiciunt,

unt, ad eum referebatur, ut per hoc medium diſſitæ Eccleſiæ *etiam extra Concilium* inter ſe conferrent, & bono communi conſulerent, maximè ad ſervandam inter ſe unionem, & fidei unitatem.

(7) Inſuper æquum eſt, & patitur univerſalis Eccleſia, ut Romanus Pontifex tanquam Caput in legibus, à Conciliis etiam Generalibus latis, ſapienter diſpenſet, eo ſcilicet caſu, quo ipſummet Concilium diſpenſaturum eſſet.

(8) Multitudo fidelium, diviſio diœceſium, & inde nata ſtabilitas Paſtorum ſuadebat, ut auctoritati *inſpectionis* & vigilantiæ, quibuſdam Præſulibus competenti, adderetur & illa *inſtantiarum*, id eſt, ut diverſi gradus inſtituerentur judiciorum, à quorum uno, ſcilicet inferiore, provocaretur ad aliud ſuperius; inter hæc autem judicia ſupremum, ſaltem in Occidente, non quidem ſimpliciter, certo tamen modo, per Concilia, & omnium quidem primò per Sardicenſe anni 347. Romano Pontifici attributum eſt; huic enim potius, quam cuivis alteri, hæc prærogativa conveniebat, ex quo jam à S. Petro jus illud univerſalis inſpectionis & ſacræ præfecturæ obtinuiſſet.

(9) Habent denique Eccleſiæ Occidentis hunc præterea reſpectum ad Eccleſiam Romanam, quod ex hac urbe exierint, qui primi Chriſtianam fidem annuntiarunt in Italia, Gallia, & Hiſpania; unde Romana Eccleſia *Mater* & *Magiſtra* cæterarum Eccleſiarum dicta fuit, etiam a Tridentino. Dat hic reſpectus fundamentum reverentiæ & gratitudinis, qualis debetur Matri, & ei, qui eſt cauſa ſalutis; non tamen omnimodæ dependentiæ & ſubjectionis. Reſponſa illius ad harum conſultationem attentionem merentur & reſpectum; at leges non ſunt, quæ ſtrictè obligent.

[10] Hæc ſumma Pontificiorum *reſervatorum*, quæ in Primatu fundantur, defluentium partim, imò ùt plurimùm, immediatè ex jure divino, partim deductorum ex convenientia hujus juris & inſtituti, partim ab Eccleſia ad melius eſſe adjectorum, proinde mutationibus pro re nata, &

dum

dum utilitas Eccleſiæ exigit, obnoxiorum. De ſingulis his juribus agetur hoc Tractatu ſuis reſpectivè locis latius, & ex condicto.

§. V.

Eccleſia, cui Primatus annectitur, per hoc fit Centrum Unitatis.

Inter reliquas proprietates ſacri & univerſalis noſtri Primatûs ea ex primariis eſt, quod in ſequelam eorum, quæ §. 2. à nobis tradita ſunt, pro *Centro* etiam Unitatis habeatur, ad quod omnes Eccleſiæ particulares collimant. Scilicet oportuit unam aliquam & ſingularem Eccleſiam a Deo conſtitutam eſſe, cujus ope & auctoritate per orbem terrarum omnem innoteſcerent, qui in provinciis peculiaribus deteguntur Hæreticorum errores, & doli, quæque his malis adhibenda ſint remedia, ut una præ primis eademque omnium perſtaret inconcuſſa fides. Per hoc medium diſſitæ Eccleſiæ etiam extra Generale Concilium inter ſe conferunt, & ſub directione atque auctoritate communis omnium Eccleſiarum Primatis communi bono conſulitur. Hæc quo modo quibuſque viis in effectum redigantur, dicemus *h. Cap.* §. 8. *n.* 5. *ſeqq.* & *Cap. IV.* §. 2. *n.* 7. 8. *Ad hanc Eccleſiam* (Romanam) inquit IRENÆUS Lib. III. adversus Hæreſes Cap. 3. *propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles.* Inſuper ad fidem in ſua unitate, religonem in puritate, hierarchiam ſacram in ſuo ſtatu ſervandam, opus eſt principiorum & articulorum ad illa pertinentium communicatione, atque exteriore unius Eccleſiæ ad aliam, demum omnium inter ſe, per commune illud Centrum, communionis demonſtratione, per ſymbola aut ſigna ad eam declarandam idonea & recepta. S. OPTATUS MILEVITANUS, qui floruit circa annum 368. Lib. II. contra Parmenianum pag. 28. *Negare non potes ſcire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: unde & Cephas appellatus eſt: in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, nec cæte-*

cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi defenderent : ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret: ergo in Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus : cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus. Cumque nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare. Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus eſt veſtri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Huic communioni oppoſita eſt excommunicatio, tanquam remedium ab origine Eccleſiæ receptum, ſemperque in ea retentum, & nunquam non uſurpatum ad excludendum à conſortio Eccleſiæ eos, qui neceſſariam illam unionem ſcindere aut ſchiſma facere voluerint; uti hæc latiùs exponemus *Cap. III. §.* 4. ubi de principijs & receptis in Eccleſia regulis communicationis omnium Eccleſiarum per Romanum Pontificem diſtinctius agemus. Confer Petrum de Marca *de C. S. & J. Lib. I. Cap. 2. n.* 4.

(1) Equidem qui Romanas partes cum exceſſu tuentur, ex genio huius *Unitatis* (quæ à ſumma perfectaque animorum cum Principe Apoſtolorum conſenſione originem trahit, atque in ſimili conſenſione omnium Epiſcoporum & fidelium cum Petri ſucceſſore conſervatur) nec non ex natura *Centri* (in quo omnes ac ſingulæ à peripheria ductæ lineæ deſinunt, atque in eo invicem conjunguntur, demumque in illo immotè quieſcunt) concludunt, in Petri Cathedrà, ejuſque auctoritate ac judicio univerſam debere quieſcere Eccleſiam, nec ab illa recedi, aut ad generale Concilium ab eadem recurri poſſe. Verùm differt Centrum *phyſicum* à *morali*; neque enim hoc illius indolem ita ſequitur, ut, quod in phyſicis *ſemper* obtinet, in moralibus non declinet *unquam*. Adde *Cap. III. §. 6.*

(2) Relata Irenæi verba expendens Renatus Maſſuetius *Diſſert. II. in Iren. Art.* 4. *§.* 30. ſic in eadem commentando diſſerit : " Ut *Unitas* inter tot Epiſcopos, totque ſingula„ res Eccleſias, tam longè à ſe invicem diſtantes, foveri,

 om-

„ omniumque conſenſus facilius explorari poſſet, nec
„ omnes emergentibus controverſiis, maximo cum ſingu-
„ larum gravamine, ſimul in unum locum convenire co-
„ gerentur, neceſſe erat primam aliquam inter omnes Ec-
„ cleſiam conſtitui, quæ cæteris omnibus præeſſet, cæte-
„ ris pro jure invigilaret, ac veluti quoddam *Unitatis Cen-*
„ *trum* eſſet, in quod omnes confluentes, ejuſdem fidei
„ & communionis nexu colligarentur. Cognita igitur
„ hujus primæ Eccleſiæ ſententia, cæterarum omnium
„ ſatis ut plurimum cognita fuerit: una enim omnium
„ cum ea Eccleſia fides atque doctrina: hæc cæterarum
„ Caput, cui arctiſſimè adhærere tenentur omnes.

(3) Ex his omnibus, Irenæi mentem dilucidè exponentibus, aliud non colligimus, quam [a] Romanæ Eccleſiæ inter omnes per univerſam terram vera fide unitas præſidium ac directorium, etiam extra generale Concilium, quod ſæpiùs congregari foret difficile. [b] Jus reliquis fidelibus invigilandi: utique juxta formam & normam Canonum. (c) Unitatis *veluti* Centrum, in quo, & per quod fideles inter ſe correſpondeant, & communionis nexum ſervent; adeo quidem, ut (d) qui Romanæ Eccleſiæ fidem noverit, reliquarum cum ea communicantium religionem ut plurimum quoque cognitam habeat. At ex his nulla ratione ſequitur, Caput illud & Præſidium non indigere viciſſum ſubſidio Corporis, à quo & ſuſtentetur, & nutans ſublevetur; hoc ſanè ſuſtentaculo ei opus eſſe, viſum fuit Sixto PP. III. cujus verba referemus *Cap. III. § 6. n.* 4.

(4) Hoc ſenſu ſcripſit BONIFACIUS I. Papa anno 422. ad Epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos, in Collectione D. Petri Couſtant col. 1037. *Inſtitutio univerſalis naſcentis Eccleſiæ de beati Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen ejus & ſumma conſiſtit*; indeque mox concludit; *Hanc ergo Eccleſiis toto orbe diffuſis velut Caput ſuorum certum eſt eſſe membrorum; à qua ſe quiſquis abſcindit, ſit Chriſtianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit eſſe compage.*

§. VI.

§. VI.

Ea quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent, ubivis gerantur, ad Romanum Pontificem referenda ſunt;
Ut is ſollicitudinem ſuo Miniſterio convenientem expleat.

Perſuaſum habens Sardicenſis Synodus, Romanæ ſedis Antiſtiti tanquam Eccleſiæ Capiti, incumbere Eccleſiarum omnium ſollicitudinem, ſic anno 347. ſcribit ad JULIUM Papam apud HARDUINUM Tom. I. Concil. col. 653. *Hoc optimum & valde congruentiſſimum judicabitur, ſi ad Caput, id eſt ad Petri ſedem de ſingulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Huci Synodo præluxerant anno 314. Arelatenſis Concilii Patres, qui Sylveſtrum pariter de rebus à ſe geſtis & decretis certiorem facere curaverunt. Vid. HARDUINI *cit. Tom. I. col.* 261. Jam ab anno 255. idem præſtiterant Afri & ex duabus provinciis Carthagine congregati, unde conſcriptis ad Stephanum Papam litteris (quæ proſtant apud eundem HARDUINUM *Tom. I. col.* 157.) ipſi ſignificarunt ea, quæ decreverant. Quin & ipſa etiam naſcentis Eccleſiæ exordia ſi recolimus, occurret Epiſtola Corinthiorum ad Clementem, in qua poſt expoſitam diſcordiæ apud ipſos obortæ cauſam, Romanorum opem & conſilium implorabant. Porro anno 416. Afri paternum exemplum imitati, è Conciliis Charthaginenſi & Milevitano ad INNOCENTIUM Papam referenda eſſe duxerunt ea, quæ de Pelagii atque Cæleſtii cauſa ſentiebant, quæque adverſus illorum hæreſim definiverant. Quorum litteris reſcribens INNOCENTIUS I. Epiſt. 30. n. 1. & 2. apud PETRUM COUSTANT in Epiſt. Rom. Pont. col. 895. primò *inter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas & Apoſtolicæ ſedis occupationes* eas recenſet, *quibus*, inquit, *diverſorum conſulta fideli ac modicâ diſceptatione* tractamus. Tum nec ſilet, quo pacto Apoſtolicæ ſedis Præſulem *præter illa quæ extrinſecus ſunt, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum*. Unde gratulatur Afris, *quòd ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia*, ab eadem ſede quæſierint, *antiquæ regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe me-*

 cum,

cum, inquit, noſtis eſſe ſervatam, utpote *ſcientes*, idque etiam *actione firmantes*, *quod per omnes provincias de apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent*. Atque hæc obiter, velut quæ omnibus obvia compertaque ſint, præfatus, ſic demum Afros alloquitur: *Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coëpiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra Dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe*. Nempe, ut poſtrema Innocentii verba innuunt, opportuit unam aliquam & ſingularem Eccleſiam à Deo conſtitutam eſſe, cujus ope & auctoritate Fidei & Diſciplinæ in commune conſuleretur. Conf. infrà *Cap. VI. §. 2. n.* 10.

(1) Epheſina Synodus in ſuis ad *CÆLESTINUM* Papam litteris, poſtquam eum laudaverat, quod in ſublimi culmine poſitus omnium Eccleſiarum negotiis provideat, Capitis officio rectè functus, cujus eſt cæterorum corporis membrorum ſanitati providere, deinde ideo ad eum ſcribere ſe teſtatur, quoniam oportebat omnia ad eum referri. *Eſt* (ſic ad eum Patres) *hoc vobis adeo magnis in more poſitum, ut in omnibus celebres ſitis, ſtudiaque veſtra Eccleſiarum firmamenta conſtituatis. Quia verò neceſſe eſt, ut omnia quæ conſecuta ſunt Sanctitati Tuæ ſignificentur; non potuimus non ſcribere &c.* HARDUINUS Tom. I. col. 1503.

(2) Eundem ſecuti morem Chalcedonenſis Concilii Patres, relationem LEONI miſerunt, in qua viginti ſupra quingentos conveniſſe ſe ſtatim exponunt, tum ſubjiciunt proximè: *Quibus Tu velut Caput membris præeras*, ſcilicet per Legatos. Epiſt. LEONIS 90. n. 1.

(3) *Scitis Synodalium legum eſſe, ut in rebus, QUÆ AD ECCLESIÆ STATUM PERTINENT, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum, membra ſequentia recurramus*, inquit

quit appoſitè ad hanc rem S. AVITUS Epiſcopus Viennenſis Epiſt. 36. Adde ejuſdem Epiſtolam 93.

(4) Juſtinianus Imp. in *Leg.* 7. *Cod. de Sum. Trinit.* ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum ita ſcribit : „ Divinum antehac promulgavimus edictum , per quod „ hæreticorum furores comprehendimus , ita ut in nullo „ quovis omnino modo immutaverimus , immutemus , aut „ prætergreſſi ſimus eum , qui nunc-uſque coadjuvante Deo „ ſervatus eſt , Eccleſiaſticum ſtatum , quemadmodum & „ tua novit Sanctitas ; ſed in omnibus ſervato ſtatu unita- „ tis ſanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo Pa- „ pa veteris Romæ , ad quem ſimilia hiſce perſcripſimus. „ Nec enim patimur ut quicquam eorum , *quæ ad Eccle-* „ *ſiaſticum ſpectant ſtatum , non etiam ad ejuſdem refera-* „ *tur Beatitudinem , quum ea ſit Caput omnium ſanctiſſi-* „ *morum Dei Sacerdotum* , vel eo maximè quòd quoties „ in eis locis hæretici pullularunt , & ſententia & recto „ judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt .

(5) Ideo autem ad Papam referenda ſunt, quæ ad ſtatum Eccleſiæ pertinent , quia ſervandæ unitatis in fide & incorruptæ in ſubſtantialibus diſciplinæ primaria ſollicitudo ei incumbit . Hoc ſenſu ſcripſit XYSTUS PP. III. ad Joannem Antiochenum Epiſt. 6. n. 5. *Romano Pontifici non parum oneris non parum laboris incumbere , ut Eccleſiæ Domini macula deſit & ruga.* Et CÆLESTINUS I. Epiſt. 3. ad Epiſcopos Illirici : *Pontificem præcipua circa omnes cura conſtringit , cui neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in S. Petro Apoſtolo , cum illi claves aperiendi claudendique daret , indulſit* . Juvat hìc ſpecialia quædam exempla univerſalis hujus ſollicitudinis , ſe ſe ad omnes provincias & Eccleſias extendentis , ſubjungere .

(6) Ut DAMASUS Papa Orientem ab Arianis afflictum litteris ſuis viſitare & conſolari non gravetur , ſcripſit ad eundem BASILIUS Cæſareæ Epiſcopus circa exitum anni 371. apud Petrum Couſtant *col.* 475. hòc tenore : “ Horumce

„ ce malorum unicum eſſe remedium duximus veſtræ com-
„ miſerationis viſitationem. Et quidem nos ſemper tem-
„ pore præterito recreavit caritatis veſtræ vis admirabilis:
„ atque ob lætum rumorem, quo ſpes dabatur fore ut vi-
„ ſitaremur à vobis, aliquantisper animo corroborati ſu-
„ mus. Verùm iſta ſpe lapſi, cum durare amplius nequea-
„ mus, harumce litterarum noſtrarum hortamento uti-
„ mur, ut vos ad opem nobis ferendam excitati viros
„ quoſdam mittatis unanimes, qui vel diſſidentes inter ſe
„ componant, vel Dei Eccleſias reducant ad amicitiam,
„ vel ſaltem perturbationis hujus auctores vobis notiores
„ faciant: *ut & vobis deinceps compertum ſit & explo-*
„ *ratum, quibuſcum communionem habere debeatis*. Atqui
„ nihil prorſus novum aut inuſitatum expoſcimus, ſed
„ quod olim beatis ac Deo caris viris, præſertim vobis
„ (id eſt Romanis Pontificibus Damaſi Prædeceſſoribus) in
„ more fuit poſitum &c." Narrat deinceps Baſilius, qua-
liter Dionyſius Papa Cæſarienſem Eccleſiam per litteras vi-
ſitaverit. Adde Epiſtolam 15. BONIFACII I. de anno
422. apud Couſtant *col.* 1042. *ſeq.* ubi *n.* 6. ſpecificè re-
fertur, qualiter Orientalium maximæ Eccleſiæ in gravibus
negotiis ad ſedem Romanam recurrerint ejus opem implo-
rantes.

(7) Poſtquam Afri ab ANASTASIO I. Papa litteras accepiſ-
ſent, quibus ſuam erga eos benevolentiam & paternam pro
illorum Eccleſia ſollicitudinem oſtendebat, hi 13. Septemb.
an. 401. Carthagine congregati, eaſdem litteras ſibi recita-
ri, & quo pacto illas receperint, ſynodalibus geſtis in
hunc modum mandari curarunt iu *Cod. Can. Eccleſ. Afric.*
C. 65. "Recitatis Epiſtolis beatiſſimi fratris & conſacer-
„ dotis noſtri Anaſtaſii Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi, quibus
„ nos *paternæ & fraternæ charitatis ſollicitudine ac ſincerita-*
„ *te adhortatus eſt*, ut de hæreticorum & ſchiſmaticorum
„ Donatiſtarum inſidiis & improbitatibus, quibus Africa-
„ nam Eccleſiam catholicam graviter vexant, nullo modo
„ diſſimulemus: gratias agimus Domino, quod illi opti-
mo

„ mo & ſancto antiſtiti ſuo tam piam curam pro membris
„ Chriſti, quamvis in diverſitate terrarum, ſed in una com-
„ page corporis conſtitutis, inſpirare dignatus eſt.

[8] Ex ſimili Zelo ſervandæ unitatis in Fide & puritatis in Diſciplina profecta eſt INNOCENTII I. Epiſtola 3. circa annum 404. in Hiſpaniam miſſa, & ad Synodum Toletanum directa, in Collectione Conſtantiana *col.* 763. *ſeqq.* in qua Pontifex ait: " Sæpe me & nimia cum teneret
„ cura ſollicitum ſuper diſſenſione & ſchiſmate Eccleſia-
„ rum, quod per Hiſpanias latius in dies ſerpere, & cita-
„ tiore gradu incedere fama proloquitur; neceſſarium
„ tempus emerſit, quo non poſſet emendatio tanta differ-
„ ri, & deberet congrua medicina provideri. Nam fra-
„ tres noſtri Coepiſcopus Hilarius, & Elpidius Presbiter,
„ partim unitatis amore permoti, partim qua laborat pro-
„ vincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad ſedem Apo-
„ ſtolicam commearunt, in ipſo ſinu fidei violatam in-
„ tra provinciam pacem, diſciplinæ rationem eſſe confu-
„ ſam, & multa contra Canones Patrum, contemto ordi-
„ ne, reguliſque neglectis, in uſurpatione Eccleſiarum
„ fuiſſe commiſſa, nec concordiam, in qua fidei noſtræ
„ ſtabilitas tota conſiſtit, poſſe retineri, cum dolore &
„ gemitu proſecuti ſunt . . . . Quare incumben-
„ dum eſt dilectioni veſtræ, & bonis ſacerdotibus adniten-
„ dum, quatenus præeunte doctrina in unitatem Catho-
„ licæ fidei omnes, qui diſperſi ſunt, congregentur; & eſſe
„ inexpugnabile unum corpus incipiat, quod ſi ſeparetur
„ in partes, ad omnes patebit lacerationis injurias, & ex
„ ſe ſe peſtem patietur internam, quando ſecum compa-
„ go ipſa confligit. Sed hæc generaliter de unitatis refor-
„ matione omnes, tanquam ſingulis ſcripta ſint, accipiant
„ Sacerdotes. Dehinc in partes animum ſuper omnibus
„ dilectio veſtra quæ proponentur intendant &c.

(9) Si ab Hiſpania oculos deflectamus in Britanniam, videmus ibidem, qualiter " Agricola Pelagianus, Severiani

Pe-

„ Pelagiani filius , Eccleſias Hiberniæ dogmatis ſui inſinua-
„ tione corrupit . Sed actione Palladii Diaconi Papa CÆ-
„ LESTINUS Gearmnum Autiſidiorenſem Epiſcopum vi-
„ ce ſuâ mittit., ut deturbatis hæreticis Britannos ad fidem
„ Catholicam dirigat , teſte Proſpero *in Chronico ad an-*
„ *num*. 429. Refert autem etiam Proſper *Lib. cont. Collat.*
„ *C.* 21. *n.* 25. quòd idem Papa „ nec ſegniore cura ab hoc
„ eodem morbo (Pelagiano) Britannicas liberaverit ,
„ quando quosdam inimicos gratiæ , ſolum ſuæ originis
„ occupantes., etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani , & or-
„ dinato Scottis (Palladio) Epiſcopo , dum Romanam
„ inſulam ſtudet ſervare catholicam , fecit etiam barbaram
„ Chriſtianam .

[10] Idem CÆLESTINUS Papa de puritate fidei in Eccleſia Coſtantinopolitana ſollicitus , ſcripſit ad ejuſdem urbis Clerum & populum *Epiſt.* 14. *n.* 1. “ Nos licèt longè
„ poſiti , ubi perverſitate doctrinæ cognovimus noſtra
„ membra lacerari , paterna ſollicitudine nos urente pro
„ vobis alieno flagravimus incendio : licèt inter Eccleſias
„ Dei , quæ in unum Chriſti thalamum ubique referun-
„ tur , nihil longè ſit , nihil cenſeatur alienum Cùm er-
„ go noſtra viſcera ſitis , jure trepidavimus , ne fidem ve-
„ ſtram , quæ ubique prædicatur , à tramite veritatis inſi-
„ nuatio malè docentis avertat .

[11] Denique , ut plura alia prætermittam, Eutherius Thyanenſis & Helladius Tharſenſis Epiſcopi Orientis anno 433. ſcribunt ad XYSTUM Papam apud Couſtant *in Epiſt. RR. Pont. col.* 1245. „ Olim quidem ſæpius jam ex Alexan-
„ dria hujusmodi hæreticis zizaniis inſurgentibus ſuffecit
„ veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus illud ad
„ mendacium convincendum , impietatemque reprimen-
„ dam , & corrigenda quæ neceſſarium fuit , muniendum-
„ que orbem terrarum ad gloriam Chriſti , tam ſub illo
„ ter beato & inter ſanctos habendo Epiſcopo Damaſo ,
„ quàm ſub pluribus aliis glorioſis atque admirabilibus .

Cu-

„ Cujus rei gratià & nos præſumimus has ſupplicationes „ offerre : ut adjuvetis orbem terrarum , & in illa parte „ quæ tyrannidem ſuſtinet, quæque ad hoc impugnatur , „ ut iis quæ non conveniunt [nempe Capitulis Cyrilli] „ aſſenſum præbeat , eò quod nec velit , nec expedire „ judicet, ut Ægyptiorum Capitulorum varias vccum „ novitates excipiat . “ Cùm Orientales in hac Epiſtola JULIUM Papam potuiſſent nominare, qui Athanaſii ad ſe confugientis cauſam , donec ſedi ſuæ reſtitueretur , propugnare non deſtitit ; DAMASUM in medium proferre maluerunt, ut qui Apollinarii damnarit hæreſim , quam à Cyrillo reſtauratam prætendebant .

(12) Placuit hæc plurium exemplorum allegatione illuſtrare, ut ſimul innoteſcat, quibus modis Sæculo IV. & V. Romani Præſules per reliquas etiam longiſſimè diſſitas Eccleſias graviſſimo ſuo Primatus miniſterio in bonum Fidei & Diſciplinæ ſatisfecerint . Scilicet curat imprimis pro poſſe Pontifex , juxta effatum *Xyſti* , ut Eccleſiæ Domini macula deſit & ruga . Hunc in finem *Anaſtaſius* Afros paternè & reſpectivè fraternè monet, ut ſibi à Donatiſtarum inſidiis & novitatibus caveant , *Innocentius* verò Hiſpanos hortatur , ut violatam Eccleſiæ pacem & concordiam, in qua fidei noſtræ ſtabilitas tota conſiſtit , reſtituant, confuſam diſciplinæ rationem emendent, Patrumque Canones ſanctè cuſtodiant. Idem Afris denuntiat , qualiter Sedes Apoſtolica in anxiis & dubiis fidei quæſtionibus reſponſa dare nunquam detrectet . *Cæleſtinus* orthodoxos Epiſcopos mittit in Britanniam, qui paganos ad Chriſtianam religionem convertant, & devios ad veram fidem reducant . Hæreſum zizaniis in Oriente pullulantibus, *Damaſus* Papa & nonnulli ejus ſucceſſores Epiſtolis & Legationibus malo obſiſtunt, errantes in rectam ſemitam deducentes , & perverſas doctrinas damnantes ; cui damnationi Orientales plerumque acquieſcunt . Eidem Damaſo ſcripſit Baſilius M. ut viros in Orientem mittat , qui vel diſſentientes componant, vel diſſenſionum auctores notent ,

N ut

ut ipſe Pontifex noſcat, quibus communicare debeat, quibus non.

(13) In omnibus autem his, & pro eorum directione, ac pleniore intellectu addendum illud, quod ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum ſcripſit S. GREGORIUS M. Lib. VIII. Epiſt. 30. ſcilicet: *Verbum JUSSIONIS peto à meo auditu removete; quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia ſunt, indicare curavi.*

§. VII.

Romanus Pontifex eſt tutor & vindex Canonum per univerſam Eccleſiam.
In horum fideli obſervatione Papa ſui Primatûs invictum præſidium invenit.

Fuit ſanè Pontificibus primorum ſæculorum intimè perſuaſum, neque dubitabant reliqui per orbem Epiſcopi, illos à ſupremo omnium Paſtore Chriſto in altiori ſpecula poſitos, ut totam quàm latè patet Eccleſiam circumſpicerent, & ubique cùm Apoſtolicas Traditiones, tum etiam Synodalium Canonum ſtatuta ſedulò ſanctèque coli curarent; ubi verò eadem vel per ignorantiam lædi, vel negligi per deſidiam, aut etiam à nonnullis præ nimio novitatis ſtudio attentari deprehenderent, tum (quod ſuadet pacis & diſciplinæ amor) erudirent imperitos, erigerent deſides, novarum rerum amantes dedocerent. Demum ſi nihil promoverent monitis, hortationibus, minis: ea adverſus contumaces obverterent media, quæ hunc in finem ab ipſis Canonibus præſcripta, non ſolùm illis prodeſſent ad emendationem, ſed & cæteris ad exemplum. Dixi *Media à Canonibus præſcripta*: de quorum ratione & modo agemus §. 9. Porro hæc talia ſunt, ut non ſolùm non ſupponant abſolutam in Eccleſia monarchiam, ſed ex contrario omnem ejus ideam ab illa excludant. Quare non poteſt Pontifex per ſe refra-

fractarios deponere, uti Cap. IV §. 8. nec non eod. Cap. §. II. n. 1. demonſtramus: bene verò excommunicare; at excommunicandi jus & facultas nullam arguit juriſdictionem propriè talem in perſonam excommunicati, quemadmodum Cap. III, §. 4. viſuri ſumus, aut ſi talem à quovis Epiſcopo, etiam alienum diœceſanum excommunicante, exerceri ſupponeremus, ea ex Scoti & aliorum ſententià communi totius Eccleſiæ nomine, & ex ejus delegatione, exerceri dicenda eſt.

(1) A CÆLESTINO Papa Epiſt. 4. n. 1. in Collectione Petri Couſtant col. 1066. verè & aſſeveranter dictum fuit; *In ſpeculis à Deo conſtituti* (ſumus) *ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt reſecemus, & quæ obſervanda ſunt ſanciamus*. Duo in hoc dicto obſervanda ſunt: primum, ut per vigilantiam ſuam curet Papa, quatenus *coercenda reſecentur*; alterum, ut *obſervanda ſanciat*. Poteſt, uti diximus, rebellia membra excommunicando reſecare; poteſt obſervanda ſancire Conſtitutionibus & Reſcriptis Apoſtolicis, ea ratione, quam exponemus §. ſeq. & Cap. V. §. 1. & 2. In priori ſenſu diſtinctius ſcripſit idem CÆLESTINUS Epiſt. 5 n. 3. *Quiſquis conatus fuerit tentare prohibita, ſentiat cenſuram Apoſtolicæ ſedis*.

(2) *Sanctionis*, & quidem pœnalis, exemplum adverſus violatores Canonum edit ZOSIMUS Papa Epiſt. 9. num. 4. apud Couſtantium col. 970. ad Heſychium ſcribens: *Sciet quiſque hoc* [quod ſcilicet miſſis litteris interdixerat] *poſthabita PATRUM ET APOSTOLICÆ SEDIS auctoritate* (notandum, quod hæc duo conjungat) *neglexerit, a nobis diſtrictius vindicandum, ut loci ſui minimè dubitent ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat POST TOT PROHIBITIONES impurè tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit quidquid interdictum TOTIES, uſurpatur*. Plerumque tamen Pontifices violatoribus Canonum non quamlibet minabantur pœnam, ſed *congruam*. Sic SIRICIUS Epiſt. 1. n. 19. item Cæleſtinus Epiſt. 5. n. 3. in hunc modum: *Quæ enim*

ſola admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem, CONGRUENTEM REGULIS, vindicemus. Vid. Couſtant col. 637. & 1074.

(3) Neque verò Cæleſtinus adhibendam hanc ſeveritatem dicit, ut privata quædam conſtituta defendat, ſed ut recidat *ea, quæ in everſionem regularum novella præſumptione tentantur*. Ita & Siricius, dum iis, qui ſacros Ordines illicitè vel contulerint, vel ſuſceperint, interminatur pœnas, non ſimpliciter ait, quia id tentatum contra interdicta noſtra eſt, *ſed contra Canones ET interdicta noſtra*.

(4) Demum hic recolendum quod ab eodem SIRICIO Epiſt. 5. n. 1. declaratum, ac deinde his verbis ab Innocentio Epiſt. 1. n. 2. repetitum: *Litteras tales dare placuit, non quæ nova præcepta aliqua imperent, ſed quibus ea, quæ per ignaviam deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſervari cupiamus; quæ tamen APOSTOLICA ET PATRUM CONSTITUTIONE ſunt conſtituta*. Non fuit in his omnibus Romanorum Pontificum animus, novum Jus condendi, ſed antiquos Canones renovandi, in memoriam & uſum reducendi uti amplius dicemus *Cap. III. §. 7. n. 2. 3.* Laudandus itaque meritò LIBERIUS Papa, anno 354. ad Conſtantium Imp. ſcribens Epiſt. 4. n. 3. *Nunquam mea ſtatuta, SED APOSTOLICA, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita perfeci. Secutus morem ordinemque majorum, nihil addi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum*.

(5) Romanum Pontificem ſententiæ Conciliorum executorem eſſe, iteratò declaravit GELASIUS Papa, imprimis quidem in Epiſtola ad Fauſtum Magiſtrum contra Acacium Cap. 2. Opp. 5. Leonis edit. noviſſ. Tom. II. pag. 91. ubi: *Itane non perſpicit ſecundum formam Synodi Calchedonenſis Acacium fuiſſe damnatum . . . . . . deceſſoremque meum executorem fuiſſe veteris conſtituti, non novæ conſtitutionis auctorem?* Deinde Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ Cap. 2. cit. Tom. II. pag. 96. ibi: *Quibus convenienter, ut dictum eſt, ex paterna traditione perpenſis, confidimus, quod*

quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret uniuſcujuſque Synodi conſtitutum , quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus , nullam magis exequi ſedem oportere præ cæteris , quàm primam .

Adde S. BERNARDI de Conſideratione Lib. III. Caput quintum quod inſcribitur : *Summo Pontifici incumbere curam de Apoſtolicis decretis , & majorum inſtitutis per totum orbem obſervandis .*

(6) Notanda quinimo ſunt, quæ in hanc rem ſcripſit Ill. Boſſuetius Defenſione Declarationis Cleri Gallicani *Tom. II. in Corollar. pag.* 408. ſcilicet : " Hac exequendi auctoritate freti , Gelaſius , ac deinde ſecuti Romani Pontifices , adverſus Imperatores, ac Regiæ urbis Antiſtites , in Chalcedonenſem Synodum rebellantes , nulla nova Synodo indigere ſe profeſſi , tanta egere confidentia , tantaque vi , ut Imperatores , totamque Orientalem Eccleſiam , ad condemnandos perduelles , ſola jam Sedis Apoſtolicæ auctoritate perpulerint . Quid ubi nulla Synodus intervenit ? Eccleſiarum conſenſione freti , haud minus fiducialiter egerunt : Pelagianos nullo loco conſiſtere paſſi ſunt, ac ſuperbis ne illud quidem ſolatium reliquerunt, ut ab Oecumenica Synodo damnati viderentur . Quis autem Pontifex poſteriore ætate , qua nonnullis poteſtate aucti videntur, tantâ auctoritate tanta geſſit ? Tanta poteſt, auctore & executure Petro , *Capiti connexa Eccleſiarum fides* .

(7) Paulo poſt ſubjungit vir Illuſtriſſimus : " Invicti fuerunt Romani Pontifices, cum Canones ab Eccleſiis, ſede Apoſtolica , ſive auctore , ſive probante ſuſceptos vindicarunt . His Conſtantinopolitanos Præſules alta ſpirantes, & Principum gratia ferociores , & à Neſtorianis Acacianiſque uſque temporibus Eccleſiæ graves , tanquam in ſchiſma erupturos animo providerent, qua gravitate poterant, coercebant . Orientali Eccleſiæ , quæ novæ Romæ faveret , Nicænos Canones opponebant ; invi-

„ invictos ſe rati, *quamdiu, ut ipſi profitebantur, ſecun-*
„ *dum Canonum regulas paternorum, rem gererent* “ Contrarium ſanctiſſimæ hujus Diſciplinæ cbſervamus in hodierna Politica Romana, quam indicamus *Cap. III. §. 7. n. 6.*

(8) Ita eſt: Tam diu ſuus ſtabit Primatui vigor, quamdiu Rom. Pontifex ſecundum paternorum Canonum regulas rem geret; quam primum hanc metam prætergreditur, ceſſat *quoad hoc* ſubordinatio, & (quod naturale eſt) oritur confuſio: *Univerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reverentia intemerata ſervetur,* inquit S. LEO M. *Epiſt. 62.* [nunc 92.] *Cap. IV.* Primatis auctoritas, & Canonum obſervantia ſunt bini cardines, in quibus totus ſacer orbis vertitur; horum altero convulſo, alter ferè extra activitatem ponitur. Ea ratione eodemque ſenſu ſcripſit ad Joannem Panormitanum S. GREGORIUS M. *Lib. XIII. Epiſt.* 44. (nunc 37.) *Tunc ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput fidei* (Rom. Pontificem) *nulla pulſet injuria*, & *Canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas.*

(9) Habet Univerſalis Primatus ſua jura, partim ex Jure *divino*, partim ex *humano*; imò plura ex hoc quam ex illo. Habet Ordo Epiſcoporum ferè omnia ſua ex Jure Divino. Quantum ad reciprocam ſeu reſpectivam horum jurium obſervantiam ac defenſionem, nemo æquus negabit, quin par debeat eſſe & æqualis ratio. Ea ſanè eſt coſtans Eccleſiæ traditio. Hinc GREGORIUS M. Lib. III. Epiſt. 29. ad Presbyteros & Diaconos Mediolanenſis Eccleſiæ, in fin. SICUT *ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua jura ſervamus.* Item GREGORIUS VII. Lib. I. Epiſt. 24. ad Brunonem Epiſcopum Veronenſem: *SICUT Romanæ Eccleſiæ debitum honorem impendi à cæteris Eccleſiis, ita unicuique Eccleſiæ proprium jus ſervare deſideramus.* Porrò INNOCENTIUS III. Lib. I. Epiſtolâ ad Rectores Tuſciæ: *SICUT jura noſtra volumus ſervari, ſic aliorum jura volumus illibata ſervare* &c. Itaque ſi, quod Sacri

Cano-

Canones Ordini Epiſcopali proprium fecere, naturalis ille Canonum Tutor & Vindex non ſolum non defendat, ſed tollat ipſa, aut evertat; naturale eſt, ut *quoad hoc* Tutor ille non agnoſcatur, quoaduſque officii ſui partes debite reſumpſerit.

§. VIII.

Summus Pontifex habet jus, univerſalis Eccleſiæ nomine, leges aliaque obſervanda proponendi.

Quemadmodum Petrus, Apoſtolici princeps Collegii, Matthæi XVI. v. 15. ſeq. Domino *omnes* Apoſtolos interroganti: *Quem vos me eſſe dicitis?* pro omnibus *unus* reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*: ita & Petri ſucceſſor ex communi eorum, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, ſenſu, nec non ex univerſali Traditione, ad Eccleſiam loquitur. Sunt autem quædam in fide tam aperta, ut ea pernegare ne contumaces quidem audeant; & eſt quædam Eccleſiæ Catholicæ vox, quæ quocunque locorum diffunditur; quam etiam ante omnem dictam ſententiam Catholici haud graviter audiunt. Quanto magis cum prolatum judicium ab altiſſima Petri Sede ad omnes dilabitur Eccleſias? Sic (ut iterum præeuntis Petri exemplo utamur) is Act. I. v. 16. exſurgens dixit in medio fratrum: *Viri Fratres, oportet impleri Scripturam &c.* Quæ cum omnibus manifeſta viſa eſſet, nullius exquiſita eſt ſententia, ſed in verbo Petri omnes agnoverunt ſenſum Scripturæ.

Non alia ratione Petri ſucceſſor (cum quo, tanquam Centro, omnium Eccleſiarum Antiſtites communicant, quique vel hoc etiam titulo communis traditionis, præ cæteris, gnarus eſſe, eamve occurrente dubio facilius indagare poteſt) ſuborta quæſtione veritatem depromit ab alto. Hanc *ſi omnes*, aut ferè omnes *recognoſcant*, tum in Petri decreto communem omnium, totiuſque Eccleſiæ ſententiam venerantur; hocque eſt quod dixit S. LEO Papa Sermone III. in Anniverſario ſuæ aſſumptionis Cap. 2., relatus in Decreto Gratiani Can 5. Cauſ. XXIV. Quæſt. I. *Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ipſius fertur æqui-*

æquitate judicium . Eo ſenſu idem S. LEO M. Ep. 93. (alias 63.) ſcripſit ad Theodoritum Epiſcopum Cyri : *Gloriamur in Domino, qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio* (al. noſtrum priùs miniſterium) *definierat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu* [al. irretractabilis . . . . aſſenſus] *ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius à prima omnium ſede formatum, totius Chriſtiani orbis judicium recepiſſet : ut in hoc quoque Capiti membra concordent* . Alia & plura ejus generis exhibet Boſſuetius *Defenſ. Cleri Gallic. Lib. XIV. Cap.* 12. 13. *&* 14. Si autem *graves oriantur ſeditiones* , fratresque inter ſe (maximè verò *Epiſcopi* aut integræ *Eccleſiæ*) collidantur, unicum ſupereſt, ut ad *communem Synodum* recurratur, & communis fides communi atque *expreſſa* Apoſtolici coetus & ſucceſſorum ejus , id eſt Epiſcoporum (quorum quiſque Eccleſiam ſuam *in univerſali Concilio* repræſentat) ſententia , Spiritu Sancto auctore, declaretur . Quo certè in coetu ſit princeps ipſe Petrus ; cæterum *communi ſententia* judicium proferetur .

Itaque ſi ex inſperato Pontifex extra Concilium ità ediceret, ut in ejus eloquio Eccleſiæ ſuam traditionem non recognoſcerent, his competit jus contradicendi . Ne verò ille ſublime ſui Primatûs miniſterium juſtæ particularium Eccleſiarum contradictioni exponat , cautelis opus eſt, queis provida antiquitas uſa fuit . Nos eas indicamus *Cap. IV. §. 2. n.* 8. *&* 9. Cæterùm non ſolum in legibus condendis, verùm etiam in aliis gravibus negotiis totam Eccleſiam tangentibus , & Univerſalis Eccleſiæ auctoritate definiendis, Romanum Pontificem eodem prætaxationis jure uti dicimus *Cap. II. §. 7. n. 6. Cap. IV. §. 8. n. 5. Cap. V. §. 8. n.* 2. Porro quæ præſenti §. tradimus , ea illuſtrationem , quin & pro re nata modificationem ac reſtrictionem accipere debent ab iis , quæ de Conſtitutionibus Eccleſiæ uberius tractabuntur *Cap. VI. §.* 8.

(1) Non ob quamvis ſubortam quæſtionem ſollicitandus Orbis terrarum , aut generalia Concilia ſtatim convocanda ſunt , ſed ex eâ tantùm causâ , ex qua graves per orbem diſſen-

diſſenſiones oriuntur, nec aliter pax coalitura videtur. Sed neque ulla lex jubet, aut conſuetudo exigit, ut ad œcumenicum Concilium quæcunque quæſtiones de *magna* quavis re, ſed de *obſcura*, *ancipiti*, & gravibus altercationum *nebulis involuta* deferantur. Sic in Actis Apoſtolorum Cap. XV. v. 2. Concilium non ideo præciſe collectum videmus, quod ſuborta eſſet quæſtio, ſed poſt ipſam quæſtionem *facta ſeditio non minima*, ut textus loquitur. Vide Jo. Gerſonium *Tom. II. col.* 307. *Prop. VI.*

(2) Si Papa (quod Superi avertant) non proponat, ſed imponat & imperet univerſæ Eccleſiæ, etiam ſub excommunicationis pœna, quæ particularibus Eccleſiis videantur injuſta, aut minus opportuna, magiſque pro exceſſiva elatione primariæ Eccleſiæ, reliquarum verò depreſſione adinventa, quam univerſali Eccleſiæ & bono Religionis profutura: Faciendum tunc quod in S. Cypriano laudavit S. Auguſtinus, quodque vel ipſe in illo excuſat Bellarminus; de quo nos *Cap. II.* §. 12. *n.* 1. & *Cap. VI.* §. 9.

(3) Quod pluries hoc Tractatu inſinuamus, id & hic ex S AUGUSTINO repetendum eſt: ſcilicet ad damnandam, imò extinguendam, quamlibet hæreſim, neque Summi Pontificis, neque Conciliorum auctoritatem ſemper deſiderari. Sic S. Doctor *Lib. IV. ad Bonif. Cap.* 12. " Nunquid con-
„ gregatione Concilii opus erat, ut aperta pernicies damna-
„ retur? Quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi con-
„ gregatione damnata ſit; cùm potius rariſſimæ invenian-
„ tur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit,
„ multoque ſint incomparabiliter plures, *quæ UBI extite-*
„ *runt*, *ILLIC improbari damnarique meruerunt*; atque in-
„ de per cæteras terras devitandæ innoteſcere meruerunt."
Notetur illud: *Ubi extiterunt, illic &c.* id eſt, in iis diœceſibus vel provinciis, in quibus natæ fuerant. Nec non: *Inde devitandæ &c.* nullâ cenſuræ Romanæ facta mentione. Adde infra *Cap. IV.* §. 2. & *Cap. VI.* §. 8. *n.* 3. & 4.

[4] Quando in edicto publico circa materiam fidei Traditio, tanquam motivum credendi proponitur, ſive â Papa, ſive ab alio, non provocatur ad traditionem particularis Eccleſiæ Romanæ, ſed aliarum etiam, præcipuè Apoſtolicarum Eccleſiarum. Sic Gratianus, Valentinianus & Theodoſius A. A. A. ad populum urbis Conſtantinopolitanæ in *Lib. I. Cod. de ſumma Trinitate*: „ In tali volumus Religione „ verſari, *quam divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Roma-* „ *nis*, Religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat; „ quamque *Pontificem Damaſum* ſequi claret, & *Petrum* „ *Alexandriæ Epiſcopum*, virum Apoſtolicæ ſanctitatis „ Add. Cap. III. §. 6. n. 1.

(5) Qua autem ratione talium decretorum Apoſtolicæ Sedis promulgatio per Eccleſias fieret, paucis verbis, ſcitè tamen ac diſtinctè, explicat INNOCENTIUS I. Epiſt. 24. n. 4. in Collectione Couſtantiana *col.* 854. ubi reſponſis ad Alexandri Antiocheni conſultationes datis ſubjungit: *Gravitas itaque tua hæc ad notitiam Coëpiſcoporum vel PER SYNODUM, ſi poteſt fieri, vel per harum* (litterarum) *recitationem faciat pervenire, ut OMNIUM CONSENSU ſtadioque firmentur*. Ex his duplicem obſervare eſt Póntificia decreta promulgandi modum: unum quidem, cum Epiſcopis aliiſque *in Synodum* coëuntibus; alterum verò, cum Epiſcopis itidem, ſed ſingulis & ſeorſim, denuntiata, eorum *conſenſu* confirmabantur. Quamvis Innocentio magis arrideat facta in Synodali cœtu promulgatio, eamque, *ſi fieri poteſt*, præferri amet; haud dubiè quia magis authentica eſt, magiſque ad *omnium conſenſum*, quo decreta ſua firmari cupit, patefaciendum accommodata. Ubi verò eſt conſenſus, ibi quoque deliberandi atque diſſentiendi facultas ſupponitur.

(6) Hac viâ Concilii (ſcilicet Lateranenſis II. anni 1139.) uſus fuit INNOCENTIUS II. ad publicandum Decretum Gratiani, ejuſque procurandam receptionem. Quamvis enim privatum hoc Monachi opus, anno 1127. uti refert Tho-

Tholoſanus, exaratum, aut ſaltem, quod mavult Bellarminus, eo anno inchoatum, nec eo judicio ac curà confectum ſit, ut nomen *Concordiæ diſcordantium Canonum* ſuſtineat, nec à Pontifice aliquo Juris robur acceperit: non tamen eò minus ſtuduerunt Pontifices, ut illud gentibus omnibus tanquam genuinum Corpus Canonum inſinuaretur, licèt irrito aliquamdiu conatu, cum tot experimentis moniti Reges ac Principes non poſſent non ſubolfacere, quid monarchicis his principiis, eorumque generali inſinuatione, adfectet aula Romana. Rem ſic refert Odericus Vitalis, qui floruit circa annum 1140. Hiſt. Eccl. Lib. XIII. pag. 919. *Multa eis* (Patribus Concilii Lateranenſis) *Papa* Innocentius *de priſcis Codicibus propalavit, inſignemque SACRORUM DECRETORUM TEXTUM congeſſit. Sed nimis abundans per univerſum orbem nequitia terrigenarum corda contra eccleſiaſtica ſcita obduravit. Unde remeantibus ad ſua Magiſtris apoſtolica decreta paſſim per regna divulgata ſunt. Sed nihil, ut manifeſtò patet, oppreſſis & opem deſiderantibus profuerunt, quoniam à PRINCIPIBUS & OPTIMATIBUS REGNORUM cum ſubjectis plebibus parvi penſa ſunt.* Adde Sim. Frid. Hahn *Hiſt. German. Tom. III. Cap.* 4. §. 9. *pag.* 203. *Not. CC.*

(7) Plura de decretorum Sedis Romanæ publicatione & receptione collegit, ac eruditè expoſuit P. Couſtant in Præfat. ad Epiſtolas Romanorum Pontificum *num.* 47. *pag.* 49. *ſeqq.* Conf. §. præced. n. 2. & ſeqq. Vid. etiam infrà Cap. IV. §. 2. n. 7. Sed & illa, quæ in Majoribus, licèt non Generalibus Synodis definita fuerant, haud rarò ad Romanum Pontificem eo fine dirigebantur, ut per ejus organum omnibus Eccleſiis innoteſcerent. Sic Patres Concilii primi Arelatenſis Acta & Canones à ſe conſtitutos dirigunt ad Silveſtrum Papam cum Epiſtola, qua eum rogant, *ut per ipſum*, tanquam *qui majores diœceſes tenet* (i. e. cujus auctoritas extenſiores fines tenet) decreta Concilii *potiſſimum omnibus inſinuentur*: apud Harduinum *Conc. Tom. I col.* 261.

§. IX.

Qua ratione Papa ſollicitudinem ſuam, ad omnes Eccleſias pro obſervantia Canonum ſe ſe extendentem exercere debeat, ex S.S. Cypriano & Auguſtino declaratur. Idem exemplis ab Eccleſia Orientali deſumptis oſtenditur.

Diximus, & inter attributa univerſalis Primatus primariò numeravimus jus & obligationem ſummi Pontificis, curandi atque intendendi, ut per univerſam Eccleſiam obſerventur Canones, tam circa Doctrinam, quam circa diſciplinam univerſaliter receptam. Si autem ulterius, quo modo hæc cura ad mentem & ſenſum Canonum in uſum redigi debeat, exploretur, nonnulla SS. Auguſtini & Cypriani loca, quibus pro exemplo utimur, nobis ſufficiens lumen accendent. Et S. AUGUSTINUS quidem, poſtquam *Lib. I. contra duas Epiſt. Pelagian. Cap. 1.* ad Bonifacium Papam ſcripſiſſet, neceſſarium eſſe, ut irrumpenti Pelagianiſmo occurratur, addidit, hanc ſollicitudinem omnibus Epiſcopis communem eſſe, magis tamen ad Romanum Pontificem pertinere: *Cùm ſit*, ait, *communis omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio; quamvis in eo præmineas celſiore faſtigio, Speculá Paſtoris*. Itaque ſi novus in Eccleſia error exſurgat, Epiſcoporum earum dioeceſium, in quibus naſcitur, eſt, ſe ſe illi objicere; quod ſi facere negligant, aut ſi ſola eorum auctoritas ad id minimè ſufficiat, ſanctæ ſedis pondus adjiciendum eſt, ut malum eo certius, fortiuſque comprimatur. Hac diſciplina & methodo uſi ſunt Epiſcopi Africæ in negotio Pelagianorum: Scilicet Patres Conciliorum Carthaginenſis & Milevitani an. 416., poſtquam novam hanc hæreſim damnaverant, hoc ſuum judicium INNOCENTIO Papæ communicarunt, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritas eis ad ſuffocandum errorem accederet: *Procul dubio*, ajunt, *iſta te permovent, ut ab eis corrigendis, ne latius ſerpant, multoſque contaminent, vel potius interimant, dum ſub nomine Chriſti à gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis*; apud Harduinum *To. I. col.*

col. 1223. Atque eâ ratione decreta Romani Pontificis in materia fidei ad univerſam Eccleſiam pertinent; attamen ſalvo jure Epiſcoporum, hæc decreta examinandi, uti alio loco dicemus. Eadem de Pontificio Primatu, hujusque exercitio diſciplina concipitur ex Epiſtola S. Cypriani ſcripta circa annum 254. ad Stephanum Papam occaſione Marciani Arelatenſis Epiſcopi, quem Novatianorum ſectæ addictum ex Fauſtini Lugdunenſis litteris intellexerat. Hunc cum Præſules Galliæ à ſua ſede deponere negligerent, ſcripſit ad Stephanum Papam CYPRIANUS *Epiſt.* 13. *Lib. III.*: *Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, Frater Chariſſime, qui divinam Clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes &c.* Agnoſcit hic imprimis S. Martyr & Doctor, firmatque, omnibus Epiſcopis pro bono univerſalis Eccleſiæ vigilandum, maximè enaſcente adverſus fidem errore: *Idcirco*, addit, *Frater Cariſſime, copioſum eſt corpus Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum; ut ſi quis ex Collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri.* Ex hoc principio Cyprianus, quanquam à Gallia remotus, venit in adjutorium fidei in illa periclitanti. Attamen amplius quoad hoc in Romano Pontifice jus recognoſcens, hunc urget, ut majorem ſuam auctoritatem interponat, eo fine, ut depoſito Marciano, alioque in ejus locum conſtituto Epiſcopo, ſchiſmatis tollatur occaſio: *Dirigantur*, inquit, *ad provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* Non quaſi ſolius Stephani Papæ auctoritate Marcianus deſtituendus, & alius in ejus locum ponendus eſſet Arelate Epiſcopus (nam de ſimili Romani Pontificis jure tunc ne cogitabatur quidem) ſed ut promotore Stephano, tanquam inter omnes Primas tenente, Epiſcopi Galliæ excitarentur ad ſatisfaciendum ſuo officio adverſus Collegam ſchiſmaticum. In proprio ſignificatu *abſtentio* ſignificat *excommunicationem*, in extraneo *depoſitionem*; quanquam hæc potius illius eſſet ſequela: utrumque autem, ſicut & quod de *colligendo diſſipato* per Marcianum *grege* mox ſubditur, erat ſynodi

ma-

materies; quam proinde hujus negotii cauſa in Gallia collectam fuiſſe prudenter creditur. Subjungit in fine Epiſtolæ S. Pater: *Significa planè nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*. Hoc ſcire Cypriani intererat, ut noſſet, cui dirigendæ eſſent Litteræ Formatæ, ad communionem unitatemque cum Galliis ſervandam. Simili ſupremi muneris ſui vigilantia CÆLESTINUM Papam, poſtquam à S. Cyrillo de prevaricatione Neſtorii monitus fuerat, adverſus hunc uſum fuiſſe, dicemus *Cap. V.* §. 4. *n.* 2. Præter complura alia, quæ per decurſum hujus Capitis inſinuamus.

(1) Omnis Eccleſiaſtica poteſtas verſatur circa *Dogma*, aut circa *Diſciplinam*. Quæ circa illud ſit Romani Pontificis præcipua & generalior, quæ reſpectiva Epiſcoporum, auctoritas, apparet ex jam dictis, & iis, quæ Cap. IV. §. 2. porrò trademus. Quod ad externum Eccleſiæ regimen attinet, de ejus partibus agemus ſingulatim tum eodem Capite IV. tum alibi. Nullam prætermittemus regiminis Eccleſiaſtici partem, in qua aliquid juris ſibi vindicare poſſit Romanus Pontifex; & ubilibet curatè indagabimus, quid in quavis habeat juris *originarii*, quid *adventitii*. Eo intuitu tractabimus de *Conciliis*, de *Judiciis*, de *Legibus* &c.

[2] Hic prævie aſſerimus, principalius jus & officium Primatis noſtri nullum eſſe, quam ut *ante alios omnes* curet, ut circa *fidem* & *mores* ſtatuta Canonum maneant illibata; diverſo tamen modo: fides enim eadem eſſe debet in toto mundo; mores econtra, quatenus legi divinæ non repugnant, & ſubſtantiam rerum credendarum non ingrediuntur, pro genio, uſu & ſtatu provinciarum ac regnorum varii eſſe poſſunt; nec tenentur populi & diœceſes particulares ſuos uſus, ſiquidem illaudabiles non ſint, univerſalitati accommodare.

(3) Quæ ex SS. Auguſtino & Cypriano *hoc* §. pro regula propoſuimus, ex actis Eccleſiæ Latinæ deſumpta ſunt. Sed

nec

nec alia diſciplina *Græci* utebantur reſpectu primæ Sedis. Hinc S. BASILIUS *Epiſt.* 69. ſcripſit ad Athanaſium: *Viſum eſt mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romano, ut quæ hic geruntur conſideret, & ſententiam expromat*, ſcilicet ubi pro religione *in commune* conſulendum eſt minimè prætereundus Romanus Pontifex; imò hujus partes ſunt, ut cauſa legitimè diſcuſſa primus ſuam ſententiam expromat, præſertim ſi ea cauſa generalior ſit, & malum latiùs ſerpere velle videatur. His principiis innixus idem S. BASILIUS *Epiſt.* 70. ſcripſit ad Damaſum Papam: *Omnino nihil expoſcimus novi, ſed quod & cæteris olim beatis ac Deo dilectis viris uſitatum & præcipuè vobis. Novimus enim ex ſerie memoriæ, à Patribus noſtris interrogatis & litteris etiamnum apud nos aſſervatis edocti, Dionyſium beatiſſimum illum Epiſcopum* [Romanum] *qui apud vos & recta fide & reliquis virtutibus enituit, inviſiſſe Eccleſiam noſtram Cæſarienſem, & Patres noſtros per litteras conſolatum eſſe, ac miſiſſe, qui fratres captivos redimerent.... Nunc difficilior ac triſtior eſt rerum noſtrarum ſtatus, & cura majore indiget. Neque enim terrenarum ædium lugemus demolitionem, ſed excidium Eccleſiarum: neque corporum ſervitutem, ſed animarum captivitatem quotidie ab hæreſis propugnatoribus perfici videmus. Quare niſi jam ad ſuppetias ferendas excitemini*, paulò poſt *nec quibus manum porrigatis inventuri eſtis, omnibus ſub hæreſis poteſtatem redactis*. Aliud pro Orientali Eccleſia exemplum dedimus paulo antè in Cæleſtino Papa reſpectu Neſtorii. Tertium addemus *cap.* 3. *§.* 6. *n.* 4.

(4) Hanc certè univerſalem Eccleſiarum curam, & ſervandæ in eis, tam Græcis, quam Latinis orthodoxæ fidei, S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS & tota ejus Eccleſia agnovit in Dionyſio Epiſcopo Romano; cum enim ille à quibusdam Catholicis, quaſi malè ſentiret de SS. Trinitate, delatus fuiſſet, miſit ad Dionyſium Romanum apologeticos libros, quibus ab omni hæreſeos ſuſpicione ſe purgavit. Vid.

Vid. BARONII *Annal. Eccleſ. Tom. II. an. 263. num.* 31. *& ſeqq.*

(5) Accidit nonnunquam, ut Papa hæreſim, ejuſque auctorem ſeu fautorem damnaret, atque loco, etiamſi Epiſcopus eſſet, pellendum decerneret. Attamen id ita eveniebat, ut Pontifex depoſitionem ipſe, & jure ſuo, decernere non videretur, ſed hæc tanquam damnationis & excommunicationis ſequela haberetur, aut verò quæ à Papa eatenus decreta eſſent in Synodo deinde confirmarentur. Ità cum ad Siricium Papam delata eſſet impia Joviniani ſcriptio, errorem ipſum & fautorem erroris, convocato Clero, rogataque prius omnium ſententia, anathemate confixit; Sic autem confixit, ut non tam judicare ſe, quam Apoſtoli præcepto obſequi, ejuſque judicium denuntiare profiteretur: *Apoſtoli*, inquit Epiſt. 7. n. 4. *ſecuti præceptum, quia aliter quàm quod accepimus annuntiabant* ;(Jovinianus ac Socii) *omnium noſtrum tam Presbiterorum & Diaconorum, quam etiam totius Cleri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut . . . . . . qui incentores novæ hæreſis & blasphemiæ inventi ſunt, divina ſententia & noſtro judicio extra Eccleſiam remaneant*. His jungendum Decretum Zoſimi Papæ, quod retulimus §. 7. n. 2. Tulerat etiam Papa Cæleſtinus in Pelagianos depoſitionis ſententiam; hanc firmat *EPHESINA SYNODUS*, anno 431. ad Cæleſtinum ſcribens: *Lectis in ſancta Synodo geſtis quæ celebrata ſunt in depoſitionem irreligioſorum Pelagianorum & Cæleſtianorum Cæleſtii, Pelagii, Juliani, Præſidii, Flori, Marcelliani, Orontii, & ſimilia eis ſapientibus, cenſemus & nos valida & firma perdurare quæ definita fuerunt à tua reverentia, & conſentanei ſumus in ſententia omnes depoſitos eos habentes*; apud Harduinum *Tom. I. Concil. col* 1510. Couſtantium in *Collect. Epiſt. RR. PP. col.* 1175. Adde infrà Cap. V. §. 4. n. 9.

§. X.

§. X.

Romanus Pontifex habet jus mittendi Legatos ad opus officii ſui Primatialis.

Ne verò in hoc committantur abuſus in pleriſque Regnis *muneri & functionibus Legatorum fines ponuntur.*

Reliqua Romani Pontificis reſervata, ſuprà §. 4. enunciata; aliis locis opportunius, non minus tamen ſolidè, elucidabuntur. Hic interim prætermittendum non eſt, quod Papæ pro exercitio & uſu jurium ſuo Primatui adhærentium competat facultas habendi in Provinciis & Regnis *Vicarios* & *Legatos*. Hinc INNOCENTIUS I. exemplo provocatus Apoſtolorum, qui *principes Evangelii conſtituti, cæterarum rerum cauſas neceſſitudineſque ſuis diſcipulis curandas obeundaſque mandarunt*, ſcripſit anno 412. Theſſalonicenſi Epiſcopo Ruffo: *Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis diſterminatis a me Eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatiſque tuæ committendam curam cauſasque cenſeam.* Epiſt. 13. Adde S. GREGORII M. Epiſt. 54. & 55. Lib. V. nov. edit. Scilicet cum ſupremo Pontifici vi ſui muneris incumbat cura, inſpectio, & quædam ſuperintendentia in omnes Eccleſias, is nullibi, *quoad hoc*, poteſt haberi pro extraneo. Quia verò ipſe omnibus adeſſe non poteſt, ſic prohiberi nequit, quominus per Nuntios has ſuas partes expleat. Ea ratione in *Cap. 20. de Conſuetud. inter Extravagantes Communes* Principes & ſubditi excommunicantur, ſi prohibeant ingreſſum Legati Pontificis.

Interim minor majorve fuit Legatorum auctoritas, prout creverunt, obſtetricantibus Iſidorianis Decretalibus, jura Romanorum Pontificum. Equidem Concilium Tridentinum agnoſcens ejus auctoritatis, qualis tunc a Legatis exercebatur, abuſum, aliquos ei limites poſuit; aſt poſteritati relictum manſit, detecta ſerius earundem Decretalium falſitate & injuſtitia, penitus emendare quod hac in parte Regnis noxium, & Epiſcoporum juribus adverſum intelligitur.

(1) Ab initio Legati Pontificii ne minimam quidem partem juriſdictionis exercebant, ſed erant meri *Apocriſarii*, & *Reſponſales*. Cum ſub Chriſtianis Imperatoribus Eccleſia cœpit exaltari, ſuos in comitatu Cæſarum Papæ habebant Legatos, qui Imperatoribus negotia proponerent, & de his referrent iterum ad Pontificem, adinſtar Legatorum aliorum Principum.

(2) Sæculo IX. poſt falſas Decretales Nuntii Apoſtolici ampliſſimam poteſtatem ſortiebantur, ut ad ſpecimen regiminis ſæcularis eſſent inſtar Præſidum provinciarum; exercebantque concurrentem cum Epiſcopis juriſdictionem. Aucta hæc ſunt maxime ſub Gregorio VII. & Bonifacio VIII. adeo ut quidquid eſſet juriſdictionis, vel contentioſæ, vel voluntariæ, hoc iidem Legati in provinciis exercerent. Vid. clar. Barthelii *Annotat. ad Jus Can. P. Engel. Lib. I. Tit.* 30. *pag.* 108.

(3) Protenſa in immenſum illorum poteſtate, depreſſa plane, & ad nihilum fere redacta jacebat auctoritas Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, quorum beneficia Legati conferebant, & præripiebant juriſdictionem. Tandem per ſubſequentia Concilia, Conſtantienſe & Baſileenſe, potiſſimum vero per Tridentinum *Seſſ. XXIV. Cap.* 20 quodammodo reſtricta eſt exceſſiva hæc Legatorum auctoritas, & Epiſcoporum juriſdictio quaſi poſtliminio reſtituta; ita, ut ſub pœna nullitatis omnes cauſæ in prima inſtantia coram Epiſcopis tractandæ ſint, nec detur niſi a *definitivis* eorum ſententiis appellatio. Obſervat autem Barthelius *loc. cit. pag.* 109. propter has, ſimileſque reſtrictiones non mitti amplius Cardinales, ſed plerumque Archiepiſcopos in Partibus.

(4) In Gallia, Belgio, & Sicilia, Pontificii Legati ne minimam partem juriſdictionis exercent. Antequam autem in Galliam admittantur, indigent permiſſione Regis; bulla legationis Parlamento Pariſienſi exhibetur, in qua ſi quid inveniatur Libertatibus Eccleſiæ adverſum, illud modificatur

tur; ſic verificatæ, approbatæ, & modificatæ facultates Nuntii regiſtrantur in omnibus Regiis Curiis [*Parlements*] ad quarum diſtrictus eædem facultates extenduntur; denique jurat Nuntius, ſe non aliter, quam ita, & quamdiu Regi placitum fuerit, his approbatis facultatibus uſurum. Hericourt *Loix Eccleſiaſtiques Part. I. Cap. 7. §. 6. ſeqq.*

(5) In Germania Nuntii Apoſtolici ampliore adhuc utuntur poteſtate, quàm in aliis regnis; cognoſcunt nempe in illa, & decidunt cauſas in ſecunda & ulteriore inſtantia; non tamen id peræque in omnibus Germaniæ partibus: Moguntini e. g. Nuntio ad tractum Rheni nihil juriſdictionis in ſua Archidiœceſi permittunt. Hæ variationes, tam temporum, quam locorum, ſufficiunt ad probandum, omnia hæc, quantum cum eſſentialibus juribus Primatus neceſſariam non habent connexionem, mutationibus eſſe obnoxia, neque aliud ferè habere fundamentum, quàm *in origine* falſas Decretales, *in conſervatione* majorem vel reſpectivè minorem potentiam, vigilantiam & genuinorum Jurium notitiam; quæ omnia *in Sacris* non faciunt Jus.

(6) Quemadmodum *Legatis*, ne limites Pontificiæ poteſtatis excederent, fines à Regibus & Synodis poſiti ſunt, ita & Romanæ Sedis Vicarii, hinc inde in partibus conſtituti, ſuos invenerunt obices, ut primum Epiſcoporum, Metropolitanorum, ſeu Provincialium Synodorum præjudicium obſervabatur. Ex pluribus exemplis damus unum alterùmve: Cum SERGIUS Papa II. anno 844. Drogonem Metenſem Epiſcopum ſuum trans Alpes Vicarium conſtituiſſet, ut omnium illic ſollicitudinem gereret, cum poteſtate congregandi Synodos generales in Germania & Gallia iiſque præſidendi, recipiendi etiam auctoritate Apoſtolica appellationes, examinandi Epiſcopos & Abbates &c. Patres Concilii Vernenſis, eodem anno menſe Decembri habiti, imprimis ſtatuerunt Canone XI. *de prælatione reverendiſſimi Drogonis definire aliud non audemus, niſi expectandum, quàm maximus cogi poteſt, Galliæ Germaniæ-*

P 2 *que*

que conventum , & in eo Metropolitanorum reliquorumque Antiſtitum inquirendum eſſe conſenſum , cui reſiſtere nec volumus , nec valemus . Deinde verò hunc conſenſum nunquam ſecutum fuiſſe, ſicque Pontificium hunc Vicariatum tanquam juribus aliorum Præſulum præjudicialem , evacuatum manſiſſe , intelligimus ex Hincmari *Epiſt. XLIV. Cap.* 30. ubi : *Quod* Drogo *affectu ambiit , effectum non habuit : & quod efficaciæ uſu , non conſentientibus quibus intererat , obtinere non potuit , patientiſſimè , ut eum decuit , toleravit , ne ſcandalum fratribus Conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret .*

(7) Similiter cum Anſegiſo Epiſcopo Senonenſi à Romana ſede jura Apoſtolici Vicariatus per Galliam & Germaniam attributa eſſent , atque Epiſcopis in Pontigonenſi Synodo congregatis auctoritate Caroli Calvi Imp. ea agnoſcenda proponerentur , hi Pontificium decretum acceptarunt quidem , ſed non aliter, quam *ut ſervato ſingulis Metropolitanis jure privilegii ſecundum ſacros Canones , & juxta decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eiſdem ſacris Canonibus promulgata, Domni Joannis Papæ Apoſtolici juſſionibus obedirent . Et cùm Imperator & Legati Apoſtolici ſatis egerint ; ut abſolutè Archiepiſcopi reſponderent , ſe obedituros de primatu Anſegiſi , ſicut Apoſtolicus ſcripſiſſet, aliud , niſi ut prædictum eſt , reſponſum ab eis extorquere non potuerunt .* Annales Bertiniani *ad annum* 876. Cùm autem hac declaratione inattenta Imperator juſſiſſet ſellam plectilem poni ante omnes Epiſcopos Ciſalpini Regni ſui , & in ea Anſegiſum collocari, reclamavit Hincmarus Remorum Archiepiſcopus, audientibus omnibus, *hoc factum ſacris regulis obviare* ; & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die . De hoc negotio iterum agemus infrà *Cap. IV. §.* 1. *n.* 4. Adde Petrum de Marca *de C. S. & J. Lib. V. Cap.* 45. *n.* 2. 3. 4. *&* 6. nec non *Lib. VI. Cap.* 29. *n.* 3. 4. 5. item *Cap.* 28. *n.* 11.

Hæc ſufficiunt ad probandum jus Epiſcoporum , Principum, Nationum , contradicendi Litteris Legatorum & Vica-

cariorum papalium, in quantum eæ illorum juribus præjudicant, aut genuinis Canonibus adverſantur. Pone tamen, exſtare exempla ſimilium litterarum & commiſſionum, quibus contradictum haud appareat: ſive illud factum ſit aliquorum indulgentia, veri Juris ignorantia, ſeu alia quavis cauſa, per hoc Romanæ Curiæ rationibus nequidquam accedit. Vid. infrà *Cap. VIII. §. 5.*

§. XI.

Principatus Summi Pontificis per univerſam Eccleſiam non tam eſt juriſdictionis, quam ordinis, ac conſociationis.

Quo ſenſu Papa dicatur Epiſcopus Univerſalis?

Vidimus §. 8. *Cap. I.* quanto ſtudio laboraverint in Concilio Tridentino Romani, ut Pontifex *Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus & Rector* declararetur; quanquam fruſtraneo conatu. Expoſuimus præſentis Capitis §. 4. *& ſeqq.* qualiter eidem ſummo Pontifici incumbat *ſollicitudo Univerſæ Eccleſiæ*, ſeu, ut malunt Galli, *ſollicitudo omnium Eccleſiarum*; at inde non ſequitur, Papæ competere juriſdictionem propriè dictam, & immediatam in omnes Eccleſias. Diximus §. 8., eſſe ei jus proponendi Leges ab omnibus Eccleſiis obſervandas; verum addidimus, id eum facere non ſuo jure, ſed univerſalis Eccleſiæ nomine, proindeque ab hujus voluntate dependere, an has ut ſuas velit agnoſcere. Ad eum non pertinere de quibuſcunque per orbem Chriſtianum eccleſiaſticis cauſis cognoſcere & ſtatuere; imò ante Concilium Sardicenſe ne ullà quidem ratione jus appellationis ad eum pertinuiſſe probabimus *Cap. V.* Poteſt convocare Generale Concilium; ſed & Senatum congregat Præſes, abſque quod ſolus juriſdictionem teneat, quæ penes Corpus reſidet. Debet in caſu exortæ hæreſis (ſicut fecit Stephanus Papa in cauſa Marciani Arelatenſis) ſcribere ad Epiſcopos Provinciæ vel Regni, ut ſchiſmaticum Epiſcopum cauſa cognita depo-

deponant, ſcandalum tollant, Canones Conciliorum univerſaliter receptos obſervent, & ſimilia; ſi verò hi monitis minus obſecundent, ipſe per ſe, ſuaque Primatiali auctoritate ſcandaloſum vel hæreticum Præſulem non deponit (hoc enim ex ſenſu genuinorum Canonum in ejus facultate non eſt) ſed eum, eique adhærentes excommunicat. Aſt ne ipſa quidem hæc excommunicatio eſt actus jurisdictionis proprie talis, uti *Cap. ſeq.* demonſtrabimus, quippe cujus jus cuique Epiſcopo reſpectu cujuſcunque hæretici, etiam non ſubditi, competit. Verè etenim GELASIUS Papa Kal. Nov. an. 493. ſcripſit ad Fauſtum legationis officio Conſtantinopoli fungentem apud Harduinum Collect. Concil. Tom. II. col. 834.: *Quod non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed unicuique Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum, ſecundum regulam hæreſeos ipſius antè damnatæ, à Catholica communione diſcernant.* Clerus Gallicanus in celebri ſua Declaratione de Eccleſiaſtica poteſtate an. 1682. editâ, propoſitione quarta edixit: *irreformabile non eſſe S. Pontificis judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*; mox addens: *in fidei quæſtionibus præcipuas eſſe ipſius partes, ejuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias PERTINERE.* Rectè haud dubiè; nec quiſquam bonus Catholicus aliter ſentiet. Sed vigilanti verbo *Pertinere* Clerus uſus fuit, quod conjunctum cum præcedente *negativa irreformabilitatis*, ac cum jure omnium & ſingulorum Epiſcoporum propria veraque, in ipſos à Chriſto delapſa, auctoritate cognoſcendi de puritate Decretorum fidei a Romana ſede emanantium, ſufficienter excludit *imperium*, quod omni jurisdictioni verè tali connatum eſt. Quæ ſi in cauſis *Doctrinæ* vera ſunt, in negotiis *Diſciplinæ* minus adhuc dubii habent & difficultatis. Sed de his agemus plenius infrà *Cap. V. §. 4.*

(1) In contentione, quæ fuit inter S. STEPHANUM Papam & S. CYPRIANUM de Baptiſmo Hæreticorum, hic S. Pater illum in Carthaginenſi Synodo III. circa annum 255. apud Harduinum *Tom* 1. *col.* 159. perſtringens ad Collegas ſuos, ex tribus Africæ provinciis congregatos, dixit: „Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſco-

„ ſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequen-
„ di neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat
„ omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ
„ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit
„ cum nec poſſit ipſe alterum judicare. Sed expectemus uni-
„ verſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſo-
„ lus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ
„ gubernatione, & de actu noſtro judicandi." Qui bona fide contulerit inter ſe quæ in hac controverſia Stephanum inter & Cyprianum acta ſunt, animadvertet facilè, S. Cyprianum, licet aliàs Primatum Romani Pontificis probè recognoverit, uti hujus Capitis §. 3. *nu.* 3. demonſtravimus, verum imperium & externam coactionem ab eo excluſiſſe. Talem ſcilicet hic S. Martyr præter propter fatebatur principatum Summi Pontificis in *univerſali* Eccleſia, qualem Cyprianus gerebat in *Africana*, qui æqualitatem & libertatem Epiſcoporum Africæ non infirmabat, ſed jus ſolum dabat Concilia convocandi, illiſque præſidendi, Coepiſcopos fraternè admonendi, ſimiliaque, quæ Romano Pontifici *per totam Eccleſiam* competunt, in ſua Africana exercendi; eo ſemper ſalvo, quod Stephani R. P. univerſalis Primatus ſit ex inſtitutione Chriſti, Cypriani econtra humanæ ordinationis. Confer Steph. Baluzii *Annot. ad Cypriani Epiſtolas pag.* 387. 389. 400. *&c.* Imprimis verò lege ipſum CYPRIANUM pro Epiſcoporum omnium paritate fortiter diſputantem *Epiſt.* 71. *pag.* 127. *Epiſt.* 73. *pag.* 137. *Epiſt.* 55. *ad Cornelium Romanum pag.* 86. *ſeq.*

[2] Quod multi in Papa *Juriſdictionem* vocant, nos *Authoritatem* dicimus. Quis rectius loquatur, judicent peritiores. Fortè de re convenimus, ſicque inutilis eſſet de voce concertatio. Saltem nos cum Tridentino loquimur, quoad quoties de primariis Apoſtolicæ Sedis in Eccleſia juribus agit, ſemper *authoritatis*, nunquam *juriſdictionis* vocabulo utitur. Vid. Seſſ. VII. in fine Præfat. de Reform. & Seſſ. XXV. Cap. 21. Dico itaque, Romani Pontificis

Pri-

Primatum non eſſe ſimplicem nominis & gradûs Prærogativam; ad eum originariè pertinere jus immediatum & univerſale vigilantiæ, adhortationis, imò excommunicationis, eo, quo diximus ſenſu, aliaque quæ hoc Cap. ſingulatim recenſuimus. Hac ratione ex omnibus totius orbis Eccleſiis ad Papam recurri poteſt, atque ad eum referri debet de gravioribus cauſis, fidem & unitatem Eccleſiæ concernentibus. Loquimur identidem de juribus Primatui *à Deo* annexis, non de iis, quæ illi *ex facto hominum*, acceſſerunt, ſive per Eccleſiæ conſenſum & legitimos Canones, ſive per ſpurias Decretales, ſive demum per obſcurorum fata temporum & circumſtantiarum. Pluribus de hac materia & ex profeſſo agemus *Cap. V.* § 4.

(3) Graviter ſanè peccant, qui eo ſenſu Romanum Pontificem *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum* dici exiſtimant, quaſi Catholica Eccleſia ejus diœceſis ſit, in qua ipſe proprio jure Epiſcopum agat, reliqui Epiſcopi, præter nomen, vicariam illius unius præfecturam tantum adminiſtrent. Hos ſæpe in Epiſtolis ſuis perſtringit S. GREGORIUS M. Maximè autem notanda ſunt verba Epiſtolæ ejus ad Eulogium Alexandrinum, quæ eſt XXX. Lib. VIII. Indict. 1. nov. edit. ubi: *Indicare quoque*, ait, *veſtra Beatitudo ſtuduit, jam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens; SICUT JUSSISTIS. Quod verbum juſſionis peto à meo auditu removete; quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi Fratres eſtis, moribus Patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia ſunt, indicare curavi. Non tamen invenio Beatitudinem veſtram hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intulit, perfectè retinere voluiſſe. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere; & ecce in præfatione Epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, Univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod, peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis*

quæro

quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt univerſalis Eccleſia. Meus honor eſt, fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim univerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Sed hoc abſit. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant. Et quidem in ſancta Calcedonenſi Synodo, atque poſt à ſubſequentibus Patribus hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra Sanctitas novit, & tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum. His confirmantur quæ præcedentibus inſinuavimus. Cæterùm perverſe religioſus foret, qui aliter, ac Sedes Apoſtolica per S. Gregorium, aut ſentiret, aut ſcriberet.

(4) In hanc Epiſtolam & titulum *œcumenici Epiſcopi* ita commentantur eruditiſſimi editores Benedictini Operum S. Gregorii M. *Tom. IV. pag.* 248. " Quod ſpectat ad vocis hujus ſignificationem, idem eſt *œcumenicum*, ac *univerſale*;
„ & Concilium œcumenicum dicitur, quod ex omnibus
„ mundi partibus convocatur & congregatur . . . .
„ Si in hoc ſignificatu quid ſit œcumenicus Epiſcopus aut
„ Patriarcha conſtituamus, ſtatim quale in Religione Chri-
„ ſtiana monſtrum foret hujuſmodi Epiſcopus manifeſtum
„ fiet. Nullus enim univerſalis Epiſcopus fieri propriè
„ poteſt, niſi excluſis cæteris aliis Epiſcopis; etenim ſi to-
„ tius orbis Chriſtiani unus quispiam foret Epiſcopus, cui
„ alteri locus relinqueretur? Id verò Sacræ Scripturæ di-
„ ſertè adverſatur, quæ non obſcurè nos docet Spiritum
„ Sanctum poſuiſſe *non unum ſed plures* Epiſcopos regere Actor. 20.
„ Eccleſiam Dei. Unus quidem eſt grex Chriſti, ſed plu-
„ res gregis hujus Paſtores ſunt, qui ſinguli unam hujus
„ gregis portionem paſcendam & regendam ſuſceperunt.

Et poſtea *pag.* 251. Immeritò verò heterodoxi, apo-
„ ſtolicæ Sedis hoſtes infenſiſſimi, ad ſe trahunt quod S.
„ Gregorius docet, *œcumenici* nomen ne Romano quidem
„ Pontifici concedi poſſe, cujus primatum & ampliſſimam
„ in omnis Eccleſiæ juriſdictionem hac ſententia pulſari
„ contendunt. Sic ex ſancti viri modeſtia & humilitate
„ fragrantibus illis floribus non mel ut apes, ſed venenum
„ conficiunt ut araneæ. At non attendunt *œcumenicum* eo
„ ſenſu quo S. Gregorius vocem hanc interpretatur, ſigni-
„ ficare unicum in tota Eccleſia Epiſcopum, quod ultra fa-
„ temur Papæ non congruere, & ad ſupremam ejus di-
„ gnitatem ac poteſtatem minimè convenire. Cæcutiunt
„ autem qui non vident Gregorium ipſum de ſe ſuaque
„ *auctoritate* (hoc vocabulum ſupremo ejus juri meliùs
„ convenire exiſtimamus, quam illud *juriſdictionis*. Vid.
„ Cap. V. §. 4. n. 9.) tam modeſtè ſentientem, juriſdi-
„ ctionem tamen in tota Eccleſia exercuiſſe liquet. Adde
Cap. VII. §. 1. n. 6.

[5] S. LEONIS M. Epiſtolæ 26. hæc præponitur epigra-
phe: *Cæſari Theodoſio religioſiſſimo & piiſſimo Auguſto, Leo Papa Eccleſiæ CATHOLICÆ Urbis Romæ.* Sanctus hic Pontifex, qui alias ſimplici hac appellatione: *Leo Epiſcopus*; vel iſtà: *Epiſcopus Urbis Romæ* contentus eſt, nihil aliud extraordinaria illa inſcriptione deſignat, quam *Catholicæ communionis Epiſcopus*, ut loquitur Epiphanius Hæreſ. XLII. Eadem ratione eodemque ſenſu, quibus de Aurelio Carthaginenſi, Auguſtino & Fortunatiano Epiſcopis Africanis, in Carthaginenſi Collatione cum Donatiſtis ità ſcribitur: *Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ: Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ: Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit*: ſcilicet ut ſe ſe hac formula ab Hæreticorum conventiculis & communione ſecernerent. Creduntur huic appellationi occaſionem primi dediſſe Donatiſtæ, qui Eccleſiam in parte collocabant: quibus *Catholicæ Eccleſiæ* nomen

men opponunt Eccleſiæ per orbem diffuſæ aſſertores Epiſcopi.

§. XII.

In primævo ſtatu, in quo Primatus octo ſæculis præſtitit, bono Unitatis optimè proſpectum fuit.

Verum, inquient Romani; Si ſummo Pontificatui ex natura Primatus & Jure divino non adhæreat jus proprium & *abſolutum* in rebus ſacris, præſertim fidei, decidendi, ſtatuendi, & imperandi, non erit à Deo ſatis proſpectum bono ſuæ Eccleſiæ & ſecuritati fidei: interim dum judicium univerſalis Eccleſiæ exſpectatur, hæreſeos malum ſerpet latius, quiſque facilè inveniet prætextum licentiæ ad vilipendendum decreta primæ Sedis, & in incerto fluctuabit Religio. At minimè exiſtimamus, in ſententia noſtra (quæ eſt eadem cum ſententia Patrum, & conformis ſyſtemati florentiſſimorum Eccleſiæ ſæculorum) minùs conſultum ſtabilitati fidei, quam finaliter reducimus ad hunc Apoſtolici Symboli articulum: *Credo in Spiritum Sanctum SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM*. Quis exiſtimabit, à veris Chriſtianis, qui ſe *corde* & *ore* Eccleſiæ filios agnoſcunt, & ſubditos profitentur, decreta etiam particularium Synodorum, & Summorum Pontificum facilè contemnenda? Non ignoramus, plurimas hæreſes ſola Romanorum Pontificum auctoritate, nullo interveniente Concilio, damnatas & ſupreſſas eſſe. Sed, quis unquam ſuſtinuit, à ſolis œcumenicis Conciliis hæreſes damnari & profligari poſſe? Ad extremum hoc remedium tunc demum recurrendum eſt, ſi difficultas aut hæreſis tolli non poſſit intermediis judiciis Epiſcoporum, Conciliorum diœceſanorum & provincialium, demum Romanorum Pontificum, quibus omnibus pro re nata competit de rebus fidei judicium, quanquam non ultimatum & irrefragabile.

(1) Neque ſic (quod fortè quis nobis malè affinget) arma privatis ſuppeditamus *ad reſiſtendum* Romano Pontifici,

 legi-

legitimo Eccleſiæ Capiti à Chriſto conſtituto . Quando , per quos , & quomodo ad Eccleſiam , id eſt , ad generale Concilium , à Papa recurri poſſit , dicemus alibi ; uti & quæ media interim adverſus irrumpentes hæreſes adhibenda ſint . Vid. *Cap. VI.* §. 8. Cæterum nemo dubitat , quin reſiſtentia poſſit eſſe legitima . Hoc certè putavit Bellarminus , dum *Lib. IV. de Rom. Pont. Cap.* 7. *Opp. Tom. I. col.* 817. *Lit. C. edit. Col.* docet , S. Cyprianum Stephano Papæ (qui tamen vera bonaque ordinaverat) propter repugnans dictamen conſcientiæ obedire non debuiſſe .

(2) Quid ſi integrum Regnum aut Reſpublica , magna Provincia , & plures Epiſcopi prudentes & pii , rationabiliter credant , extare caſum , de quo in Decreto Gratiani *Cauſ. XXV. Quæſt.* 1. *Can.* 6. memorat URBANUS I. nimirum : *Si quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ , Romanus Pontifex deſtruere (quod abſit) niteretur ? Non ſententiam dare , ſed magis ERRARE convinceretur . Sed hoc procul abſit ab eis , qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt ?* Reſiſtere *legitimæ* Poteſtati gravis noxa eſt , & quovis ſuplicio vindicanda . Reſiſtere ei , qui auctoritatem uſurpat , quam nec à Deo obtinuit , nec ab hominibus , ſæpe excuſationem meretur . Sed de hoc plura alibi , & ex inſtituto , præſertim *Cap. IX.* §. 9.

(3) Quamdiu continebatur Auctoritas Romani Pontificis intra fines Petro præſcriptos , & primis octo ſæculis obſervatos tollebantur omnes hæreſes per media Eccleſiæ connata ; neque illarum ulla remanſit . Poſtquam autem eadem Auctoritas in Monarchiam excrevit , prudentiſſimè ambigitur , an , quoad illa in hoc ſtatu permanſerit , exſpectari poſſit funeſtiſſimi ſchiſmatis , quo Eccleſia ultra duo ſæcula premitur , exitus . Vid. infrà *Cap. VIII.* §. 7. Poſt hæc judicet quiſque bonus & æquus , quo ſyſtemate (abſtrahendo etiam ab omni vero Jure & antiquâ Diſciplinâ) bono Unitatis melius conſultum ſit .

(4)

(4) Finaliter Syſtema noſtrum, ab Eccleſia agnitum, tot ſæculis ſanctè ſervatum, nec ulli ſæcularium Poteſtatum præjudicium aut inquietudinem generans: Syſtema, in quo omnes hæreſes feliciter ſuppreſſæ ac ſublatæ, leges diſciplinares incomparabiliter melius ſervatæ ſunt, ad hæc capita reducitur: Incumbit Petri ſucceſſori ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Ideo ex omnibus provinciis ad eum referenda ſunt quæ ad communem Eccleſiæ ſtatum pertinent. Ad ipſum tanquam ad Centrum omnia concurrunt, quo ſervetur unitas fidei, puritas morum, Hierarchia eccleſiaſtica, ritus ſubſtantiales Sacramentorum &c. Ad eum pertinet cura & defenſio Canonum à generalibus Conciliis ſancitorum, aut alias ab Eccleſia acceptatorum. Hunc in finem inſtruit, hortatur, arguit. Adverſus refractarios utitur mediis per Canones præſcriptis. Demum ſuam & Eccleſiæ communionem negat, à qua ſimilis aliarum Eccleſiarum communio & reſpectivè excommunicatio ut plurimùm dependent. Scribit etiam ad Epiſcopos provinciæ, ut Collegam ſcandaloſum aut hæreticum deponant. Suborto in cauſa fidei dubio, priusquam aliquid definiat, & toti Eccleſiæ credendum proponat, Epiſcoporum ſententias rogat, colligit, ponderat. Quòd ſi ne ſic quidem omnium Eccleſiarum expectationi ſatisfactum appareat, ſed earum plures atque inſignes reclament, Univerſalem Synodum congregat, eique, ſalvo ſuo præſidio, liberum cauſæ examen, cognitionem, & deciſionem permittit. Neque aliter procedit in negotiis Diſciplinæ, quatenus hæc univerſam Eccleſiam poſſunt afficere, nam & in his jus habet legem communem proponendi, cujus vigor ab acceptatione & publicatione dependet. Cæterum non invadit ordinaria Epiſcoporum jura, neque ea ſibi privativè arrogat, quæ Chriſtus in perſona Apoſtolorum omnibus Epiſcopis attribuit, quibuſque hi ab origine Eccleſiæ quietè uſi ſunt. Minus paſtorali eorum pedo & inſpectioni ſubducit oves ex Domini inſtituto & Eccleſiæ ordinatione in-

de

de â diœceſium diviſione Epiſcoporum ſollicitudini creditas. Cùm ex conſtituto ſanctiſſimorum Canonum ab Univerſali Eccleſia ſancitorum omnes cauſæ Eccleſiaſticæ intra provinciam judicandæ & terminandæ ſint, ipſe eorundem Canonum primus cuſtos & vindex, illorum vim & auctoritatem non enervat. Et ſi ob ſpeciales rationes Patres permiſerunt, ut Epiſcopus à ſuis Collegis vexatus, Primæ Sedis auctoritatem inclamare poſſit, eo fine, ut Pontifex diſpiciat, num fortè judicium in provincia, aſſumptis è vicinia pluribus judicibus, addito etiam his, quatenus viſum Apoſtolico Legato, renovandum ſit, non ideo ipſius cauſæ plenam cognitionem ac deciſionem trahit ad ſuam Sedem; minus eo prætextu omnibus liberam facultatem tribuit, in quibuſcunque cauſis ad Romanam Curiam appellandi.

(5) Eruditis non eſt incognitum, in quo doctiſſimus Cardinalis Perronius ſubſtantiam ſacris Primatus noſtri collocaverit, Epiſtolà ad Caſaubonum ſcripta, quæ cernitur in capite ejus *Replicæ ad Regem magnæ Britanniæ*, qui liber cùm mihi modò ad manum non ſit, nihilominus tranſumptum Epiſtolæ, gallico idiomate, ex alio Opere huc referendum putavi. Eſt autem tale: " L' Egliſe Romaine „ eſt le centre & la racine de l'unité épiſcopale, & de la „ communion eccléſiaſtique; & l'antiquité lui a perpé„ tuellement déféré la primauté & la ſuprême inten„ dance ſur toutes les choſes religieuſes & Eccleſia„ ſtiques: & *c' eſt la ſeule choſe* que l' egliſe exige „ comme un article de foi de la confeſſion de ceux qui „ entrent dans ſa communion, afin de diſcerner la ſo„ cieté de celle des Grecs & autres complices de leur „ ſecte, qui ſe ſont ſéparés depuis quelques ſiécles du „ chef viſible de l'égliſe.

(6) Poſtquam toto Capite I. egimus de ſtatu & forma Eccleſiæ, Capite verò II. de ſingulis partibus tractavimus, quas in ſacro regimine tenet Eccleſiæ Caput Romanus Pontifex, ex-

exſpectabit haud dubiè Lector, ut nunc accuratè definiamus, quæ in hac *Civitate Dei* (ſic eam S. Auguſtinus vocat) dicenda ſit vigere regiminis formula. Quiſquis à nobis hoc interrogat, non ſuccenſeat ſi ei reſpondeamus cum viro; ſacris quidem Proteſtantium addicto, ſed docto & rerum politicarum cum primis perito, atque in hac parte vera tradente: *In Eccleſiis formandis non opus eſt decreto ſuper certa regiminis forma introducenda; abſurdæque adeo ſunt quæſtiones, monarchica, ariſtocratica, an democratica forma competat Eccleſiæ. Hæ quippe formæ cadunt in Statum aliquem ſeu Civitatem: Eccleſia autem Status non eſt.* Ita Samnel à Puſendorf in Libello de Habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem §. 32. pag. 139.

CAPUT

CAPUT III.

De incrementis Jurium Primatus Romani, illorumque anſis, tum Fortuitis & Innocuis tum ſontibus.

§. I.

Epiſcopatus in Eccleſia unus eſt, & omnibus Epiſcopis certo modo communis.

DIximus ſuprà *Cap. I. §. 6.* & ex Patrum ſententia probavimus, Claves à Chriſto non uni Apoſtolo, ſed Corpori Eccleſiæ datas eſſe, primariò gerendas per Apoſtolos, quibus omnibus & ſingulis Dominus eas tradidit immediatè, ita ut quilibet horum æqualem in eis partem habuiſſe credatur, non quidem quoad externum & politicum regimen, ſed primam & eſſentialem religionis partem Chriſtianæ videlicet fidei ſeu doctrinæ propagationem & conſervationem. Hoc ſenſu S. CHRYSOSTOMUS Homil. XVII. in illud: *Salutate Priſcillam*. T. V. pag. 217. edit. Francof. S. Paulum totum mundum ſuæ curæ commiſſum habuiſſe, aſſerit, his verbis: *Primum eſt, ut Pauli virtutem admiremur, quod cum illi totius orbis terrarum eſſet cura commiſſa, & terram, mare, cunctaſque civitates, quæ ſub cælo ſunt, & barbaros & græcos, & tot populos ſecum circumferret, adeo de viro uno, deque una muliere ſollicitus eſſet*: Et paulò poſt: *Jam enim Præſules Eccleſiarum id agere nihil ſanè mirum, cum & tumultus illi ſedati ſint, & unius civitatis tantum curam ſuſceperint: tum verò non periculorum tantum magni-*

tudo,

tudo, ſed & itineris intercapedo, & multitudo curarum & continui fluctus, quodque non ſemper apud omnes aſſiduè moraretur, poterant etiam caros à memoria excutere. Eadem ratione idem S. Doctor *Homil. VI. adverſus Judæos Tom. I. pag.* 480. Timotheum *univerſi orbis Epiſcopum* nuncupat. Hoc jus, hæc obligatio, diviſis diœceſibus, non ceſſavit in Epiſcopis, Apoſtolorum Succeſſoribus. Si quando periculum eſſet, ne fides vel hæreſi ſubverteretur, vel vexationibus deſtrueretur, nullus erat Epiſcoporum, qui non exiſtimaret, ſuarum partium eſſe, ut manum admoveat, & pro quavis alia non minus, quam pro propria ſua diœceſi laboret. Diœceſes ad bonum ordinem tempore pacis conſervandum ſpectabant: Fides autem res univerſalis erat, quæ cum oppugnaretur, univerſus orbis una tantum diœceſis, & tota Eccleſia unus grex habebatur.

(1) De hac doctrina nemo dubitabit, quiſquis mentem Patrum ſollicitè voluerit indagare. Ex his S. AUGUSTINUS Lib. I. contra duas Epiſt. Pelag. Cap. I. ad Bonifacium Rom. Pontificem ſic ſcribit: *Communis eſt nobis omnibus, qui fungimur Epiſcopatus officio* [*quamvis ipſe in eo celſiore faſtigio præemineas*] *ſpecula paſtoralis: Facio quod poſſum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adjuvantibus orationibus tuis dare dignatur, ut peſtilentibus & inſidiantibus eorum ſcriptis medentia & munientia ſcripta prætendam &c.* S. CYPRIANUS Epiſt. 68. al. 67. ad Stephan. de ſui temporis conſuetudine loquens, *Copioſum*, inquit, *Corpus eſt Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex Collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri . . . . . Nam etſi Paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus*. Eodem ſenſu GREGORIUS NAZIANZENUS Orat. XVIII. in laud. Cypr. pag. 281. de S. Cypriano dicit, *quid EPISCOPUS UNIVERSALIS fuerit; quod non Carthaginenſi tantùm Eccleſiæ, nec Africæ, verùm Oc-*

 ciduis

ciduis omnibus regionibus, ac prope etiam Orientali omni, atque Auſtrali, & Septentrionali oræ præfectus fuit. Nec aliter de S. Athanaſio loquitur, dum Orat. XXI. pag. 377. ait, quod *cum Alexandrino populo præfectus fuerit, idem ſit, ac ſi univerſo terrarum orbi præfectus fuiſſet*. Hoc ipſum cum BASILII congruit obſervatione, quam de eodem S. Athanaſio habet Epiſt. 52. ad Athanaſ. Tom III. edit. Pariſ. an. 1636. pag. 79. nimirum: *Tantam geris omnium Eccleſiarum curam, quantam ejus, quæ tibi peculiariter à Domino noſtro concredita eſt*. Demum, ut plura alia prætermittamus, SYMMACUS Papa in Epiſt. ad Æonium Arelat.. *Dum ad Trinitatis inſtar, cui una eſt atque individua poteſtas, unum ſit per diverſos Antiſtites Sacerdotium, quomodo priorum Statuta à ſequentibus convenit violari?*

(2) Inde nata pervulgata illa apud Cyprianum notio de *uno* tantùm in Eccleſia *Epiſcopatu*, in quo quilibet Epiſcopus æqualem univerſi curam ſuſtineat. Verba S. CYPRIANI Epiſt. VII. de Unitate Eccleſiæ ſunt: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Hujus Cyprianæ Epiſtolæ ſumma refertur à Gratiano *Cauſ. XXIV. Quæſt* 1. *Can.* 18. Sententiam Cypriani ſequuntur præſtantiſſimi Theologi & Canoniſtæ, Thomaſinus *Part. I. Lib.* 1. *Cap.* 4. *n.* 6. & 8. Petrus de Marca de *Concord. Sac. & Imp. Lib. I. Cap.* 2. *n.* 4. Tournelius *Tom. II. Curſus Theologici Tract. de Eccleſia pag.* 146. *edit. Colon.* Hericourt *Tr. de Legibus Eccleſ. pag.* 16. & Alii. Sicut autem docuit Cyprianus *unum* à multis geri Epiſcopatum, ita S. LEO M. Epiſt. XII. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Cap. II. agnovit *communem* inter omnes Epiſcopos dignitatem, & Epiſt. IV. ad Eundem Cap. 1. nec non Epiſt. V. ad Metropolitanos per Illiricum Cap. 2. fraternum omnium Epiſcoporum *Collegium*.

(3) Ne quis autem S. Cyprianum, illuſtriſſimum Doctorem, calumnietur, ac ſi verbis ludat in re maximè gravi, geſtis ſan-

ſanctiſſimorum virorum , & praxi Eccleſiæ ejus ſententiam firmabimus . Magnum ATHANASIUM , ab exilio reducem , ne Eccleſia ab Arianiſmo obrueretur , in variis civitatibus , quas peragrabat , etiamſi ad ejus diœceſin , minimè pertinerent , non dubitaſſe plures ad ſacros Ordines evehere , refert Socrates *Hiſt. Eccleſ. Lib. II. Cap.* 24. Idem fecit celebris ille EUSEBIUS SAMOSATENSIS tempore perſecutionis Arianæ ſub Valente : *Qui cum multas Eccleſias Paſtoribus carere didiciſſet , militari habitu indutus , & tiara capiti impoſita , Syriam , Phœniciam , & Paleſtinam peragravit , Preſbiteros ordinans & Diaconos , alioſque ſufficiens Ordines Eccleſiaſticos . Quod ſi quando doctrinæ conſentientes Epiſcopos inveniſſet , etiam Pontifices carentibus Eccleſiis præfecit* . Ita de eo Theodoretus Lib. IV . Cap. 12. De eodem Euſebio idem Theodoretus Lib. V. Cap. 4. : *Magnus Euſebius ab exilio reverſus Acacium , cujus celebris eſt fama , Berœæ ordinavit Epiſcopum ; Hierapoli verò Theodorum . . . . . Chalcidis porrò Euſebium , & Cyri noſtræ Iſidorum . . . . Sed & Eulogium . . . . . . ab eodem ferunt Edeſſæ Paſtorem fuiſſe ordinatum . . . . Poſtremum omnium Marim divinus Euſebius Dolichiæ creavit Epiſcopum* . Cum EPIPHANIUS ſimili in caſu Paulinianum , fratrem S. Hieronymi , primò quidem Diaconum , deinde Preſbiterum in quodam monaſterio , extra ipſius diœceſin in Paleſtina ſito , ordinaſſet , hoc ille ſe jure egiſſe defendit , quod in caſu neceſſitatis quilibet Epiſcopus in qualibet totius Eccleſiæ parte offitio ſuo fungi queat : *Nam etſi* , ait , *ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias , quibus curam videntur impendere , & nemo ſuper alienam menſuram extenditur ; tamen præponitur omnibus caritas Chriſti , in qua nulla ſimulatio eſt : nec conſiderandum , quid factum ſit , ſed quo tempore , & quo modo , & in quibus , & quare factum ſit* . Ita poteſtatis & juris ſui Epiſcopalis exercitium in aliena Diœceſi defendit EPIPHANIUS ad Joann. Hieroſolymit. Tom. II. Opp. pag. 312. b. In Arii Alexandrini cauſa OSIUS Cordubenſis , Hiſpanus , judex & ar-

arbiter ſedet in Synodo Alexandrina . ATHANASIUS, in Tyria ab Orientalibus damnatus, ab Occidentalibus in Sardicenſi abſolvitur. CHRYSOSTOMI curam pro converſione hæreticorum & idololatrarum, ad omnes homines & ad plures provincias ſe ſe extendentem, latè enarrant Antverpienſes Hagiograghi *Tom. IV. Septemb. pag.* 526. *ſeqq. tot. §.* 41. *& pag.* 642. §. 73. Idem in Concilio Conſtantinopolitano Aſiaticorum Epiſcoporum, nihil ad ſe pertinentium, cauſam tractat; laboranti Epheſinæ Eccleſiæ ſuccurrit, & ordinato ibi Epiſcopo, Aſiæ Eccleſias reformat; unde non ſuam tantum, ſed & aliorum univerſas Eccleſias curaſſe dicitur. CYRILLUS Alexandrinus in Neſtorium inſurexit. Petrum Mongum Alexandrinum Præſulem damnavit ACACIUS Conſtantinopolitanus. Et quæ ſunt innumera ejus generis alia, quorum nonnulla etiam videri poſſunt apud Remigium Cellier *Hiſt. des Auteurs Eccleſiaſtiques Tom. VII. pag.* 282. *& ſeq.*

[4] Hoc igitur ſenſu poteſtas Epiſcopi *Eugubienſis* tam latè ſe extendebat, quàm Epiſcopi *Romani*, & Epiſcopus *Rhegienſis* æque totius Eccleſiæ Epiſcopus erat, ac *Coſtantinopolitanus*; ex quo nullus officii Epiſcopalis actus ſit, quem non quisquis eorum, *exigente neceſſitate*, ſine ulla diſpenſatione, potuiſſet peragere: ſcilicet, uti jam diximus, in rebus ad fidem ſpectantibus, & quæ cum hac magis neceſſariam connexionem habent; qualis inter alia eſt obſervatio Canonum ſubſtantialium; quæ enim extra hæc ad ſolam Eccleſiaſticam politiam (quæ ſine præjudicio unitatis Eccleſiæ in diverſis diœceſibus diverſa eſſe poteſt) pertinent, in his nihil unquam erat, aut eſſe poteſt, aliis in aliorum diœceſibus commercii aut curæ, ſed ſuæ ſolius diœceſeos negotiis quemque intentum eſſe oportet.

(5) Denique egregiam illam & planè Apoſtolicam omnium Eccleſiarum ſollicitudinem non in remotiſſimis tantùm ſæculis intuemur in Cypriano, Chryſoſtomo, Ambroſio, aliiſque aureorum temporum Epiſcopis; ſed ne inter poſterioris

rioris etiam ævi Antiſtites defuêre, qui ſicuti hæredes erant officii & poteſtatis Apoſtolicorum illorum virorum, ita & eſſent zeli eorum imitatores? Vide inter alia Vitam Bartholomæi de Martyribus *Lib. II. Cap.* 2.

(6) Quamvis ſæpe haud levem zelum pro decore domus Dei ejuſque exaltatione in aliis quoque Dei ſervis, uti in Hieronymo, Bernardo &c. æque ac in Epiſcopis videamus; multum tamen abeſt, ut eadem ab illis, qualia ab his, aut poteſtate, aut auctoritate præſtita intelligamus. Certè non omnibus Presbiteris, ſed omnibus & ſolis Apoſtolis atque Epiſcopis dixit Chriſtus apud Marcum Cap. 16. *Euntes in mundum UNIVERSUM prædicate Evangelium OMNI CREATURÆ.* Et apud Matthæum Cap. 20. *Euntes docete OMNES GENTES.* Add. infra Cap. VII. §. 3.

§. II.

Non omnia, quæ Romani Pontifices in aliorum diœceſibus geſſêre, præciſe vi Univerſalis Primatus egiſſe, aut ſua auctoritate perfeciſſe cenſendi ſunt.

Si itaque Epiſcopatus omnium ita *pro indiviſo* communis exiſtit, ut, quantum ad ſubſtantialia fidei, etiam poſt diviſionem diœceſium quilibet Epiſcoporum in defectu aliorum eam fartam ſalvamque ſtatuere teneatur: multò magis, imò primariò, ſubſidiaria hæc cura tenebit Primatem; adeò, ut quæ hac in parte in quovis alio Epiſcopo levior fortaſſe culpa omiſſionis videri poſſet, ea in Capite longè gravior futura ſit, non ſolum *coram Deo*, ſed etiam *coram Corpore Eccleſiæ*, cui & ipſe Primas de gravi negligentia, in ſublimi munere admiſsa, reſpondere tenetur. Quare quæ Romanus Pontifex ſæpe legitur feciſſe extra fines ſuæ diœceſeos, provinciæ, quin & ſui patriarchatus, pro ſuſtinenda fide, pro reprimenda hæreſi, pro Canonum univerſalium manutentione & executione, (de quibus egimus *Cap. II.* §. 7.) ea ex prædictorum norma multum abſunt,

ſunt, ut in agente ſpecialiorem & propriè dictam *juriſdictionem* aut ſupponant, aut involvant. Interim facillimum eſt, ut hæc minus peritis, aut parum attentis fiant occaſio erroris, quo firmiter tenent, ſine ſuppoſità in agente *ordinaria* & *immediata* in omnibus diœceſibus juriſdictione, talia tractari haud potuiſſe.

(1) In quavis ſocietate ſingulis ejus membris jure naturali incumbit obligatio procurandi obſervationem legum communium. Quoniam verò in communibus his obligationibus idem evenire ſolet, quod in communi bonorum ſeu jurium poſſeſſione, ut ſcilicet hæc communiter negligantur; hinc convenit, ut in omni ſocietate unus præcipuè ferat onus, reliquis ex officio intendendi, & legum executionem urgendi. Juſtum eſt, ut qui hoc onere gravatur, reliquis præferatur honore, loci præeminentia, imò auctoritate dicendi. Hi ei honores attribuuntur, non tam ut laboris proemium, quam ut pondus addant admonitionibus illius, à quo procedunt.

(2) Hac ratione ſpecialior eſt obligatio Romani Pontificis, ceu Capitis Eccleſiæ, ſe ſe objiciendi irruentibus in eam erroribus & vitiis, tanquam à quo Eccleſia etiam neglectæ hac in parte ſtationis rationem poterit exigere. Hoc ſenſu intelligendum illud GREGORII: *Cunctos Chriſtianos, ubi peccant, Sedis Apoſtolicæ correctioni ſubjectos eſſe*. Adde Cap. V. §. 4. n. 9. v. *Ad primum*.

(3) Huc quoque pertinet jus illud Primæ Sedis in gravioribus Eccleſiæ negotiis præeundi, ſeu primam ſententiam promendi, etiam extra Concilium, quam deinde aliæ Eccleſiæ, ſive expreſſè, ſive tacitè, plerumque ſequuntur; in quo Eccleſiarum conſenſu ſeu conſpiratione negotii perfectio conſiſtit. De hoc egimus latiùs *Cap. II. §. 8.*

Atque hæc *PRIMA* anſa erroris, quo plura vel tanquam genuini effectus Primatus accipiuntur, quæ tamen per ſe omnibus Epiſcopis communia ſunt: vel à Primate quidem inchoantur, ſuam tamen vim & robur ab omnibus Eccleſiis obtinent.

§. III.

§. III.

Varia etiam præter vel contra ſtatuta Canonum in alienis diœceſibus acta leguntur, quæ in exemplum trahi non debent.

Nonnulla ex ſpeciali privilegio & prærogativa exercebantur, quæ ultra fines privilegii extendi non poſſunt.

ALTERA cautela eſt, ut non *à factis*, ſed *à Jure* normam in hac materia ſumamus. Negari equidem non poteſt, exſtare etiam exempla, quibus Romani Præſules majori libertate uſi, tantundem ferè auctoritatis & poteſtatis in alienis diœceſibus exercuerint, quantum proprii harum Ordinarii. At non debet de *genuina* Pontificum poteſtate judicari *ex illa*, quam exercuerunt eo tempore, quo hæc nullis credebatur circumſcripta limitibus; venit ea potius commenſuranda ex actis Conciliorum, ex ſententia Doctorum Eccleſiæ, ut plurimum etiam ex proprio Pontificum judicio, ſed illo, quod de ſuis juribus ferebant *ante tempora ignorantiæ*.

Multò minùs à particulari jure aut privilegio, etiam legitimo concludi poteſt aut debet ad jus univerſale. Exercuit Romanus Pontifex etiam in purioris Diſciplinæ ſæculis jus ad Clericatum ſive ad Ordines Sacros promovendi quorumcunque Epiſcoporum diœceſanos. Hoc jus etiam exprimitur & ſtabilitur in Decreto Gratiani *Cauſ. IX. Quæſt.* 3. *Can.* 20. & 21. item *Cauſ. XVI. Quæſt.* 1. *Can.* 31. Quid facilius iis, qui fundandæ Monarchiæ Eccleſiaſticæ totà mente incumbunt, quàm hoc interpretari & accipere tanquam effectum & fructum juris diœceſani univerſalis? Et tamen eò referri minimè debet; quandoquidem conſtat, ſimile jus intra fines ſui reſpectivè Primatus aut Patriarchatus competiiſſe Epiſcopo Carthaginenſi tanquam totius Africæ Proconſularis Primati, Patriarchæ Conſtantinopolitano, aliis item primariarum Sedium Epiſcopis; quibus certò nullum jus diœceſanum competiit in provinciis & Epiſcopatibus

ad

ad ſuum Primatum pertinentibus. Vide hæc egregiè deducentem Franciſcum Hallier *Tract. de ſacris Electionibus & Ordinationibus pag.* 650. *ſeqq.*

(1) Hodie non tam in facili eſt veros fines Romani Primatus & jurium ei annexorum determinare. Provenit hæc difficultas ex eo, quod recentiores Theologi & Canoniſtæ Gratiani & Iſidori aſſerta non ſatis diſtinxerint ab eo, quod circa eundem Primatum eſt *Juris Divini*, aut primævæ ac legitimæ inſtitutionis. Romæ & in locis huic Curiæ cum exceſſu addictis creditæ fuerunt Ultramontanorum prætenſiones eſſe antiquiſſimæ, Papamque *ſemper* uſum fuiſſe prærogativis ei ſeriùs attributis; ſicque Primatus, quatenus *ex Jure Divino* eſt, fuit confuſus cum novellis opinionibus & doctrinis, quæ ex multis ſingularibus juribus, partim veris, partim ſuppoſititiis, unum Syſtema, idque Monarchicum, conflantes, Pontifici per deductas inde conſequentias infinitam poteſtatem adjiciunt. Itaque ſi regimen Eccleſiaſticum ex & in vero ac genuino ſuo ſtatu æſtimare, atque in convenientem Deoque placitum ordinem velimus reponere, omnia providè diſſecanda, ſingulæque politici hujus ædificii partes ſeparatim ſpectandæ erunt, antequam ea in unum corpus coaleſcere, nobiſque vera cum falſis, apta cum ineptis in una mixtura repræſentari patiamur.

(2) Quod diximus de jure primariarum ſedium alienos Clericos ordinandi, non ſic accipiendum eſt, ac ſi earum Epiſcopis licitum liberumque fuiſſet aliorum diœceſanos ad ſervitium peregrinarum eccleſiarum deſtinare & conſecrare; ſed ſicuti nemo ordinabatur niſi ad officium certæ eccleſiæ quod nunc *beneficium* vocamus, ità Romano Pontifici, Primatibus, & Patriarchis ſolùm permittebatur præter vel contra communem regulam (de qua nos infrà *Cap. VII. §.* 3. *n.* 1.) ex alienis diœceſibus Clericos deligere, eoſque Patriarchalis ſeu Primatialis ſuæ Eccleſiæ (quam reliquarum formam eſſe, adeoque delectu Cleri præminere

dece-

decebat) miniſterio volentes adſcribere. Hæc multùm abſunt ab exercitio propriæ & ordinariæ juriſdictionis in alienis diœceſibus.

§. IV.

Antiqua ratio excommunicandi, ejuſque jus, non erant effectus juriſdictionis reſpectu excommunicati.

TERTIUM, quod ſub ſpecie vel opinione juriſdictionis univerſalis propriè dictæ in errorem facilè inducere poteſt, eſt modus communicandi & reſpectivè excommunicandi, inter Romanam & alias Eccleſias olim ſervatus. Communio illa Eccleſiarum duobus præcipuè modis innoteſcebat: Primò ex litteris communionis, quas ad ſe ſcribebant invicem. Secundò ex benigna ſuſceptione eorum, qui ab externis Eccleſiis veniebant, & conceſsà eis communione. Quoniam verò fieri vix poterat, ut ſingulæ Eccleſiæ mutuo ſibi commercio notæ eſſent, idcirco magnæ quædam Sedes eligebantur, per quas Eccleſiæ inter ſe communicabant. Sic Eccleſiæ Orientis cum Occidentalibus communicare cenſebantur, quando communicabant *Antiocheno* Patriarchæ, qui junctus erat communione cum *Romano*, cui ſpecialiori nexu adhærebant Occidentales. Ita etiam Ægyptii per *Alexandrinum* communicabant cum *Romano*; & Occidentales omnes cum Orientalibus & Ægyptiis itidem per *Romanum*, quem S. BASILIUS Epiſt. 239. propterea Occidentalium *Coriphæum* nominat. Verba S. Baſilii ſunt: *Ego ipſe circa communem formam ad eorum* (Occidentalium) *Coriphæum ſcribere volebam.* Hoc ſenſu *OPTATUS MILLEVITANUS*, ut ſe & ſuos cum omnibus univerſi orbis Eccleſiis communione junctos demonſtraret, ait, ſe ſuoſque cum Siricio Papa communicare, *cum quo*, inquit, *totus orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Eodem in negotio S. AUGUSTINUS Epiſt. 162. ait Cæcilianum *Romanæ Eccleſiæ & cæteris terris per litteras communicatorias eſſe conjunctum.* Nec aliter accipienda illa S. CYPRIANI Epiſt. 52. verba, ubi *ſcripſiſti etiam*, ait, *ut exemplum*

S *earum-*

earundem Litterarum ad Cornelium Rom. Pontificem *tranſmitterem, ut ſciret te ſecum, hoc eſt, cum catholica Eccleſia communicare*. Hoc pariter ſenſu ſcripſêre *PATRES CONCILII AQUILEJENSIS* anni 381. ad Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium A. A. A. apud Harduinum Collect. Concil. Tom. I. col. 837.: *Totius orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam fidem Apoſtolorum ne turbari ſineret, obſecranda fuit Clementia veſtra. Inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant*. Agebatur in hac Epiſtola de Urſino Antipapa, qui Romanam Eccleſiam turbare non ceſſabat. In alia mox ſequenti Epiſtola eorundem Patrum ad eoſdem Auguſtos ibid. col. 839. in negotio Paulini & Flaviani, de Antiochenæ urbis cathedrà contendentium: *petimus*, inquiunt, *Vos, clementiſſimi & Chriſtiani Principes, ut & Alexandriæ Sacerdotum Catholicorum omnium Concilium fieri cenſeatis, qui inter ſe plenius tractent atque definiant, quibus impertienda communio, quibuſque neganda ſit. Nam etſi Alexandrinæ Eccleſiæ ſemper diſpoſitionem ordinemque tenuerimus, & juxta morem conſuetudinemque majorum ejus communionem indiſſolubili ſocietate ſervemus: tamen ne aut aliqui videantur eſſe poſthabiti, qui & pacto, quod ſtare volumus, communionem noſtram rogarunt, aut ullius pacis & ſocietatis fidelium neglecta compendia; id obſecramus, ut cum inter ſe cætu pleniore tractaverint, etiam auxilia decretis Sacerdotalibus Veſtræ Pietatis aſpirent, & nobis deferri ad notitiam cenſeatis, ne titubanti nutemur affectu &c.* Sic Romana Eccleſia erat quidem *punctum* in quo, & per quod reliquæ Eccleſiæ inter ſe communicabant; ſe vel ipſa hæc communionis jura & communicandi modi regebantur Regulis, non à *Romana*, ſed ab *Univerſali* Eccleſia dictatis. Vid. Epiſtolam Concilii Africani ad Cæleſtinum Papam an. 425. apud Couſtantium *col.* 1060. *n.* 2. nec non *col.* 1062. *n.* 5. ibique *not.* 9. Huic Eccleſiarum *Communioni* oppoſita eſt earundem *Excommunicatio*. Cùm enim quædam Eccleſiæ, aut ejus Epiſcopus in doctrina vel diſciplina alterius Eccleſiæ, ejuſve Epiſcopi perverſum quid eſſe arbitrabatur, tunc Nuntium ejus communioni mittebat vel datis litteris, vel rejectis a ſua communione iis, qui inde veniebant. Hac ratione

ne Eccleſia Romana , quæ propter Primatum ſui Antiſtitis eſt *Centrum unitatis* , cujusque Epiſcopus cæterorum omnium *Caput* conſtitutus eſt , ut ſchiſmatis tollatur occaſio , alias Eccleſias ſæpe excommunicabat : ſcilicet, ut quiſquis alius Epiſcopus Epiſcopum , aut Eccleſiam , ſive vicinam , ſive longiſſimè diſſitam, abſque ulla juriſdictionis ſpecie , vel umbra .

(1) Multa percurrentibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam obveniunt hujus excommunicationis exempla . (*a*) S. CYRILLUS Alexandrinus in Epiſtola ad Cæleſtinum Papam Parte I. Concilii Epheſini Cap. XIV. in Collectione Labbæi hiſce ſanctum Pontificem alloquitur : *Non priùs autem illius* (Neſtorii) *communionem palam aperteque deſerimus , quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus . Digneris proinde , quid hìc ſentias , præſcribere ; quo liquidò nobis conſtet , communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè ei denuntiare, neminem cum eo communicare , qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat . Porro tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia , piiſſimis Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis , nec non totius Orientis Antiſtitibus perſpicuè per litteras exponi debet . Nam cupientibus illis anſam dabimus , ut omnes uno animo in una ſententia perſiſtant , rectæque fidei , quæ jam impugnatur , opem ferant* . Cæterùm ultimatum de fide Neſtorii judicium demum ab Epheſina Synodo prolatum eſt . (*b*) S. EPIPHANIUS Hæreſi LXVIII. quæ eſt Melitianorum , num. 8. *Id quod* , ait , *Urſatii & Valentis confeſſione poſtea declaratum eſt , cum pœnitentia ducti Julio Romano Pontifici libellos obtulerunt , quibus errorem ſuum deprecabantur . Calumniam , inquiebant , contra Papam Athanaſium ſtruximus : tu verò ad communionem & pœnitentiam nos admitte* . [*c*] S. CHRYSOSTOMUS , poſtquam accepit latam in ſe à Theophilo Alexandrino & à Synodo ad Quercum exauctorationis ſententiam , confugit ad Innocentium I. his ad ipſum verbis ſcribens : *Obſecro , ut ſcribas, quòd hæc tam iniquè facta , & ab una ſolùm parte , abſentibus nobis , & non declinanti-*

bus

bus judicium, non habent robur, ſicut neque ſua natura habent: illi autem, qui adeo iniquè egiſſe deprehenſi ſunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei ſumus, litteris veſtris & charitate veſtra aliorumque omnium, quorum ſcilicet & antea ſocietate fruebamur, frui concedite. Vide infrà *Cap. V.* §. 8. *n.* 2. ubi etiam de excommunicatione Occidentalium adverſus Orientales, qui eis ſubjecti non erant. Pertinent hæc primariò ad communionem cum Romano Pontifice, & reſpectivè excomunicationem, de qua hìc tractamus. Porro ſimilia eadem occaſione S. Joannes Chryſoſtomus petiit à Venerio Mediolanenſi, & Chromatio Aquilejenſi.

(2) Attamen ſi Romanus Pontifex ſine legitima cauſa excommunicationem ferret, totaque Eccleſia aut magna ejus pars judicaret, eam decerni non debuiſſe, tunc excommunicatus ab illo pro ſchiſmatico habendus minimè eſſet, dummodo animum retineret ſervandæ cum eodem Pontifice, tanquam Primate, unitatis, & ad recuperendam ejus communionem totis viribus allaboraret. Hinc nemo Cyprianum & Africanos Antiſtites, licet à communione Stephani Papæ vel actu pulſos, vel jam jam pellendos, ab Eccleſia alienos eſſe, aut futuros fuiſſe, pronuntiabit. Idem eſt de Firmiliano, Meletio, Cyrillo & aliis Orientalibus. Sed de his ampliùs tractabimus infrà *Cap. 6.* §. 9. nec non *Cap. IX.* §. 7. Cæterùm nemo ignorat, validitatem & effectum Excommunicationis *Juris* ſive *Canonis* dependere à validitate & obligatione legis. Vid. Suarez *de Cenſuris Diſput.* 4. *Sect.* 6. *n.* 4.

(3) Hæc hactenus de excommunicatione reſpectu non ſubditi. Quantum autem ad eam, quæ à particulari aliqua Eccleſia ejuſve Epiſcopo in ſibi ſubjectum ſeu proprium ſuum diœceſanum fertur, ejus effectus nihilominus ex Canonum diſpoſitione ſe ſe ad univerſam extendit Eccleſiam, ita ut á ſuo Epiſcopo excommunicatus ab alio recipi non debeat.

Sic

Sic ſtatuunt Canones Apoſtolici 12. & 33. Conc. Nicæn. *Can.* 5. Concil. Sardic. *Can.* 16. Concil. Elvirian. *Can.* 53. &c. Hujus Diſciplinæ illuſtre exemplum dedit Eccleſia Romana (quæ non minùs his Canonibus tenetur, quam aliæ) in Marcione, qui ab Epiſcopo eodemque parente ſuo excommunicatus Romam confugit, ſperans ſe ibidem in communionem recipiendum; ſed reſpondit ei ejuſdem Urbis Clerus apud EPIPHANIUM Hæreſ. 42. : *Nobis injuſſu venerandi patris tui facere iſtud non licet; una ſiquidem fides eſt, & una animorum conſenſio*. Eâdem ratione SIRICIUS Papa Epiſtola X. ad Gallos Epiſcopos n. 19. apud Couſtantium pag. 699. *aut removeantur quibus indignè ordo collatus eſt, aut ad nos nomina eorum deferantur; ut ſciamus à quibus nos abſtinere debeamus*. Hoc dedit anſam viris eruditis ſuſtinendi, quod Papa, & quilibet Epiſcopus legitimè excommunicans, id nomine & vice *totius Eccleſiæ* agat. Sic Almainus *de Auctorit. Eccleſ. Cap. VIII. Reſp. ad 3. arg. Tom. II. Gerſon. col.* 997.
„ Epiſcopus particularis non ſolùm gerit vices ſuæ diæceſis in ordine ad populum ſibi commiſſum; ſed etiam totius Eccleſiæ univerſalis in ordine ad eundem populum; alias non poſſet aliquem *ſimpliciter* excommunicare, ut bene arguit Scotus in IV.

§. V.

Qualitas Sedis PATRIARCHALIS, Romæ adhærens, ſæpe cum Univerſali Primatu miſcetur, & errores generat.

QUARTO loco ad devitanda *æquivoca* minimè prætermittenda in Romano Pontifice qualitas *Patriarchæ*, quam per Occidentem exercebat ſuper tot Metropoles, antiquitate, urbium celebritate, dignitate Sedium, nec non Sanctitate primorum Epiſcoporum illuſtres; quarum fides, uti jam dictum, æſtimabatur ex illa *Patriarchæ*, ad quem eæ referebant; adeo, ut non ab

ab *Occidentalibus* ſolùm haberentur Romanorum Pontificum decreta fidei pro orthodoxis, ſed & ab *Orientalibus* reputarentur tanquam declarationes *totius Occidentis*. Eo ſenſu S. AUGUSTINUS ſcribens adverſus Julianum, & S. HIERONYMUS contra Vigilantium, provocant ad auctoritatem Præſulis Romani, cujus ſententiam tanquam judicium totius Eccleſiæ Occidentalis proponunt. Eodem pariter animo INNOCENTIUS PP. II. voluit decreto Romanæ Sedis reverentiam haberi, utpote munito omnium Eccleſiarum Occidentis, quibus præſidebat, ſuffragio.

GRATIANUS agens *Diſt. XXII.* de Eccleſiis, quæ inter *Majores* habendæ ſunt, *Can. 6.* refert Canonem 36. Concilii Conſtantinopolitani II. vulgò *in Trullo* his verbis: " Renovantes Sancti Conſtantinopolitani decreta Concilii, petimus, ut Conſtantinopolitana Sedes ſimilia privilegia, quæ *inferior Roma* habet, accipiat, non tamen in eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa: ſed hæc ſecunda poſt illam exiſtens, prius, quàm Alexandrina Sedes, numeretur, dein Antiochena, & poſt eam Hieroſolymitana. " Legitur in hoc Trullano Canone per Gratianum *inferior Roma*, pro *ſenior Roma*. Itaque tum ſecundum hunc Canonem, tum juxta Novellam Juſtiniani 123. *quinque* numerantur & revera ſunt per univerſam Eccleſiam *Patriarchæ*, ſcilicet *Romanus*, *Conſtantinopolitanus*, *Alexandrinus*; *Antiochenus* & *Hieroſolymitanus*. Romana Sedes in Can. 21. Concilii VIII. ſub Adriano II. habiti anno 869. relato eadem *Diſt. XXII. Can.* 7. adhuc expreſsè recenſetur inter Patriarchales. Interim Canoniſtæ ſenſim Romanum Pontificem è numero & ordine Patriarcharum expunxerunt, atque ita horum tantum quatuor numerarunt: quos tandem ſecutus eſt INNOCENTIUS III. in *Cap.* 23. *X. de Privilegiis*, ubi antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovans, *quatuor* duntaxat expreſſit tanquam Patriarchales, Romanam inter eas nequaquam reponens, ſed de hac dicens: *Quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum*, *utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra*. Itaque mirum videri

non

non debet, ſi abolito tandem Romani *Patriarchatus* titulo & jure, omnia olim in *Occidente*, id eſt intra fines *Romani Patriarchatus*, à Romanis Præſulibus geſta, deinceps habita fuerint quaſi acta *jure Univerſalis Primatus*, qui in divina inſtitutione ſuum habet fundamentum,

(1) Notus eſt Canon XXVIII. Concilii Chalcedonenſis: *Antiquæ Romæ throno, quod Urbs illa imperaret, Patres haud immeritò privilegia tribuerunt; & eadem conſideratione moti* 150. *Dei amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes &c.* Fuit hic Canon ſcopulus, ad quem Proteſtantes alliſerunt. Videntes hi ex hoc Canone, Romanis Pontificibus certa quædam privilegia à Patribus conceſſa, exiſtimarunt, his privilegiis *Primatum ipſum* contineri, proinde hunc non eſſe *juris Divini*, ſed humanæ conceſſionis. Provenit ille error ex malè intellecto Canone, in quo non agitur de *Primatu* Papæ, ſed de jure ejus *Patriarchali*, uti ſolidè demonſtrat Du Pin *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplinà Diſſert. I.* §. 11.

(2) Utcunque autem extenſa ſint *Patriarchatus Occidentalis* privilegia, uti & aliorum Patriarcharum jura, certum eſt, eos eſſe *humanæ inſtitutionis*, hancque dignitatem Romano Epiſcopo obveniſſe *ſine præjudicio*, aut alteratione illius, quam ferebat tanquam Caput Eccleſiæ *ex jure Divino*. Tantum autem abeſt, ut officium Patriarchæ jura dignitati & muneri Epiſcopali propria minueret, ut illud potius ad horum tutelam inſtitutum noſcatur. Neque tamen negandum, quod ſucceſſu temporis confuſa fuerint utriuſque officii jura, multaque exiſtimata à *Primo univerſalis Eccleſiæ Epiſcopo* facta, quæ reapſe *Patriarcha Occidentis* geſſerat.

(3) Damus hujus æquivoci exemplum, ex pluribus unum, idque cæteris extantius: Variæ Spuriæ Decretales, à nobis alibi referendæ, Romano Pontifici tribuunt *plenitudinem poteſtatis*, dum interim reliquos Epiſcopos tantum in

partem

partem ſollicitudinis vocatos eſſe volunt. Poſſent illæ fundamentum videri habere in Epiſtola XII. S. LEONIS Papæ apud Gratianum Cauſ. III. Quæſt. 6. Can. 8. in qua ſuo per Illiricum Vicario, Theſſalonicenſi Epiſcopo, in fine ſcribit: *Vices noſtras ita tuæ credidimus Charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Verùm agitur hìc apertè de poteſtate *Patriarchali*, quam eo tempore, id eſt, ſæculo V., Romanus Pontifex per Illiricum obtinuit, uti obſervat, & pluribus probat Petrus de Marca *de C. S. & I. Lib. V. Cap.* 26. Itaque non loquitur LEO P. de *poteſtatis plenitudine*, quaſi ex Chriſti ordinatione hanc per *omnes* Eccleſias *ſolus* habeat Romanus Epiſcopus, cæteri verò per orbem Antiſtites ab eo tantum vocati ſint in *partem ſollicitudinis*. Add. *Cap. ſeq.* §. 1. *num.* 2.

[4] S. HILARIUS iis, qui una fidei communione ac ſocietate cum Gallis copulabantur, Librum de Synodis ſcribens, cùm iiſdem Germaniæ primæ & ſecundæ, Britanniarumque Epiſcopos recenſet. His ſi adjungantur variæ Illirici provinciæ, quas INNOCENTIUS *Epiſt.* 13. *n.* 2. ſuam in eas vicem Rufo committens recenſet (nempe Achaiæ, Teſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Moeſiæ, Dardaniæ & Prævali Eccleſiæ;) dioeceſeon, quæ ad Romanum Patriarchatum attinent, ſatis accurata habebitur enumeratio. Ità, & rectè Petrus Couſtant *ad Epiſtolas Rom. Pontificum pag.* 855. *not. c.*

(5) Quando agitur de inſtitutione & certis prærogativis *Sedium Patriarchalium*, dubitari nequit, quin ejuſmodi Sedium, & jurium eis attributorum, inſtitutio pro bono Eccleſiæ mutari, ampliari, vel etiam reſtringi poſſit. Hoc agnovit Bellarminus *Lib. II. de Concil. Cap.* 8. *Opp. Tom. II. col.* 96. *edit. Col.* dicens: " Decretum de honore Sedium " patriarchalium, ſicut à Concilio Nicæno factum fuerat, " ita poterat ab alio mutari.

§. VI.

§. VI.

APOSTOLICÆ Eccleſiæ dignitas , Romanæ præcipuè competens , & SANCTITAS Epiſcoporum ejus , magnam illi auctoritatem conciliavit , ſed nativi Primatus juribus nihil addidit .

Idem obſervandum de qualitate MATRIS & MAGISTRÆ, quæ Romæ reſpectu Eccleſiarum Occidentis tribuitur .

Titulus & dignitas CAPITIS ECCLESIÆ , nec non VICARII CHRISTI , Romano Pontifici propria , abſolutam ſuperioritatem non importat .

Pro *QUINTA* ratione ſeu occaſione erigendæ , aut per quandam ſpeciem æquivoci aſſerendæ , firmandæque ſacræ Monarchiæ , deprehenduntur ſerviiſſe variæ dotes , Romanæ Eccleſiæ communiter attributæ, quas hìc junctìm intuebimur : videlicet *Sanctæ* , *Apoſtolicæ* , *Matris* & *Magiſtræ* aliarum Eccleſiarum ; quibus addendæ prærogativæ Præſulis in hujus Eccleſiæ cathedra ſedentis, quæ ſunt *Vicarii Chriſti* , & *Capitis univerſalis Eccleſiæ* . Et imprimis quidem qualitas *APOSTOLICÆ* Eccleſiæ , Romanæ Sedi , præ aliis ab ipſis Chriſti diſcipulis fundatis , ea ratione magis propria eſt, quod ipſa ab Apoſtolorum *Principe* plantata noſcatur . Habet equidem Traditio , tanquam Regula articulorum fidei , ſuam in omnibus Catholicis Eccleſiis ſedem ; at major ſemper hujus teſtimonii fides æſtimata fuit in Eccleſiis, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt , & ab his proximè verbum Dei hauſerunt, de quo , tanquam ad ſe per authenticam traditionem delato , eò certiùs reſpondere poſſe creduntur . Maxima autem ſemper fuit hujus depoſiti ratio in Eccleſia *Romana* , etiam independenter ab omni Primatu , tanquam fundata à Petro , & non hujus tantum , ſed & Coapoſtoli ejus Pauli verbo ac ſanguine irrigata . Hoc ſingulare decus non modicè illuſtratum fuit *SANCTITATE* Romanorum Præſulum ; ſi-

quidem inter omnes, quantumvis illuſtres, Chriſtiani orbis Eccleſias nulla ſit, in qua tot refulſerint Epiſcopi ſanctitatis gloria inſignes, quam Romana; nulla autem re magis, quam hac, populorum reverentia conciliatur.

His qualitatibus accedit illa *MATRIS*, quam Romæ promeruit ſpiritualis generatio plurimarum Eccleſiarum *Occidentis*. Scripſit ſub initium Sæculi V. INNOCENTIUS I. Papa Epiſt. XXV. n. 2. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, *Manifeſtum eſſe, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, in Inſulas interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores, conſtiuerint Sacerdotes*. Quod tamen in ſenſu accommodo accipiendum eſſe, dubitari haud poteſt. Quidquid ſit: receptum erat, ut Eccleſiæ Matres *Centrum* eſſent *unionis*, & eccleſiaſticæ communionis, reſpectu filiarum; ſique natura ipſa duce ac magiſtra diligimus obſervamuſque eos, à quibus corporis vitam accepimus, nihilo certè minùs admonemur intimo religionis ſenſu, ut obſequio ſingulari eos proſequamur, qui nos genuerunt in Chriſto, atque auctores ſecundum Deum ſalutis noſtræ fuerunt. Porro quod ſub Innocentio I. Romanæ Eccleſiæ fuit attributum, ut eſſet aut diceretur mater Eccleſiarum *Occidentis*, id ſuccedente tempore ità extenſum eſt, ut ſub Innocentio III. eadem *univerſarum Eccleſiarum* mater appellaretur, quanquam revera & in proprio ſenſu non eſſet. Sic legitur in Concilio Lateranenſi anni 1215. Cap. 5. *Diſponente Domino* Romana Eccleſia *ſuper OMNES ALIAS ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote MATER UNIVERSORUM Chriſti fidelium*. Poſſunt nonnullæ Patrum, præſertim Cypriani elocutiones (quas infrà referemus) univerſalioris hujus maternitatis denominationi occaſionem, & anſam dediſſe.

Docet inſuper ratio, quoties dubitationis aliquid habent leges, ad eos imprimis recurrendum eſſe pro earundem interpretatione, (maximè ubi hæc ex uſu ac traditione accipi poteſt) à quibus & per quos illæ profectæ ſunt. Inde ad Romanam Eccleſiam, tanquam ad fidei ſuæ alumnam & Canonum interpre-

pretem , è vicinis æque ac remotiſſimis oris majores noſtri confluebant , ut ex ejus tanquam *MAGISTRÆ* ſinu ſeu dogmatum ſeu legum explicationem pleniùs haurirent . Unde apparet , quare loco cit. dixerit INNOCENTIUS I. *ſi in his provinciis* nemo *alius Apoſtolorum* præter Petrum *invenitur aut legitur docuiſſe , oportet eos*, qui in illis ſunt, *hoc ſequi , quod Eccleſia Romana cuſtodit , à qua eos principium habuiſſe non dubium eſt* .

Chalcedonenſe Concilium Romano Præſuli qualitatem *CAPITIS ECCLESIÆ* quoque attribuit in ſua ad S. Leonem relatione : tum exponendo , qualiter ipſe per ſuos Legatos Concilio præſideat , velut Caput ſuis præeſt membris : tum ab eo exſpectando , ut ipſe quædam Concilii decreta probet, ſicut Concilium ejus probavit Literas , his verbis : *Rogamus igitur , & tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos CAPITI in bonis adjecimus conſonantiam , ſic Summitas tua filiis , quod decet, adimpleat* . Adde Leg. 7. & 8. Cod. de Summa Trinit. Inſuper *VICARII JESU CHRISTI* nominantur Pontifices ; idque imprimis ab Epiſcopis & Presbiteris , qui cum GELASIO Papa ad cognoſcendam Miſeni Epiſcopi cauſam conſederunt , *Gelaſ. Epiſt. XXVII. n.* 15. Deinde in Decretalibus *Cap.* 2. & 3. *§.* 2. *de Translat. Epiſ.* nec non *Extravag.* 3. *§. Nos itaque Joannis XXII. de Verb. Signif. &c.*

Verùm hìc obſervandum , quod circa omnia hæc & generatim notavit Andreas Duvallius *de ſuprema Rom. Pontificis poteſtate Part. IV. Quæſt.* 7. qui Ultramontanorum ſententiis egregiè addictus , ac præcipuus Richerii æmulus , licet Doctor Sorbonicus , Romanis minus ſuſpectus videri debet . Sic autem ille : " Concilium Florentinum auctoritatem Papæ ſupra Concilium , non definivit, etſi definiat eum eſſe *Chriſti Vicarium*, „ totius *Eccleſiæ Caput* , & à Chriſto ipſi traditam poteſtatem „ *regendi univerſalem Eccleſiam* : Quod nemo eorum , qui contrà ſentiunt , negat . Illius enim poteſtatem in Eccleſiam univerſalem ubique locorum diffuſam , ſive in omnes & ſingulas „ orbis particulares Eccleſias , admittunt ; & omnium Chriſtianorum *Patrem* & *Doctorem* eum agnoſcunt : ſed contendunt,

T 2 Con-

„ Concilium Florentinum non propterea definiviſſe, eum in
„ Eccleſiam Univerſalem, quatenus eſt legitimè congregata, &
„ in Concilio aliquo per ſuos Prælatos generaliter unita & con-
„ ſentiens, poteſtatem habere.

Cæterùm nihil facilius eſt, quam ut honorata undique in Romana Eccleſia qualitas *Matris* & *Magiſtræ*, atque in eo, qui eidem Eccleſiæ preeſt, auctoritas *Capitis univerſalis Eccleſiæ* ac *Vicarii Dei*, in tenebroſis ſæculis, atque in concurſu tot aliarum anſarum amplificandæ poteſtatis, quas hoc Capite enumeramus, minus cautos in tranſverſum agat, cum vel in hodierna harum rerum luce Romani nondum deſinant, has expreſſiones in favorem prætenſæ ſuæ Monarchiæ captare.

(1) Sedes ſeu Eccleſiæ *APOSTOLICÆ* non una ratione dicuntur. (*a*) Romana Sedes *Apoſtolica* appellatur per excellentiam: quia à principibus Apoſtolorum fundata, & utriuſque ſanguine conſecrata fuit. (*b*) Alexandrina & Antiochena: quia poſt SS. Petri & Pauli prædicationem Chriſtianum in hac nomen primùm exortum eſt; illa per S. Marcum Petri diſcipulum fundata. (*c*) Eccleſiæ, quæ ab aliis Apoſtolis fidei ſemina acceperunt, aut ab eis ſunt adminiſtratæ: hoc titulo Hieroſolymitana Sedes Apoſtolica appellatur à Theodorito *Lib.* 4. *Cap.* 21. (*d*) TERTULLIANO *Lib. de Præſcript. Cap.* 32. ea eſt Apoſtolica Eccleſia, quæ *evolvit ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrneorum Eccleſia Policarpum ab Johanne collocatum refert*. [*e*] Illa quoque ab eodem Tertulliano cit. Lib. Cap. 20. *Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, quæ ab Eccleſiis per Apoſtolos conditis traducem fidei & ſemina doctrinæ mutuatæ ſunt, ut Eccleſiæ fierent*. Adde ejuſdem Libri Cap. 36. (*f*) Videtur denique S. AUGUSTINUS *Lib. II. de doctrina Chriſt. Cap.* 8. eas Eccleſias Apoſtolicis accenſere, quæ Epi-

Epiſtolas Apoſtolicas accipere meruerunt: quales ſunt Theſſalonicenſis, Epheſina, Coloſſenſis &c. S. LEO *Epiſt. LXXVIII. n.* 3. Anatolio auctor eſt, ut Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopatu contentus, ſuæ ſe dignitatis finibus concludat, non ambiat altiorem gradum, *nec dedignetur Regiam civitatem, quam APOSTOLICAM non poteſt facere SEDEM: quæ utique* (inquit eodem ſenſu GELASIUS Epiſt. VII. n. 6.) *per Canones inter Sedes nullum locum accepit*. Ubi notandum, Apoſtolicas illas Cathedras veluti per antonomaſiam *Sedes* nuncupari. Equidem non diffitendum, illud Romanam inter & reliquas Sedes eſſe diſcriminis, quòd hæ privilegia *per Canones*, & Eccleſiaſtico tantum, eoque humano Jure inſtituta dicantur obtinuiſſe; illa veró, quæ Petri morte conſecrata eſt, totum id retinuerit juris, quod Apoſtolorum princeps fuerat *à Domino* conſecutus. Verùm dum (prout hic) ſimpliciter & in ſenſu hactenus enuntiato, agitur de qualitate Apoſtolicæ Sedis, quæ per ſe neque ſedentem facit infallibilem, neque totius Eccleſiæ Monarcham conſtituit, abſtrahimus hactenus de altera, cum priore neceſſariam connexionem non habente, dignitate Primatus, ejuſque juribus ac effectibus, de quibus alibi abundè diſſerimus.

(2) Habet utique *SANCTITAS* tam ſuaves illecebras, ut vel ferociſſimos animos, & impia religione obligatos in ſui admirationem traducat. Ea etiam ratione eandem inter anſas ampliatæ auctoritatis Romanæ referimus; ſed nullum illa jus novum ſuperaddit: quod ſi daret, quia merè humanum foret, per contraria ſcandala, illa præſertim Sæculi X., amiſſum dici poſſet. Præclara hæc plurium Pontificum dos facilem eis acceſſum, quin & gratiam paravit apud Auguſtos, qua hi inclinabantur ad eorum decreta, etiam extra ordinem emanata, Imperiali poteſtate ſuſtinenda. Exemplum damus in S. LEONE M. cui difficile haud fuit, cùm ei per ſub-& obreptiones prævento (quod agnoſcit Baronius *ad annum* 445. *n.* 9. propoſitum eſſet, S. Hilarii Arelatenſis poteſtatem in Galliis pro bono Eccleſiæ (ut ei vide-

videbatur) minuere, à Valentiniano III. Imp. (cujus animum, quo vellet, inclinabat) elicere edictum Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudini derogans, hoc tenore: *Ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis autoritas*. Sed de hoc negotio pluribus agemus infrà *Cap. IV. §.* 11. *n.* 2.

(3) Titulus *MATRIS*, & *MAGISTRÆ omnium Eccleſiarum*, Romanæ demum per Canones in Corpore Juris clauſos obtigiſſe, aut ſaltem in eo ſenſu, quo ſerius acceptus eſt, confirmatus videtur. Primus circa hoc & antiquiſſimus Canon, ex ſpuria Epiſtola Calixti Papæ deſumptus, in Decreto Gratiani *Diſt. XII. Can.* 1. exſtans, ſequentibus pro fundamento potuit ſervire. Huic adde alterum *Diſt. XXI. Can.* 6. In Decretalibus vide *Cap.* 2. *circa fin. de Summa Trinit. Cap.* 5. *de Appellat. Cap.* 23. *de Privilegiis*, *Cap.* 20. *§. Quia de Foro compet*. In Sexto Decretalium *Cap.* 5. *§. fin. de Pœnis*. In Extravagantibus Communibus *Cap.* 3. *de Elect.* Verùm hæc Capitula etiam commodè explicantur & propriè ſpectant ad Romanam Eccleſiam comparatam cum ſingulis aliis *ſeorſim* ſumptis, & *ut plurimùm*, ſaltem in Occidente, ab illa conditis. Sanè ea auctoritate, quà Chriſtus fuit & eſt *Magiſter* diſcipulorum ſuorum omniumque fidelium, nec Petrus, nec ejus in Primatu ſucceſſores, Magiſtri omnium Eccleſiarum dici debent; hoc enim expreſsè prohibuit Dominus Matthæi *XXIII. v.* 8. *ſeqq.* Quòd *propriè* non potuerit, nec poſſit Romana Eccleſia dici *Mater Catholicæ*, *id eſt*, *univerſalis Eccleſiæ*, manifeſtum eſt; potiori id jure debetur aliis Apoſtolicis Eccleſiis, quæ in Oriente ac Paleſtina primùm coaluerunt, antequam Romanæ civitati fides & Epiſcopatus inferretur. Hoc imprimis convenit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quæ revera Mater & Matrix omnium Eccleſiarum nuncupatur in Epiſtola Patrum Concilii Conſtantinopolitani ad Damaſum, Ambroſium, & alios Epiſcopos Romæ con-

congregatos , in Harduini *Collect. Concil. Tom. I. col.* 826. & à Juſtino Imp. circa annum 514. in Epiſtola ad Hormiſdam apud eundem *Tom. II. col.* 1025. Porro & Paulus Titum in Creta Metropolitam inſtituit, juſſitque, ut per Eccleſias Epiſcopos conſtitueret, abſque quod in his omnibus intervenerit, aut neceſſe fuerit intervenire Petrum. Nec Epheſinam, Cæſarienſem, Heracleenſem, aliaſque in Oriente primarias Sedes Petrus inſtituit &c. Hinc eſt, quod INNOCENTIUS Papa in Epiſtola ad Decentium recenſens provincias, quæ à S. Petro ejuſque ſucceſſoribus fidei ſuæ ſemina, Eccleſiarumque inſtitutionem debent, nullas nominet, præter *Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, inſulaſque interjacentes*. Itaque, cum Tridentinum *Seſſ. VII. Can.* 3. *de Baptiſmo*, nec non *Seſſ. XIV. Cap.* 3. *de Extrema unct.* Laudatorum Canonum phraſin imitatum, eadem quoque expreſſione *Matris* & *Magiſtræ* utatur, id non alio ſenſu, quàm illo, quem modò expoſuimus, intelligendum erit. De reliquo hæc in Tridentino non *declarantur* per decretum fidei, ſed *referuntur* ex communi Juris Canonici uſu loquendi. Equidem jam ante omnia hæc S. CYPRIANUS Epiſt. 45. ad Cornelium ſcripſit: *rationem reddidiſſe nos ſcimus, & hortatos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ matricem & radicem agnoſcerent ac tenerent*; quod de *Romana Eccleſia* intelligit Jacobus Pamelius & alii interpretes; ſicut & primà fronte accipi debere videri poſſet. Verùm genuinus ſenſus Cypriani eſt, hortatum ſe eſſe ſingulos navigantes, ne parti Novati adhærerent, ne ſciſma & diviſionem ſectarentur, ſed ut *unitatem Catholicam*, quam Eccleſiæ Catholicæ *radicem & matricem* appellat, agnoſcerent ac tenerent. Deinde quid per Matricem intelligat vir ſanctus, apertè declarat Epiſtola 71. ad Quintum, ubi, *quos*, inquit, *conſtat hic*, hoc eſt in Eccleſia Catholica, *baptizatos eſſe, & à nobis ad hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum, peccato ſuo cognito, & errore digeſto AD VERITATEM ET MATRICEM redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere*. Hoc

igi-

igitur eſt Catholicum *tenere matricem* in Epiſtola ad Cornelium, quod hæreticum *redire ad matricem* in Epiſtola ad Quintum. Quod in formula Profeſſionis fidei, a Pio IV. præſcripta, continetur: *Sanctam CATHOLICAM & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco*: id non ita accipiendum eſt, ac ſi *particularis* Eccleſia Romana idem eſſet, quod Eccleſia Catholica ſeu *Univerſalis*, quæ profectò differunt; ſed eo ſenſu, quo prædicatum *CATHOLICÆ Eccleſiæ*, Romæ cum multis aliis Eccleſiis commune, imò tanquam Capiti ferè præcipuum eſſe, diximus *Cap. II.* §. 11. *n.* 5.

(4) *CAPUT* ſanè eſt Romanus Pontifex univerſalis Eccleſiæ; verum non omni Capiti competit ſuperioritas propriè dicta in univerſum Corpus. Dantur Corpora ſuo Capite ſuperiora, qualia ſunt pleraque Capitula, Collegia judicum, Univerſitates &c. In *ſingula* membra an & quid juris ſeu poteſtatis competat Capiti Eccleſiæ, diſtinctè explicabimus, cùm de Legibus, Judiciis, Appellationibus &c. acturi ſumus. De *univerſis* ſemper manebit verum, quod SIXTUS III. in Epiſtola ad Epiſcopos per Illiricum conſiſtentes ſcripſit: *Ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem & vigorem ſuum perdit, & non tenet quam habuerat dignitatem*. Cæterùm huc confer, quæ de primario Capite Eccleſiæ diximus *Cap. I.* §. 8. *n.* 6.

(5) Per hoc, quòd Papa ſit *VICARIUS CHRISTI*, à ſimili Vicariatu non excluduntur reliqui Epiſcopi æque ac ille Apoſtolorum ſucceſſores. In eo ſolùm differunt, quòd Pontifex in hoc Vicariatu parem cum Petro partem habeat, adeoque ſit *primus Vicarius*, & cæterorum in jam explicato ſenſu *Caput*. Interim evenit haud difficulter, ut quod ſua origine in *reverentia filiali*, in *magiſtrali auctoritate*, demum in *mero Primatu* fundatum eſt, poſt in *imperium* ſacrum pertrahatur, atque à multis, dominante ignorantià & ignavia, ut tale agnoſcatur.

§. VII.

§. VII.

Relationis in gravioribus & dubiis cauſis , ad Romanam Sedem fieri ſolitæ , magnum ei auctoritatis pondus addidére .

SEXTUM Pontificiæ auctoritatis augmentum debetur frequentibus illis particularium Eccleſiarum ad Romanam Sedem Relationibus , & inde ad has remeantibus Reſponſis . Quamvis enim illæ de ſe minimè ſint argumentum *Statûs Monarchici*, nihilominus in hunc ſenſum paulatim tractæ ſunt , poſtquam Romani Pontifices his Relationibus adſueti , eas deinceps *pro jure* poſtularent . Conſuetudo multorum , in difficilioribus negotiis ad Sedem Romanam , tanquam Matrem & Magiſtram recurrendi , & inde lumen ſeu conſilium accipiendi , talis erat, ut nullum *jus perfectum* Primæ Sedi ad has relationes competierit, quaſi ejus conſilia neceſſariò expetenda , & iis acquieſcendum fuiſſet ; quanquam poſtmodum Romani id ipſum *in neceſſitatem* traxerint . Non ad ſolum Romanum, ſed ad alios etiam magnæ auctoritatis Epiſcopos , recurſus pro accipiendis luminibus & directione ſumebantur . Sic ad S. Cyprianum ſubinde , ab ipſa etiam Romana Eccleſia , ſimiles relationes factæ leguntur : neque ex eo aliqua juris prærogativa pro certa Eccleſia deſumi poteſt . Theodoſius Imperator in *Leg.* 45. *Cod. Theod. de Epiſc.* & *Leg.* 6. *Cod. Juſtin. de SS. Eccleſ.* tale privilegium , quale Romanus Epiſcopus ſibi vindicabat , indulſit Conſtantinopolitano . Verba Legis ſunt : *Si quid dubietatis conceſſerit , id oporteat , non abſque ſcientia viri reverendiſſimi ſacroſanctæ legis urbis Conſtantinopolitanæ (quæ Romæ veteris prærogativa lætatur) conventui Sacerdotali , ſanctoque judicio reſervari* . Hinc duo quaſi ſponte defluunt : *primum* : prætenſum Romani Pontificis jus hac lege *per indirectum* confirmari ; *alterum* : hoc jus Relationum ſua origine , tanquam *verum & perfectum jus*, nulli ſedi proprium eſſe ; preſſius tamen ab una parte ſtrictiusque vindicatum , ab altera verò remiſſius agnitum ; viam facilè aperuiſſe ad mutandum *Conſilia* in *Mandata* ; *Directorium* in *Imperium* .

(1) Primus id feciſſe videtur INNOCENTIUS I. qui anno 402. Cathedram Petri aſcendit. Quid ille de *Majoribus cauſis*, ex prætenſo *Synodi ſtatuto & veteri conſuetudine*, Sedi Romanæ referendis ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ſcripſerit, videbimus *Cap. ſeq.* §. 1. Idem in alia Epiſtola ad Epiſcopum Nucerianum ita diſſerit: *Mirari non poſſumus, Dilectionem tuam ſequi inſtituta Majorum omnia, quæque poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad Caput atque ad Apicem Epiſcopatus referre, ut CONSULTA videlicet Sedes Apoſtolica, ex ipſis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet*. Idem Papa in Epiſt. ad Concil. Milevitan. apud Harduinum Tom. I. Concil. col. 1028. *Inter cæteras*, inquit, *Eccleſiæ Romanæ curas & Apoſtolicæ Sedis occupationes, quibus diverſorum CONSULTA fideli & medica diſceptatione tractamus &c.* Sicque iteratò ſæpefatas Relationes *Conſulta* vocat. Idem facit LEO Papa Epiſt. 10. ad Epiſcopos Galliæ pag. 217. *Nobiſcum Veſtra Fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia, à veſtræ etiam Provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus eſſe CONSULTAM*.

(2) Hac eo tempore utebantur modeſtia Pontifices, ut non *novum jus* conderent, ſed conſulti de *jure conſtituto* in dubiis reſponderent; licet, uti mox innuimus, eam Sedi Romanæ jam prærogativam vindicaverit Innocentius I., ut de quæſtionibus dubiis & majoribus ad eam referri *debere* contenderet. Præterea id curabant atque agebant, ut ſua reſponſa, quæ & *Decreta* vocabant, in aliorum notitiam deducerent, eo fine, ut omnibus norma eſſent Diſciplinæ. Cæterùm obſervat de Marca de C. S. & I. Lib. VII. Cap. 13. n. 4. *eam Romanis Epiſcopis mentem non fuiſſe, cùm reſponſa dabant poſt conſultationes, ut novas leges his reſponſis præſcriberent, aut nova ſtatuta inveherent, ſed tantum, ut Chriſtianorum mentes revocarent ad obſervationem Canonum & antiquæ traditionis*, id quod ex Innocentii I. confeſſione illuſtrat.

(3)

[3] Hæc auctoritas cum Reſponſis Romanorum Pontificum tributa eſſet, conſultum viſum fuit eadem colligere, ut jus Eccleſiaſticum in Occidente certiorem haberet uſum. Fecit hoc ſub initium Sæculi VI. Dionyſius Exiguus ad preces Juliani Presbiteri tituli S. Anaſtaſiæ. Conſtat ejus opus ex Conſtitutis & Decretis Sedis Apoſtolicæ Præſulum Syricii, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Leonis M., Gelaſii, & Anaſtaſii; quibus deinde ab aliis, Dionyſio poſterioribus, alia decreta ſub nomine Hilarii & ſequentium Pontificum uſque ad Gregorium Minorem in hac Collectione addita ſunt. Nulla quidem primitus hujus Codicis publica auctoritas; ſed ne ea quidem intentione à Dionyſio concinnatus fuit; attamen ità hæc Collectio à Romana Eccleſia ſuſcepta & probata fuit, ut à NICOLAO I. *Diſt. XIX. Can.* 1. nec non à LEONE IV. *Diſt. XX. Can.* 1. omnibuſque inſequentibus Canonum Collectoribus *Codex Canonum* dicta ſit.

(4) Atque ea quidem necdum, aut vix, introducto Jure Iſidoriano, hactenus ſatis moderatè; hoc verò plenius receptò, alia inducta rerum facies. Tunc etenim Epiſcopis impoſita neceſſitas & obligatio recipiendi & ſeſe conformandi Decretalibus Romanorum Pontificum. Hoc ex fundamento, Sæculo IX. JOANNES PP. VIII. Williberto Colonienſi Archiepiſcopo Pallium negavit, ita ad eundem reſcribens apud Sirmondum Concil. Gall. Tom. III. pag. 520. *Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minùs, quàm oporteat, continere reperimus, cum videlicet in ea nullam ſanctarum univerſalium Synodorum . . . . nec DECRETALIUM PONTIFICUM ROMANORUM CONSTITUTORUM ſecundum morem feceris mentionem; ſed nec illam ſubſcriptione munieris, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret miſeris.*

(5) Sed proceſſere ea cum tempore longius. Obſervat celeberrimus noſtri-ævi Canoniſta Barthelius, Anteceſſor & Procancellarius Wirceburgenſis, in *Annotationibus ad Patris*

Engel Jus Canonicum in Proœm. pag. 7., qualiter " uſque
„ ad medium Sæculum XII. rariores adhuc fuerint ad
„ Pontificem recurſiones. At poſtquam (ait) in hoc
„ Sæculo invaluit ſtudium Juris Civilis, Pontifices etiam
„ totum proceſſum forenſem in Eccleſiam introduxere.
„ Cœperunt etiam tum temporis diſpenſationes, exem-
„ ptiones, privilegia, indulta, ſub Innocentio potiſſimum
„ III., & Alexandro III., qui ſe *Dominos Canonum* dixe-
„ runt; cum anteceſſores Pontifices ſe tantùm *Cuſtodes*,
„ *Vindices*, & *Executores Canonum* nominarent; neque
„ unquam niſi in pœna poſt tranſgreſſionem Canonis di-
„ ſpenſaverint. Hinc continuæ ſupplicationes, conſulta-
„ tiones ad Pontificem factæ, & tot reſcripta prodierunt,
„ ut ex illis ab anno 1150. uſque ad annum 1230. ſex fue-
„ rint compilationes factæ, donec tandem Gregorius IX.
„ ſuam ediderit, & more approbandi tum conſueto ad
„ Univerſitatem Bononienſem miſerit, illamque publicè
„ prælegi juſſerit. Circa hoc tempus (addit clar. Barthe-
„ lius) *Eccleſia*, quæ antea hoc tantùm nomine compella-
„ batur, cœpit vocari *Curia Romana*, novaque illa di-
„ ſciplina & politia introducta eſt.

[6] Cum Imperator Juſtinianus diſplicentiam relationum ſibi factarum oſtendiſſet, eaſque Novella CXXV. inhibuiſſet; Romani Pontifices contraria politica in rem ſuam uſi noſcuntur: laudare enim ſolebant referentes & conſulentes, uti conſtat ex multis Capitulis Decretalium Gregorii IX his præſertim, quæ incipiunt: *Quod in dubiis* vel *Gratum gerimus*. Habent hæc utique ſua motiva, ex ratione Status deſumpta; maximè quoad eos recurſus, qui plerumque libenter ſumi amant ab illis, qui onere & vinculo legis ſolvi optant. Nemo dubitat de veritate ejus, quod aſſerit Claudius Fleury Inſtit. Eccleſ. Lib. I. Cap. 1. §. 17. nempe: *Pontificum potentia nulla re magis cenſeri poſſe videbatur, quam ſi diſpenſationes à Canonum obſervantia in infinitum extenderentur, quarum præteritis decem ſæculis admodùm circumſpectus uſus fuit*. Sed hæc ad inſignes ſequio-

quioris ævi corruptelas pertinent. Aliter ſenſit proba antiquitas. Vid. *Cap. II. §. 7. n. 6. 7.*

(7) Hæc intelligenda ſunt circa præjudicium illarum Relationum, quas *de rebus ſtatum univerſalis Eccleſiæ tangentibus* ad ſummum Pontificem faciendas eſſe diximus *cap. II. §. 6.* Interim neceſſariæ hæ Relationes potuerunt eſſe, & veroſimiliter fuerunt anſa & occaſio aliarum relationum de rebus ad officium Primatis propriè non pertinentibus.

(8) Magnum Eccleſiæ obſequium præſtant, qui operam locant in deſtruenda veſana illorum ſecuritate, qui ſub ſcuto diſpenſationum, indulgentiarum, exemptionum, & aliarum ejus generis gratiarum, ſe immunes putant ab obligationibus communium & genuinarum regularum Diſciplinæ ac Morum, quique Romani Pontificis poteſtatem eo potiſſimùm fine in immenſum extollunt, ut in illa præſidium inveniant adverſus remorſus conſcientiæ, ſæculi cupiditatibus ſeductæ, quæ quandoque velo religionis obducuntur.

§. VIII.

Quæ hinc inde occurrunt figuratæ aut ampullatæ Patrum elocutiones, ſubſtantiam rei non mutant.

Genuina Romanæ Eccleſiæ jura, hactenus relata, (quæ licèt propriis ſuis limitibus circumſcripta, nihilominus de ſe magna, & omni titulo veneranda eſſe, nemo negaverit) occaſionem dederunt tum Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, tum ipſis etiam Romanis Pontificibus, ut ſæpe de illis illorumque complexu (inter quæ univerſalis Primatus ſemper præeminet) ampliſſimis verbis, præſertim in æſtu concertationis, loquerentur & ſcriberent. Inde novus iterum, & nobis quidem in ordine *SEPTIMUS*, titulus extendendæ Pontificiæ poteſtatis: id ita ferente humanæ conditionis infirmitate, quæ ægrè intra legitimos fines ſeſe continet. Scilicet à proprio & ſtricto ſenſu *Verborum*, nonnunquam generaliùs, & ſine conſideratione aut reſpe-

reſpectu ad *determinata* quædam *Jura* , quæ Primatui adhærere ſeriùs prætenſa ſunt, prolatorum , argumenta deſumuntur , pro eorundem putativorum jurium aſſertione & confirmatione . Venit hìc omnino uſui , quod in Concilio Florentino Patres Græci Romanis , ex elogiis Patrum concertantibus , oppoſuerunt : *Quæ honoris cauſa dicta ſunt , in conſequentiam trahi non debere.*

(1) Admodum frequens in Decreto Gratiani , in Decretalibus, nec non in litteris & conſtitutionibus recentiorum Pontificum , eſt uſus , ſeu potius abuſus , verborum Chriſti : *Tu es Petrus* , *& ſuper hanc petram &c. Paſce agnos meos* , *paſce oves meas* ; Et *Ego pro te rogavi Petre* , *ut non deficiat fides tua &c.* ad ſtabiliendam univerſalem Monarchiam ſacram , infallibilitatem , jus excluſivum cognoſcendi de cauſis, quas *Majores* dicere placuit &c. Vid. Diſt. XIX. Can. 7. Diſt. XXI. Can. 2. & 3. Diſt. XXII Can. 2. Cauſ. IX. Quæſt. 3. Can. 14. Cauſ. XVI. Quæſt. 3. Can. 17. Cauſ. XXIV, Quæſt. 1. Can. 4. & 15. Cap. 1. de Homicidio in 6to . Extravag. *Unigenitus* de Pœnitentiis inter Communes . Bulla Pii II. de an. 1463. Tomo I. Bullarii pag, 377. edit. an. 1727. &c. Dum Jacobus Pamelius ad S. Cypriani Epiſtolam 54. Not. 90. pro aſſerenda exceſſiva poteſtate ſummi Pontificis, qualem ipſe credidit , non exiguum numerum falſarum Decretalium attuliſſet , ſcilicet Anacleti Epiſ. 1. & 3. Evariſti Epiſtolam ad Africanos Epiſcopos , Alexandri Epiſtolam ad orthodoxos omnes , Sixti I. & Eleuterii ad Eccleſias Gallicanas , Pii I. ad omnes Eccleſias , Victoris ad Theophilum , Zepherini ad Epiſcopos Siciliæ , Lucii ad Epiſcopos Gall. & Hiſp. &c. ſubjungit in fine : *Hi ferè omnes ſuam ſententiam confirmant dicto illo ad Petrum : Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam* . Verùm ſacros hos textus ad id , pro quo allegantur, evincendum , nimis generales , quinimo planè extraneos eſſe , patet ex eorum proprio ſenſu , quem *Cap. I.* dedimus conformiter ad judicia Patrum , & ad praxim primorum ſæculorum , quam toto hoc opere fideliter exhibemus.

mus. Si hoc evenit circa ipſum Dei verbum, quis mirabitur ſimilem aut majorem abuſum circa ſcripta Patrum? Ex multis & generalioribus horum dictis, quæ in ambiguum & exceſſivum ſenſum in eo, quod hic tractamus, argumento, trahi poſſunt, atque ſolent, pauca pro exemplo elucidabimus, quia omnia recenſere gravius, & à noſtro inſtituto alienum foret.

(2) S. HIERONYMUS in Epiſtola, labente anno 380. aut circa initium anni 381. ſcriptà ad Damaſum, quæ eſt 14. alias 57. apud Gratianum Cauſ. XXIV. Quæſt. 1. Can. 25. *Ego*, inquit, *nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio*. Et poſtea: *Non novi Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, antichriſti eſt*. Hæc verba, utcunque turgida, probè expenſa, aliud non exprimunt, quam communionem illam cum primaria Sede, ſcilicet Romana, de qua egimus ſupra §. 4.; hanc Caput eſſe aliarum Eccleſiarum, & Centrum unitatis, nemo Catholicorum negat. Conſiderandæ inſuper veniunt circumſtantiæ temporum, in quibus hæc Hieronymus ſcribebat. Idem S. Doctor Epiſt. 16. alias 58. *Hinc*, ait, *præſidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat*. Alii ſcilicet tres hypoſtaſes, alii unam duntaxat in Deo eſſe ac dici debere contendebant. In hoc conflictu ac ſchiſmate Orientalium, ſapienter dicebat Hieronymus: *Cathedræ Petri conſocior; ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt*. Quem alium conſulere tutius tunc potuiſſet, quàm Romanum Pontificem, cujus præcipuæ ſunt in quæſtionibus fidei partes; quamvis ineluctabile non ſit ejus judicium. Et verò cum teſtaretur Hieronymus, velle ſe judicio Damaſi Rom. Pontificis adhærere, non ignorabat cum eo totum Occidentem Ægyptumque conſpirare:

Hære-

Hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo Petroque condemnent, ſcribit Epiſt. 15. alias 77. Damaſo ſcilicet *Romæ*, & Petro *Alexandriæ* Epiſcopo. Unde intelligi poteſt illud ejuſdem Epiſtolæ 14. n. 2. *Hic collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor*; adeo ut inter diverſas Epiſcoporum Orientis, in quo degebat Hieronymus, factiones & ſectas, Petri Alexandrini, qui ob fidei confeſſionem è civitate ſua pulſus antea fuerat, Ægyptiorumque ei adhærentium fidem ſectari ſe profiteatur. Videtur de cætero Hieronymus hic intendere in edictum Theodoſii ſub finem menſis Febr. an. 380. datum in *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit.* 1. *leg.* 2. quo iſte Princeps eam declarat religionem Catholicam, *quam Pontificem Damaſum ſequi claret*, & *Petrum Alexandriæ Epiſcopum*.

(3) S. AUGUSTINUS Epiſt. 43. alias 162. *In Romana*, inquit, *Eccleſia ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus*. Item Epiſt. 190. al 157. *Me*, ait, *apud Cæſaream præſente, venerunt, quo nos injuncta nobis à venerabili Papa Zozimo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, eccleſiaſtica neceſſitas traxerat*. Hic iterum nihil præterquam Univerſalis Primatus, & huic cohærens jus indicendi Synodos.

(4) Cùm Pelagius & Cæleſtius adverſus Apoſtolicam doctrinam *de Gratia* dogmatizare cœpiſſent, Epiſcopi Africæ, poſtquam illos in duabus Synodis provinciarum Carthaginenſis & Numidiæ damnaſſent, Synodales ſuas relationes miſerunt ſucceſſori S. Petri, ut eorum judicium etiam primæ & Apoſtolicæ Sedis auctoritate muniretur, atque particularium illarum Eccleſiarum Traditio, cum Traditione Sedis Apoſtolicæ collata, origini & principio conformior agnoſceretur. Id his verbis expreſſit idem S. AUGUSTINUS Epiſt. 95. in fine ad Innocentium I. ſcribens: *Utrum noſter* (Afrorum) *rivulus, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus*. Poſt hæc S. Doctor, collatione facta, in Romanæ Eccleſiæ doctrinà ſe univerſalis Eccleſiæ ſententiam inve-

inveniſſe ratus, non dubitavit aſſerere, atque repetitis vicibus proclamare, *CAUSAM FINITAM* eſſe, *Sermone II. nunc* 131. *de Verb. Apoſt. cap.* 10. Item *Lib. III. contra Julian. cap.* 1. Et hoc quidem ex eo, quod jam memoravimus, capite, quod ille Libro I. contra Julianum cap. 4. ſic refert: *Quid enim potuit vir ille ſanctus* (Innocentius Papa) *Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana, cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia?* Sic itaque in eſpectatione S. AUGUSTINI cauſa finita erat, uti aliæ plures hac ratione finitæ ſunt; idque ex ea deciſiva ratione, quia Papa reſponderat, *quod antiquitùs Apoſtolica Sedes cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia*; at quia id ipſum, quod Auguſtino, non omnibus viſum eſt, ſic eadem cauſa hoc ſolo Pontificis reſponſo *effectivè* & *plenè* necdum terminata eſt: ſiquidem Innocentio anno 417. defuncto, alia in Pelagianos ſub Zozimo in Africa celebrata ſunt Concilia, & tandem Epheſina *œcumenica* Synodo, adverſus Neſtorium convocata, nedum Neſtorianæ hæreſis, ſed etiam Pelagianæ, uno ore, fuit conclamata damnatio. Vid. Annati *Apparat. ad Theologiam Lib. VII. cap.* 9. *p. m.* 633. Interim illa Auguſtini verba, *Cauſa finita eſt*, adeo ſunt ad guſtum Cardinalis Orſi & Sociorum ejus, ut ex illis univerſalem regulam pro quibuſvis cauſis, per Romanos Pontifices deciſis, deſumant, quando econtra illud ejuſdem S. Doctoris ad Donatiſtas, querentes de judicio Papæ Miltiadis: *Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Concilium*, ad unum ſolum particularem caſum pertinere contendunt. Vid. infra *cap. VI.* §. 10.

(5) Minùs finita, & ſolius Romani Pontificis auctoritate dirempta eſt quæſtio de *Spiritus Sancti Divinitate*, de qua ſequentia refert Sozomenus Lib. VI. Hiſt. Cap. 21. *Controverſia, quæ jam pridem incœpta fuerat, nimirum utrùm Spiritus Sanctus Patri & Filio conſubſtantialis cenſendus eſſet, jam magis magiſque crevit: deque ea multæ diſputationes*

tiones plenæ contentionis, non minores illis, quæ antè de Deo Verbo ſuſceptæ fuiſſent, inſtitutæ. In hac re quidem & hi, qui Filium Patri diſſimilem aſſerebant, inter ſe conſenſerunt; nam utique Spiritum Sanctum adminiſtrum, & tertium à Patre, tum ordine, tum honore, tum etiam ſubſtantia diverſum eſſe affirmabant. At qui Filium Patri conſubſtantialem putabant, hi de Spiritu Sancto idem ipſum cenſebant. Quam doctrinam in Syria Apollinarius Laodicenſis, in Ægypto Athanaſius Epiſcopus, in Cappadocia & Eccleſiis Ponti Baſilius & Gregorius ſtrenuè propugnabant. Quæ controverſia cùm contendendi ſtudio, uti credibile eſt, in dies magis magiſque creſceret, Epiſcopus Romanus de eà certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, ut unà cum Sacerdotibus & Epiſcopis Occidentis Trinitatem & Conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem, exiſtimarent. Quo facto, utpote controverſia JUDICIO ROMANÆ ECCLESIÆ TERMINATA, ſinguli quievere: eaque quæſtio finem tandem accepiſſe VIDEBATUR. In hac relatione duo obſervanda & diſtinguenda ſunt, quorum alterum ad *factum Summi Pontificis*, alterum ad *narrationem Hiſtorici* pertinet. (*a*) Romanus Pontifex ſcripſit Orientalibus, ut ſentirent *cum Epiſcopis Occidentis*: ſicque non ſuam tantum fidem, ſed omnium Occidentalium, quorum nomine, ut ipſorum *Patriarcha* hactenus loquitur, illis propoſuit. (*b*) *Videbatur* quidem ſic cauſa Romanæ Sedis judicio, ex ſententia omnium Eccleſiarum Occidentis (ſuppone, ſi vis, à Papa ùt *Primate* Univerſalis Eccleſiæ, à cujus officio hoc minimè alienum eſt: Vid. *cap. II. n. 6. §. 6. n.* 4. item §. 8. & *cap. IV. §. 2. n.* 8. 9.) propalato, terminata; verùm defuit & huic quieti ſua ſtabilitas, quæ non niſi *plenarii* Concilii (nimirum Conſtantinopolitani an. 381.) auctoritate, Orbiſque adunati conſenſione reſtitui potuit, unius Romani Pontificis judicio ad hoc minus ſufficiente.

(6) S. BERNARDUS Lib. II. de Conſiderat. ad Eugenium cap. 8. *Age*, inquit, *indagemus diligentius, qui ſis, quam*

geras

geras pro tempore perſonam in Eccleſia Dei . Quis es ? Sacerdos magnus , ſummus Pontifex . Tu princeps Epiſcoporum , tu hæres Apoſtolorum , tu primatu Abel , gubernatu Noë , patriarchatu Abraham , ordine Melchiſedech , dignitate Aaron , auctoritate Moiſes , judicatu Samuel , poteſtate Petrus , *unctione Chriſtus . Tu es , cui claves traditæ , cui oves creditæ ſunt . Sunt quidem & alii cœli janitores , & gregum paſtores ; ſed tu tantò glorioſius , quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti . Habent illi aſſignatos ſibi greges , ſinguli ſingulos ; tibi univerſi crediti , uni unus ; nec modò ovium , ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor* . Ex ampliſſimis his verbis , figurarum plenis , aliud certi verique non eruimus , quàm ſollicitudinem omnium Eccleſiarum , incumbentem Romano Pontifici , tanquam Primati ; quà autem ratione hæc ſollicitudo explenda : an eà , quam hactenus expoſuimus , utpote ſtatui ac genio puriorum Eccleſiæ ſæculorum conformi : an tali , qualem prætendunt Ultramontani , id minimè exprimitur . Cæterum ævo divi Bernardi ſyſtema falſarum Decretalium jam prævaluerat ; unde minimè mirandum , ſi idem vir ſanctus hic & alibi ſecundum hujus corruptæ Oeconomiæ ideam non tantum locutus fuerit , ſed & quædam Scripturæ loca in eundem ſenſum traxerit , quæ ſecundum ſe ſpectata illuc nulla ratione pertinere noſcuntur.

(7) Hæc lucem dare poſſunt aliis ſimilibus Patrum locis , quæ in hanc rem proferuntur à Bellarmino , Perronio , Tournelio , Orſo & aliis , neque tamen cauſam , in quam allegantur , ulla ratione evincunt , ad ſummum verò aliis anſam dare potuerunt , & probabiliter dederunt agnoſcendi aut ſupponendi in Papa auctoritatem , quam neque divino neque humano jure obtinet . Illuſtre hujus rei exemplum porro exhibebimus *cap. V. §. 7.*

§. IX.

Status Eccleſiæ exterior per falſas Iſidori Decretales penitus immutatus eſt.

Lineamenta hujus novi Syſtematis.

Septem, quas hactenus recenſuimus, anſæ Pontificiorum jurium extra legitimos fines proferendorum, eæ ſimul junctæ occaſionem & materiam dederunt *OCTAVÆ*, omnium feraciſſimæ, quæ in una compage, ex præcedentibus peſſimè formata, imò egregiè ementitè, Eccleſiæ ſtatum formamque conſarcinavit, à primævo ſuo inſtituto, & à veritate planè alienam. Loquor de ſpuriis Decretalibus Iſidori, ante finem Sæculi VIIJ. ſub ficto nomine primorum ſanctiſſimorum Pontificum & Martyrum editis, de quarum auctore, receptione, ac conſtanti obſervantia agemus infrà *cap. VIII.* Quæ fuerit norma regiminis Eccleſiaſtici ex Chriſti inſtituto, & Apoſtolorum uſu, felicibus illis ſæculis, eam, quam hìc tangimus, periodum præcedentibus, ſervato, evidenter liquet tum ex iis, quæ á nobis generatim dè genuino Syſtemate ſacræ Reip. hucuſque expoſita ſunt, tum ex illis, quæ de ſingulis ejus partibus deinceps tradentur. Hìc ex oppoſito intuebimur ejuſdem Reipublicæ Chriſtiano-Eccleſiaſticæ faciem, qualem in ſuis pſeudo-Decretalibus pingit Iſidorus, quamque pro exteriore regiminis forma in Eccleſiam invehere ei ſucceſſit, miniſtrà ignorantia, & adminiculantibus circumſtantiis, quas *cit. cap. VIII.* referemus. Agnoſcemus autem haud difficulter in juniore hac facie, antiquitati incognita, formam illam monarchicam, quam toto hoc Opere expugnamus; ſicque facilè intelligemus, per hanc Decretalium confictionem & introductionem, *Patrum diſciplinam* fuiſſe confractam, & , quoad hanc, Chriſtiano orbi quaſi pro jure propoſita principia, tanquam ab Apoſtolica Traditione ad nos transmiſſa, quæ tamen Apoſtolorum moribus, & primorum ſæculorum obſervantiæ directè repugnat.

[1] Præprimis facit Iſidorus Romanum Pontificem *UNIVER SALIS Eccleſiæ* Epiſcopum . Sic etenim Epiſt. II. Stephani. I. : *Stephanus Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus* ; apud Harduinum Collect. Concil. Tom. I. col. 143. In Victoris Epiſt. I. cap. 3. *Eccleſia Romana Univerſalis Eccleſiæ Sedes* vocatur ; Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 7. In Pontiani Epiſt. II. : *Pontianus ſanctæ & Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus omnibus Chriſtianis* ; Cauſ. III. Quæſt. 5. Can. 4. Similia aliis attribuuntur , ſignanter Sixto I. in Harduini *Coll. Conc. Tom. I. col.* 90.

(2) Vult Iſidorus omnes *MAJORES* cauſas ad Apoſtolicam Sedem referri . Hunc in finem loqui facit Anacletum Papam Epiſt. I. in fin. apud Gratianum *Cauſ. II. Quæſt. 6. Can.* 3. nec non Marcellum Epiſt. I. *Cauſ. XXIV. Qu.* 1. *Can.* 15. in qua Epiſcopos provinciæ Antiochenæ hortatur, „ ne à Sedis Romanæ diſpoſitione devient , ad quam (ait) „ cuncta *Majora* Eccleſiæ negotia, Divina diſponente gra- „ tià , juſſa ſunt referri , ut ab ea regulariter diſponantur, „ à qua ſumpſere principia . “ Idem quoque ordinat circa *DIFFICILIORES* cauſas ; ſiquidem Epiſtola III. Anacleto attributà Cap. 4 apud Harduinum *cit. Tom. I. col.* 74. hæc memorat : Si quæ cauſæ *difficiliores* inter vos (loqui- „ tur ad Epiſcopos , & reliquos Chriſti Sacerdotes) ortæ „ fuerint , ad hujus ſanctæ Sedis apicem eas , quaſi ad Caput referte , ut Apoſtolico terminentur judicio : quia ſic „ Dominum velle , ab eoque ita conſtitutum eſſe , ante- „ dictis teſtimoniis declaratur , Hæc verò Apoſtolica Se- „ des cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino , & „ non ab alio , eſt conſtituta ; Et ſicut cardine oſtium re- „ gitur , ſic hujus ſanctæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ, „ Domino diſponente reguntur . “ Adde *Cauſ. II. Quæſt. 6. Can* 3. & *Diſt. XXII. Can.* 2. Nos de Majoribus & Difficilioribus cauſis ex profeſſo tractabimus *cap. ſeq.*

(3) Cauſas *EPISCOPORUM* reſervat Romanæ Sedi in pluribus falſis Epiſtolis , ſub nomine Sixti I. Epiſt. II. cap. 2,

Ani-

Aniceti cap. 3. Eleuterii cap. 2. Victoris Epiſt. I. cap. 3. Zepherini Epiſt. I. Marcelli Epiſt. I. Eæ pro parte proſtant in Decreto *Cauſ. III. Quæſt. 6. Can.* 5. 6. 7. 9. Denique in Africanorum ad Damaſum Papam Epiſtola, quam ex collectione Iſidori dat Harduinus *cit. Tom. I. col.* 763. in qua ita: " Epiſcoporum judicia, & ſummorum finem " Eccleſiaſticorum negotiorum, in honore beatiſſimi Pe- " tri, Patrum Decreta omnium, cunctam reſervavere ſen- " tentiam, inquirendi reverentia in Dei rebus, quas omni " cura & ſollicitudine obſervare debemus. Maximè verò " juſtè ab ipſo debent Præſulum examinari vertice Apo- " ſtolico, cujus hæc vetuſta ſollicitudo, tam mala damna- " re, quàm revelare laudanda. " Confer infra *Cap. IV.* §. 1. *n.* 3. §. 8., §. 11. *n.* 2.

(4) Huic Epiſtolæ ita reſpondere fingitur Damaſus, ut ſimul innuat, ſine auctoritate Romani Pontificis nulla *CONCILIA*, etiam *provincialia*, (de horum enim materia hìc potiſſimum ſermo eſt) congregari poſſe. " Nam ut noſtis (ait cap. 2. " apud Harduinum *col.* 764.) Synodum ſine auctoritate " fieri non eſt Catholicum; nec Epiſcopus niſi in legitima " Synodo, & ſuo tempore Apoſtolica vocatione congre- " gata, definitivè damnari poteſt; neque ulla unquam " Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſtolica " auctoritate. " His adde falſam Decretalem Julii I. Papæ apud eundem Harduinum *col.* 566. Fontes, ex quibus hæc derivavit Iſidorus, indicat Petrus Couſtantius in *Collect. Epiſt. RR. Pontif. col.* 386. *not. e.*

(5) Quamvis, ut obſervat clar. Pithœus in Commentario ad Libertates Eccleſiæ Gallicanæ *cap. X.* non reperiatur, ullius *Synodi* & Decretorum ejus *CONFIRMATIONEM* octo primis ſæculis à Sede Romana poſtulatam fuiſſe; nihilominus poſt publicatas falſas Decretales, & receptum Gratiani Decretum, cui eæ inſertæ ſunt, invaluit opinio præſertim apud Romanos, nullam Synodum cogi, aut ejus decreta rata eſſe poſſe, niſi Sedis Apoſtolicæ acceſſerit

rit auctoritas. Etenim in ſuppoſititia Epiſtola Marcelli Papæ ad Maxentium apud Gratianum *Diſt. XVII. Can.* 1. legitur: *Synodum Epiſcoporum abſque hujus Sanctæ Sedis auctoritate (quanquam quoſdam Epiſcopos congregare poſſitis) non poteſtis regulariter facere*. Porro *ead. Diſt. Can.* 2. in quo fragmentum ſuppoſititiæ Decretalis ſub nomine Julii I. ad Orientales, hoc ſummarium præfigitur: N*on eſt ratum Concilium, quod auctoritate Romanæ Eccleſiæ fultum non fuerit*. Equidem in Decreto Concilii Trid. *Seſſ. XXIV. cap.* 4. quo ſingulis trienniis Synodum Epiſcoporum cogendam ſtatuitur, nihil occurrit de preſidio Legati Apoſtolici, aut confirmatione à Pontifice petenda; attamen ad calcem dicti Capitis ſecundi ſubnectitur declaratio Congregationis Cardinalium Concilii Trid. interpretum de die 6. Aprilis an. 1596. his verbis concepta: *quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto Pontifice*. Hac declaratione, tanquam falſis Decretalibus ſat conformi, verbis Concilii Tridentini *vim apertam* inferri, obſervat P. de Marca *de. C. S.* & *I. Lib. VI. cap.* 14. *num.* 13.

(6) Iiſdem ſemper principiis inſiſtens Iſidorus, fingit Anterum Papam ſcribentem, quaſi Euſebius quidam Apoſtolica auctoritate de parva civitate ad Alexandrinam Sedem *TRANSLATUS* fuiſſet; quod quantum à moribus tertii ſæculi, quo Anterus floruit, alienum ſit, nemo ignorat, & nos pluribus referemus *cap. ſeq.* §. 6.

(7) De *APPELLATIONIBUS* ad Romanam Sedem agemus ex condicto infrà *cap. V.* Ad probandam prætenſam antiquitatem hujus juris producuntur inter cæteros trium primorum ſeculorum Pontifices, Sixtus I. *Epiſt.* II. *cap.* 2. Zephyrinus *Epiſt.* I. Fabianus *Epiſt.* III. *cap.* 5. Sixtus II. *Epiſt.* I. In quarum poſtrema ſic differitur apud Harduinum *Tom. I. col.* 180. & in Decreto Gratiani *Cauſ.* II. *Quæſt.* 6. *Can.* 5. " In hac ſancta Sede (Romana) dudum „ à multis Epiſcopis conſtitutum fuit, & modò (ait Auctor.

„ ctor Epiſtolæ) ad veſtrum & cæterorum fratrum auxi-
„ lium eſt denuo roboratum, ut omnes Epiſcopi, qui in
„ quibuſdam gravioribus pulſantur vel criminalibus cauſis,
„ quoties neceſſe fuerit, liberè Apoſtolicam appellent Se-
„ dem, atque ad eam quaſi ad Matrem confugiant, ut ab
„ ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, & liberentur. “ Poſt hæc, tanquam *antiquam* Apoſtolorum & primorum Pontificum auctoritatem, adducit Canones Synodi Sardicenſis, (quæ anno 342. habita eſt, quando Sixtus PP. II. jam anno 259. obierat.) verbis non parum interpolatis, ac tum demum ſubjungit: “ Et ſi quis putaverit, ſe pro-
„ prio Metropolitano gravari, apud Primatem diœceſeos,
„ aut penes Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Papam judice-
„ tur: Ait enim Jacobus Apoſtolus: *Judicium ſine miſeri-*
„ *cordia illi fiat, qui non fecit miſericordiam. Super extollit*
„ *autem miſericordia judicio*. “ Solida, me Hercule, & inſignis probatio!

(8) Ex eodem Iſidoriano promptuario refertur apud Gratianum *Diſt. C. Can.* 1. Decretalis Pelagii I, in qua hæc inter alia: “ Placuit, ut quiſquis Metropolitanus, *ultra tres*
„ *menſes* conſecrationis ſuæ, ad fidem ſuam exponendam,
„ *PALLIUMQUE* ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam Sedem
„ non miſerit, commiſsâ ſibi careat dignitate, ſitque Me-
„ tropolitanis aliis licentia, poſt ſecundam & tertiam com-
„ monitionem, viduatis Eccleſiis, cum conſilio Romani
„ Pontificis, ordinando Epiſcopos ſubvenire. “ Inde inducta diſciplina hodieque obtinens, quod Metropolitani, licet conſecrati ante receptum pallium ne Epiſcopales quidem functiones exercere valeant; cùm tamen, uti obſervat Thomaſſinus *de Diſcipl. Eccleſ. Part.* II. *cap.* 25. *n.* 10. non reperiatur, quod primitus Metropolitani, obtenta conſecratione, impedirentur obire functiones, quoadusque pallium recepiſſent. Eo non attento, præmemoratæ Decretali innixus Gregorius VII. *Lib. IX. Epiſt.* 1. Rothomagenſem Metropolitanum vehementer redarguit, quòd pallio ab Apoſtolica Sede haud poſtulato, functiones ſui ordinis obi-

obire præſumpſerit; „ Proinde, ait, Apoſtolicâ tibi præ-
„ cipimus auctoritate, ut quia *Sanctorum Patrum* ſtatuta
„ parvi pendiſti, nullum deinceps Epiſcopum vel Sacer-
„ dotem ordinare, ſeu Eccleſias præſumas conſecrare, do-
„ nec honoris tui *ſupplementum*, Pallii videlicet uſum, ab
„ hac Sede impetraveris. " Gregorium VII. ſecutus eſt
„ Innocentius III. in *cap.* 28. *§. un. v. Præterea. de Elect.*

(9) Voluit denique Iſidorus, & ſub falſo nomine Julii I. Papæ *Diſt. XI. Can.* 3. Orientalibus declaravit, *non licere membris diſſentire à conſuetudine Eccleſiæ Romanæ*. In iis etiam negotiis, quæ directè ad Sedem Romanam referre non potuit, ut tamen huic apertas liberaſque manus ſervaret, addidit familiarem ſibi clauſulam: *Salvo in omnibus Romanæ Eccleſiæ privilegio*; vel: *Salvâ in omnibus Apoſtolicâ auctoritate*. Vid. Pii I. Epiſt. II. & Fabiani Epiſt. III. cap. 2. apud Harduinum *Tom. I. col.* 98. *&* 129. Adde Gratianum *Cauſ. III. Quæſt. 6. Can.* 12. *&* 14.

(10) Quis non conſideratis, combinatis, & pro veris reputatis his omnibus, concludet pro *MONARCHIA ROMANI PONTIFICIS*, cujus meri miniſtri ſint Epiſcopi? Hoc certè fecit Gratianus, aſſerens Epiſcopos tantùm in partem ſollicitudinis eſſe vocatos, ſolum Papam in plenitudinem poteſtatis; ſic enim ſub nomine Vigilii (alii *Julii*) Papæ ſcribit Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 12.: *Qui ſe ſcit aliis præpoſitum, non moleſtè ferat, quem ſibi eſſe prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ Sollicitudinis, non in plenitudinem Poteſtatis*. Idem ſub nomine Gregorii IV. refert ead. Quæſt. 6. Can. 11. Utrumque hunc locum & Vigilii & Gregorii ſuppoſititium eſſe, obſervavit de Marca *Lib. V. cap.* 26. *n.* 9. Interim ſubſtitere hæc principia, & tranſierunt etiam in Decretales Gregorii IX. uti videre eſt in *cap.* 4. *de Auctorit. & uſu pallii*; ſuntque hodiedum veluti fundamentum cæterorum Italicorum Axiomatum circa poteſtatem ſummi Pontificis. Inde ea

colligit Fagnanus in *cap.* 1. *de Officio*, *&* *poteſtate judicis ordin. n.* 47. *ſeqq.* & inter reliqua hoc : Quòd Epiſcopi juriſdictionem non immediatè à Chriſto, ſed à Romano Pontifice teneant, adeoque illa poſſit pro hujus voluntate coarctari. Plura de fictis Iſidori Decretalibus recurrent *toto cap. IV.*

(11) De fructu hujus præclaræ operæ ita diſſerit Petrus Couſtant, doctiſſimus Congregationis S. Mauri Sodalis in Præfatione ad Epiſtolas Romanorum Pontificum anno 1721. editas, pag. CXXVII. „ Iſidorus hac ſuâ fraude quàm ſit „ perniciosè de Eccleſia meritus, dici vix poteſt. Hinc „ debilitati penitus fractique Diſciplinæ nervi, perturbata „ Epiſcoporum jura, ſublatæ judiciorum leges, aut miſe„ rum ſaltem in modum afflictæ; hinc diſcordiarum, ſedi„ tionum ac litium ſeges immenſa, quæ tot ſæculis ad Ec„ cleſiæ dedecus fideliumque offenſionem fruticavit. Ne„ que id ſolùm, ſed alienæ etiam communionis hominibus „ aperta ingens ad calumniam feneſtra. Cùm enim putida „ tot ſcripta mendacii inſimulare promtum eſſet, ac re „ quidem verâ inſimularent ipſi convincerentque, gradum „ inde ad genuina in dubium vocanda fecerunt. Errorem, „ ùt par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipſam „ involârunt. Exprobrata Catholicis nimia credulitas, fu„ co falſi adſperſa ſapientiſſima decreta, ſanctiores ritus ex„ ploſi, rejecta ſine pudore ac modo fundatiſſima quæque „ ſummorum Pontificum jura, aut certè ad tenuem exi„ lemque umbram redacta . . . . Spurios quidem „ hos fœtus in ipſo ſtatim ortu extingui ad Eccleſiæ utilita„ tem pertinebat . . . . Verùm Iſidori ætate nil „ mirum ab hujuſmodi fraudibus non ita cautum eſſe. „ Diſciplinæ veteris ſeveritatem laxaverat præpoſitorum „ incuria, ſeu fatalis illa rerum humanarum conditio, ut „ optimæ quæque non ſint diuturnæ. Accedebat paucitas „ hominum, qui & intimam antiquitatis cognitionem & ſa„ nioris critices guſtum haberent. In hoc rerum ſtatu ir„ repſit ſenſim, neque animos ſtatim perculit, latens error,

„ &

„ & ſub graviſſimorum nominum perſona invaluit., ſic ta-
„ men, ut majorum noſtrorum quaſi ſomno adoleviſſe vi-
„ deatur.

(12) *Omnia* in ſancta Religione noſtra *quâ fide à Patribus accepta ſunt, eâdem fide filiis conſignari debent, noſque religionem non quà vellemus ducere, ſed potiùs quà illa duceret, ſequi oportere; idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare*, inquit Vincentius Lirinenſis in *Commonitorio Cap.* 8. Adversùs hanc regulam Sæculo VIII. inſigniter peccatum eſt duce Iſidoro, qui formam Eccleſiæ & regiminis ejus, qualem à Patribus acceperat, poſteris non conſignavit, ſed quà ipſe voluit duxit, & diſcipulos invenit. Porro *Eccleſia*, ut ait Facundus, *non eſt indiga falſitatis*.

§. X.

Novum illud Syſtema non leviter roboratur per amplum dominium & regimen temporale, quod Romanæ Eccleſiæ circa eadem tempora acceſſit.

Ad ſtabilienda hactenus recenſita media formandæ *Monarchiæ ſacræ* acceſſit *NONO* dominium temporale ampliſſimi territorii, quod Romanæ Eccleſiæ ex Imperatorum & Principum liberalitate ſeriùs obvenit; quodque (prout eſt humana debilitas, quæ exteriore apparatu facilius capitur & excœcatur) ejuſdem Eccleſiæ Præſuli, Eccleſiaſtico Primatu jamtum fulgenti, temporalis quoque Principatûs majeſtatem faſtumque adjecit; qui ſe deinde etiam in officium ſacri Primatûs ejuſque adminiſtrationem nimiùm quantùm ingeſſit. Itaque Romæ tanquam in Centro volvebatur ſpirituale regimen univerſalis *Eccleſiæ*; agebatur autem & ibidem jamtum Sæculo VIII. & IX. ſæcularis *Curia*, haud levem in res Romani Imperii & jura Capitis ejuſdem habens influxum, qui deinde & mira incrementa accepit. Conf. ſuprà §. 7. n. 4.

(1) Non agam hìc de prætenſa donatione CONSTANTINI, de qua videri poſſunt Baronius *in annal. ad an.* 324. *n.* 117. de Marca *Lib. III. cap.* 12. *n.* 3. & innumeri alii. Hoc donum, qualecunque ſit, antiquius eſt Sæculo X., in quo illud multi Critici reponunt. Comparet hæc donatio jam Sæculo VIII. in Epiſtola Hadriani Papæ I. ad Carolum M. quæ eſt XLIX. Codicis Carolini, lectu digniſſima, in Muratorii *Rer. Ital. Script. Tom. III. P. II. pag.* 194. Nec examinabo fines donationis à PIPINO, Eccleſiæ Romanæ factæ terrarùmve ei beneficio hujus Regis reſtitutarum, de quibus teſtantur Eginhardus *de Geſtis Pipini Regis ad annum* 755. *apud Du Cheſne Tom. II. pag.* 235. Annales Fuldenſes *ad an.* 756. Annales Laurisheimenſes *ad an.* 753. Anaſtaſius in *Vitis Pontificum, in Vita Stephani III. pag.* 126. Minùs hìc diſcutiam, an CAROLUS M. factus Imperator & Dominus Romæ, ſupremum & *abſolutum*, an *utile* tantùm dominium hujus urbis, Romanæ Eccleſiæ & ſummo Pontifici tranſcripſerit, in qua quæſtione pro *Imperio* diſputat Muratorius *Droits de l' Empire ſur l' Etat Eccleſiaſtique c. VI. p.* 77. *ſeq.* pro *Papa* Juſtus Fontanini *Dominio della S. Sede ſopra Comachio Diſſ. I. c.* 95. 96. Hoc tamen perſpicuum exiſtimem, amplam tum modò Romani Pontificis in urbe tractuque Romano poteſtatem fuiſſe, multaque cum imperio ab eo liberè ſancita & facta eſſe. Unde apparet, regimen illud Pontificum temporale receptioni Iſidorianarum Decretalium tantùm non coævum eſſe.

[2] Qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica vel tenuiter verſati ſunt, non ignorant, quantum per omnia Sæcula Romanis Pontificibus negotii fuerit cum Imperatoribus & Romano Imperio, aliiſque Principibus circa illud, quod nunc vocamus *Patrimonium S. Petri*, ejùſve partes, imò circa extera regna & provincias, quæ feudi titulo à Romana Eccleſia dependere prætenduntur; quàm porro faciles fuerint Romani ad miſcendum in his conflictibus jura ſpiritualia (& ea quidem ad leges Iſidori commenſurata) cum temporalibus, pro defenſione aut extenſione jurium ſui territorii; & viciſſim,

quàm

quàm politicè iidem agant ad ſuſtinendas omnes vel minimas partes ſacræ ſuæ auctoritatis, in quarum poſſeſſionem eos Juriſprudentia falſarum Decretalium, aliæque non minùs favorabiles circumſtantiæ, quas ſuis reſpectivè locis indicamus, miſerunt.

(3) Pientiſſimus quidam Galliæ Præſul ſuperiore ſæculo hanc politicarum ſacrarumque rationum mixturam deplorans, dolore verè Apoſtolico ingemuit, ita ad ſuos Collegas ſcribens: „ Ce n' eſt pas aujourd' hui, que ceux qui ſont „ auprès des Papes, & qui ne travaillent qu' à leur inſpi- „ rer leurs paſſions, les ont porté à mepriſer les Evêques. „ Il paroît, que depuis quelque tems, ils les ont voulu „ mettre en poſſeſſion de ne faire aucun etat des lettres „ des Evêques, lorsqu' ils n' écrivent qu' en Evêques, ſans „ être apuïés du credit & de la faveur des perſonnes ſécu- „ lieres. Comme le Pape a deux qualités, celle de *Prince* „ *Temporel*, & celle de *Chef de l' Egliſe*, on les confond „ tellement enſemble, que lors même qu' il ne s' agit que „ des fonctions de la derniere, qui ne doit rien avoir que „ de ſpirituel & de Divin, on eſt ſujet à y mêler beaucoup „ de cet eſprit de grandeur mondaine, qu' inſpire la pre- „ miere; & c' eſt ce qui fait que la ſeule qualité de Succeſ- „ ſeurs des Apôtres, quand elle eſt deſtituée des apuis hu- „ mains, n' atire guéres le reſpect en un lieu, où ceux „ „ qui ont le plus de crédit auprès des ſouverains Pontifes, „ ſont accoutumés de regarder les choſes par des vûës „ plus politiques qu' Apoſtoliques, & ſont d' ordinaire „ plus diſpoſés à traiter des plus importantes affaires de „ l' Egliſe avec des perſonnes qui n' en ont aucune connoiſ- „ ſance, qu' avec des Evêques, qui en ſeroient le mieux „ inſtruits, lorsqu' ils n' ont point d' autre recommenda- „ tion que leur caractere, leur ſuffiſance, & leur piété. „ Car il ſemble, qu' alors ils prennent plaiſir à enſeigner „ par actions, ce que les Theologiens de Rome enſeignent „ par leurs livres, que le Pape eſt le maitre ſouverain & „ abſolu de toute l' Egliſe: Que les Evêques ne ſont que

ſes

„ ſes Vicaires, tenant de lui toute leur puiſſance: Qu' il „ les ecoute, quand il lui plait; & qu' il ne les ecoute pas, „ quand il ne lui plait pas . . . . . . Qu' il eſt libre d'en „ uſer comme il veut; & que quoiqu' il faſſe, c' eſt aux in- „ ferieurs à reſpecter la conduite, que l' on tient ſur eux." Confer infra *Cap. VII.* §. 8. *n.* 15. item §. 9.

(4) Agimus hic de rationibus politicis, quæ veniunt in ſubſidium Monarchiæ ſacræ. Qui cum INNOCENTIO III. in *cap.* 34. *X. de Elect.* ſuſtinet, ad Papam pertinere jus electum Imperatorem examinandi, approbandi, coronandi, aut ſi indignum putaverit rejiciendi: cum CLEMENTE V. in *Clementina unica de Jurejur.* ab Imperatore ſummo Pontifici homagium & vaſallagium deberi: cum INNOCENTIO IV. in *cap.* 2. *de ſentent. & re judicata in 6to*, quòd Papa Regibus ſibi inobedientibus poſſit regna auferre & aliis tradere: denique cum prælaudato INNOCENTIO III. in *cap. 6. X. de Voto & voti redemptione*, quòd Rex votum ultramarinum non implens regno privandus ſit: qui, inquam, præ oculis habet Syſtema Juris Eccleſiaſtici, ex cujus principiis hæ concluſiones defluunt, quæ Romano Pontifici tantam auctoritatem ſuper omnes Reges & regna tribuunt; an ille, ſtipatus catervâ Miniſtrorum, has res, ſi non plus, ſaltem non minùs ex rationibus politicis, quàm ſacris, æſtimantium, facilis erit ad relaxandam vel minimam partem jurium, quæ ejuſdem Monarchiæ tribuunt Iſidorus & Gratianus, quorum verba purum veriſſimumque ſonum eſſe ſanctiſſimorum Patrum ſecundi & tertii ſæculi, juràſſent non ipſi ſolùm Pontifices eorumque Aulici, ſed ii etiam, quibus illorum imperium tam grave & oneroſum accidit?

(5) Gerohus Præpoſitus Reicherſpergenſis Expoſitione in Pſalmum LXIV. ſive in Libro de corrupto Eccleſiæ ſtatu ad Eugenium III. Papam, apud Baluzium *in Miſcellaneis Tom. V. pag.* 63. „ Neque enim, ait, vel hoc ipſum ca- „ rere maculâ videtur, quòd nunc dicitur *Curia Romana*, „ quæ antehac dicebatur *Eccleſia Romana*. Nam ſi revol-

„ vantur

„ vantur antiqua Romanorum Pontificum ſcripta, nuſ-
„ quam in eis reperitur hoc nomen, quod eſt Curia, in
„ deſignatione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ rectiùs
„ *Eccleſia* quàm *Curia* nominatur, quia nomen Curiæ, ùt
„ ante nos dictum eſt, à cruore derivatur, ſive à curis „
„ ùt ait quidam:

„ *Curia curarum genitrix, nutrixque malorum* „
„ *Injuſtos juſtis, inhoneſtos æquat honeſtis*.

„ Abſit autem à ſacroſancta Romana Eccleſia talis macula
„ & ruga, qualis nomine Curiæ notatur; quod nomen his,
„ qui mollibus veſtiuntur, & in domibus Regum ſunt, at-
„ que Judicibus cunctis, qui in judicio ſanguinis cooperan-
„ tur ad vindictam malefactorum, non improbabiliter at-
„ tribuitur. " Sic rectè cogitari & dici putabatur ante VI. Sæcula. Quid obſtat, ut & idem exiſtimemus hodie? Adde infrà *cap. VII. §. 5. n. 5.*

§. XI.

Syſtema falſarum Decretalium etiamnum in Romana Eccleſia viget; quin multò durioribus, quàm olim, conditionibus practicatur.

Si jam enarratis modis Jus Publicum Eccleſiaſticum per varia media, maximè autem per falſa Iſidori, & his innixos errores Gratiani, ingentem plagam ſuſtinuit, quin potiſſimâ ſuâ parte everſum eſt, atque egregium illud falſum *noviſſimè* ſolùm detectum fuit, minimè mirandum, quòd Romana Curia, jurium utcunque partorum tenaciſſima, iiſdem principiis continuò inſiſtat, imò (ſicut in humanis, cùm ſemel aggeres rupti ſunt, fieri ſolet) eorum conſequentias multiplicet. Non poterimus autem certiùs evincere eorundem principiorum in dicta Curia ſubſiſtentiam, quàm ſi Lectorem rogemus, ut ſyſtema ſubdititiarum Decretalium, quod §. 9. ſuis è fontibus erutum ſtitimus, comparet imprimis cum generali ideâ, quam de ſupremis juribus

bus ſummi Pontificis dat, inter alios, Cardinalis de Luca, deinde cum ſequelis, quas ex ea deducunt, & quotidie practicari tradunt verſatiſſimus in his rebus Papa BENEDICTUS XIV. & alii primarii in Curia Doctores, Conſiliarii, ac Judices. Sic autem laudatus Cardinalis in *Relat. Curiæ Rom. forenſis Diſc. IV. n.* 10. „ Spectatâ majori & principali perſonâ Summi Pontifi-„ cis, in concernentibus regimen Eccleſiæ Univerſalis ſub no-„ mine Officialium & Adjutorum Papæ, juxta unam opinio-„ nem, veriorem, receptam hac in Curia (quam tamen, ùt „ aliàs dictum eſt, aliqui Ultramontani non de facili admittunt) „ largè ſeu mediatè recenſentur catholici Patriarchæ, Primates, „ Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique inferiores Prælati ſpiritua-„ lem, ſeu quaſi-Epiſcopalem jurisdictionem habentes. Cùm „ enim Papa dicatur *Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis*, ac *Ordina-„ rius Ordinariorum*, habens univerſum mundum pro diœceſi, „ ùt ſuprà Diſcurſu 2. advertitur; hinc per neceſſe danda eſt „ hæc ſubordinatio, quòd ſcilicet alii Prælati, quamvis in pon-„ tificali dignitate vel ordine conſtituti, cenſendi ſint quidem „ Paſtores ſibi commiſſorum gregum vel ovilium, ita pro me-„ liori regimine diſtributorum, ſed ſubordinati primo Paſtori, „ à quo, vel cum cujus auctoritate præpoſiti ſunt, juxta illam „ proportionem, quæ cadit inter Epiſcopum & parochos, vel „ plebanos ſingulorum locorum diœceſis. Si enim hæc ſubor-„ dinatio non adeſſet, non potuiſſet Papa interdicere Epiſcopis „ ac Prælatis proviſiones beneficiorum, quæ ſub Apoſtolicis re-„ ſervationibus vel affectionibus cadunt, aliaque multa eis pro-„ hibere, ſibique reſervare, quæ inſpectâ jurisdictione nativâ, „ & antiquorum Canonum diſpoſitione ſunt juris Epiſcopalis. "
Ex generali hac ideâ Pontificiæ auctoritatis (quam *cap. VII.* § 7. aliis etiam verbis ejuſdem Eminentiſſimi Viri exhibemus) hæc quaſi naturaliter profluentia, & illis, quæ ſuprà §. 9. ex Iſidoro dedimus, apprimè reſpondentia themata dimanare facit, ac veluti totidem firmas concluſiones ſtatuit BENEDICTUS XIV. in celebri ſuo Opere *de Synodo diœceſana*, videlicet: „ Romanus Pontifex eſt univerſæ, quæ ſub cœlo eſt, Chriſti „ Eccleſiæ Princeps, Moderator, & Paſtor. *Lib. II. cap.* 1. *n.* 1.

„ Eſt

„ Eſt ſupra Concilium . *Lib. XIII. cap.* 12. *n.* 2. In tota Eccle- „ ſia eſt proprius Sacerdos, qui confeſſiones excipere, & fa- „ cultatem illas excipiendi alteri delegare poteſt. *Lib.* IX. *c.* 14. „ *n.* 2. Habet auctoritatem reſervandi caſus. *Lib. V cap.* 4. *n.* 1. „ In eo reſidet plenariè jus indulgentias elargiendi, & ab eo „ profluit in Epiſcopos. *Lib.* II. *cap.* 9. *n.* 7. Poteſt ab omni „ juriſdictione Epiſcopi ſubtrahere quamlibet Eccleſiam. *Lib. V.* „ *cap.* 7. *n.* 6. In Conciliis generalibus non tenetur ſequi ma- „ jorem partem judicum. *Lib. XIII. cap.* 2. *n.* 3. Supremam „ habet auctoritatem relaxandi & immutandi quamcunque legem „ eccleſiaſticam. *Lib. IX. cap.* 4. *n.* 7. Ipſe ſolus poteſt leges, „ ritus, & conſuetudines ubique receptas tollere & mutare. „ *Lib. XIII. cap.* 18. *n.* 11. De Pontificis poteſtate, poſtquam „ diſpenſavit, dubitare, inſtar ſacrilegii eſt. *Lib. VII. c.* 7. *n.* 7. „ Poteſt jure optimo ſibi reſervare ſpolia Clericorum. *Lib.* III. „ *cap.* 8. *n.* 6. &c. " His multò uberiora proſtant in iis Curia- liſtarum ſcriptis, quæ univerſam ſacram Juriſprudentiam complectuntur. Ex horum primariis, qui reliquorum omnium norma ſunt & cynoſura, extracta hic ſubjungimus potiora axiomata, ſcilicet ex Collectionibus Recentiorum Deciſionum Rotalium Merlini & Rubei, ex Fagnani Commentariis in Libros Decretalium, denique ex Cardinalis de Luca Theatro Veritatis & Juſtitiæ. Celebriores his non novimus, neque fortè noverunt alii. Ex his autem prudens Lector facilè judicabit de reliquis.

[1] In Clementis Merlini *DECISIONIBUS S. ROTÆ ROMANÆ* edit. an. 1662. Tom. I. occurrunt ſequentia: De poteſtate Papæ nefas eſt dubitare. *Deciſ.* 389. *n.* 26. *anno* 1629. Papa eſt in re beneficiaria dominus ſupremus, & diſpenſator. *Deciſ.* 814. *n.* 2. *an.* 1639. Poteſtas eſt indubitata, & abſoluta in Pontifice Romano, præſertim in materià beneficiaria, in qua liberas habet habenas. *Deciſ. ead.* Cum Papa ſit dominus beneficiorum omnium, rectè potuit præjudicare quibuſcunque collatoribus. *Dec.* 830. *n.* 3. *an.* 1640. Papa eſt ſupra omne jus poſitivum. *Deciſ.* 775. *n.* 26. *anno* 1638. Dogma certiſſimum eſt & ſolum ab hæreticis impu-

 gna-

gnatur, eccleſiaſticum regimen eſſe debere præcipuè monarchicum, quod ex tribus generibus Regiminum optimum eſt & perfectiſſimum, Apoſtolorumque Principem Petrum, & non alium, fuiſſe Monarcham à Chriſto Domino conſtitutum hujus regni, Romanumque Pontificem ſubinde ſuccedere Petro in hac eccleſiaſtica Monarchia, Caputque & Paſtorem eſſe omnium Eccleſiarum particularium, ac etiam totius univerſalis Eccleſiæ ſimul congregatæ, uti omnia ſcité admodum ex principiis fidei, ſacris Conciliis, & SS. Patrum teſtimonio comprobant, & ab impiorum calumniis vendicant Card. Turrecremata &c. *Deciſ.* 775. *num.* 23. *anno* 1638. Dato autem hoc monarchico regimine, ſequitur hæc facultas diſponendi ſuper bonis omnium Eccleſiarum, tanquam ſuo dominio, & primariæ ac ſupremæ adminiſtrationi ſubjectarum. *Ibid.* Papa eſt dominus omnium bonorum Eccleſiarum, & habet plenariam diſpoſitionem jure monarchico, quod apud eum reſidet in univerſum Corpus Eccleſiæ, & ſingula ejus membra. *Ibid.* *n.* 20. Congruè dici poteſt, Papam conſtitutum eſſe à Deo Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ. *Ibid.* *n.* 22. Epiſcopi à Papa immediatè acceperunt & habent poteſtatem cum omni alià facultate adminiſtrandi bona ſuarum Eccleſiarum. *Ibid.* *n.* 21. Ipſe Pontifex, tanquam Caput Eccleſiæ eſt dominus & ſupremus arbiter dominii & proprietatis Eccleſiarum. *Deciſ.* 846. *num.* 12. *anno* 1640. Papa uti totius Eccleſiæ gubernator ſupremus, & Dei Vicarius, eſt dominus bonorum omnium Eccleſiarum, & habet liberam ac plenam adminiſtrationem ſuper his bonis Eccleſiarum. Inferiores Prælati dicuntur habere adminiſtrationem ab ipſo Papa. *Dec.* 764. *n.* 12. Et poteſt liberè alienare iſta bona, concurrendo, vel præveniendo inferiores Prælatos. *Ibid.* *n.* 13. Papa poteſt ſupplere omnes defectus, & de hoc dubitare nefas eſt. *Deciſ.* 577. *n.* 3. *an.* 1633.

(2) Ex VIII. Parte Recentiorum Deciſionum Rotalium Rubei hæc facilè in oculos animumque incidunt: Papæ poteſtas.

teſtas in beneficialibus eſt ampliſſima, & adæquat ùt vulgò dicitur, quadrata rotundis. *Deciſ.* 83. *n.* 27. *an.* 1638. Summus Pontifex non eſt ſimplex adminiſtrator rerum Eccleſiarum, ſicut ſunt alii Prælati inferiores, ſed eſt dominus abſolutus, & ideo poteſt vendere bona Eccleſiarum ùt ſua, & uti dominus, non autem ut ſimplex diſpenſator, & concurrendo cum inferioribus Prælatis bona omnium Eccleſiarum in feudum & emphytheuſim poteſt concedere. *Deciſ.* 39. *n.* 31. 32. 33. *&* 34. *an.* 1638. Romanus Pontifex eſt Monarcha, Imperator, Rex, & Antiſtes, & de ejus poteſtate temporali in toto orbe ad aſſequendum aliquem finem ſupernaturalem, & alias vide latè à me ſcripta in Part. I. Annot ad deciſ. 2. à num. 187. uſque ad num. 291. Part. 3. Recen. Rubeus *annot. ad Deciſ.* 217. *n.* 166. *an.* 1643. Conſtito de voluntate Papæ in beneficialibus, fruſtratorium ſemper erit, & quaſi nugas agere, ſi quis vellet quærere de ejus poteſtate & auctoritate; argumenta enim deducere in materia tam clara non minus ſtultum eſſet, quam ſub luciciſſimo ſole mortale lumen quærere: Et non ſolum Papa poteſt prævenire, vel concurrere cum quolibet orbis collatore circa beneficiorùm collationem; ſed quod plus & mirabile eſt, omnia beneficia mundi ſunt manualia & obedientialia reſpectu Papalis poteſtatis: Quare Papa ad nutum ſuæ voluntatis ſine cauſa (quod tamen pro immenſa æquitate ac pietate Romanorum Pontificum nuſquam fieri vidimus, aut legimus) poteſt quemlibet poſſeſſorem ſuo beneficio privare &c. Idem *ad Deciſ.* 254. *n.* 16. *&* 17. *an.* 1644.

(3) In ejuſdem Rubei Part. IX. Recentiorum occurrunt ſequentia: Plenitudo poteſtatis, quam Papa habet ſuper jure, cùm ſit ipſe Monarcha, & Imperator ſupremus, longè difficilius extenditur ad Canones Conciliorum, quam ad alias quaſcunque conſtitutiones; ex hoc tamen in nihilo derogatur veritati illi hodie canonizatæ, coronatæ, & ſacroſanctæ, quod Papa ſit major Concilio, quidquid nonnulli temerario latrent auſu. Idem *ad Deciſ.* 90. *n.* 180. 181. *an.* 1642.

Summo Pontifici, dum Dei vices retinet, cenſentur ab initio donata fuiſſe omnia bona, quæ aut ex munificentia Principum virorum, aut aliorum pietate conceſſa fuerunt alicui Eccleſiæ. *Deciſ.* 24. *n.* 2. *an.* 1641. Pedibus Romani Pontificis, tanquam Vicario Jeſu Chriſti, ſucceſſori B. Petri, ac æterni regni Clavigero, Cæſarea ſuccumbit Majeſtas, Regeſque ſuas ſubmittunt regales coronas, ejuſque Romani Pontificis ſumma poteſtas, tanquam æmula ſolis, ubique ſe dilatat, imò relinquendo à tergo, uti metas anguſtas, terminos Zodiaci, à Zeferinis portis Empirei uſque ad profundos abyſſos averni glorioſè ſe extendit. Rubeus *ad Deciſ.* 412. *n.* 125. 126. 127. *an.* 1646.

(4) Parte XII. ejuſdem Collectionis: Fas non eſt dubitare de poteſtate Papæ. *Deciſ.* 107. *n.* 27. *an.* 1655. Papa in bonis Eccleſiæ habet latiſſimam poteſtatem, & nulla lege coarctatam. *Deciſ.* 413. *n.* 36. *an.* 1642. De poteſtate Papæ diſputare ſacrilegium eſt. *Ead. Deciſ. n.* 78. Pontifex non attentat, cum præſit jure quæſito poſitivo. *Deciſ.* 105. *n.* 5. *an.* 1656.

Parte XIII. Papa poteſt tollere Jus Civile, quod ei famulari ſolet. *Deciſ.* 538. *n.* 20. *an.* 1615. Papa poteſt diſponere de bonis Eccleſiæ. quomodo vult, tanquam bonorum Eccleſiæ abſolutus dominus *Deciſ.* 374. *n.* 3. *an.* 1651.

Ceſſo ab extrahendis ulterioribus; qui volet excutere reliqua Volumina Recentiorum Deciſionum Rotalium, XIX. Tomos implentia, hæc & ſimilia principia (ex quibus etiam exteræ Nationes Romæ judicantur) ſexcenties in eis repetita inveniet.

(5) In CARDINALIS DE LUCA Theatro Veritatis & Juſtitiæ ſequentes proſtant doctrinæ: Papa eſt Epiſcopus totius orbis, *De Benef. Diſc.* 21. *n.* 6. *Diſc.* 45. *n.* 13. Habet fiſcum & territorium in toto mundo quoad perſonas & cauſas Eccleſiaſticas. *Relat. Cur. Diſc.* 2. *n.* 5. 35. 36. *&c.* Ad eum ſpectat Diœceſes & loca Nullius conſtituere, *de Juriſ.*

Diſc.

Diſc. 1. *n.* 11. *Diſc.* 7. *n.* 3. Omnes Epiſcopi , Archiepiſcopi , & Patriarchæ ſunt ejus Officiales . *Relat. Cur. Diſc.* 4. *n.* 10. Eſt abſolutus dominus omnium beneficiorum ; & in eis poteſt tertio præjudicare . *De Benef. Diſc.* 46. *n.* 17. *Diſc.* 52. *n.* 16. Poteſt prævenire ordinarios collatores , & concurrere cum quolibet eorum . *De Juriſd. in Sum. n.* 33. *ſeqq. de Benef. Diſc.* 18. *n.* 11. *Diſc.* 23. *n.* 2, Beneficia perpetua ejus reſpectu ſunt manualia . *de Benef. Diſc.* 97. *n.* 24. Concordata non ligant ejus poteſtatem . *Miſcell. Diſc.* 1. *n.* 7. Concedere poteſt Coadjutorias ſine conſenſu Coadjuti , & abſque conſenſu Capituli vel Monaſterii . *De Regular. Diſc.* 53. *n.* 14. 16. Perpetuis penſionibus poteſt Eccleſias gravare , etiam abſque patronorum conſenſu . *De Jurepatr. Diſc.* 66. *n.* 14. Habet plenum dominium etiam in iis, quæ Eccleſiis conceſſa ſunt per Principes ſæculares . *Relat. Curiæ Diſc.* 2, *n.* 17. Derogare poteſt Conciliis generalibus cum notà ſpeciali , & Tridentino abſque ea . *De Benef. Diſc.* 46. *n.* 1. 13. *Diſc.* 52. *n.*14. *Annot. ad Concil. Trid. Diſc.* 1. *n.* 13. *Diſc.* 41. *num.* 1. *&c.* Concernentibus Deum & animam ipſe ſolus in orbe derogat *Annot. ad Concil. Diſc.* 21. *n.* 6. Ad actus validitatem poteſt fingere factum fuiſſe id quod erat faciendum . *De Feud. Diſc.* 4. *n.* 3.

(6) Denique FAGNANUS in ſuo ad Decretales Commentario ſequentia ſuppeditat : Papa non puri hominis , ſed veri Dei vicem gerens in terris , cœleſte habet arbitrium . *In cap. Quanto. de Translat. Ep. n.* 64. 65. 66. Eſt major Apoſtolo ; nec Pauli nec Petri præceptis adſtringitur . *Cap. Super eo. de Bigam. n.* 16. 17. Omnia poteſt extra jus , ſupra jus , & contra jus . *Cap. Conſultationibus de Cler. ægrot. n.* 25. Interpretatio Papæ prævalet dictis ſanctorum Patrum ; & contraria opinio Abbatis erronea eſt . *Cap. Ne innitaris. de conſtitut. n.* 6. Standum eſt ejus ſententiæ, ſi contradicat Eccleſiæ, vel Concilio , etiam in materia dogma-

matum. *Cap. Significaſti. de Elect. n.* 11. Sententia Papæ prævalet ſententiæ totius mundi. *Ibid. n.* 48. Non ſubjicitur Canonibus. *Cap. Antigonus. de Pactis. n.* 57. In ſpiritualibus omnia poteſt, & nullus poteſt quærere poſſeſſionem, quæ illi præjudicet. *Cap. Cum illo de Translat. Epiſc. n.* 5. Facit jus de eo quod non eſt jus; poteſt enim immutare naturam rei. *Cap. Cum pridem. de Pactis. n.* 27. De abſoluta poteſtate poteſt rerum ſubſtantiam mutare, & de eo, quod nihil eſt, aliquid facere. *Cap. Cum ad monaſterium de Statu monach. n.* 52. Eſt univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, judex omnium mortalium, & Ordinarius ſingulorum. *Cap. de illis de Deſponſat. imbut. n.* 44. *Cap. Præterea. Ne Prælati vices ſuas n.* 51. Solus habet poteſtatis plenitudinem, & principatum in omnibus Eccleſiis. *Cap. Conqueſtus de Feriis n.* 29. *Cap. Relatum. Ne Clerici vel Monach. n.* 28. Explet minima per Plebanos & alios inferiores, media per Epiſcopos, & ſuprema per ſe ipſum. *Cap. Ex parte de Foro compet. n.* 5. Poteſt committere ea, quæ ſunt Ordinis etiam non Epiſcopo. *Cap. Aqua de Conſecrat. Eccleſ. n.* 5. In uno Epiſcopatu poteſt duos Epiſcopos conſtituere. *Cap. Quanto de Translat. Epiſc. n.* 51. 89. Poteſt concedere privilegium audiendi confeſſiones alterius diœceſani, etiam Epiſcopo invito; & contraria opinio damnatur uti periculoſa in fide. *Cap. omnis de Pœnit. & remiſſ. n.* 73. Voluntas Papæ in beneficialibus eſt pro ratione, & ſola poteſtas pro cauſa. *Cap. Quanto de Translat. Epiſ. n.* 39. 43. Si velit, poteſt liberè diſponere de beneficiis juriſpatronatus laicorum. *Cap. Quoniam de Jurepatr. n.* 9. Concedendo in Germania Coadjutorias perpetuas in omnibus menſibus, non dicitur Concordatis contravenire. *Cap. Nulla de Conceſſ. præb. n.* 77. Poteſt quem privare ſuo beneficio ſine cauſa. *Cap. Conſultationibus. de Cler. ægrot. n.* 27. In his quæ ſunt juris poſitivi, diſpenſare poteſt ſine ulla cauſa, & ſic diſpenſati ſunt tuti quoad Deum. *Cap. Henricus. de Cler. pugn. in duello n.* 15. Voluntas Papæ in diſpenſationibus habetur pro ratione. *Cap. Quia de Præb. n.* 15. Romanus Pontifex eſt Princeps prin-

principum & Dominus dominantium. *Cap. Præterea. Ne Prælati vices ſuas n.* 50. Contra infideles, ejus mandatis inobedientes, poteſt juſtè bellum indicere. *Cap. Canonum ſtatuta de Conſtitut. n.* 72. In Concilio deponit Imperatorem, etiam non approbante Concilio. *Cap. Antigonus, de Pactis n. 56.* Ratione criminis poteſt abſolvere vaſallos laicorum ab omni obligatione, & alios Principi obnoxios à quocunque pacto, etiam jurato. *Cap. Abſolutos de Hæreticis n.* 2. Propter injuſtitias, & alias iniquitates, poteſt judices ſæculares dignitate privare. *Cap. Vergentis de Hæreticis n.* 7. Poteſt res & bona omnium Eccleſiarum totius orbis adminiſtrare, & de iis diſponere pro libitu voluntatis. *Cap. Relatum. Ne Clerici vel Monachi à n.* 29. *uſque* 36. Poteſt collectare Eccleſias totius mundi. *Cap. Præterea. Ne Prælati vices ſuas n.* 39. Poteſt auferre rem uni Eccleſiæ, & dare alteri, etiam ſine cauſa; nec quiſquam poteſt ei dicere, Cur ita facis? *Cap. Quanto de Transl. Epiſc. n.* 48.

(7) Si dantur in Theologia propoſitiones *piarum* aurium offenſivæ, quæro, an hæ non ſint tales, quæ omnium *prudentem* in Jure Eccleſiaſtico aures non debeant graviſſimè lædere? Plus dico: horrorem talia injiciunt iis, qui in ſcientia Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ vel modicè verſati ſunt. Et ſi unquam alibi argumentum *ab Abſurdo* locum invenit, illud hic plenam ſuam vim debebit exercere. Anne talia principia, non *ſpeculativa*, ſed quam maximè *practica*, & decidentis cauſis undecunque advenientibus quotidie inſervientia, vel umbram ſpei relinquere poſſunt reuniendorum cum Romana Eccleſia, vel *Proteſtantium* in Occidente; vel *Schiſmaticorum* in Oriente? Conf. infrà *Cap. VIII. §. 7. n.* 9. Interim monſtramus per decurſum hujus Operis, has concluſiones non eſſe approbatas ab Univerſali Eccleſia, etiamſi ſint adoptatæ à particulari Romana, & non paucis renitentibus obtruſæ. Proteſtamur autem coram Deo & Sanctis ejus, quod hæc (quæ abſque

abſque eo in omnium oculis, & manibus ſunt) non profe-ramus eo fine aut animo, ut iis, qui foris ſunt, averſio-nem injiciamus, & majorem à ſancta noſtra Eccleſia aliena-tionem; ſed ut tandem aperiantur oculi Curialiſtarum Ro-manorum, & tam pro bono interni Regiminis Eccleſiaſti-ci, quam pro reunione aliarum Eccleſiarum cum unicà vera, Syſtema ſuum monarchicum politico-ſacrum ali-quando dimittant. Adde *Cap. VI. §. 14. n. 6.*

(8) Non diffitetur ALEXANDER III. in *cap. 5. X. de Re-ſcriptis*, talia ſubinde à Romana Curia prodire, *quæ fra-ternum animum EXASPERARE videntur*. De horum ſanè numero ſunt quæ jam recenſuimus. Itaque ſequendum conſilium moderatione plenum, quod *ibid.* dat Pontifex: ſcilicet, ut *per litteras rationabilis cauſa prætendatur, qua-re talia adimpleri non poſſint*. In his cauſis allegandis & juſtificandis toti quanti ſumus; ſupereſt ut audiamur.

CA-

CAPUT IV.

De Cauſis, quæ vulgo Majores vocantur.

§. I.

De cauſis Majoribus in genere; & quando illæ Sedi Apoſtolicæ reſervari cœperint?

AD formandum de genuina Romani Pontificis poteſtate rectum & Canonibus conforme judicium, multum refert noſſe, qualis fuerit Eccleſiæ diſciplina in quibuſdam negotiis *gravioris* momenti, quæ ſequius ævum Summo Pontifici reſervavit. Porro in Jure Canonico aliæ cauſæ *MAJORES*, ſic *communiter* dictæ, non exprimuntur, quàm ſequentes: (1) Difficiliores fidei quæſtiones. (2) Ineligibilium perſonarum ad prælaturas Poſtulationes. (3) Confirmationes legitimarum electionum ad eaſdem prælaturas factarum. (4) Epiſcoporum ceſſiones ſive reſignationes (5) Translationes eorundem Epiſcoporum. (6) Sedium Epiſcopalium erectiones, translationes, & uniones. (7) Inſtitutio novarum Metropolium & Sedium Patriarchalium. (8) Epiſcopalium Coadjutorum datio. (9) Denique Epiſcoporum depoſitio. Nullum horum Reſervatorum jure Divino, & primorum ſæculorum obſervantia Apoſtolicæ Sedi proprium eſſe ſingulatim demonſtrabimus. Inde tantò certius concludemus, *Primatum* ejuſdem Sedis origine & ſubſtantià ſua multum diſtare à *Monarchia*, nec alia jura (niſi ſpeciatim ei ab Eccleſia attributa noſcantur) ipſi competere, quàm directiva illa, de quibus egimus *cap. II.* præſertim §. 4. Hic tantum de Majoribus cauſis *generatim* ſtatuimus, ante ſæculum quintum de earum reſervatione non fuiſſe cogitatum.

(1) Antiquiorem locum, qui *Majorum cauſarum* mentionem ingerat, non vidi, quàm in Epiſtola INNOCENTII I. ad Victricium Rothomagenſem, anno 404. ſcripta, ubi: *ſi Majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt Epiſcopale judicium referantur*. Habetur ea cap. 10. inter Decreta Innocentii I. à Dionyſio Exiguo collecta apud Juſtellum *cap. I. Veteris Juris Canonici*; apud Labbæum *Concil. Tom. II. col.* 1250. item apud Antonium Auguſtinum *Epit. veteris Juris Can. Lib. II. Tit. X. cap.* 21. nec non Petrum Couſtant in *Collect. Epiſt. RR. Pont. col.* 749. *n.* 6. Verùm (*a*) Verba illa *Vetus conſuetudo* apud probioris notæ Scriptores, ſignanter Labbæum & Juſtellum, non reperiuntur. (*b*) Quòd *poſt Epiſcopale judicium* cauſæ Majores ad Apoſtolicam Sedem referendæ ſint, apertè denotat, huic relationi judicia Epiſcoporum eorum locorum, in quibus eædem cauſæ natæ ſunt, præmittenda fuiſſe. (*c*) Quod de *Statuto Synodi* Innocentiana Epiſtola memorat, obſervat laudatus Couſtant *l. cit. in not.* non pertinere ad Sardicenſis Concilii Canones 3. 4. vel 7. quibus ad Romanum Pontificem appellare permittitur, ſed reſpicere ejuſdem Synodi Epiſtolam ad Julium, in qua declarat Synodus, *optimum & valde congruentiſſimum eſſe, ſi ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*: ſcilicet ad ductum eorum, quæ tradidimus *cap. II. §. 6.*

(2) Aliud veſtigium illius diſciplinæ, quà *Majores* cauſæ Romanæ Sedi reſervantur, Sæculo V. inveniri creditur in Epiſtola XII. LEONIS Papæ cap. 1., in qua hic Sanctus Pontifex Anaſtaſio Theſſalonicenſi Epiſcopo, ſuo per Illiricum Vicario, in memoriam revocat mandata alias data, vigore quorum *Majora negotia, & difficiliores cauſarum exitus, liberum ei eſſet* non niſi *ſub noſtræ* [Pontificiæ] *exſpectationis ſententia expendere*. Aſt ex toto Epiſtolæ contextu intelligitur, hic ſolùm agi de Jure *Patriarchali*, quod per Illiricum Papa tunc exercebat, cujus adminiſtrationem

Vica-

Vicario ſuo ita commiſerat, ut ſi *major* emergeret cauſa, *quæ ibidem terminari non poſſet*, ipſe eam ſuo arbitrio & judicio non definiat, ſed ejus deciſionem ſuſpendat, donec Leonis ſententiam intellexiſſet. Vid. ſupra cap. III. §. 5. n. 3. Dixi *Major cauſa*, *quæ ibidem*, id eſt, in provincia, *terminari non poſſet*: quod qualiter accipiendum ſit, facilè intelligitur ex LEONIS Epiſt. XIII. cap. 1. ubi hujuſmodi cauſas non tam à ſuo Vicario tanquam *Judice* diſcuti finirique mandat, quam ab eodem *ut ARBITRO ſub divini timore judicii componi* ſtatuit. Adde etiam Epiſt. IV. cap. 5. Interim ex his & ſimilibus Iſidorus Mercator occaſionem arripuit fingendi Decretales, in quibus *reſervationem* Majorum cauſarum favore Sedis Apoſtolicæ antiquiſſimorum temporum diſciplinæ ſimpliciter adſcribit; quæ deinde etiam in Decretales Gregorii IX. influxit.

(3) Varias fictitias Iſidori Decretales, quibus cognitio & deciſio *Majorum cauſarum* ſummo Pontifici reſervatur, indicavimus *cap. III. §. 9. n. 3.* Plures ex Blondelli Pſeudo-Iſidoro refert Bœhmer *J. Eccleſ. Proteſt. Lib. III. Tit. 6. §. 17.*

(4) JOANNES Papa VIII. conſtituens Anſegiſum Senonenſem Archiepiſcopum, ſuum per Gallias & Germaniam Vicarium, dedit ei auctoritatem " quoties utilitas Eccleſiaſti-
" ca dictaverit, ſive in evocanda Synodo, ſive in aliis ne-
" gotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apoſtolica
" vice finiantur, & decreta Sedis Apoſtolicæ per ipſum
" Epiſcopis manifeſta efficiantur; & rurſus, quæ geſta
" fuerint, Apoſtolicæ Sedi pandantur, & *majora* negotia
" ac *difficiliora* quæquæ ſuggeſtione ipſius à Sede Apoſto-
" lica diſponenda & enucleanda quærantur." Cùm per hanc commiſſionem jura Metropolitanorum in convocandis Epiſcoporum Conciliis, & *majoribus* etiam cauſis in eis terminandis labefactarentur, Epiſcopi, ea præſente Carolo Calvo Francorum Rege lectà reſponderunt: " Ut
" *ſervato ſingulis Metropolitanis jure* privilegii, ſecundum

„ Sanctos Canones, & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex ejuſdem Canonibus promulgata, Domini „ Joannis Papæ Apoſtolici mandatis obedirent. Et cum „ Imperator & Legatus Apoſtolicus ſatagerent, ut *abſolutè & ſimpliciter* Epiſcopi reſponderent, ſe obedituros „ de Primatu Anſegiſi, ſicut Apoſtolicus ſcripſit, aliud, „ niſi quod prædictum eſt, reſponſum ab iis extorquere „ non potuerunt. " Referuntur hæc in Labbæi *Collect. Concil. Tom. IX. col.* 281. Conf. ſuprà *cap. II.* §. 10. *n. 6. &* 7. Sic equidem Epiſcopi obſervantiæ antiquæ Diſciplinæ adhuc adſueti, & jurium ſuorum tenaces, cum de his ſingilatim lædendis aut auferendis ageretur, contra vim Iſidoriani Juris ſubinde reclamabant, uti exemplo Hincmari Remenſis omnibus conſpicuum eſt; ſed vicit plerumque, in defectu artis criticæ, conſpecta in receptis Codicibus auctoritas primorum Pontificum.

(5) INNOCENTIUS III. volens in *cap.* 13. §. *Qui filii ſint legitimi*, prærogativam Apoſtolicæ Sedis de cauſis majoribus ambiguis & difficilibus cognoſcendis ex *jure Divino* deducere, provocat ad Deuturonomii Caput XVII., ubi in gravi difficultate ad ſummum Sacerdotem ejuſque Concilium recurrendum Dominus diſpoſuit. Sed nemo non agnoſcit, quàm infirmo hæc fundamento nitantur. Etenim (*a*) is Scripturæ locus ad præcepta vel ceremonialia vel judicialia pertinet. (*b*) Loquitur de *Synedrio* ſive ſupremo Judæorum tribunali, quod poſt conſtructum templum reſedit in civitate Jeroſolimitana. (*c*) Parum vel nihil concludit ratiocinium hujus cap. 13.; quia in iis, quæ pendent à mera Dei voluntate, argumentum a majori ad minus non habet locum.

(6) Quamquam autem nec ulla ex præmemoratis cauſis, quæ *Majores* vocantur, in ſpecie pertineat ex natura ſua ad cognitionem & diſpoſitionem Primi ſeu Summi Præſulis; id tamen non impedit, quominus ſubſiſtat quod *cap. II.* §. 6. ſtatui-

ſtatuimus, ſcilicet ea gravioris momenti negotia, quæ univerſæ Eccleſiæ aut unitati fidei præjudicium poſſunt adferre, non ſine participatione Primæ Sedis definienda eſſe. Eo ſenſu in cauſa Pelagii Cæleſtiique ad Afros reſcripſit INNOCENTIUS I. Papa Epiſt. 29. num. 1. *Ut quidquid quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus* Romanæ *Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, quæ fuerit juſta prcnuntiatio firmaretur*. Eadem ratione BONIFACIUS I. Epiſt. 15. n. 6.: *maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet diſceptatione majore, Sedem ſemper conſuluiſſe Romanam, & quoties uſus exegit ejus auxilium poſtulaſſe*. Qua de re vide latius tractantem Petrum Couſtantium in *Præfat. ad Epiſtolas RR. Pontificum n. 22. pag. 17. ſeq.*

§. II.

Cauſæ fidei non ſunt reſervatum Summi Pontificis.

Singuli Epiſcopi & particularia Concilia habent jus damnandi hæreſes.

Doctrinas à Sede Apoſtolica damnatas poſſunt Concilia particularia ad examen revocare.

Qua cauſa, & quo fine, graviores fidei quæſtiones ad Romanum Pontificem referendæ ſint.

Singuli Apoſtoli damnabant errores, enatos in Eccleſiis, quarum gerebant curam. Sacra Scriptura nobis certa hujus diſciplinæ exempla prodit in Epiſtolis S. Pauli, S. Petri, S. Joannis. Hoc jus conſervarunt Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, & non ſecus ac ipſi Apoſtoli à Spiritu Sancto poſiti regere Eccleſiam Dei: probè noſcentes, non minus ad officium ſollicitudinis paſtoralis & regiminis Eccleſiaſtici pertinere, de dogmatibus fidei cognoſcere & judicare, erroreſque condemnare, quam

quàm morum & vitæ puritatem in populo ſuo conſervare, & vitia atque abuſus extirpare. Hinc legimus ab initio Eccleſiæ Epiſcopos in naſcentes errores hæreſeſque ſollicitè inquiſiviſſe, ſuaque auctoritate, ut primum eas detexerant, confixiſſe & damnaſſe. Imò nullam penè hæreſim per Concilia Generalia primorum ſæculorum damnatam videmus, quæ non prius per Epiſcopos, vel particularibus Decretis, vel per congregatos in Epiſcopalibus Synodis damnata fuiſſet. Neque creditur de hac Epiſcoporum auctoritate per octo aut novem Eccleſiæ ſæcula fuiſſe dubitatum. At verò circa Sæculum X. falſis Decretalibus ſub nomine primorum Pontificum in auctoritatem receptis, ac ſignanter poſt editum receptumque Decretum Gratiani, prætendi & doceri cœpit, majores & graviores cauſas, atque inter has præcipuè *Quæſtiones fidei*, ad Sedem Apoſtolicam eſſe referendas, ejuſque ſolius judicio terminandas. Unde in Concilio Remenſi anni 1148., in quo Epiſcopi Gallicani Symbolum fidei adverſus Gilbertum Porretanum condiderant, Romanæ Eccleſiæ Cardinales, id ægrè ferentes dixerunt: *Nulli [...]as eſſe circa fidem quidquam determinare citra auctoritatem Romani Pontificis*; uti fuſius refertur in Actis ejuſdem Concilii, & apud Baronium in *Annal. Eccleſ. ad an.* 1148. *n.* 16. Hæc perſuaſio, Sacræ Scripturæ, toti antiquitati, Conciliorum definitionibus, & obſervantiæ univerſalis Eccleſiæ contraria, tempore INNOCENTII III. eouſque invaluerat, ut hic Pontifex interrogatus ſuper Quæſtione de Baptiſmo parvulorum, in ſuo reſponſo ad Archiepiſcopum Arelatenſem, *cap.* 3. *X. de Baptiſmo*. Quaſi indubitatum præmittendum cenſuerit: *Majores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cum quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabat: Tu es Chriſtus filius Dei vivi: & pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides ejus.* Confer Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VI. pag.* 485. *ſeqq.*

(1) Divinæ Scripturæ Canones docent, Epiſcopum eſſe debere *Doctorem rectè tractantem Verbum veritatis*; *attendere debere doctrinæ*; *amplecti qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermo-*

ſermonem , ut potens ſit exhortari in doctrina ſana , & eos, qui contradicunt , arguere ; depoſitum cuſtodire ; devitantem profanas vocum novitates , & oppoſitiones falſi nominis ſententiæ ; hæreticum hominem corrigere , & poſt unam alteramve correctionem devitare . Epiſt. Pauli *ad Timoth.* I. ad Titum. *cap.* 1. & 3.

(2) In Actis Concilii Chalcedonenſis *Act.* 3. Leonis Papæ Legati ad Concilium referunt, Eutichen *regulariter à proprio damnatum Epiſcopo Flaviano* . Harduini *Collect. Concil. Tom. II. col.* 346. Quis neſcit, errores Gothescalci Monachi in Concilio Moguntino anni 848. , hæreſim Berengarii in Synodo Turonenſi an. 1055. , novitates Abaelardi in Senonenſi Concilio anno 1140. , denique errores Lutheri primitus à variis Epiſcopis & particularibus Conciliis fuiſſe damnatos ?

(3) Multis Canonibus in Decreto Gratiani referuntur & probantur damnationes hæreticarum doctrinarum factæ in particularibus Synodis : ſignanter in Sexdecim Canonibus Concilii Gangrenſis relatis *Diſt. XXX.* In quinque Canonibus Concilii Milevitani inſertis *Diſt. IV. de Conſecrat. a Can.* 152. *uſque ad fin.* In Canone 5. Concilii Toletani XII., relato *de Conſecr. Diſt. II. Can.* 9. In Canone 17. mox allegati Concilii Milevitani *Cauſ. XXXII. Quæſt.* 7. *cap.* 5. &c. Quibus addi poteſt *cap.* 3. *X. de Preſbitero non baptizato* .

[4] Poſſunt *Concilia particularia* ſuo examini ſubijcere doctrinas à Sede Apoſtolica definitas , & inquirere , num hæ definitiones verbo Dei ſcripto vel non ſcripto conformes ſint. Colligitur id inter cætera ex *Can.* 109. *de Conſecrat. Diſt. IV.*, in quo legitur, qualiter Concilium Arelatenſe deciſam à Papa Stephano quæſtionem de Baptiſmo (quem, S. Cypriano oppoſitus, à quibuſvis hæreticis quacunque labe infectis validè adminiſtrari edixit . Vid. infrà *cap. VI. §.* 9.) ſuo examini ſubjecerit , illamque aliter quodammodo definierit . *Patienter ſuſtinebimus , ſi non feceris , quod prava nobis*

nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum, inquit ALEXANDER III. in *Cap. 5. X. de Reſcriptis*. Adde infrà *Cap. IX. §. 8. num. 13.*

[5] Imò *Epiſcopi* acceptantes Conſtitutiones Papæ, *etiam in materia fidei*, non debent id facere niſi cum deliberatione, maturitate, & judicio; neque enim ſunt *ſimplices executores* judiciorum Papæ, quippe qui neque eſt Dominus Eccleſiæ, neque ab hac ut infallibilis agnoſcitur. Etiam huc pertinet, quod ad Archiepiſcopum Ravennæ in *cit. cap. 5.* ſcripſit ALEXANDER Papa, ſcilicet: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes: Qualitatem negotii pro quo tibi ſcribitur diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas.*

[6] Neque tamen propterea dici poteſt, ita Epiſcopos ſe ſe ſupra Pontificem efferre, atque de ejus Conſtitutionibus ſibi ſumere judicium. Illud ſcilicet hoc caſu agunt Epiſcopi, quod ex Divina inſtitutione ad eorum pertinet officium: judicant, uti debent de negotio fidei, nec eunt in præviam Papæ ſententiam, quàm cognita cauſæ veritate & juſtitia; in ſumma: *judicant cum ipſo* Romano Pontifice. Nota eſt plurium Conciliorum formula, quà Epiſcopi, aliorum judicium præmiſſo examine ſecuti, ſignant: *Ego judicans, ego conſentiens ſubſcripſi*.

(7) Primis Eccleſiæ ſæculis, quando ſævientibus perſecutionibus generalia Concilia adunari non poterant, enaſcente controverſia, quæ orthodoxam *fidem* tangeret; aut cum *ſchiſma* oriretur, ſcindendæ Eccleſiæ aptum; denique ſi de reformandâ aut determinanda communi *diſciplina* ageretur; [qui tres caſus à Conſtantienſi Concilio expreſſi ſunt, tanquam ad univerſalis Eccleſiæ judicium neceſſariò deferendi] Epiſcopi, quantum id ferebant tempora & circumſtantiæ, particulares in ſuis provinciis Synodos cogebant; (uti ſignanter factum in cauſa Paſchatis, de qua mox) harum con-

concluſa & definitiones Papæ transmittebant , qui cum omnibus totius mundi eccleſiis communicans , ea ratione cunctorum colligens ſententias , commune faciebat concluſum , quod omnibus deinde propalabat, ab his acceptandum , ſi illud Canonibus & communi Eccleſiarum ſententiæ conforme viſum eſſet ; qua in parte Victor Papa in memorato Paſchatis negotio quodammodo exceſſiſſe notatur . Vid. infrà *cap. IX. §. 7. n. 2.* Ita circa materiam *FIDEI* agebatur in cauſa Pauli Samoſateni Epiſcopi Antiocheni , docentis Chriſtum eſſe purum hominem, de cujus concordi damnatione , anno 272. facta , videndus Euſebius *Hiſt. Lib. VII. cap.* 27. 28. 29. & 30. Theodoretus *Hiſt. Lib.* 1. *cap.* 4. nec non Epiſtola Alexandri Alexandrini ad Alexandrum Conſtantinopolitanum *Tom. II. Concil. edit. Labbe pag.* 18. in qua Paulus omnium totius mundi Epiſcoporum conſilio ac judicio ab Eccleſia pulſus dicitur . Pro exemplo cauſæ *SCHISMATIS* illud proponimus, quod Novatianus Presbiter Eccleſiæ Romanæ anno 251. adverſus S. CORNELIUM Pontificem accendit ; de quo vid. Epiſtolæ Cornelii ad Cyprianum *inter Cyprianicas edit. Oxonen.* 49. *&* 52. *Rigalt.* 46. *&* 52. In materia *DISCIPLINÆ* ſerviet imprimis quæſtio *de Lapſis* ; ad annum 255. potiſſimum pertinens ; circa quam conſulendæ ejuſdem S. Cypriani *Epiſt.* 19. *alias* 14. *item Epiſt.* 55. *alias* 52. Huc quoque referendum , quod ex Euſebii *Hiſt. Lib. V. cap.* 23. *&* 24. intelligitur , ſcilicet VICTOREM I. Papam anno 196. per diverſas provincias encyclicam miſiſſe Epiſtolam , qua ab Epiſcopis, quo die Paſcha celebrandum eſſe ſentirent, ſibi ſignificari *petebat* . Vid. Couſtantii *Epiſt. Rom. Pont. col.* 94. De his extra-Conciliaribus omnium Eccleſiarum in commune tractatibus & definitionibus per organum Romani Pontificis, præſertim in cauſis fidei , pluribus egit Boſſuetius Diſſertatione præliminari , quæ editioni Gallicæ Defenſionis Cler. Gall. præfixa eſt, *cap. LXXVI.*

(8) Eà porro de cauſa majores fidei quæſtiones ad *Sedem Apoſtolicam* referri haud rarò expedit, ut illarum definitio

omnibus valeat prodeſſe. Sunt autem in his rebus *modi*, citra earundem cauſarum haud leve præjudicium non facilè negligendi. Epiſcoporum, qui viciniores ſunt graſſanti novo dogmati, munus eſt cum diſcretis, atque omni partium ſtudio liberis, hominibus doctis, ſynodaliter, vel quaſi, deſuper deliberare, correſpondere cum Metropolitano, & Comprovincialibus, nec non aliis ſanctitate & doctrina conſpicuis Epiſcopis; audire etiam deſuper ſentimenta ſuarum Univerſitatum, præmonitarum tamen, ne quid nimis, ne quid præcipitanter agant. Cùm primis autem, malò latius graſſante, referendum erit Primæ Sedi. Hæc utique ſtudebit, ad parcendum ſumptibus, milleque incommodis, rem ſopire *extra Concilium*; damnabit propoſitiones, aut diſſimulabit; ſed *variante effectu*; prout res inſtituetur. Si primò audiantur *ſententiæ Epiſcopales*, atque collecto unanimi ſenſu Papa ſuum publicet judicium de novo dogmate; jam aderit efficax, & cuilibet ſufficere debens damnatio, licet nondum adeſſet *ultimata*, de qua agemus *cap. VI. §.3.* Fieri enim vix poteſt, ut quod *in doctrinalibus* omnes Eccleſiæ *diſperſæ*, poſt maturam deliberationem, ſenſerunt, ab eo recedant *congregatæ*. Quòdſi verò Roma *primùm* incipiat, & *loco collectarum ſententiarum Epiſcopalium* ſui magni Patriarchatus, audiat *Theologos* ſolùm Romanos, præventos ſæpe homines, Thomiſtas, Scotiſtas, Jeſuitas, calentes ad damnandum, & crucifigendum, hiſque ſolùm auditis definiat, tunc docuit experientia inde è Luthero uſque huc, tantæ efficaciæ non eſſe fulmina Apoſtolica: regerunt enim damnati dogmatis profeſſores, *Papam ſine Concilio non eſſe inerrabilem: Non conſtare de poſitivo aſſenſu omnium Eccleſiarum: A multis Epiſcopis cauſam nullatenus, à multis non niſi obiter diſcuſſam fuiſſe: Pleroſque tantum promulgaſſe bullam dogmaticam, ne diſplicerent Papæ, aut ſe ſuſpectos facerent &c. &c.* Sint hæc inania: attamen elucet ex his, quod modorum alius alio ſit efficacior. Adde: *Cap. III: §. 10. n. 3.*

(9) S. AUGUSTINUS referens controverſiam de Baptiſmo hæreticorum, quæ Sæculo III. S. Cyprianum Epiſcopum & Martyrem à S. Stephano Papa & pariter Martyre ferè ad ſchiſma uſque diviſit, [de qua nos pluribus infrà *cap. VI. §. 9.*] ſcribit Lib. II. de Bapt. contra Donatiſtas. cap. 4. *Quomodo potuit iſta res, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii, luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi PRIMO DIUTIUS, per orbis terrarum regiones, MULTIS hinc atque hinc diſputationibus atque COLLATIONIBUS EPISCOPORUM pertractata conſtaret?* Dein *Lib. V. cap. 26. Si quid poſtea PLURIBUS & DIUTURNIORIBUS inquiſitionibus compertum Eccleſia confirmaverit, non ambigamus*, Denique Lib. VII. cap. 53. *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata ſunt.* Si itaque antequam fidei controverſia ad *plenarii Concilii* cognitionem & deciſionem perducatur, conveniat, ut prius *multis* Epiſcoporum *collationibus* per *orbis terrarum regiones* pertractetur, & quod vel ſic *diuturnioribus inquiſitionibus* compertum fuerit, Eccleſia confirmare, proin ea, quæ in *regionalibus Conciliis cœpta* ſunt, in univerſali *terminare* debeat: quantò magis prudentiuſque *Romanus Pontifex*, ex cathedra definire volens, à collectione ſententiarum Epiſcopalium, non paucarum, ſed plurimarum, per orbis terrarum regiones diſperſarum, incipiet, antequam ſuam illis examinandam proponat.

(10) Sed & illà ratione graviores fidei quæſtiones ad Romanum Pontificem referri oportet, quia eæ *ad Statum Univerſalis Eccleſiæ* attinere poſſunt, quo titulo ſummi Pontificis eſt curare, ne quid definiatur, quod in eundem ſtatum communem ſeu publicum impingat. Hac cauſa CYRILLUS ALEXANDRINUS, comperta Neſtorii hæreſi, officii ſui eſſe duxit rem tanti momenti cum Papa communicare. *Si ſilere*, inquit ad Cæleſtinum ſcribens Epiſt. Cæleſt. 8. n. 1. *& non pietatem tuam de omnibus, quæ moventur, lit-*

teris certiorem facere circa culpam ac ſiniſtræ ſuſpicionis metum liceret, præſertim in rebus adeo neceſſariis, UBI FIDES PERICLITATUR, in memetipſo dicerem, Bonum & periculi expers eſt ſilentium . . . . . . Sed quoniam Deus hiſce in rebus vigilantiam noſtram exigit, & LONGA ECCLESIARUM CONSUETUDO ſuadet, ut bujuſmodi res cum Sanctitate tua communicentur, ſcribo planè neceſſitate adactus. Huc, ut alia prætermittamus, etiam ſpectat illud AVITI Viennenſis Epiſcopi Epiſt. 36. *Scitis Synodalium legum eſſe, ut in rebus quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad CAPUT NOSTRUM membra ſequentia recurramus.* Imò Juſtinianus Imperator, cum Chriſtum *unum de Trinitate* dicendum eſſe, re diligentiſſime diſcuſſa, non dubitaret, tamen id quod hacce de cauſa edixerat, petiit à JOANNE II. firmari, & hanc petitionis ſuæ rationem affert Epiſt. 3. Joannes II. n. 3. *Nec enim patimur quidquam quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum & indubitatum ſit, ut non veſtræ innoteſcat Sanctitati: quia CAPUT eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum.* Adde Codicis Juſtinianæi Lib. I. Tit. 1. Leg. 7.

§. III.

Confirmatio electionis Epiſcoporum genuino Jure ad Synodum provincialem, aut ad Metropolitanum pertinet.

Eo etiam data opportunitate reduci poſſet.

Ad conſtitutionem Epiſcopi aliud non requiritur, quàm *legitima* aſſignatio diœceſeos, & conſecratio. Solum Romanum Pontificem hæc in ſua habere poteſtate, nulla valet ratione ſuſtineri. Epiſcopi Græci non minùs ſunt veri Epiſcopi, licet eorum Patriarchæ præſtent, quod ratione Epiſcoporum Latinorum facit Papa. In Occidente etiam confirmatio electi ad Synodum Provincialem ſpectabat uſque ad tempora Alexandri PP.

PP. III. Aliud antè, hac in parte, Latini non agebant reſpectu Papæ, quam quod ei electionem, ſeu potius conſecrationem ſuam jam factam ſignificarent, & media tranſmiſſione profeſſionis fidei, ejus communionem peterent.

(1) Confirmatio & approbatio electionis ſive nominationis primis Eccleſiæ ſæculis omnimodo erat penes Epiſcopos ordinatores, id eſt, Metropolitanum cum Suffraganeis, juxta Canonem IV. NICOENUM, cui addendus Can. XII. Synodi LAODICOENÆ apud Harduinum *To. I. col. 783. ſeq.* Quoniam tamen inter Epiſcopos ordinatores primus & præſes eſt Metropolitanus, neque ſemper omnibus Comprovincialibus Epiſcopis commodum eſſet ad ſingulas Epiſcoporum ordinationes convenire, ſenſim ex quodam ſaltem tacito Eccleſiæ conſenſu ad Metropolitanum devolutum eſt jus diſcutiendæ electionis, eamque vel ut Canonicam probandi, vel reprobandi ut minus legitimam. Hanc Metropolitani auctoritatem non obſcurè expreſſit in citato Canone NICOENA Synodus his verbis: *Poteſtas ſanè vel confirmatio pertinebit per ſingulas provincias ad Metropolitanum Epiſcopum.* In hujus ſequelam Gratianus Diſt. LXIV. Can. 8. ait: *Illud generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* Adde ejuſdem Diſtinctionis Can. 1. & 6. Inde etiam illud Innocenti I. ead. Diſt. Can. 5. *Extra conſcientiam Metropolitani Epiſcopi nullus audeat ordinare Epiſcopum.* Cum his confer SIRICII Papæ Epiſt. V. ad Afros cap. 1. ibique Notam Couſtantii. Quòd ſi eligentium vota in partes dividantur, itidem *Metropolitani* eſt eum alteri præferre, qui illum meritis ſuperat. *Diſt. LXIII. Can. 36.*

[2] Inde ab ALEXANDRO III. de Epiſcoporum Confirmatione à *Romana Sede* obtinenda frequens eſt in Jure mentio: in *cap. 1. 2 3. & 4. X. de Translat. Epiſc. cap. 15. 18. 19. 20. & 21. X. de Electione. Cap. 6. 16. 47. eod. Tit. in 6. cap. 5. X. Ut lite non conteſt.* Scilicet cenſuerunt Pontifices, inducen-

ducendam majorem Epiſcoporum ab eis dependentiam: aut potius in conſpectu Iſidorianarum Decretalium toleratum eſt, ut illi majorem ſibi in hos auctoritatem attribuerent.

(3) At hic qualis-qualis conſenſus, hæc tolerantia, antiquum & genuinum jus ita non aboleverunt, ut illud opportuno tempore non poſſit reduci. Non fuit mutata, nec potuit mutari rei ſubſtantia, alia ſolum inducta Eccleſiaſtica politia. Obſervarunt quidam Galli, qualiter vigentes inter Innocentium XI. & Ludovicum XIV. notæ diſſenſiones commodam occaſionem præbere viſæ fuerint, priſtinam & genuinam Diſciplinam reducendi, præcidendique ingentem illam ſubordinationem, quam poſt ſe trahit obligatio petendi & obtinendi bullas Pontificias pro beneficiis Conſiſtorialibus. Per hoc non ſolum immenſæ pecuniarum ſummæ, quæ quot-annis Romam mittuntur, in regnis & provinciis manſiſſent, ſed etiam Epiſcopi rediiſſent in priſtina ſua jura, & tam Regularis, quàm Sæcularis fuiſſet emendatior.

§. IV.

Idem jus in Poſtulatione obtinet.

Cujus eſt Electionem confirmare, ejus eſt & Poſtulationem admittere; niſi diſpenſatio, qua poſtulatus eget, Confirmantis poteſtatem excedat. *Cap.* 13. *X. de Elect. cap.* 1. *&* 2. *X. de Translat. Epiſc.*

(1) Poſtulatio per ſe ad Majores cauſas non pertinet; niſi quando de tali agitur, in qua Poſtulato opus eſt diſpenſatione, quam *Jus Novum* Papæ reſervat, uti in defectu natalium quoad dignitates. *Cap.* 20. *X. de Elect. cap. fin. X de Filiis presbit. cap.* 1. *eod. Tit. in 6.* Idem eſt de ea, quæ ſolvit vinculum Epiſcopale in trasferendo ad aliam Sedem. *Cap.* 2. X. *de Translat.* &c. Itaque ad quas dignitates confirma-

firmatio Electionis *ex moderno Jure Pontificio* ab Apoſtolica Sede obtinenda eſt, ad eas multò magis Poſtulationes ab eadem Sede peti debere, naturale eſt.

§. V.

Datio Coadjutoris cum futura ſucceſſione ſerius inter cauſas Majores numerata eſt.

Ut deputatio Coadjutoris Epiſcopi inter Majores cauſas numeraretur, exeunte demum Sæculo XIII. factum eſſe colligitur ex *cap. unico de Clerico ægrot. in 6.* De cætero Coadjutores cum futura ſucceſſione dari, Juris analogiæ repugnat. Vid. *cap.* 3. *de Conceſſ. præb. in 6.* & totos Titulos *de Conceſſione præbendæ & eccleſiæ non vacantis.* Add. *Cauſ. VII. Quæſt.* 1. *Can.* 12. 13. *&* 14.

(1) In cit. cap. unico, anno 1298. compoſito, ſic loquitur BONIFACIUS VIII. *Paſtoralis officii debitum exequentes, declaramus atque ſtatuimus, Coadjutorum Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum dationem intelligendam eſſe de cauſis Majoribus, & referendam ad Sedem Apoſtolicam, & ab ea, non obſtante conſuetudine contraria tantummodo poſtulandam.* Verba *Declaramus atque ſtatuimus intelligendum eſſe de cauſis Majoribus*, ſatis indicant hic Jus Novum condi, præſertim ſi ſimul ponderentur hæc: *Non obſtante contraria conſuetudine*, quæ non obſcurè ſignificant, eò uſque rem aliter fieri conſueviſſe; quemadmodum & effectivè ante falſarum Decretalium receptionem contrarium uſum obtinuiſſe probant Bœhmer *J. E. P. Lib. III. Tit. 6.* §. 7. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag.* 176. *&* 451.

(2) In ſequelam hujus Juris Novi Concilium Tridentinum *Seſſ. XXV. de Ref. cap.* 7. ordinat, ut ſi urgens neceſſitas aut evidens utilitas Cathedralis Eccleſiæ vel Monaſterii id poſtulet, non alius detur Coadjutor, quam cauſa per Papam diligenter cognita, eaque lege, ut qualitates in ipſo Prælato deſideratas Coadjutor habeat.

§. VI.

§. VI.

Translationes Epiſcoporum , ſemper auctoritate Synodorum Provincialium factæ , demùm vi falſarum Decretalium Romāno Pontifici reſervatæ fuerunt .

Nullus genuinus Juris locus proſtat , pontificatu INNOCENTII III. antiquior , qui expreſsè vel æquivalenter dicat , Translationes Epiſcoporum Papæ reſervari . Prima in hanc rem Decretalis legitur in *cap. 2. X. de Translat.* quæ eſt de anno 1198. Cumque Collector Sæculi XII. *Canoni 34. Cauſ. VII. Quæſt. I.* clauſulas huic reſervationi Pontificiæ conformes inſeruerit , hinc colligitur , eo tempore hanc diſciplinam invaluiſſe. Ad eundem Canonem 34. reſpexit idem Innocentius in cap. 3. cit. Tit. in quo ita : *Poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus & Magiſter , quod SOLI beato Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis ſpeciali privilegio præbuit & conceſſit . Sicut* (ait) *teſtatur ANTIQUITAS, cui Decreta Patrum ſanxerunt reverentiam exhibendam , & evidenter aſſerunt ſacrorum Canonum ſanctiones* . In lato Canone 34. ſub nomine *Anteri* Papæ legitur, quòd Epiſcopi habeant poteſtatem mutandi Epiſcopos , *non tamen ſine ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia* . Sciunt quidem hodie eruditi , hanc Decretalem eſſe fœtidam & malè olentem pſeudo-Iſidori mercem ; quin nec eam clauſulam in eadem Epiſtola haberi notarunt Correctores Romani . Verùm ætate Innocentii inter venerandæ antiquitatis ſinceriſſima monumenta habebatur , quidquid in Gratiani Decreto continebatur , è quo tanquam unico Canonum limpido fonte ſua ferè depromebat Innocentius . Hoc itaque ſuppoſititio Decreto innixus pronuntiavit translationem Epiſcoporum *ſoli Petro* ejuſque ſucceſſoribus *ſpeciali privilegio* à Chriſto fuiſſe reſervatam ; cum tamen conſtet , eam per novem ut minus ſæcula auctoritate Synodi Provincialis factam eſſe .

(1) Quarto, ſexto , & octavo Sæculo ad Epiſcopos provinciæ pertinuiſſe Epiſcopi translationem , ex variis Juris textibus colligitur . [*a*] Hoc de quarto Sæculo docet *Can. 37.*

Cauſ.

Cauſ. VII. Quæſt. I. deſumptus ex Concilio Carthaginenſi IV. anno 398. celebrato; cui addi poteſt Canon XIII. Apoſtolorum, quorum Canonum Collectio ad quartum Sæculum pertinere creditur. (*b*) Quoad ſextum Sæculum adduci poteſt *Canon 36. ejuſd. Quæſt. I.*, in quo per verbum *Majores* provinciæ Epiſcopos intelligi non dubitatur. (*c*) De octavo Sæculo idem indicat *Canon 34. ejuſd. Cauſæ & Quæſtionis*. Adde Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag.* 177. 451. *&* 700. Textibus Juris ad ſpeciem repugnantibus ſatisfacit Gibert *Corp. Jur. Canon. Tom. II. Tit. 7. §. 5. pag.* 128.

§. VII.

Iiſdem mutationibus etiam Ceſſiones Epiſcoporum ſubjectæ fuiſſe noſcuntur.

Quo tempore ad alios, quàm ad Papam, Epiſcoporum Confirmatio pertinuit, conſequens eſt, ut ad eoſdem quoque ſpectarit admiſſio reſignationis Epiſcoporum. Scilicet non invenitur in toto Corpore Juris locus Sæculo XII. antiquior, qui abdicationem Epiſcopatus referat inter cauſas Majores, & Romano Pontifici reſervatas. Primus hic Canon eſt INNOCENTII III., quem jam pluries in horum novorum Jurium conſtitutione laudavimus, in cap. 2. X de Translat. ubi: *Translatio, depoſitio, CESSIO, non tam Conſtitutione Canonica, quam INSTITUTIONE DIVINA, SOLI ſunt Romano Pontifici reſervata.* Quod ante ea tempora renuntiationes Epiſcopatuum auctoritate Conciliorum provincialium conſtanter & optimo jure peractæ fuerint, demonſtrant Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. V pag.* 178. *&* 451. nec non Gibert *l. cit. §. 4. pag.* 125.

(1) Ad verba citati cap. 2. *Inſtitutione divinà* reflectens Guillelmus Barclajus Tract. *de Poteſtate Papæ cap. XXVIII.* obſervat, " hæc illa eſſe, quibus homines iſti in præcipitem „ errorem deferuntur, *ut quidquid à Papa fiat, à Deo fa-* „ *ctum eſſe putent.*" Alii his & ſimilibus Decretalibus adſcri-

ſcribunt perverſam quorundam Canoniſtarum opinionem, de quà Cardinalis Contarenus in ſuo ad Paulum III. Conſilio. "Voluntatem Pontificis regulam quandam eſſe, quà „ejus actiones dirigantur: neque in Jure poſitivo conſti„tuendo, aut abrogando, aut diſpenſando regulam quam„piam Pontifici eſſe conſtitutam." Recte profecto! nam qui jura ſua immediate à Deo obtinere ſibi perſuaſum habet, ille ea ab hominibus ſibi auferri, aut contra voluntatem ſuam coarctari haud patietur.

(2) Abundant Eccleſiaſtica monumenta eorum exemplis, qui vel nemine conſulto onus Epiſcopale abjecerunt, vel de hoc cum ſuæ Provinciæ Epiſcopis egerunt. Plura horum exempla proſtant apud Petrum de Marca *de C. S. & I. Lib. VI. cap.* 8. nec non in Vita Bartholomæi de Martyribus, Bracarenſis Archiepiſcopi auctore Ludovico Iſaco de Sacy *Lib. IV. cap.* 11. Adde S. AUGUSTINUM *Epiſt.* 261. *ad Cœleſtinum Papam*, &. *Lib. II. contra Creſconium cap.* 11. *&c.*

§. VIII.

Cauſæ depoſitionis Epiſcoporum de Jure ad Synodos Provinciales pertinent.

Ut eæ inter reſervata ſummi Pontificis referrentur, plurimæ Decretales confictæ ſunt.

Epiſcoporum Canonica Judicia ſecundùm Canonum diſpoſitionem fieri debere, inconcuſſa veritas eſt. Porro Canones decernunt, Epiſcopos in Conciliis ſuarum Provinciarum judicari, &, ſi cauſa canonica ſubſit, deponi debere. Ita ſtatutum in Antiocheni Concilii Canone XIV. & XV., Sardicenſis Canonibus III. IV. & VII., Conſtantinopolitani I. Canone VI. in Collectione Græca, Chalcedonenſis Canone IX. Africanorum Conciliorum Canonibus pleriſque, ut videre eſt in Codice Eccleſiæ Africanæ Can. XII. XV. XIX. XXVIII. LXXXVII. LXXXVIII. XCVII. collatis cum Eccleſiæ Africanæ Epiſtola ad Cœ-

Cœleſtinum Pont. max. Item ex Capitulis Hadriani I. Metenſi Epiſcopo Ingilramno anno 785. traditis in Binii & Sirmondi *Collect. Concil.* cap. V. IX. X. XII. XIX. XX. XXVII. XXIX. Eam diſciplinam tum in Galliis, tum alibi, religioſe conſtanterque ſervatam fuiſſe produnt quam plurima exempla apud Gregorium Turonenſem *Hiſt. Franc. Lib. V. cap.* 28. nec non *Lib. VII. cap.* 16. *&* 17. Petrum de Marca *de C. S. & I. Lib. VII. per tot.* Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. III. pag.* 118. *Schol.* 5. item *Tom. V. pag.* 454. 701. *& ſeq.* Adde infrà *h. cap* §. 11. *n.* 2.

Ut tam certa Jura peſſumdarentur, nulla eſt ex cauſis, quæ *Majorum* titulo honorantur, circa quam plures textus conficti ſunt, quam Depoſitio Epiſcoporum. Falſæ hæ Decretales proſtant ſequentes in Decreto Gratiani: Ex *Sæculo II.* ANACLETI Papæ Cauſa III. Quæſt. 6. partim Can. 13. partim Can. 15. SIXTI I. Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 4. HIGINI Cauſa IX. Qu. 3. Can. 4. ANICETI ead. Quæſt. 3. Can. 6. ELEUTERII Cauſ. III. Quæſt. 6. Can. 7. VICTORIS Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 7. Ex *Sæculo III.* ZEPHERINI Cauſ. III. Quæſt. 8. Can. 1. FABIANI Cauſ II. Quæſt. 6. Can. 1. 2. 20. 21. Item Cauſa III. Quæſt. 6. Can. 1. 2. 3. SIXTI II. Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 5. Nec non Cauſ. III. Quæſt. 6. Can. 5. Ex *Sæculo IV.* JULII I. Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 10. Cauſ. III. Quæſt. 6. Can. 9. FELICIS II. Cauſ. II. Quæſt. 6. Can. 16. DAMASI Cauſ. III. Quæſt. 9. Can. 7. & Quæſt. 6. Can. 6. &c. Puderet tantam falſorum inſtrumentorum copiam, quibus Sacra Diſciplina inde à Sæculo IX. regitur, Lectorum oculis ſubjicere, niſi ea Acatholicis & Orthodoxis peræque cognita eſſent. Ante fictitios hos Canones nullum habemus qui dixerit, inconſulto Pontifice Epiſcopum deponi non poſſe; poſt illos verò habemus adhuc nonnullos, qui id fieri poſſe agnoſcant. Eò pertinent *Canones* 11. *&* 13. *Cauſ. II. Quæſt. 6.*, quibus inſinuatur, eo ſolùm caſu Epiſcopos à Collegis *definitivè* judicari non valere, quo ad Romanam Sedem provocarunt.

Ideo autem Impoſtor Eruditis creditur hac in cauſa artem ſuam potiſſimum exercuiſſe, quia ſperare poterat, futurum, ut

hi Canones ad alia Epiſcoporum negotia, veluti Translationes, electionum Confirmationes, Poſtulationes & Ceſſiones facilè traherentur. Potuit & hoc dare anſam Epiſcopis, Primæ Sedi tanto arctius adhærendi, ut vel ea ratione ſeveritatem Judiciorum Provincialium diffugerent.

(1) Cùm falſarius ſibi propoſuiſſet, ex Romano Pontifice *abſolutum Monarcham* Eccleſiæ facere, omnia arripuit media, quibus viam pararet, ſuo ſyſtemati quomodolibet aptam. Ad hoc Canones III. & VII. Concilii Sardicenſis (qui quandam provocationis ſpeciem à Synodis Provincialibus ad Romanum Pontificem Epiſcopis permittunt) ei fuerunt valde opportuni. Nos eoſdem Canones ex vero & naturali ſuo ſenſu interpretabimur infrà *cap. V.* Ex quo apparebit, nihil minus ex eis ſequi, quam *reſervationem* Cauſarum Epiſcopalium, & in ſpecie *Depoſitionis* Epiſcoporum.

(2) Huc repetenda, quæ ſuperiore §. diximus de *cap. 2. X. de Translat.*, in quo etiam *Depoſitio* Epiſcopi ſummo Pontifici ex prætenſo Jure Divino reſervatur. Hic textus primus eſt ex Jure Canonico, inter non ſpurios, qui tantam auctoritatem Apoſtolicæ Sedi tribuerit. Abſit, ut INNOCENTIO III. idem crimen imputemus, quod Iſidoro. Ille hujus falſo quodammodè innocenter deceptus eſt. Pontifices, ſuppoſito & jam communiter recepto Iſidoriano Syſtemate, quæſierunt, & publicarunt rationes eidem Syſtemati convenientes, quibus jus hujus Reſervationis colorarent. In *Can. 9. Cauſ. III. Quæſt. 6.* allegatur gravitas materiæ, quæ illam *Majoribus* cauſis fecit annumerari. In *cap. 2. & 3. X. de Translat.* proponitur vinculum ſpiritualis matrimonii, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam. Sed hæ cauſæ ſatis arbitrariæ ſunt.

(3) Interim hæ fuerunt anſæ, quibus motum Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 5.* ſequentem in modum ſtatuit: *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreticos, quod abſit, quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt,* *ab*

ab ipſo tantum Summo Pontifice cognoſcantur & terminentur. Quòd ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanam Curiam ſit committenda, nec uni prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis aut Epiſcopis, à Beatiſſimo Papa eligendis: hæc verò commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata, nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem, ſummam, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva. Ad hunc articulum tria veniunt obſervanda: (*a*) Reſervationem cauſarum depoſitionis Epiſcoporum repugnare genuino Juri & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, uti jam diximus. (*b*) Quæ Tridentinum in ſequelam & vim falſarum Decretalium ordinavit, tanquam in errore Juris Communis fundata, emendationi ſubſequentium temporum, quibus falſum detectum eſt, ſubjacent. Vide infrà *cap. VIII.* §. 4. *n.* 4. & 5. (*c*) Adverſus hanc Tridentini diſpoſitionem Oratores Regis Chriſtianiſſimi, Concilio præſentes, mox proteſtati ſunt, hoc modo: *Caput* Cauſæ criminales *non placet, adverſatur enim antiquiſſimo Juri Regio, & Eccleſiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens, extra regnum à quoquam ex quacumque cauſa in jus vocari, nedum condemnari poſſit.* Adde cit. cap. VIII. §. 8.

4) Eam, quæ ſic facta fuit, mutationem ex Jure antiquo in Jus novum, ſequentibus notavit Petrus de Marca de C. S. & I. Lib. III. cap. 6. n. 1. ubi. " Hæc una, inquit, ra-
" tio Nicolao I. perſuaſit, ut ſe acerrimum vindicem ea-
" rum Epiſtolarum (Iſidori) præſtaret, quò facilius Epi-
" ſcopos Romanæ Sedi ſine medio ſubjiceret. Ex iis
" enim novam illam Regulam, veteribus Canonibus in-
" cognitam, conſtituit, ſcilicet Epiſcopum, etiamſi non
" appellaverit Romanam ſedem, à Synodo Provinciæ in-
" conſulto Romano Pontifice deponi non poſſe. Nico-
" lai verba hæc ſunt in Epiſtola 42. ad Epiſcopos Gal-
" liæ: *Quanquam etſi nunquam provocaſſet, nunquam omnino*

„ *nino præter ſcientiam noſtram deponi debuerit* : *quia ſa-*
„ *cra Statuta* , *& veneranda Decreta Epiſcoporum cauſas* ,
„ *utpote majora negotia* , *noſtræ definiendas cenſuræ man-*
„ *darunt* . Statuta illa Decretalia , quorum meminit Ni-
„ colaus , referri debent ad Epiſtolas Victoris, Sixti, Mar-
„ celli , Zephirini , Julii , & aliorum Pontificum . Iis duo
„ præcipue caventur . Primum , ut nulla Synodus Pro-
„ vincialis Epiſcoporum criminales cauſas definiat incon-
„ ſulta Romana Sede . Secundum, ut nulla Synodus præ-
„ ter Sedis illius auctoritatem cogatur . His duobus ca-
„ pitibus præcipuum diſcrimen Juris antiqui & novi con-
„ tinetur . Unde effectum eſt , ut Metropolitanorum au-
„ ctoritas , quæ in Canonibus decernendis , aut Judiciis
„ reddendis vigebat , maximè debilitata ſit , atque adeo no-
„ væ quæ in dies emergere ſolent negotiorum ſpecies , non
„ amplius in Conciliis Gallicanis , ut fieri ſolebat juxta
„ mores antiquos, ſed in Conciliis Romanis primùm , de-
„ inde à ſolis Pontificibus diſcuſſæ & deciſæ fuerint ; licèt
„ Synodorum Provincialium congregationi , & Canonum
„ condendorum poteſtati in univerſum Epiſcopi Gallicani
„ renuntiare noluerint .

(5) Quomodo per quandam conſequentiam ex *præeunte* Papæ judicio Epiſcopi quandoque loco ſuo dejecti fuerint , diximus *cap. II. §. 9. n. 5. cap. III. §. 4.* & repetemus adhuc alibi . Hìc ejus rei idoneum exemplum adferemus verbis Meldenſis Epiſcopi Benigni Boſſuetii in *Defenſ. Declarat. Cleri Gallic. Lib. XIV. cap.* 15. ubi ita : “ Ge-
„ laſius PP. Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribens ,
„ commemorat quod Dioſcorum *Sedes Apoſtolica ſua au-*
„ *ctoritate damnavit*, id eſt , uti ex antè dictis facilè elu-
„ ceſcit , quòd auctor fuerit ejus ſententiæ , quam facto
„ deinde examine Chalcedonenſis Synodus confirmaret ,
„ ut vidimus; de Epiſcopis verò , qui Dioſcoro conſen-
„ ſerunt , hæc ſcribit : Sedes Apoſtolica *hos in ſua per-*
„ *fidia permanentes ſua auctoritate proſtravit* : *quam con-*
„ *gregatio, quæ illic* (Chalcedone ſcilicet) *collecta fuerat,*

eſt

„ *eſt ſecuta : Quoniam ſicut id quod prima ſedes non pro-*
„ *baverat , conſtare non potuit ; ſic quod illa cenſuit judi-*
„ *candum , Eccleſia tota ſuſcepit* . Quæ ad Sedis Apoſto-
„ licæ auctoritatem ideo referuntur , quod eam præeuntem
„ Chalcedonenſis Synodus ſit ſecuta : ut profectò con-
„ ſtet , in eo eſſe vim maximam & ineluctabilem , quod
„ Sedis Apoſtolicæ judicia *Eccleſia tota ſuſcepit* , habitâ
„ quidem quæſtione , & nova diſcuſſione , ut ex geſtis
„ conſtitit .

§. IX.

Erectio novorum Epiſcopatuum nullo expreſſo Juris textu , ſed tantum obſervantia , Romanæ Sedi reſervatur .

A Metropolitano & particularibus Conciliis Epiſcopatus erigi poſſe , omni Jure ſcripto certum eſt . Intelligitur id tum ex Decreto Gratiani *Cauſ. XVI. Quæſt.* 1. *Can.* 50. *&* 51. tum ex Decretalibus *cap.* 16. *de Majorit. & obedient.* Oppoſitos ad ſpeciem Canones dilucidat Gibert *cit. Tom. II. Tit. VII. §. 6. pag.* 134. Sed ne in Tridentino quidem quidquam legitur , quod hac in re Pontificiæ reſervationi faveat . Quanquam in Occidentali Eccleſia jam diu uſus invaluerit , ut auctoritate Romanæ Sedis Epiſcopatus erigantur , etiam in Gallia .

(1) Equidem Antiſtites ſe hodie plerumque ſcribunt Dei & *Apoſtolicæ Sedis gratia* Epiſcopos . Sed (*a*) hic mos non adeò antiquus eſſe dignoſcitur , quippe Sæculo XIV. necdum uſitatus ; vid. Gallia Chriſtiana *nov. edit. Tom. I. in Prob. pag.* 12. 27. 36. 47. 60. 70. 81. 88. 116. 149. 151. 174. 175. T. II. *pag.* 239. 246. 300. &c. &c. (*b*) Convenit hæc formula cum GREGORII M. ſententia , qui ſcribens ad Petrum Subdiaconum , ſuum in Sicilia Legatum *Epiſt.* 36. *Lib. I. nov. edit.* de hujus inſulæ Epiſcopis , ut prohibeat eos convenire ad anniverſarium ſuæ ordinationis diem , quæ Romæ celebratur , quamvis id moris eſſet , addit : *ſed ſi eos convenire neceſſe eſt , in beati Petri Apoſtolorum Prin-*

cipis

cipis Natalem conveniant ; ut ei , ex cujus largitate Paſtores ſunt , gratiarum actiones ſolvant . Ad quem locum Benedictini Congregationis S. Mauri in ſua editione hæc obſervant : “ Idem profitentur Antiſtites , dum ſe ſuis in „ Epiſtolis & Commonitoriis præfantur Apoſtolicæ Sedis „ gratia Epiſcopos . Sedem enim Apoſtolicam pro S. Petro uſurpari, & vice verſa , norunt eruditi omnes . “ Itaque eo ſenſu plerique Epiſcopi S. Petri & Sedis ejus gratia Paſtores ſunt, ſeque eſſe profitentur , quo ſcripſit INNOCENTIUS I ad Decentium Epiſcopum Eugubinum , *Manifeſtum eſſe , in omnem Italiam, Gallias , Hiſpanias , Africam atque Siciliam , & inſulas interjacentes , nullum inſtituiſſe Eccleſias , niſi eos , quos venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes* . (c) Obſervat Thomaſſinus *Diſcip'. Eccleſ. de Benef. Part. IV. Lib. I. cap.* 22. primos, qui hac forma : *Dei & Sanctæ Sedis gratia* uſi ſunt, Archiepiſcopos fuiſſe : ſcilicet Petrum Narbonenſem in Concilio Biterrenſi anno 1351. & Simonem Turonenſem in Andegavenſi Synodo anno 1365. *Ea* , inquit, *de cauſa , quod auctoritas Metropolitanorum dimanaverit à primatu S. Petri ſuper Epiſcopos ; poteſtas verò Epiſcoporum juris & inſtituti ſit divini* . Interim crudè accipiendum non eſt , quod hoc loco Thomaſſinus ait de auctoritate Metropolitanorum ſuper Epiſcopos , à Primatu Petri dimanante ; ſed potius intelligendum de iis juribus , quæ Archiepiſcopali *Pallio* annectere Pontificibus viſum fuit ; de quo alibi .

(2) Forte ea de cauſa Eccleſiæ utilius foret, priſtinam hac in parte Diſciplinam reduci , quod non deſint qui cum fundamento querantur , à Romana Sede , ex politicis rationibus eidem Curiæ propriis, tot non erigi novos Epiſcopatus, quot inſtitui poſtularent populorum ad veram fidem converſiones . Juvat ea de re audire Auctorem libelli anno 1762. in Gallia adverſus Jeſuitas editi ſub rubrica *Queſtions propoſees à l'Auteur de l'appel à la raiſon* . Sic autem ille pag. 30. “ Vos Miſſions des Indes orientales & occi-

„ occidentales ont un vice radical, qui les rend eſſentielle-
„ ment differentes des miſſions des vrais Apotres & de
„ leurs imitateurs, qui vous ont précédé en cette bonne
„ œuvre. On vous a dit, que ce défaut principal entrai-
„ noit neceſſairement l' inſtabilité de vos prétendues nou-
„ velles Egliſes, & qu' il en cauſoit néceſſairement la rui-
„ ne, comme l' experience l'a ſi bien prouvé. Cette
„ difference eſt bien facile à ſentir & à definir. Les Apo-
„ tres de Jeſus Chriſt & leurs imitateurs, en arrivant dans
„ un pays qu' ils vouloient convertir, commençoient par
„ y établir un Evêque Diocesain fixe & à demeure; l'Evê-
„ que établiſſoit des Curés & des Miniſtres inferieurs dans
„ des Paroiſſes determinées. C'eſt là ce qu' on appelle la
„ Hierarchie Eccleſiaſtique, & une miſſion executé ſelon
„ l'eſprit de l'Egliſe. Vous n'avez jamais pû revoquer en
„ doute que cette méthode ne fût bonne, puiſqu'il eſt de
„ fait & de foi que le Saint Eſprit en eſt l'Auteur. Pour-
„ quoi donc les Jeſuites ne l' ont-ils pas ſuivie? Pour-
„ quoi point d'Evêques? Pourquoi point de Curés en
„ titre dans leurs miſſions à la Chine, au Japon & dans les
„ Indes. Si vous aviez préféré le vrai bien des pauvres
„ peuples, que vous prétendiez convertir, vous auriez
„ établi leurs Egliſes ſur le vrai fondement de l'autorité &
„ de la ſollicitude paſtorale: pourquoi ne l' avez vous
„ point fait? Parce que les Evêques & les Curés titulaires
„ renverſeroient, ou du moins géneroient trop l'autorité
„ de votre Regime. Vous avez mieux aimè courir les riſ-
„ ques de voir le troupeau ſans Paſteurs, & la foi détrui-
„ te à la premiere perſecution. L'événement vous a fait
„ voir, que des Egliſes ainſi fondées n' avoient aucune
„ conſiſtance, au lieu que le Chriſtianiſme, établi ſur la
„ véritable Hierarchie, reſiſte dix ſiécles à la plus violente
„ perſecution.

§. X.

Quod in erigendis Epiſcopatibus, idem & in novis Metropolibus & Eccleſiis Primatialibus inſtituendis juris eſt.

Ante falſas Decretales nihil planè invenitur, quod hac in parte prætenſionibus Ultramontanorum faveat. Poſt harum autem receptionem cœperunt circa Sæculum X. Pontifices & hoc ſibi jus vindicare, non tamen ſine Epiſcoporum obmurmuratione. Cùm JOANNES IX. ſub initium dicti Sæculi Metropolitanum cum tribus novis Epiſcopis in terris Sclavorum inſtituiſſet, qui à ſua ad Chriſtianam fidem converſione Patavienſi Epiſcopo ſubjecti fuerant; conqueſti ſunt de hac nova inſtitutione, tanquam ſacris Canonibus repugnante, Pheotmarus Juvavienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus aliique Epiſcopi in Epiſtola ad dictum Pontificem, quæ extat in Labbæi *Tom. IX Concil. col.* 498. Adde ſuprà *§. I. n.* 4. *hoc. cap.*

(1) Fictæ Decretales, quæ tantam poteſtatem Pontificibus tribuunt, ſunt Clementis I. ad Jacobum fratrem Domini, cujus fragmentum proſtat apud Gratianum *Diſt. LXXX. Can.* 2., nec non ſecundæ Epiſtolæ Anacleti Papæ, cujus verba idem Gratianus retulit *Diſt. XCIX. Can.* 1. In his ſpuriis monumentis fit mentio *Metropolitanorum*, *Archiepiſcoporum*, *Primatum* & *Patriarcharum*, quin & *Archiflaminum*, quos à S. Petro & Clemente per provincias conſtitutos fuiſſe aſſeritur; cùm tamen eo ævo neque has dignitates, ſed nec earum etiam nomina cognita fuiſſe, hodie omnibus manifeſtum ſit.

(2) Cùm GREGORIUS VII. Litteris, in Gallia Chriſtiana *Tom. IV. pag.* 7. *inter Inſtrum.* editis, quibus Lugdunenſem Eccleſiam in Primatialem erigit, eique tres Metropolitanos, Rothomagenſem ſcilicet, Turonenſem & Senonenſem ſubjicit, expreſsè profitetur, ſe in hac erectione *antiqua Sanctorum Patrum veſtigia* imitari, nequaquam obſcu-

obſcurum eſt, eum in paulo antè relatam falſam Decretalem Clementis I intendere. Patet & hoc manifeſtius ex Ejuſdem Epiſtola ad prædictos tres Metropolitanos *ibid. pag.* 8. in qua pro firmando jure Sedis Apoſtolicæ erigendi Eccleſias Primatiales impendit fragmentum pariter allegatæ ſuppoſititiæ Decretalis Anacleti Papæ I. relatum apud Gratianum *cit. Diſt. XCIX. Can.* 2. ad quem Canonem Correctores Romani ſequentia notant: " Hoc Caput integrum repetitur à Gregorio VII. *Lib. VI. Regeſti Epiſtola* 35. Rothomagenſi, Turonenſi, atque Senonenſi Archiepiſcopis ſcriptà, ex qua, & originali nonnulla ſunt reſtituta.

(2) Fuit aliquoties in Gallia propoſita quæſtio & inſtituta deliberatio, de conſtituendo intra fines regni *Patriarcha*. Creditum ea occaſione nonnullis, ad hoc perficiendum Romanæ Sedis conſenſum æque parum deſiderari, atque ad Conſtantinopolitani & Hieroſolymitani Patriarchatus erectionem Romanorum auctoritas olim requiſita eſt. Aſt ineptum, aut ſaltem incompletum erat hoc ratiocinandi genus. Orientales illi Patriarchatus ibant à pari cum noſtro Occidentali, habebantque ſinguli ſeparatos fines; neque unius jura eorumve exercitium alteri ferebant præjudicium. Vid. ſuprà *cap. III.* §. 5. At ſi ageretur de novo Patriarchatu excitando intra fines hujus noſtri antiqui Occidentalis, & cum attributione verorum jurium patriarchalium, ac reſpectiva diminutione eorum, quæ ad hunc vigore *genuinorum Canonum* pertinent; non poſſet id *regulariter* fieri, Patriarchà Romano rationabiliter diſſentiente. Attamen hæc intelligenda ſunt ſalvis iis, quæ *extra ordinem*, pro re natà & Eccleſiæ bono, ſtatui poſſe memorabimus *cap. IX.* §. 4. *n.* 2. 3. 4. Loquor hìc de *vero* Patriarchatu, qualis ſemper intelligitur, quoties in Jure hujus dignitatis mentio occurrit. Alia eſt ratio *minorum* Patriarchatuum, quales ſunt Aquileenſis, Venetus, Ulyſſipponenſis, Indiarum &c. qui, quoad jus, *Primatibus* potius accenſendi veniunt.

§. XI.

Nec ullum juris Monarchici attributum, per totam Eccleſiam, Romanæ Sedi adhærere, adverſus Cardinalem Orſum ſingillatim demonſtratur.

Attamen in negotiis univerſam Eccleſiam concernentibus Papa, tanquam Primas, extra Concilium, multum valet; præſertim ſui negatione aſſenſus.

Si itaque, uti nunc luce meridiana clarius patet, ex omnibus illis Pontificiis reſervatis, quæ *Majorum cauſarum* nomine ſignificantur, ne vel unum Primatui Univerſalis Eccleſiæ naturaliter, id eſt, ab inſtituto, adhæreat, quid dicemus de *minoribus* Eccleſiæ *negotiis*? & qua ratione figurare nobis licebit, totam rerum ſummam ex Chriſti inſtituto eſſe penes ſolum Romanum Pontificem; Epiſcopis (quibus tamen hæc omnia & ſingula, tam majora, quam minora, inde à primæva Eccleſiæ inſtitutione, & ex ipſiuſmet Salvatoris conceſſione competebant) in partem tantùm ſollicitudinis à Papa, non auctoritatis à Chriſto, vocatis.

Rectè dixit Ill. Boſſuetius de Poteſt. Eccleſ. Lib. XIII. cap. 15. *non ex proprio cerebro vaniſque ratiocinationibus Chriſtianæ Reip. formam effingendam eſſe: ſed Scripturis & Traditione demonſtrandum, Eccleſiaſticam MONARCHIAM ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam eſſe, quod*, inquit, *falſiſſimum eſt*. Hoc prudenti monito excitatus Cardinalis Orſi *Tom. III. Lib. VII. cap. 3. pag.* 598. ſe accingit ad probandam *ab effectibus* ſacram Monarchiam, ſeu à juribus ei naturaliter connexis, probè advertens, totam ſuam molem machinamque ruituram, ſin ex Scriptura & Traditione demonſtraret, ea omnia, aut ſaltem potiſſimam illorum partem ſuo Monarchæ competere. Scilicet ibidem Romano Pontifici attribuere nititur jus ferendarum *Legum* & *Pœnarum* eis, qui iiſdem legibus refractarii eſſent infligendarum; jura ſupremi *Judicii*, & conſtituendorum *Magiſtra-*

ſtratuum; jus univerſalium *Comitiorum* ſeu *Conciliorum*; demum ipſiuſmet *Immunitatem* ab omni judicio humano. Alia, quæ Pontifici largiretur jura Majeſtatica, non habuit Eminentiſſimus. Præſens noſtra qualiſcunque Tractatiuncula in his ſimilibuſque ſummæ poteſtatis attributis elucidandis, & ſuis quaſque legitimis poſſeſſoribus attribuendis & vindicandis, tota quanta occupatur. Sit autem penes æquum prudentemque Lectorem judicium, an in comparatione eorum, quæ ex genuinis fontibus, antiquà ſcilicet Eccleſiæ obſervantià, proferimus, vel unicum ex iiſdem attributis Orſus Romanæ Sedi ita aſſeruerit, ut vel umbra Status Monarchici in Eccleſia remaneat.

(1) Jus proprium ferendarum pro univerſali Eccleſia legum Romano Pontifici neque in materiis Fidei, neque in cauſis Diſciplinæ competere, probabimus *capite V.* Habet is quidem, uti *cap. II. §. 6.* inſinuavimus, jus nomine Eccleſiæ leges obſervandas proponendi; ſed quia, uti ibidem demonſtravimus, illæ vigorem non obtinent, priuſquam ab Eccleſia agnoſcantur & admittantur, hinc tantum abeſt, ut ex hoc prætaxationis jure abſoluta propriaque poteſtas legislatoria deduci valeat, ut potius ejus oppoſitum inde defluat. Hæc lumen ac confirmationem accipiunt à GREGORII M. Epiſt. 30. Lib. VIII. ubi Eulogio Epiſcopo Alexandrino ſcribit: "Verbum *juſſionis* peto à meo au-„ ditu removere; quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco „ enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo „ juſſi, ſed quæ utilia ſunt, indicare curavi." Id ità Gregorius, quo nullus majore conſtantia Apoſtolicam auctoritatem exercuit. Vid. *cap. V. §. 4. n. 9.* Quid ita? quia Canones, quia priſcas conſuetudines, quia omnium fratrum jura æque ac ſua ſervabat, cum Epiſcopis, rectam fidem & regulam ſecutis, æquo propemodum jure agens. In omnibus Rebuſpublicis formula publicationis legum ſemper accommodata eſt ipſiuſmet Reip. formæ ſeu ſyſtemati. In monarchico Imperio nunquam aliter Leges conceptæ fuerunt, quam Principis nomine. Nullæ magis veriuſ-

riuſque ſunt Leges Eccleſiaſticæ, quàm quæ in Generalibus Conciliis feruntur; at hæ nec concipiuntur nec emanant ſolius Pontificis nomine. In primo Concilio Apoſtoli Decretum ſuum circa obſervationes legales adſcripſerunt Synodo, non S. Petro: *Viſum eſt Spiritui Sancto & NOBIS*: Eadem ratione omnes Synodi Generales in *Oriente* habitæ Canones ſuo nomine conceperunt. Inter *Occidentales* pleræque idem fecere, ne Tridentina quidem excepta.

(2) Ad probandum jus Pontificis puniendi eos, qui ſe ejuſdem legibus refractarios exhibent, Orſus *l. cit. pag.* 611. & 614. duo proponit exempla Epiſcoporum, ſuis honoribus à Sede Apoſtolica privatorum: ſcilicet Marciani Arelatenſi à S. STEPHANO Papa, & S. Hilarii pariter Arelatenſis à LEONE M. depoſitorum. Aſt utrumque ad Orſi intentum parum aut nihil conducit. De *Marciani* exauctoratione, non à Romano Pontifice (de quo nulla proſtat notitia) ſed ab Epiſcopis Galliæ hortatu Stephani procurata, egimus ipſi *cap. II.* §. 9. Confer Galliam Chriſtianam *Tom. I. col.* 522. *nov. edit.* De negotio *Hilarii* ſequentia veniunt obſervanda: (*a*) eum non fuiſſe depoſitum, ſed jure tantum Metropolitico à Leone privatum. Vid. LEONIS *Epiſtolam X. nov. edit. cap.* 7. (*b*) Leonem ad ſic & acerbius adverſus Hilarium procedendum ſub- & obreptionibus inductum fuiſſe agnoſcit Baronius *ad an.* 464. *n.* 8. [*c*] Hilarium etiam illegaliter & à judice non competente damnatum, probat du Pin *de Antiq. Eccleſ. diſcipl. Diſſ. II. pag.* 207. *ſeq.* (*d*) Leo diſciplinam continuà ſerie cuſtoditam prætergreſſus, ſuæque Sedis amplitudini (quæ Sanctorum etiam virorum infirmitas eſt) plus æquo ſtudens, in hoc negotio vel ab ipſorum etiam Sardicenſium Canonum, quorum maximè auctoritati incumbebat, ſanctione receſſit. (*e*) Denique cernens, hoc inceptum ſuum novum eſſe, & ſententiam ſuam nullam in Gallia vim habituram, pro ea, qua apud Auguſtum, tum Romæ præſentem, pollebat auctoritate, à Valentiniano III. Imp. reſcriptum impetravit, datum 6. Junii ad an. 445. ad Aëtium Magiſtrum militiæ in Gal-

Gallia, ut judicium illud executioni mandet; proſtat illud apud Baronium *ad an.* 445. *n.* 9. Plura de utraque hac cauſa, tam *Marciani*, quàm *Hilarii*, egregiè diſcuſſa vide in Diſſertatione Apologetica pro Hilario Arelatenſi, quæ extat Tom. II. Opp. S. Leonis nov. edit. *Part.* 1. *cap.* 8. 14. & 16. Porro veriſſimum eſt quod obſervavit Fleuri *Diſcurſu IV. in Hiſt. Eccleſ. n.* 3. " Il eſt dit dans le fauſ-
„ ſes decretales que les Evêques ne peuvent être jugez de-
„ finitivement que par le Pape ſeul, & cette maxime y eſt
„ ſouvent répétée. Toutefois vous avez vû cent exemples
„ du contraire . . . . Rien n'eſt plus fréquent dans les
„ neufs premiers ſiécles, que les accuſations & les dépo-
„ ſitions d'Evêques : mais leurs procés ſe faiſoient dans les
„ Conciles provinciaux, qui étoient le tribunal ordinaire
„ pour toutes les cauſes eccléſiaſtiques. Il faut ignorer
„ abſolument l'hiſtoire de l'Egliſe, pour s'imaginer, qu'en
„ aucun tems, ni en aucun païs, on n'ait jamais pû juger
„ un Evêque ſans l'envoyer à Rome, ou faire venir une
„ commiſſion du Pape. " Vide ſupra *cap. III.* §. 9. *n.* 3. & *hoc cap.* §. 8. Adde etiam infrà *cap. V.* §. 6.

(3) Tertium, quo tanquam a naturali attributo, & ita à conſequenti, Eminentiſſimus Orſus *pag.* 615. *ſeqq.* Pontifici Monarchicam poteſtatem vindicare, hancque veluti à poſteriori deducere nititur, eſt jus Appellationis ſeu ſupremæ inſtantiæ. Verùm nos *cap. V.* §. 5. *& ſeqq.* genuinam hujus juris tum originem, tum ideam, dantes, utramque talem eſſe evidenter demonſtramus, quæ Romano Primatui à divina inſtitutione minimè adhæreat, & ità *limitatè* primæ Sedi ab Eccleſia ſeriùs attributa ſit, ut ex ipſa hac novà humanaque conceſſione ad negativam potius & excluſivam omnis juris monarchici concludi debeat. Adde *cap. I.* §. 7. *n.* 7.

(4) Cardinalis de Luca in Relatione Curiæ Romanæ (cujus verba referemus *cap. VIII.* §. 2.) ait, ſub nomine Miniſtrorum & Officialium Papæ, quanquam in *largiore* ſignifica-

ficatione, etiam venire Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos. Qui alterius Officialis eſt, & ex ejus delegatione juriſdictionem exercet, debet (*a*) hanc ab illo, quacunque conceſſione, ſive expreſſa, ſive tacita, accepiſſe, & (*b*) ab eodemmet ſuum obtinuiſſe officium; neutrum autem in Epiſcopis verificatur reſpectu Papæ: non *primum*: quia talis conceſſio neque apparet ex Scriptura, neque ex Traditione, quin ex his ipſis contrarium erui, nempe Epiſcopalem auctoritatem immediatè à Deo eſſe, abundè nos probaturos confidimus *cap. VII.* Non *ſecundum*, quia certum eſt, & à nobis præſentis Capitis §. 3. 4. 5, & 6. ad oculum demonſtratum, de *Jure* nullas Romani Pontificis in conſtituendis & confirmandis Epiſcopis partes eſſe.

(5) Jus convocandarum univerſalium Synodorum, ad quod Orſus porro provocat, æque parum concludit ad Statum Eccleſiæ monarchicum; ſiquidem imprimis nulla lege divina aut humana ea convocatio Romano Pontifici reſervatur, uti id non ſolum infrà *cap. VI.* §. 2. aſſeremus, ſed ibidem in ſimul probabimus, octo priora generalia Concilia ejuſdem auctoritate coacta non fuiſſe. Subjungemus equidem *ibid.* §. 3. id ei tacito Principum & Eccleſiarum conſenſu, rationabiles ob cauſas, ſerius delatum eſſe, attamen non pro omni caſu. Suppoſito etiam illud univerſali Primatui originariè & eſſentialiter annexum eſſe, inde tamen ad monarchica jura æque parum concludetur, quam ex jure cujuſque Præſidis congregandi Senatores.

(6) Quod denique Papa Generalium Conciliorum juri, directioni & poteſtati non ſubſit, hoc pernegamus, omnino confidentes, nos ejus contrarium demonſtrare *cap. I.* §. 5. 6. 7. 8. nec non *cap. VI.* §. 1. & 16. denique *cap. X.* §. 3. & 9. Quæ autem ibi referimus talia ſunt, ut ſanè in terminis *directivæ* obligationis minimè ſubſiſtant, ſed *coactivam* omninò involvant. Ipſi Romani Pontifices tanquam certum ratumque ſemper agnovere & tradidere, ſe ad ſervandum Conciliorum decreta & Patrum ſtatuta, id eſt,

Uni-

Univerſalis Eccleſiæ placita, diſtrictè obligari. Sic JULIUS I. in Epiſtola ad Orientales apud Athanaſium: *Id verò ad Synodi & Epiſcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, ſi quæ illi tanto ſtudio & cura, velut Deo præſente egiſſent, à nobis ut vana futiliaqui abrogarentur*. Seu, ut emendatius legit Couſtantius col. 362. *Illud enim revera Synodo & Epiſcopis, qui in ea convenere, contumelioſum eſſet, ſi quæ illi tanto ſtudio & pietate, tanquam Deo præſente egerunt, quaſi nullius pretii abrogarentur*. LEO I. in Epiſt. *LXXVIII.* ad Marcianum Imp. cap. 3. *In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt, me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me, quod abſit, connivente violentur: & major ſit apud me unius fratris voluntas, quam univerſæ domus Domini communis utilitas*. GELASIUS I. in Epiſt: 13. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Quibus convenienter ex paterna traditione perperſis confidimus, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod Univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam* &c. Ex quo ſequitur, Epiſcopos, qui non ſervant ſtatuta Patrum peccare, & inter eos Romanum maximè; aut ſi Romanus Epiſcopus non peccat, dum ſtatuta Patrum minimè ſervat, cæteros Epiſcopos multò minus peccare. Alias non minus pertinentes hanc in rem Pontificum declarationes magno numero collegit Jo. Launojus *Lib. I. Epiſt.* 7. & 8. nec non *Lib. II. Epiſt.* 3.

(7) His, quantum ad judicia humana, quibus Romani Pontifices exempti aſſeruntur, addendum quod tradidit doctiſſimus Gerſon *Tract. de Reformatione Eccleſiæ in Concilio Univerſali Cap. XVIII.* " Et ſi Papa dicat, ſe non habere ſupe-

„ ſuperiorem in terris qui eum judicet: (*Diſt. IX. Can.6.*)
„ Certum, quod omnes leges factæ & decreta ſint propter
„ conſervationem reipublicæ, ut prædixi. Unde illa jura
„ ſic loquentia intelliguntur, quando malitia *Papæ* aut *Pa-*
„ *patus* ipſius Papæ non redundat in detrimentum aut
„ damnum totius univerſalis Eccleſiæ, & ubi mala vita
„ ejuſdem Papæ non eſt hominibus notoria. Quia tunc,
„ ut dixi, propter ſuum malum vivere ſubjicitur præ-
„ cepto correctionis fraternæ. Secus eſſet, ſi bene vi-
„ veret, bene doceret, ut Papam decet. Quis enim
„ ſanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis attol-
„ lit? Nam ſi malum futurum Papam illi Sancti, qui
„ illud Capitulum inſtituerunt, prævidiſſent, nequaquam
„ de Papa talia dixiſſent: Cum Paulus propter culpam
„ minimam Petrum reprehenderit, qui tamen Princeps
„ Apoſtolorum extitit, & ſanctior & melior tunc, quam
„ nunc ſunt noſtri Papæ.“ Huic Gerſonis loco jungen-
dus ille ejuſdem Cancellarii, quem retulimus *cap. I. §. 5. n.* 1. 2. Ex cujus utriuſque loci conjunctione intelligitur, quomodo qui fraternæ correctioni ſubjectus, fratrem corripientem non audit, ex Chriſti inſtituto, Eccleſiæ judicio ſubmittatur. Adde Andreæ Epiſcopi Magorenſis *Gubernaculum Conciliorum* in Actis Concilii Conſtantien. *Tom. VI. pag.* 155.

(8) Atque hæc ſunt omnia & ſingula Monarchiæ Eccleſiaſticæ ſigna caracteriſtica, quæ Eminentiſſimus Orſi deſignare potuit. Accidit reverà ei quod reliquis omnibus hujus Syſtematis ſtatoribus: dum pro eo ſtabiliendo *generalia* proferunt, magnificis verbis incedunt; dum verò ad genuinos & *ſpeciales* effectus hujus Monarchiæ ex genuino Jure & antiqua Diſciplina demonſtrandos urgentur, multò modeſtiores, quin & aridi comparent. Itaque nolentes volentes fateri coguntur, uſum, obſervantiam & traditionem Eccleſiæ eorum ſententiæ repugnare.

(9) Attamen ea non impediunt, quominus vera & ſpeciatim notanda ſit gravis illa obſervatio Boſſuetii *Lib. XIV. cap.* 15. ſcilicet: " S. Gelaſius Pontifex Epiſt. 13. ad
„ Epiſc. Dardaniæ de Acacio adverſus Chalcedonenſem Sy-
„ nodum rebellante commemorat, quæ Sedes Apoſtolica,
„ etiam ſola, ac ſine præcedente Synodo, poſſit in ab-
„ ſolvendis damnandiſve, quas oporteat perſonis: quæ
„ quidem nos pari veneratione ſuſcipimus; abſit enim,
„ ut velimus Sedem Apoſtolicam in omnibus cauſis Con-
„ cilio œcumenico eſſe ſubjectam, cum multa ſint, quæ
„ vel ſola diſſentiendo prohibeat atque diſturbet, cujus
„ conſenſionem atque ſententiam in maximis rebus maxi-
„ mè exquirendam perpetua traditio docet. Hinc illa
„ exempla, quæ nobis Zoſimus Pontifex pari magni-
„ loquentia ac veritate ſubjungit, Athanaſii, Joannis
„ Chryſoſtomi, Flaviani, quos *Sedes Apoſtolica etiam*
„ *ſola*, *QUIA NON CONSENSIT*, *abſolvit*. Quæ qui-
„ dem vera ſunt; ſed aliunde ſupplenda ea, quæ
„ cum ad rem facerent, beatus Gelaſius prætermiſit. "
Nos imprimis illa, quæ Gelaſius circa cauſas Athanaſii, Joannis Chryſoſtomi & Flaviani prætermiſit, & plurimum ad rem faciunt, ſupplebimus *cap. V.* §. 8. Deinde, ſicut ſummus Pontifex in legibus ferendis in verba & ſententiam præit, ita & in aliis gravioribus negotiis, univerſam Eccleſiam concernentibus, propter quas Concilium congregari vel planè non, vel difficilius poteſt; & quamvis ſola ſua voluntate & auctoritate nova perficere non poſſit, attamen *non conſentiendo* extra Concilium impedire valet, quominus ea, quæ ab univerſalis Eccleſiæ ordinatione dependent, perficiantur. Quæ *de abſolvendis vel damnandis*, citra judicia ordinaria, *perſonis* aſſerit Boſſuetius, ea interpretationem accipiunt ab iis, quæ in cauſa S. Joannis Chryſoſtomi geſta ſunt, & à nobis tradentur *cit.* §. 8. *n.* 2.

(10) Si (quod probavimus) contra genuinum Eccleſiæ Syſtema obſcurioribus ſæculis tot *Reſervata* Romanæ Curiæ

 facta,

facta, atque tam multa, imò innumera alia in Diſpenſationibus, Proviſionibus beneficiorum, Appellationibus &c. ad eandem Curiam tracta fuerunt: reſtat, ut expendatur, jurene an injuria in Concilio Generali Viennenſi poſtulaverit Durandus Mimatenſis Epiſcopus, ut Eccleſia Romana *non omnia ad ſe traheret*, ne *omnia perderet*. Vid. infrà *cap. VIII. §. 3. n. 6.*

CAPUT V.

De Legibus Eccleſiaſticis, earum pro univerſali Eccleſia referendi jure, & de Appellationibus ad Romanum Pontificem.

§. I.

Romanus Pontifex an & quatenus habeat jus condendi leges in cauſis Fidei, univerſam Eccleſiam obligantes?

Exponitur genuinus ſenſus verborum Lucæ XXII. v. 32.

QUæ in Eccleſia *univerſaliter* ſtatuuntur aut decernuntur, ea vel ad *Doctrinam* pertinent, vel ad *Diſciplinam*. Ex iis quæ *cap. IV*. §. 2. de materia *doctrinæ* tractavimus, ſat intelligitur, Concilia & Epiſcopos eſſe genuinos, natoſque arbitros, ac judices fidei, multumque abeſſe, ut a *ſolius Papæ* judicio atque auctoritate dogmata dependeant. Sed neque ab eo hanc poteſtatem ex aſſerto aliquo privilegio infallibilitatis jure prætendi poſſe abundè liquet ex traditis *cap. I.* §. 10. Porro in *novis* fidei *decretis*, pro univerſali Eccleſia condendis, Epiſcopi, per provincias & diœceſes diſperſi, eandem partem obtinent, quam habent in generali Concilio congregati, licet diverſo effectu, de quo agemus Capite ſequenti. Quis non videt, quam invidioſa res ſit, ſummam Eccleſiæ ac Fidei, uni homini, ſummo quamvis, ſummaque dignitate prædito, ſed mortali tamen, ne quid dicam amplius, permittendam? Convocari Epiſcopos

ad

ad Generales Synodos, ac viduari Eccleſias, ut unum Legislatorem audiant? Rem per ſe tantam, tam incredibilem, atque huc uſque pro dubia ſaltem habitam pro certo Eccleſiæ fundamento collocari? Denique ut id fiat, everti formulam ab Apoſtolica uſque ætate firmiſſimam; nempe illam: *Viſum eſt*, non Petro, ſed *Spiritui Sancto & nobis*. Quanta autem audent, qui Petro negata Petri ſucceſſoribus tribuunt. Itaque quod in hac materia Romano Præſuli, quà *Primati* univerſalis Eccleſiæ, præcipuum eſt, ad ea ferè redigitur, quæ de ejus jure prætaxandi & toti Eccleſiæ Leges *proponendi*, tradidimus *cap. II. §.* 8. Quibus adde *cap. IV. §.* 11. *n.* 1.

(1) Nova eſt prætenſio, omni antiquitati repugnans, definitionibus Conciliorum & univerſalis Eccleſiæ uſui contraria quà nonnulli aſſerunt, *ſolius* Romani Pontificis eſſe, circa regulas fidei decernere, ſtatuere & ordinare; Epiſcopos econtra teneri ſe ſe hac in parte illius judicio ac decreto ſubmittere ſine examine, ſine cognitione, ſine libertate deſerendi Pontificis ſententiam, ubi eam invenerint, vel non conformem Sacræ Scripturæ & Traditioni, vel ejus de fide ſtatutum minus aptum ad promovendum bonum religionis.

(2) Equidem excluſivam hanc & abſolutam ſummi Pontificis auctoritatem, in prætenſa ejus infallibilitate fundare conantur; quam, quia nemo niſi Deus homini poteſt tribuere, ideo illam quærunt in verbis Chriſti, Lucæ XXII., v. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Verum (*a*) his verbis Chriſtus Petro promittit, non ſolum, quod nullum errorem fidei definiturus, & alios docturus ſit, ſed etiam quod *particularis* & *perſonalis* ejus fides non ſit defectura. Id eſt: Petrus equidem negabit Dominum & Magiſtrum ſuum, nihilominus poſt agnitum errorem, reſurgens à lapſu, fratres & Coapoſtolos ſuos in fide confirmabit, ipſe futurus in ea ſtabilis. Hujus autem promiſſionis efficaciam, ad Petri ſucceſſores tranſituram, nemo ſuſtinebit. (*b*) Petrus juxta prædi-

prædictionem Jeſu Chriſti fuit tentatus ad negandum Dominum ſuum, ſuccubuit tentationi aſſentiens; Chriſti oratio pro eo operata eſt illius converſionem; agnovit culpam ſuam, eamque amarè deflevit; primus poſt Reſurrectionem Evangelium prædicavit, ejuſque fidem conſtanter defendit, quam denique morte ſua obſignavit. Sic prædictio & promiſſio Chriſti *in perſona Petri* impleta eſt. At hæc nihil *ad Petri ſucceſſores*, qui neque ceciderunt cum ipſo, neque cum eo reſurexerunt, neque eandem aut ſimilem cum eo promiſſionem acceperunt. (*c*) Hic genuinus & naturalis ſenſus eſt ſacrorum verborum, de quibus agimus; ſic ea communiter accipiunt & interpretantur Patres ac Doctores, nominatim TERTULLIANUS *Lib. de Fuga in perſecut. cap.* 2. CYPRIANUS *Epiſt.* 8. & in *Lib. de Orat. Domin.* HILARIUS *Lib. I. de Trinit.* BASILIUS *Hom.* 22. AMBROSIUS *in Pſal.* 43. CHRYSOSTOMUS *Homil.* 63. & 8. *in Matth.* AUGUSTINUS *Epiſt.* 252. item *Lib. de Corrept. & Gratia cap.* 6. 8. *&* 12. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Lib. XI. in Joan.* S. LEO *Serm.* 2. *in Natal. Apoſt.* PROSPER *Lib. contra Collat. cap.* 35. *Ven.* BEDA *in cap. XXII. Lucæ*. Et alii quam plures. Adde Ill. Boſſueti *Defenſ. Declar. Gallic. Lib. I. cap.* 7. nec non *Lib. III. cap.* 10. item *Lib. XV. cap.* 3. *ſeqq.*

(3) Gerſon Tractatu *Quomodo & an liceat in cauſis Fidei à ſummo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare, Propoſit. III. Opp. Tom. II. col.* 307. ſequentia tradit: " In „ cauſis fidei nullus *particularis homo* per ſuam determina- „ tionem poteſt de Propoſitione non hæretica facere hæreticam, ſicut nec de Catholica non Catholicam; ita nec „ Papa, nec Epiſcopus, propriè & verè loquendo, poſ- „ ſunt propoſitionem aliquam hæreticare. Poſſunt tamen „ propoſitionem aliquam, quæ videtur aliquibus non hæ- „ retica, *declarare quod ſit hæretica*, & hoc *judicialiter*, „ ſicut Doctores ſcholaſticè hoc faciunt, vel *doctrinaliter*. „ Et hoc appellatur facere Articulum; diverſimodè tamen, „ quia Papæ *determinatio Pœnalis*, extendit ſe ad omnes fide-

„ fideles, ſed Epiſcopalis tantummodò ad ſubditos ſuos, „ ut præcisè eſt Epiſcopalis." Rectè hæc ità; ſed (*a*) talis *declaratio Papalis* [præſertim antequam conſenſus Eccleſiæ acceſſerit] propriè non poteſt dici Univerſalis Eccleſiæ *Lex*, de qua in præſentiarum agitur; quanquam *Judicium*, & quidem in Eccleſia primarium, Romano Pontifici negandum minimè veniat, licet definiens *per ſe* non ſit. Quod (*b*) de *determinatione pœnali* addit Gerſonius, lumen & reſtrictionem accipit ab iis quæ tradimus *cap. II.* §. 9. *cap. III* §. 4. *cap. V.* §. 4. *n.* 9. & alibi.

(4) Dicunt aliqui, quòd quanquam infallibilis non ſupponatur Rom. Pontifex, *proviſoriè* tamen ipſius Decretis, quæ apud omnes bonos maximi ponderis eſſe debent, obſequendum eſſe, ſaltem *ad non dogmatizandum contrarium*, quamdiu Eccleſia non reclamat. Verè hæc iterum; aſt parum accuratum eſt quod dicitur *Quamdiu ECCLESIA non reclamat*; ex quo ſufficiat *negatio conſenſus Univerſalis Eccleſiæ*; quam ſufficienter manifeſtat reclamatio plurium & gravium *particularium* Eccleſiarum. Huc pertinent binæ propoſitiones Gerſonii *cit. col.* 307. inter quas *Secunda*: „ In cauſis fidei non habetur in terra Judex infallibilis, vel „ qui non ſit deviabilis à fide, de lege communi, præter „ ipſam Eccleſiam Univerſalem, vel Concilium Generale „ eam ſufficienter repræſentans. *Quarta*: In cauſis fidei „ nulla determinatio judicialis Epiſcopi, immò nec Papæ „ ſolius, præciſe ut eſt Epiſcopi vel Papæ, ligat Fideles „ ad credendum quod ità ſit de veritate Fidei, ſicut prætendit ſua Declaratio; quoniam tam Papa, quam Epi„ ſcopus deviabiles ſunt à Fide: obligat tamen ſubditos „ ſub pœna excommunicationis talis Determinatio, *quod* „ *non dogmatizent oppoſitum talis Determinationis*, niſi ap„ pareat manifeſta ratio repugnandi." Quibus denique addendum quod ex eodem Gerſone retulimus *cap. I.* §. 5. *n.* 2. Nimirum " Eccleſia poteſt condere leges, obligan„ tes & regulantes etiam ipſum Papam tam quoad perſo„ nam, quam reſpectu uſus poteſtatis. Non ſic econtra poteſt

„ poteſt Papa judicare totam Eccleſiam, vel uſum ſuæ po-
„ teſtatis limitare ; imò ſi Papa condat leges & Canones,
„ videtur obſervandum illud quod dicit Auguſtinus : *Le-*
„ *ges . . . . . . firmantur , cum moribus utentium com-*
„ *probantur* .

(5) Ne in illo , quod de *judiciali* declaratione tradit Gerſo (qui ejus jus peræque attribuit *Papæ* ac *Epiſcopis* : illi pro toto mundo : his pro ſuis reſpectivè eccleſiis) error ſubrepat ; obſervandum venit , hic ut plurimum non agi de judicio propriè & juridicè dicto, cui de eſſentia intervenire debent actor , judex & reus : Deinde aliam hac in materia eſſe naturam judicii *Epiſcopi* , utpote qui juriſdictionem verè talem in ferendis legibus, decidendis litibus, puniendis reis &c. à Chriſto acceptam , intra fines ſuæ diœceſis citra omnem controverſiam omneque dubium exercet , tam in cauſis Fidei , quàm in quibuſcunque aliis Eccleſiaſticis: Aliud *Papæ* , qui quidem etiam jure ſui Primatus , à Deo accepti, judicium ſuum ſeu ſententiam format & declarat, futuram normam toti Reip. Chriſtianæ, ſed quia hæc norma (quæ , tanquam omnes fideles quaſi judicium Dei ligatura , certa & ultimata eſſe debet) talis eſſe non poteſt, niſi auctoritate & ſigillo Univerſalis Eccleſiæ munita ; ideo ex natur rei *Lex* totius Eccleſiæ eſſe aut dici aliter non valet, quam per univerſalis Eccleſiæ (cujus ſolius, ex communi fidelium agnitione , eſt leges Fidei *infallibiles* condere) conſenſum ; qualis conſenſus diœceſanorum in legem particularem Epiſcopi non requiritur . Pro exemplo damus Bullas LEONIS X. die 15. Junii 1520. & 5 Jan. 1521. adverſus errores Lutheri . Adde infrà *cap. IV.* §. 1. & 6. *n*. 3. Qui autem ſuſtinuerit, judicii Papalis , *quatenus Lex eſt* , independenter ab aſſenſu Eccleſiæ , in cauſis Fidei per univerſum orbem eandem per omnia naturam , vim & auctoritatem eſſe , quam judicium Epiſcopale in particulari quavis diœceſi obtinet , ei non poterimus ſalva veritate aſſentiri . Et ſanè , ſi quis poneret hanc Theſin : *Papa omnia*

poteſt

poteſt in toto mundo, quæ quiſque Epiſcopus in ſua diœceſi; is paucos prudentes ſibi inveniret aſſentientes; certè non Gerſonem.

§. II.

In materiis Diſciplinæ Papa non habet poteſtatem obligandi totam Eccleſiam.

Imò ne Generalium quidem Conciliorum decreta in materia diſciplinari particulares Eccleſias obligant ſine receptione.

Leges etiam pro univerſa Eccleſia legitimè latæ non obligant, niſi in provinciis debitè promulgatæ.

Semel autem receptæ, non poſſunt ad beneplacitum Papæ mutari.

Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ nervus eſt, quo religio ſuſtinetur, quoad partes ſuas *eſſentiales* per Jeſum Chriſtum inſtituta, per Apoſtolos aucta, per horum ſucceſſores Epiſcopos in Conciliis tum generalibus tum particularibus in Corpus illud diſciplinare Eccleſiaſticum, in quo demum ſubſedit, redacta eſt. Adverſus Canones diſciplinares, vel in generalibus Conciliis ſancitos, vel univerſalis Eccleſiæ obſervantiâ receptos usque ſtabilitos, Romani Pontifices nunquam aliquid directè attentarunt; & ſi quid aliquando hac in parte ſtatuerunt, id ad harum legum communiter receptarum obſervantiam pertinuit. Habuerunt præterea & habent diverſæ Nationes & ſingulares Eccleſiæ pro particulari ſuo regimine ſingulares uſus legeſque, laudabiles utique & inviolabiles, dummodò *communibus* Eccleſiæ & *eſſentialibus* conſtitutionibus non repugnent; his derogare non creditur eſſe in poteſtate ſummi Pontificis. Veriſſimè ſcripſit LEO Papa IX. in Epiſt. ad Michaelem Cercular. Tom. IX. Concil. Labbæi col. 955. *Nil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides, per dilectionem* ope-

operans bona quæ poteſt, uni Deo commendat omnes, & Gratianus Diſt. XI. cap. 8. *Privatis Conſtitutionibus & propriis informationibus unaquæque Eccleſia pro locorum varietate, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit & regitur*.

(1) In re certa & omnibus nota verſabor paucis. Eccleſia Neo-Cæſareenſis in Ponto peculiari utitur liturgià, de qua S. BASILIUS *Epiſt. 63. ad Neocæſar. pag.* 96. loquitur. Ab hac diſcrepabat liturgia S. Chryſoſtomi, quam hic pro Eccleſia Conſtantinopolitana compoſuit. Similiter differt formula Ambroſiana á Romana, & hæc ab aliis. Africanæ quoque Eccleſiæ ſingularem pro ſemet ipſis liturgiam habebant, diverſam à Romana &c. Vid. Card. Bona *Rer. Liturg. Lib. I. cap.* 9. 10. 11. 12.

(2) Equidem INNOCENTIUS I. Papa prætendit, & quidem omnium primus, Occidentales Eccleſias Romano ritui ſubjicere; ſic enim ſcribit ad Decentium Concil. Tom. II. col. 1245. edit. Labbe, & apud Couſtantium in Epiſtolis RR. PP. col. 856. *Quis enim neget, aut non advertat, quod à Principe Apoſtolorum* Petro *Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum, præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis* Petrus *Apoſtolus, aut ejus ſucceſſores, conſtituerint Sacerdotes . . . . oportet eos ſequi, quod Romana Eccleſia cuſtodit. Si qui à Romanæ Eccleſiæ inſtitutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Eccleſiæ, quàm Romanæ, exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam*. Sed imprimis hic diſcurſus laborat fundamento, cum veroſimile non ſit, alium Apoſtolum præter Petrum toto Occidente Evangelium non prædicaſſe, aut inſtituiſſe Eccleſias. Deinde etiam effectu caruit intentio Papæ Innocentii, quod irrefragabiliter

evincunt Miſſa Ambroſiana, Mozarabica, & Gallicana apud Card. Bona *cit. cap.* 10. 11. & 12. Adde Couſtantium *loc. cit. Not. e.*

(3) Dignum memoratu exemplum eſt Archiepiſcopi Moguntini, quod refert Conradus Urſpergenſis in Chron. ad an. 1054. pag. 217. ubi *Apoſtolico* (Leon. IX.) & *Imperatore* (Henrico III.) *Natale Dominicum divino & regio cultu VVormatiæ agentibus, miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut oportuit, ab Apoſtolico, in ſequenti die Luitpoldum Moguntinæ Sedis Epiſcopum, utpote in ſua Sede præcipuum, huic ſubrogavit officio. Qui peracta proceſſione . . . . poſtquam ſe in ſua ſede locavit, quidam ex Diaconis ſuis Hunibertus nomine . . . . lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ aſſiſtentibus vituperantes, & contra Papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes, perſuaſerunt ei, ut ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit, qui mox eâdem vocis ſonoritate, qua prius cantavit, legendo decenter lectionem uſque ad finem perduxit. Qua finita Papa illum ad ſe vocavit, quaſi pro inobedientiæ contumacia degradavit. Archiepiſcopus verò miſit ad illum, ut ſuum ſibi redderet miniſtrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex* [Moguntinus] *ut erat antiquæ diſciplinæ, licet ægrè, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit: Perlecto autem Evangelio . . . . ubi ſancti ſacrificii tempus advenit, Moguntinus in ſua ſede reſedit, verè conteſtans, nec ſe, nec alium quempiam completurum illud officium, niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſtrum. Quod ubi Apoſtolicus intellexit, Pontifici* Moguntino *ceſſit, reindutumque miniſtrum continuò remiſit. Quo recepto, debito ſe Præſul injunxit officio. Qua in re & Pontificis* Moguntini *auctoritas, & Apoſtolici conſideranda eſt humilitas, dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte, licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in ſua diœceſi cedendum perpendebat.* Adde S. AUGUSTINI Epiſt. CXVIII. cap. 5.

(4) Hæc

(4) Hæc non impediunt , quominus perſtent , quæ diximus ſupra *cap. II. §. 6.* ſcilicet pertinere ad Romani Pontificis Primatum , ut leges , quas neceſſitas vel utilitas Eccleſiæ hic & nunc poſtulare videtur , univerſali Eccleſiæ *proponat*; has propter *intrinſecam* earum æquitatem Epiſcopi tenebuntur acceptare , quando eas judicabunt aptas ad promovendum bonum religionis , & diſciplinæ Eccleſiaſticæ , & poſtquam ſtatui publico Regni vel Imperii nullum dignoſcentur adferre præjudicium . Huc reſpicit pulchrum illud S. LEONIS Serm. III. pag. 53. effatum : *Manet ergo Petri privilegium , ubicunque EX IPSIUS fertur ÆQUITATE judicium* . De hoc vide latius & egregiè differentem Petrum de Marca *de C. S. & I. Lib. IV. cap. 6. n.* 3. Secundum hæc quoque accipiendum , hiſque accommodandum , quod ſcripſit celebris Academiæ Wirceburgenſis Procancellarius Bartelius in *Annotat. ad Jus Can. pag.* 10. ſcilicet : " Si „ objectum Conſtitutionum Pontificiarum ſit *materia fidei* „ vel *morum*, utique leges habent ſuam auctoritatem ; ſi „ autem objectum ſit *ærarium* , *fiſcus* , & *Camera* , tole„ rantur potius , quàm approbantur . " Quis ex. gr. dicet de facto attendi debere, aut unquam attendendas fuiſſe Conſtitutiones Papales , quibus quaſi ad invidiam Principum Romano Pontifici aſſeruntur *jura temporalia* , & ad hæc reſpicientes quædam eminentiores prærogativæ ? Huc pertinent cap. *Venerabilem* 34. X. de Elect. & electi poteſt . Cap. 1. v. *Unde in veteri.* de Sacra Unct. Clem. un. de Jurejurando . Clem. *Paſtoralis.* in fin. de Sent. & re judic. Extravagans *Unam ſanctam.* inter. Comm. de Majorit. & obedientia . Extravagans *ſuper.* de Conſuetudine . Extravagans *Si fratrum* . Joannis XXII. Ne ſede vacante &c.

[5] Quòd ſi ſupponeretur etiam , præter veritatem , regimen Eccleſiæ *arbitrarium* eſſe , & *ab unius voluntate* dependere; nihilominus in tanta regionum , morum , geniorum , aliarumque ferè infinitarum circumſtantiarum varietate , ad officium Epiſcoporum , quibus ſuarum reſpectivè Eccleſiarum cura & regimen à Deo commiſſum eſt, maximopere per-

pertineret, diſpicere & maturè ponderare, an leges & decreta, quæ Romæ emanant, populis ſuæ curæ creditis utilia futura ſint, aut potius apta ad gignendos tumultus in fideli illarum regionum populo: quo caſu finis legis, qui eſt majus bonum, nullatenus obtineretur. Adde ſuprà *cap. I. §. 8. n. 5.* Confer de Marca *de Concord. S. & I. Lib. II. cap. 16. n. 6*: item *Lib. III. cap. 7.*

(6) Ea ſcilicet eſt regiminis Eccleſiaſtici ratio, diverſitati morum (quæ pro differentia nationum ita variat, ut quod uni prodeſt, alteri noceat) à Salvatore noſtro taliter adaptata, ut ne *Generalium* quidem *Conciliorum* (quibus nemo Catholicorum poteſtatem legislativam denegat) Conſtitutiones ſine Eccleſiarum, regnorum ac provinciarum acceptatione, vim & effectum legis obtineant. Per ſolam hujus acceptationis neceſſitatem explicari poteſt ratio, ob quam aliis in locis Oecumenicarum Synodorum Canones obſerventur, in aliis minus; ſi enim eorum executio & obſervantia eſſet neceſſaria ſequela auctoritatis à qua illi emanarunt, deberent ubique æqualiter ſervari, quia ex eadem auctoritate procedunt. Sanè evidens eſt, quod Tridentina Synodus, condemnationem Proteſtantium, & uſuum in Latina Eccleſia receptorum juſtificationem ſibi pro primario fine proponens, non habuerit intentionem ſuis Canonibus, licet univerſaliter conceptis, *Orientales* obligandi. Hujus rei indicia apparent in Decretis concernentibus uſum latinæ linguæ in ſacrificio Miſſæ & aliis partibus divini officii, divortium ob cauſam adulterii, numerum Minorum Ordinum, ritus & formas variorum ſacramentorum, uſum Calicis, cœlibatum Presbyterorum &c. Egregiè hæc confirmantur ex actis receptionis Concilii Tridentini in Gallia, & cæteris regnis. Decreta hujus Synodi confirmaverat Pius PP. IV. ſolemni conſtitutione, publicata Romæ die 25. Jan. an. 1563.; atque alia 18. Julii 1564 ſubſecuta declaraverat, Concilii ſanctiones vigorem obtinuiſſe, & parendi obligationem induxiſſe, inde à prima Maji ejuſdem anni. Nihilominus certum & omnibus notum eſt, eadem

dec

decreta (illis exceptis, quæ ſpecialis obſervantia introduxit, quæve in jure divino poſitivo, aut naturali fundata ſunt) vim legis in Gallia non obtinere, & conſcientias non ligare, quia publica auctoritate recepta & publicata nunquam fuerunt. Agnovere id ipſum Romani Pontifices per toties iteratas apud Reges Galliæ inſtantias, quibus rogarunt, ut decreta Concilii in regno reciperentur. Ut alia prætercam, petitio Cleri Gallicani in Conventu Statuum anni 1615. continebat: " Qu' il plaiſe a V. M. ordonner, „ que le Concile Univerſel & Ecumenique de Trente ſera „ *reçu* & *publié* en ce Royaume, & les conſtitutions d'ice„ lui gardées & obſervées, ſans prejudice toutesfois des „ droits de V. M., libertés de l' Egliſe Gallicane, pri„ vileges & exemptions des Chapitres &c. pour les quels „ ſa Sainteté ſera ſuppliée à ce qu' elles ſoient reſervées & „ demeurent en leur entier. " Vid. Hiſtoire de la reception du Concile de Trente *Tom. II: pag.* 314. Sed Status ſæcularis huic petito non acquievit, opponens. " Que „ par cette clauſe on bleſſoit l'autorité du Roi, en l'enga„ geant de ſupplier le Pape de conſerver les droits, & la „ liberté de ſa Couronne, & on favoriſoit le ſentiment de „ ceux, qui les regardent, comme des conceſſions des „ Papes . . . . . . Enfin, parce que la publication du „ Concile de Trente pouvoit tirer à conſéquence contre „ l'article de l'independance de la Couronne de France &c. *cit. Tom. II. pag.* 340: Et poſtea *pag.* 352. *ſeq.* " Il eſt „ inoui, que jamais on ait procedé en ce Royaume a au„ cune promulgation de Concile, combien que Ecuméni„ que. Il n'y en a aucun dans les Regiſtres du Parle„ ment, ni ailleurs . . Auſſi la vraie publication des Con„ ciles gît en l'obſervance & l'execution d'iceux, comme „ pour exemple il ſe pratique beaucoup de choſes du Con„ cile de Trente parmi nous, ſans que pour cela il ſoit né„ ceſſaire d'en exprimer le nom, n'étant ni *Trente*, ni „ *Conſtance*, ni *Basle*, qui ayent fait les Conciles, mais „ les reſolutions des Peres qui y ont été aſſemblés. Deni-

„ nique *pag.* 354. La bigarrure du temps, auquel nous „ vivons, aporte & à vous & à nous la neceſſité de rejetter la publication du Concile pluſtot, que de l'embraſſer. Néamoins Meſſieurs du Clergé ſe peuvent mettre „ d'eux-mêmes dans ce Concile, en pratiquer les reſolutions en retranchant la pluralité des bénéfices & autres „ abus, auxquels il a remédié. " Atque in his terminis negotium perſtitit; Clerus Gallicanus in ſolemni Conventu anni 1615. ſe decretis Concilii ſubmiſit, Rex autem illud non acceptavit, neque in regno permiſit publicari. Adde de Marca *cit. Lib. II. cap.* 17. *n.* 6. Locum hìc ſanè merentur verba Stephani Paſquier celebris in Pariſienſi Parlamento Advocati, in Libro quem inſcripſit *Recherches*; in quo ita: *En admettant tous les Decrets du Concile, au lieu de moyenner un ordre, on y apportat un deſordre, & une Monarchie non jamais vue au milieu de la notre. C'eſt pour quoi ſagement nous ne l'avons voulu admettre en France, encore qu' à chaque occurrence d'affaires les Courtiſans de la Cour de Rome nous couchent toujours de la publication de ce Concile, par le quel en un trait de plume le Pape acqueroit plus d'autorité, qu' il n'auroit pû faire des & depuis la fondation de notre Chriſtianiſme*. Qua ratione, & quibus, ac quam variis modificationibus, & reſtrictionibus in aliis regnis & provinciis Concilium non niſi de ſpeciali conſenſu & auctoritate Principum acceptatum fuerit, legi poteſt, & quidem de Statu ac Rep. *Veneta* apud Moroſini Hiſt. Venet. Lib. VIII. pag. 324. ad an. 1564. de regno *Neapolitano* in Giannone Hiſt. Civile du Royaume de Naples Tom. IV. Lib. XXXIII. pag. 240. ſeq. de *Hiſpania* apud eundem eod. Lib XXXIII. pag. 237. de regno *Poloniæ* in Vita Cardinalis Commendoni Lib. II. cap. 10. & 11. de *Belgio*, in Van Eſpen Tract. de Promulgatione Legum Eccleſ. P. III. cap. 2. Confer Spondanum *ad annum* 1564. *n.* 3.

[7] Cæterum ut revertamur ad Eccleſiaſticas Conſtitutiones *ſolius* Romani *Pontificis* auctoritate emanantes: rectè ſcripſit

Ivo

Ivo Carnotenſis Epiſt. 180. *ſi privilegiis nititur Rhemenſis Eccleſia , illa privilegia apud nos nulla ſunt , quia nec in generalibus Conciliis , nobis audientibus ſunt recitata , nec ad Eccleſias noſtras Epiſtolari maturitate directa ; & ut manifeſtius dicamus , nulla nobis familiari vel publica relatione prolata . Illius ergo legis prævaricatores non ſumus , cujus auditores nunquam fuimus ; quæ tamen , ſi audita eſſet , nihil nobis obeſſe poſſet ; lex enim juſta debet eſſe , & poſſibilis, loco & tempori congruens .* Hæc quantùm ad poſteriorem partem quæ Theſin continet , manifeſtè pertinent (*a*) ad Legislatoriam de rebus Eccleſiaſticis poteſtatem . (*b*) ad modum eas ferendi , & reſpectivè recipiendi . (*c*) ad neceſſariam earundem legitimamque publicationem .

(8) Cum Romani quererentur , quod Epiſcopi *Galliæ* illis ſolum Decretalibus Pontificum utantur , quas ſuæ intentioni conſpicerent ſuffragari , tunc Hincmarus *ſcripſit Apologeticum contra obtrectatores ſuos , qui calumniabantur eum apud Papam Joannem , quod nollet auctoritatem recipere Decretorum Pontificum Sedis Romanæ ; atque & tunc in Synodo Tricaſſina , & poſtea hoc in Apologetico reſpondit , ſe Decretalia Pontificum Romanorum , à SANCTIS CONCILIIS RECEPTA ET APPROBATA recipere , & ſequi DISCRETE , PROUT SUNT SEQUENDA* : ita Flodoardus Hiſt. Remen. Lib. III. Cap. 21. Dum Galli ſic ſentiunt & loquuntur , dicuntur *uti Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* . Ne ipſis quidem Romanis , ſiquidem ratione contendere amant , hæc diſplicere poſſunt . Sanè NICOLAUS I. in *Can.* 1. *Diſt. XIX.* ad Epiſcopos *Galliæ* ſcribens , licet prolixè contenderet, quod etiam ea, quæ pro multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus , & fidelium moribus diverſo tempore Sedes Apoſtolica ſcripſit , omni debeant honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet opportunitatibus reverenter aſſumi , interjecit tamen hæc verba : *diſcretione , vel diſpenſatione magiſtra* . Nos alibi dicemus , Legislatoriam poteſtatem, quantum ea *de Jure* penes Romanum Pontificem reſidere creditur , non eſſe majorem *in aliis partibus* orbis Catholici , quàm *in Gallia* . Atque hoc in-

tuitu

tuitu omnibus commune eſt, quod verè dixit egregius quidam Galliæ Juriſconſultus: *Tot habemus Libertates, quot novas habent, aut formare poſſunt Romani pretenſiones, alienas ab antiquo & genuino Jure communi.*

(9) Quando autem Leges pro Univerſa Eccleſia in Conciliis latæ, & ab hac generali uſu receptæ ſunt, non eſt in ſolius ſummi Pontificis poteſtate illas abolere, aut eis, ſaltem abſque præſumpto Synodi conſenſu, derogare. Evincit hoc ſuperioritas Conciliorum Oecumenicorum ſupra Pontificem, quam firmamus *cap. I. §. 5. 6. 7. & 8. cap. VI. §. 1. cap. IX. §. 3. & 9.* Illud agnoverunt ſæpe Romani Pontifices, nempe ſe univerſalibus Conciliorum legibus teneri; quorum in hanc rem loca notoria ſunt, quam ut ea hìc conglomerare neceſſe ſit. Vid. Gibert. *Corp. Juris Can. Tom. I. in Prolog. Sect. II. pag. 3. ſeqq.* Item *pag. 22. & ſeqq.* Demum *pag. 158. ſeq.* Porro *Tom. II. pag. 14. 15. 16. & ſeq.* Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. III. pag. 115. ſeqq. edit. Pariſ.* de Marca *de C. S & I. Lib. III. cap. 7.* Scilicet manebit ſemper verum & firmum quod refert Gratianus Cauſ. XXV. Quæſt. 1. cap. 7. *Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec Apoſtolicæ quidem Sedis POTEST auctoritas. Apud illam enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Adde infrà cap. VIII. §. 5. n. 3.

(10) Profeſſionis Fidei, quam olim Romani Pontifices electi edebant, quæque refertur in *Libro Diurno Romanorum Pontificum*, hæc ſunt formalia: " Nihil de Traditione,
„ quod à probatiſſimis prædeceſſoribus meis ſervatum re-
„ peri diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem ad-
„ mittere, ſed ferventer, ut verè eorum diſcipulus & ſe-
„ quipeda, totis viribus meis conatibuſque tradita conſer-
„ vare ac venerari. Si qua verò emerſerint contra Diſci-
„ plinam Canonicam, emendare; ſacroſque Canones &
„ conſtituta Pontificum noſtrorum, ut divina & cœleſtia
„ mandata cuſtodire, utpote tibi, Beatè Petre redditurum
„ me ſciens de omnibus, quæ profiteor, diſtrictam in di-

vino

„ vino judicio rationem, cujus locum divina dignatione „ perago. “ Hinc rectè colligitur, Romanum Pontificem Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos abrogare, aut in eis pro libitu diſpenſare non poſſe.

(11) Adverſum hæc ſi Romana Curia attentare præſumat, non Epiſcoporum tantum erit, efficax ponere remedium ſervando ſuo genuinis Canonibus vigori, ſed & Principum ſæcularium. Rectè ea de re ſcripſit P. de Marca *Lib. VI. cap.* 36. “ Certum eſt, Regem ex ſententia Conſilii ſui, „ quod auget aut minuit prout ei lubet, poſſe latis edictis „ decernere, ut Canones obſerventur, ac circumſtantias „ & modos neceſſarios addere ad faciliorem eorum executionem, ſive ad veram eorum mentem explicandam, „ eoſque accommodare ad utilitatem regni. Ad probationem autem hujus auctoritatis extant exempla omnium „ Imperatorum Chriſtianorum, Conſtantini videlicet, Valentiniani, utriuſque Theodoſii, Arcadii & Honorii, „ Marciani, Leonis, Juſtiniani, Heraclii, Leonis Philoſophi, & Baſilii. In Gallia verò, inter Reges tertiæ „ ſtirpis emicat ſanctus Ludovicus; qui propria auctoritate, nulla facta mentione congregationis Eccleſiæ Gallicanæ, celebre illud edictum tulit anno 1268. quo peſſumdantur novitates ab Eccleſia Romana per illas tempeſtates introductæ, & Eccleſia Gallicana revocatur ad „ obſervationem Canonum &c. “ Plura de his memorabimus infra *cap. IX. §. 6.*

(12) Si, vel ipſa id haud obſcurè fatente Romana Curia, ad legis Eccleſiaſticæ *Diſciplinaris* obligationem requiratur ejus publicatio in provinciis, aliud obtinebit in *Dogmate*, vel ipſa hujus naturâ contrarium ſuadente. Etenim inter omnes convenit, Eccleſiam Catholicam eandem ſemper & ubique fidem ex Apoſtolica traditione, ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto, conſervaſſe; neque materiæ credendorum quidquam poſt Apoſtolorum tempora acceſſiſſe novi. Sed

nec minus certum eſt, ad hoc ut quis fide divina dogma aliquod revelatum credere debeat, non requiri, illud ei aliqua lege humana propoſitum aut intimatum fuiſſe, ſed ſufficere ut quacunque ratione ipſi conſtet, articulum illum, ſive ſcripto, ſive non ſcripto, à Deo revelatum, atque ab Eccleſia declaratum & definitum. Unde nequaquam dependet à publicatione vel executione Decreti ſeu Bullæ Dogmaticæ, ut quis Dogmati aſſenſum fidei præbere teneatur; eò quod præveniendo omnes publicationem & executionem quiſque debeat fide divina credere dogma, quod ipſi ſufficienter conſtat ex divina revelatione eſſe traditum.

§. III.

Collectiones Canonum non niſi ex receptione & obſervantia Juris vigorem obtinent,

Hoc nominatim verum eſt de Decreto Gratiani, de Decretalibus Gregorii IX. & reliquis partibus Juris Canonici.

Eadem, imò minor ratio habetur Regularum Cancellariæ, Bullæ Cœnæ, & Declarationum Concilii Tridentini.

Quod de *ſingularibus Conſtitutionibus* Romanorum Pontificum diximus, id de *integris Collectionibus* Decretalium etiam tenendum eſt; quippe quæ ex eorum, quorum juſſu compilatæ & evulgatæ ſunt, auctoritate, legis communis vim obtinent, ſed ex receptione ac obſervantià pro Jure poſſunt allegari. Vid. ſuprà *cap. III. §. 7. n. 3. ſeqq.*

(1) *DECRETUM GRATIANI* eſt compilatio Canonum Synodalium, Pontificiorum Decretorum & Epiſtolarum, nec non extractuum è ſcriptis SS. Patrum, per privatum hominem procurata, nulla Eccleſiaſtica auctoritate munita. Interim cùm hæc Collectio, multà licet confuſione compacta,

pacta, erratorum congerie, nec non apocryphis monumentis referta, mox ſervierit, & hucuſque ſerviat prælectionibus Scholarum, atque in Eccleſiaſticis tribunalibus frequenter allegetur, habet pondus aliquod, attamen, vel ipſo hoc, inter alios, agnoſcente Card. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. Diſc.* 28. *n.* 8., nullam propriam & legalem auctoritatem, niſi qua per ſe gaudent Concilia, Decreta & Scripta, è quibus deſumpta ſunt loca, quæ in capite ſingulorum Canonum indicantur; dummodò tamen ii fontes (quod ſæpe deſideratur) genuini ſint. Adde ſuprà *cap. II.* §. 8. *n. 6.*

(2) Nec aliter tenendum de *DECRETALIBUS* GREGORII IX. Quanquam enim hæc Collectio (quæ & ipſa multam criſin patitur, ex quo, uti rectè obſervat Franciſcus Florens in Oratione *de recta Juris Canonici diſcendi ratione*, in ea Pontificum conſtitutiones paſſim interpolatæ, reſciſſæ, ac ſæpe contra mentem Auctorum immutatæ ſint) juſſu hujus Pontificis per Raymundum à Pennafort procurata, & eo fine publicata ſit, ut ejus tam in Judiciis, quam in Scholis uſus eſſet; nihilominus ne ab ipſo quidem Papa tanquam Lex communis ad *univerſam* Eccleſiam directa fuit, ſed ſolum *ad Doctores & Scholares Bononiæ commorantes*, uti apparet ex Epiſtola Gregorii eidem Collectioni præfiſſa. Idem de Collectione BONIFACII VIII. & CLEMENTINARUM dicendum apparet ex ſimilibus Epiſtolis Bonifacii & Joannis XXII., quæ his Collectionibus reſpectivè præmittuntur, quibus hoc quoque intenditur, ut earum uſus fiat in Judiciis & in Scholis,

(3) Habuerunt hæ declarationes Pontificum eatenus ſuum effectum, ut quemadmodum *Jus Civile Romanum* ubique ferè gentium ita pro Jure communi habetur, ut in defectum Juris patrii & particularis, ſeu ſcripti, ſeu conſuetudinarii, ex illo cauſæ civiles dirigantur; & ſi quid in lege patria aut Conſuetudine dubii occurrat, id [quantum analogia Juris patitur] ex Jure Romano dilucidationem accipiat: ita quoque

que cauſæ Eccleſiaſticæ, & exterior Eccleſiæ politia *Jure Canonico Romano*, tanquam Jure communi Eccleſiaſtico, dirigantur ac decidantur; & ſi quid difficultatis in Jure Sacro particulari, ſeu ſcripto, ſeu non ſcripto, obveniat, ex illo accipiat interpretationem; tunc ſcilicet, cum Jura Romana non repugnant ſpiritui & genio Juris illius Eccleſiaſtici particularis. Vid. A. Duck *de Auctoritate Juris Civilis Lib. I. Cap. 7. §. 15. ſeq.*

(4) Inter Romanos Pontifices Sæculi XII. & XIII., quorum Decretales in Collectionem Raymundi relatæ ſunt; quidam non ſolùm Diſciplinæ ſacræ *eo tempore vigentis* apprimè gnari, ſed & Juris Civilis erant peritiſſimi. Ideo haud mirandum, ſi eorum Epiſtolæ in communi Juriſprudentia Civili ex uſu eam adeptæ ſint auctoritatem, ut hoc jus Romanum, cum dubium fuerit, ex Jure Pontificio interpretationem accipiat. Id ità rectè quoad *Jura privatorum*. At *Jus publicum* Eccleſiaſticum, à Chriſto & Apoſtolis inſtitutum, & fundamentalibus regulis ab Eccleſia receptis innixum, mutare, non eſt in poteſtate ſummi Pontificis, neque dependet à voluntate privatorum. Hoc autem egregiè factum iisdem, de quibus agimus, Decretalibus Epiſtolis, quæ tum emanarunt, cum per falſas Iſidori Decretales auctoritas Papæ in immenſum aucta, & viciſſim Conciliorum provincialium, quin & ipſorummet Epiſcoporum nativa poteſtas depreſſa eſſet. Quare non ineptè ſcripſit quidam Galliæ J. C.: citare Decretales Gregorii IX. ad aſſerendas & probandas prætenſiones Curiæ Romanæ, & ejuſdem Sedis exceſſivas prærogativas, idem eſſe ac allegare Manifeſta Regum Angliæ pro probatione & legitimatione earum prætenſionum, quibus hi regnum Galliæ ad ſua jura pertinere contendunt. Quod diximus de *Decretalibus* Gregorii IX. hoc multò magis obtinet in *Sexto Decretalium* & *Clementinis*. De his ita ſcripſit Joannes Gerſon Tractatu *de Modo reformandi Eccleſiam in Concilio Univerſali cap. V.* in Hermanni von der Hardt Actis Conc. Conſtant. Tom. I. Part. V. pag. 77. " Quis fecit hos libros *Sex-*

„ *Sextum* & *Clementinas* ? Arrogantiam , ſuperbiam , juris
„ Ordinariorum locorum uſurpationem , Imperatorum
„ Romanorum injurioſam detractionem , & eorum aliorum-
„ que poteſtatis periculoſiſſimam ſuppreſſionem , & alia
„ multa in ſpiritualis & ſecularis reipublicæ læſionem mali-
„ tioſe & pertinaci ambitione fabbricata , in omnibus & per
„ omnia concludentes ? Et male : Quia non minus terreno
„ Principi in his , quæ ad jura pertinent imperii , quam
„ ſpirituali , in his quæ ad Deum ſpectant , debetur obe-
„ dientia . Vult enim Deus , hominem homini ſubeſſe du-
„ plici ratione , carnali Domino , quia caro eſt , &
„ ſpirituali , quia ſpiritus eſt . Igitur omnes inobe-
„ dientes Romano Imperatori & ejuſdem imperio , quia
„ ejus jura uſurpant , in ſtatu damnationis exiſtunt . Ni-
„ hilominus & Papæ voluerunt obſervari illos ſicut ſan-
„ cta Dei Evangelia . Et ſic de multis contentis in *Decre-
„ tis* & *Decretalibus* poſt donationem Conſtantini . Quo-
„ rum occaſione & multa ſuccreverunt , & ſuccreſcunt
„ ſchiſmata in utraque Republica memorata ..

(5) In *BULLA CŒNÆ* ſtabilitur abſoluta Monarchia Romani Pontificis , condemnantur receptæ in Gallia *appellationes ab Abuſu* , eximuntur Clerici ab omni juriſdictione Magiſtratus politici , & per conſequens etiam in temporalibus à legitima poteſtate Principis ; & quæ ſunt ejus generis alia ; idque ſub actuali excommunicationis declaratione ac fulminatione . Inde ſequitur *ex una parte* , quòd vel Romani pleroſque Gallos deberent habere pro excommunicatis , id quod tamen non faciunt ; vel quod ipſimet agnoſcant , ſolam publicationem Pontificiorum decretorum , factam Romæ , alibi nullum effectum producere : *ex altera verò parte* , quòd Galli (quorum Parlamenta annis 1580. & 1641. omnem publicationem hujus Bullæ inhibuerunt ; quanquam & hoc ipſum §. 15. ejuſdem Bullæ adverſetur) nullam ſummo Pontifici immediatam juriſdictionem & legislativam poteſtatem in aliis diœceſibus agnoſcant . Idem faciunt ex Germanis illi , qui Bullam Cœnæ in Germania re-

cep-

ceptam non eſſe *ſimpliciter* aſſerunt; uti Fridericus à Sommeting *Introd. in Univ. Jus Lib. I. Tit. 2. n.* 75. & alii. Qui verò cum Layman *Theol. moral. Lib. I. Tr. 5. P. II. cap. 5. n. 2.* & Pichler *ad Jus Can. Lib. V. Tit.* 39. *n.* 16. mediam viam amplexi, aſſerunt, quod licet hæc Bulla inde à tempore Pauli V. quotannis tanta cum ſolemnitate Romæ promulgetur & innovetur, nihilominus in Germania *quoad omnia*, *& in omni rigore RECEPTA non ſit*, ii neſcio quid intelligant, ſi ad id, ut hæc & quævis alia Papalis Conſtitutio vim legis obtineat, *receptionem* non requirant.

(6) *REGULARUM CANCELLARIÆ* aliæ in Gallia & Germania receptæ ſunt, aliæ non. Illæ propter internam æquitatem & bonitatem: Hæ, quia cum Juriſprudentia Eccleſiaſtica, Germanica & Gallica, non concordant. Quinimo aliquarum, quæ ſic receptæ ſunt, non admittitur derogatio aut diſpenſatio, ſi ea Romæ (uti facilè fit) obtineatur. Hoc de *Gallia* teſtatur Hericourt *Loix Eccleſiaſt. Part.* 1. *cap.* 15. §. 10. De *Germania* Barthelius in *Annot. ad Jus Canon. Lud. Engel. Lib. III. Tit. 5. pag.* 215.

(7) Circa *DECLARATIONES* Cardinalium *CONCILII TRIDENTINI* interpretum, quas Romani Pontifices pro legibus haberi volunt, (Vid. Benedicti XIV. Inſtitutiones Eccleſiaſticas *Inſtit. CVII. v. Si quis.*) conſiderandum, eas (præterquam quod nullibi publicentur *ut leges*) non à viris è provinciis, unde difficultates oriuntur, evocatis (ceu Tridentinum Seſſ. XXV. ſub Rubr. *de Recipiendis & obſervandis Decretis Concilii* voluit) ſed á talibus confici, qui præjudiciis Romanæ Curiæ occupati, Declarationes ſuas ad normam Romanæ praxeos, & Pontificiarum alibi non receptarum Conſtitutionum condunt. Ex Secretariis hujus Congregationis celebriores ſunt *Proſper Lambertinus*, poſtea Benedictus XIV. P. M. & *Proſper Fagnanus*; quibus autem principiis hi circa res Curiæ & Pontificiam auctoritatem imbuti fuerint, vidimus *cap.* III. §. 11. Idem ſervata proportione dicendum de *DECISIONIBUS ROTÆ*, quibus ſi uni-

ſi uniformes & ſæpe repetitæ ſint, Canoniſtæ Romani dicunt, ſtylum Curiæ, praxin, quin & *jus* formari.

(8) Dixit Gerſo, à nobis *num.* 4. relatus, propter multa in Decreto Gratiani & Decretalibus contenta, in utraque Rep. varia ſuccreviſſe & ſuccreſcere ſchiſmata. Gulielmus Major Epiſcopus Andegavenſis qui anno 1311. interfuerat & ſubſcripſerat Concilio generali Viennenſi, de quo nos pauca memoramus *cap. VIII. §.* 3. in ſua Synodo diœceſana anni 1312. apud Dacherium in Spicilegio *Tom. XI. pag.* 258. *ſeq.* poſtquam pro condigno laudaſſet *Quatuor principalia Generalia Concilia, & alia deinceps habita; nec non Decreta ſummorum Pontificum, quæ ad reformationem Eccleſiæ & informationem vitæ humanæ, maximè Clericalis, pro varietate temporum & factorum, ſeu rerum exigentia, inſtinctu Spiritus Sancti divinitus ſucceſſerunt. Quæ quidem*, ait, *dicta Sanctorum Patrum & ſtatuta Conciliorum, maximè principalium quatuor, decretaque ſummorum Pontificum ſi ad integrum ſervarentur, ad ſanctæ Matris Eccleſiæ & Fidei orthodoxæ ſtabilimentum, inſtructionem morum, repreſſionem criminum, propagationem virtutum procul dubio ſufficere viderentur, nec opus eſſet onerosa novorum multitudine ſtatutorum* (ſub his intelligit Collectiones Decretorum & Decretalium tunc ſatis recentium) *humeros premere ſubditorum, cum multitudo onerosa nihil habere dignoſcatur honeſti*: antiquos illos ſanctoſque Canones vocat *panes ſimilagineos Sanctorum antiquorum Patrum*: recentiores econtra *ſiliquas porcorum, & panes furfureos modernorum*; ſic enim proſequitur: *Verum quia multa de prædictis ſtatutis Conciliorum & Decretis ſummorum Pontificum tam propter negligentiam Prælatorum, quam propter abuſum ſubditorum & corruptionem in diſſuetudinem abierunt, & alias nullo modo ſervantur, ſed petulantia & inſolentia animorum indomitorum, & maximè Clericorum; temerè corrumpuntur, & damnabiliter violantur; idcirco eadem ſancta Statuta revocare, renovare & in lucem reducere eſſet perutile toti mundo, & panes ſimilageneos ſanctorum antiquorum Pa-*

Patrum menſis apponere filiorum potius quam ſiliquas porcorum , & panes furfureos modernorum . Vota Majoris bona utique erant & ſancta ; ſed vetera non tam facilè reducuntur, poſtquam recentiora radices egerunt . Vid. Arthurum Duck *cit. cap.* 7. §. 16. 17.

§. IV.

Ampla quidem auctoritas , non tamen juriſdictio propriè talis Romano Pontifici in omnes Eccleſias competit .

Argumentis , quæ hanc in rem ex Tridentino , Florentino , & aliis Conciliis pro Papa petuntur , ſatisfit .

Quæ pro generali legislatoria & judiciaria Romani Pontificis per univerſam Eccleſiam poteſtate ſolent & poſſunt allegari, ea præ cæteris ſtudiosè collegit Tournelius *in Curſu Theologico Tract. de Eccleſia Quæſt. V. art.* 2. ; ſed vel hac præcipuè de cauſa cum illo hic agemus lubentius ; quod non niſi verum quæramus & ſolidum . Videbimus autem, uti confido , dilucidè , ea quæ in hanc cauſam à Tournelio proferuntur, talia eſſe, ut ſi ad fidem Actorum , præcipuè Conciliarium, e quibus pleraque deprompta ſunt , reducantur, *directivam* quidem illam *auctoritatem* , cum Primatu neceſſariò conjunctam , indicent , atque jura ex hoc proximè defluentia , à nobis *cap. II.* explicata ſignificent ; ad probandam verò *propriam juriſdictionem* in univerſam Eccleſiam & ſingulas ejus partes nullatenus ſufficiant . Cum autem brevitati ſtudeamus , graviora , quæ hic producuntur , ponderabimus , è quibus facile erit prudentum & minus præoccupatorum de reliquis judicium . Vide interim quæ de hac materia jam occupavimus *cap. II.* §. 9.

(1) Dicit Tournelius , Thema hoc de Rom. Pontificis *juriſdictione* melius dignoſci non poſſe , quàm ex *antiqua & conſtanti* Eccleſiæ *Traditione* , quæ probatur ex Conciliis , Patribus , & geſtis ſummorum Pontificum , qui approbante Eccleſia , hac univerſali Juriſdictione uſi ſunt . Hactenus

nus rectè. Sed intueamur ſingula, judicemus de applicatione Regulæ. (*a*) Fatentur, ait, Patres *CONCILII EPHESINI* de anno 431., ſe per Canones & per Epiſtolam Cœleſtini Papæ ad pronuntiandam in Neſtorium damnationis ſententiam compulſos eſſe. Verba CŒLESTINI ad Concilium *Art.* 2. ſunt: *Direximus pro noſtra ſollicitudine ſanctos Fratres & Conſacerdotes noſtros, unanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbiterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur interſint, & quæ à nobis antè ſtatuta ſunt, exequantur; quibus præſtandum à veſtra Sanctitate non dubitamus aſſenſum, quando id, quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum.* Decreverat ſcilicet Cœleſtinus, " ut „ niſi Neſtorius decem dierum intervallo nefariam doctri„ nam ſuam anathematizet, ... illico Sanctitas „ tua illi Eccleſiæ proſpiciat; is verò modis omnibus ſe à „ noſtro Corpore ſegregatum eſſe intelligat. " (*b*) *CONCILIUM CHALCEDONENSE* anni 451. plura ſimilia argumenta ſuppeditat. Scilicet in ejus Actis primum *Paſchaſinus*, *aliis Legatis præſentibus*, *dixit*: *Beatiſſimi atque Apoſtolici viri Papæ urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Diſcorus*, [Alexandrinorum Archiep.] *non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Hoc nos obſervare neceſſe eſt* &c. Item Act. 3. *Sanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ* LEO, *per nos & per præſentem ſanctam Synodum, una cum ter beatiſſimo & omni laude digniſſimo B. Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni ſacerdotali alienavit miniſterio*. Porrò Act. 5. legati minantur: ſi rata non habeatur Leonis definitio, congregandam Romæ Synodum, ad quam rebelles mittendi forent. Denique Patres Chalcedonenſes rogant Leonem, ut quæ ipſi ſtatuerant, ſuo velit confirmare aſſenſu: *Rogamus igitur*, inquiunt in Relatione Synodi

nodi ad Leonem, *& tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat*. (*c*) In *CONCILIO LATERANENSI* ſub Martino I. an. 649. adverſus Monothelitas Stephanus Dorenſis natione Græcus Act. I. libellum obtulit, in quo dicit, Hæreticos ſemper auctoritate ſummæ Sedis damnatos fuiſſe. Refertur quoque in eadem Synodo Epiſtola Concilii Africani ad Papam Theodorum, cujus hæc ſunt verba: *Antiquis regulis ſancitum eſt, ut quidquid, quamvis in remotis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuiſſet, pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de natali fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei ſacramenta ſalutis*. (*d*) *CONCILIUM FLORENTINUM* quæſtionem Græcos inter & Latinos multis collationibus & diſputationibus ventilatam, tandem determinavit his verbis: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*. (*e*) *CONCILIUM TRIDENTINUM* Seſſ. XIV. de Pœnit. cap. 7. declarat. *meritò Pontifices Maximos, pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia traditâ, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poſſe peculiari judicio reſervare*. Quæ omnia, præſertim ſimul ſumpta, *juriſdictionem, eamque proprium*, potius indicare videntur, quàm *nudum Primatus honorem*, & *Directoris officium*.

(2) Verum hæc, neque omnia, neque ſingula, apta ſunt ad nos in contrariam ſententiam movendos. Et quidem, quantum præ primis ad *EPHESINUM CONCILIUM* attinet, ea, quæ ante Synodum à quocunque demum geſta ſunt,

non

non debent reputari pro fructu ſeu effectu propriæ veræque in alios Epiſcopos juriſdictionis vel imperii. Scripſit revera (*a*) CŒLESTINUS PP. die 10. Auguſti an. 430. ad Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum: *ſint in communione, quos ipſe* (Neſtorius) *reſiſtentes ſibi à communione ſummovit, noſtramque communionem habere ſe non poſſe noverit, ſi in hoc perverſitatis ſuæ tramite Apoſtolicæ doctrinæ contrarius perdurarit. Auctoritate igitur tecum noſtræ Sedis adſcita, vice noſtra uſus, hanc exequeris diſtricto rigore ſententiam, ut aut infra decem dies, ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes ſuas ſcripta profeſſione condemnet, & hanc ſe de Nativitate Chriſti Dei noſtri fidem tenere confirmet, quam & Romana, & tuæ Sanctitatis Eccleſia, & univerſalis devotio tenet; aut niſi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Eccleſiæ proviſura, à noſtro eum Corpore modis omnibus ſciat eſſe removendum. Eadem autem ſcripſimus & ad ſanctos Fratres & Coepiſcopos noſtros, Joannem, Rufum, Juvenalem, & Flavinanum, ut nota ſit de eo noſtra, immò Chriſti divina ſententia.* Harduini Collect. Concil. Tom. I. col. 1323. Paria ſcripſit Cœleſtinus ad Synodum ipſam, verbis, quæ priore num., retulimus. Verùm debent hæc omnia interpretationem accipere ex iis, quæ ſuprà *cap. III. §.* 4. de modo communicandi Eccleſiarum inter ſe, ſpeciatim Romani Epiſcopi cum Alexandrino, & per hunc cum Ægyptiis, dicta ſunt. Negata igitur Neſtorio reliquorum Epiſcoporum communione, per ſe fluebat, ejus cathedræ de alio Antiſtite providendum fuiſſe, mediante Alexandrino. (*b*) Talem excommunicationis & damnationis cenſuram in virum heterodoxum ejuſque ſcripta ferre pertinebat ad jus omnium orthodoxorum Epiſcoporum. Cyrillus jam ante Concilium Epheſinum in Alexandrina ſua Synodo, quam ex Ægyptiaca diœceſi menſe Novembri anni 430. collegit, Neſtorii doctrinam anathematizaverat. Vid. Harduin. *loc. cit. col.* 1283. *ſeqq.* Quinimò, ut ex mox relatis verbis Cœleſtini Papæ apparet, Neſtorius ipſe alienos à ſua opinione Epiſcopos excommunica-

nica-

nicaverat, attamen ſine juriſdictionis ſpecie vel obtentu. (*c*) Hæc, inquam, omnia fiebant ſine ſuperioritatis Eccleſiaſticæ uſu aut jure. Hac vera ſuperioritate denique jure ſuo in Neſtorium uſa eſt Epheſina Synodus, juridicam depoſitionis ſententiam in eum ferendo, quæ exſtat apud Harduinum *cit. Tom. I. col.* 1422. Epheſinam autem hanc Synodum ne Romani quidem Pontificis Cœleſtini, ſed Theodoſii junioris Imp. auctoritate convocatam fuiſſe, invictè probat Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. V. Diſſer. VII. in Sæc. V. pag.* 225. *ſeqq. edit. Paris.* (*d*) Attamen negandum minimè eſt, quin Cœleſtinus, ut Primum à S. Cyrillo de prævaricatione Neſtorii monitus fuerat, jure ſui Primatus uſus, in hunc inſurrexerit, eum tum ut hæreticum à communione excludendo, tum Ægypti Epiſcopos excitando, ut ſe ſe modis omnibus huic orthodoxæ fidei everſori opponerent, eum etiam, niſi intra breve tempus reſipiſceret, ſua Sede movendo. Vide Relationem Synodi ad Theodoſium & Valentinianum A. A. apud Harduinum *l. cit. col.* 1442. *v. Hujus itaque.* Nemo autem vel mediocriter eruditus aſſeruerit, eo ævo jus deponendi Epiſcopos Romano Pontifici competiiſſe, aut ab eo exercitum fuiſſe. Vid. *cap. IV. §.* 11. *n.* 2.

(3) Quod ad *CHALCEDONENSE CONCILIUM* pertinet, varia equidem in ejus Actis occurrunt, quæ *prætaxantem* aliquam in Romano Pontifice, tanquam Primate, auctoritatem, & jus præſidii in Conciliis univerſalibus comprobant; at non propriam & immediatam juriſdictionem in aliarum provinciarum Epiſcopos. Nonnulli quidem Patrum hujus Synodi in Relatione ad Leonem Papam aſſerunt. *Imperatores fideles ad ordinandum decentiſſimè præſediſſe*; ſed hoc ad externæ diſciplinæ regimen & conſtitutionem tantum ſpectabat: Scilicet Imperatores Conciliis per ſe vel ſuos judices eo fine præſidebant, ut in eis omnia ritè, ordine, atque ſecundum præſcriptas regulas agerentur, & ne quid turbarum à quoquam ederetur, aut vis cuiquam inferretur. Vid. infrà *cap. VI. §.* 4. Itaque (*a*) præparato-

ratoriè quidem ordinaverat LEO Pontifex, *ut Dioſcorus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur*; at cum Sedis Apoſtolicæ Vicarius ſeu Legatus Paſchaſinus id ſe in mandatis habere in Concilio propoſuiſſet, glorioſiſſimi Judices & Commiſſarii Imperatoris dixerunt: *Quid enim ſpecialiter objicitur Dioſcoro reverendiſſimo Epiſcopo?* Vicarii Sedis Apoſtolicæ inſiſtebant dicentes: *neceſſe eſt judicii ſui eum dare rationem. Non patimur tantam injuriam nec VOBIS fieri, nec nobis, ut iſte ſedeat, qui judicandus advenit.* Tandem poſt plures altercationes interlocuti glorioſiſſimi judices dixerunt, ut Dioſcorus *in medio ſederet*, adeo, ut *reo* ſimilis magis haberetur, quam *judici*. Atque hoc modo præliminaris hæc controverſia ſedata fuit. (*b*) Non à *ſolo* Romano *Pontifice*, ſed à *tota Synodo* Dioſcorum depoſitum fuiſſe, Geſta Actionis III. manifeſtè probant. Scilicet, cum abſentibus Commiſſariis Imperialibus ex relatione trium Epiſcoporum ad id deputatorum appareret, Dioſcorum tertiò vocatum nolle ſe Concilio ſiſtere, nec accuſatoribus reſpondere, Paſchaſinus Vicarius Apoſtolicæ Sedis petivit à Synodo: *Quo igitur dignus eſt ita contemnens?* Sancta Synodus dixit: *indignatione, quæ contra inobedientes à SANCTIS REGULIS conſtituta eſt*. Et Stephanus Epheſi Epiſcopus addidit: *Hoc conſequens eſt, ut, qui SECUNDUM SANCTOS CANONES vocatur, eoſdem CANONES conculcavit, EORUM SENTENTIÆ ſubjaceat*. Harduini Collect. Concil. Tom. II. col. 343. Id ipſum omnes Epiſcopi dixere, depoſitionem Dioſcori ſine nova dilatione poſtulantes. Ex decreto igitur Synodi procedentes Vicarii Sedis Apoſtolicæ declararunt, *manifeſta eſſe, quæ à Dioſcoro quondam Alexandriæ magnæ Epiſcopo commiſſa ſunt ADVERSUS SANCTARUM REGULARUM ORDINEM & Eccleſiaſticam diſciplinam* &c. His præmiſſis iidem Vicarii in depoſitionis ſententiam præiverunt, dicentes: *Unde ſanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ* LEO &c. ut ſupra n. 1. Prolata ſententia iidem Vicarii dixere: *Igitur ſancta hæc & magna SYNODUS*

DUS , QUÆ PLACENT REGULIS , ſuper memorato Dioſcoro DECERNAT . Harduinus l. cit. col. 346. Poſt hæc ſinguli Epiſcopi ſua ſuffragia dederunt , & unanimi conſenſu , licet dolentes, ſententiam in Dioſcorum conceptam probarunt, ejus præſertim contumaciam allegantes . Evidens autem eſt , quod Epiſcopi ſupponerent , eum *à Synodo* , non autem *à ſolo Leone* damnatum . Quinimò , ne ullam ii quidem Leonis aut Vicariorum ejus mentionem facientes, Dioſcori damnationem ſolis adſcribebant Epiſcopis : Sic Simeon Epiſcopus Metropolitanus *Amydenæ civitatis dixit* , *Concors & ego ſum REGULARITER GESTIS ſuper damnatione Dioſcori , quondam Epiſcopi Alexandriæ magnæ civitatis à ſanctiſſimo ac beatiſſimo Anatolio Archiepiſcopo Conſtantinopolitanæ civitatis novæ Romæ , & ſanctiſſimis & Deo amantiſſimis Epiſcopis in hoc ſancto Concilio congregatis , alienum JUDICANS eundem Dioſcorum ab omni Epiſcopali dignitate & miniſterio* , Harduin. col. 351. Plura ſub hac verborum formula occurrunt Epiſcoporum ſuffragia . Hinc & ſententia inſinuata fuit Dioſcoro , nec non Clero Alexandrino ſub nomine *ſanctæ & magnæ & univerſalis Synodi* , *quæ gratia Dei ſecundùm conſtitutum piiſſimorum & Dei amantiſſimorum Principum noſtrorum collecta eſt in Chalcedonenſium civitate* ; diciturque in formula inſinuationis , uti & in edicto , quo Conſtantinopoli ſententia publicata fuit , Dioſcorum *à ſancto & univerſali Concilio eſſe ab Epiſcopatu depoſitum , & ab omni eccleſiaſtica functione ſubmotum* . Harduin. col. 378. (*c*) Ortà inter Patres circa definitionem fidei diſputatione, placuit Imperatori , re ad ipſum delata , uti & antea à Judicibus ſuggeſtum fuerat , convenire ſex Epiſcopos Diœceſis Orientalis , & tres ex qualibet alia , cum Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano & Vicariis Sedis Apoſtolicæ , qui definitionem fidei conciperent, *vel ſi hoc non placeret* , *ſinguli fidem ſuam per ſuum Metropolitam manifeſtam conſtituant* , *ut nulla ſimiliter dubietas aut diſcordia relinquatur* ; *ſi autem neque hoc veſtra velit Sanctitas*

(ait

(ait Imperator) *cognoſcite, quia in partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eo quod Religioſitas veſtra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire*. His poſitis multum clamaverunt Epiſcopi, qui definitionem fidei antè conceperant, aut conceptam probarant, dicentes: *aut definitio perſiſtat, aut diſcedimus. Petimus recitari definitionèm, & ii, qui contradicunt, & non ſubſcribunt, ipſi ambulent*, ſcilicet ad partes Occidentales, ubi Synodum habendam Imperator minabatur. Alii econtra clamabant: *Qui contradicunt, manifeſti fiant. Qui contradicunt, Neſtoriani ſunt. Qui contradicunt, Romam ambulent*; nimirum ad Synodum. Tandem animis mitigatis, juxta primum medium ab Imperatore propoſitum, electi fuere è ſingulis Diœceſibus Epiſcopi qui una cum Anatolio Conſtantinopolitano Antiſtite, & Vicariis Sedis Apoſtolicæ, de fidei definitione tractarent; fuitque concepta per hos definitio, prælecta, & à Patribus probata. Vid. Harduin. *cit. Tom. II. col.* 450. *ſeqq.* [*d*] Proſtat Relatio Synodalis in ſæpe citati Harduini *Tom. II. col.* 655. *ſeqq.* In eâ Patres nullam petunt confirmationem Decretorum, quæ fidem concernunt, aut Dioſcori depoſitionem, rati, ſatis eſſe, quod Leonis Epiſtolam prælucentem, ipſumque Papam ſibi *ut membris Caput præſidentem, ac ſpiritu præſentem, ac penè in Legatis viſum* habuiſſent. Itaque quoad hæc nihil amplius deſiderabatur; adeo, ut mox abſoluto Concilio, tanquam re confecta & explorata, omnem de fide contentionem interdicerent. Interim haud diffitendum, quod Pontifex, auctoritatis ſuæ commendandæ multùm ſtudioſus, *non petitam* Concilii confirmationem fuerit impertitus; quâ autem occaſione id factum, ipſe S. LEO exponit: Cum occaſione improbati ab eo Canonis XXVIII. (quo certa privilegia Epiſcopo Conſtantinopolitano tribuebantur, quæ ſibi præjudicare Romanus exiſtimabat) nonnulli ſparſiſſent, ipſam Chalcedonenſem Synodum ab eo improbari, hæc ſcripſit ad Antiſtites in ea congregatos Epiſt. 87. alias 61. *Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur,*

utrum

utrum quæ in Synodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem: hæc ad omnes Fratres & Coepiſcopos noſtros, qui prædicto Concilio interfuerunt, verba direxi, ut omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per Fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam; in ſola videlicet fidei cauſa adverſus malignos interpretes &c. Ejuſdem generis eſt, quod in Codice Encyclio ad idem Chalcedonenſe Concilium cap. XXV. apud Harduinum col. 737. ad Leonem Imp. ſcripſit Agapitus Epiſcopus Rhodiorum: *Pene omnes Occidentalium partium Epiſcopi conſentientes ſibimet, & pariter decernente ſanctiſſimo atque beatiſſimo Leone, Romanæ Urbis Archiepiſcopo, litteris propriis, & oris ſui confeſſione ea, quæ ab ipſis ſanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata ſunt, confirmaverunt atque conſignaverunt*. Scilicet ſtylo Eccleſiaſtico *confirmantur* decreta non modo ab *æqualibus*, ſed paſſim etiam ab *inferioribus*; & ſpeciatim non tantùm à Romanis Pontificibus Conciliaria decreta, ſed & viciſſim à Conciliis etiam particularibus decreta ſummorum Pontificum confirmata leguntur; quod eruditè demonſtrat Ill. Boſſuetus *Defenſ. Declar. Gall. Parte II. Lib. XIII. cap. 2.*

[4] Quoad ea, quæ in *CONCILIO LATERANENSI* anni 649. geſta & relata ſunt, nec negari poteſt, nec dubitari debet, quin ad univerſalis Eccleſiæ Primatem ejuſque officium pertineat, primariam ſollicitudinem ſuam ad hoc intendere, ut fides per omnes Eccleſias illibata permaneat, exſtirpentur hæreſes, refragantes damnentur. Quod ſi hæreſeos malum latius ſerpere velle videatur, neque Epiſcopi, in cujus diœceſi ea nata eſt, auctoritas ad illam ſupprimendam ſufficiat, expedit, ut damnatio ſummæ Sedis accedat, cujus exemplum particulares Eccleſiæ reverenter & facilius ſequuntur. Verum hæc unius in alterum ſacram ſuperioritatem propriè talem, ſeu *juriſdictionem*, haud involvunt, ſed unicè *ad fidei tutelam* (quæ omnes Epiſcopos peræque tangit) & ad excommunicationis indolem (quæ ſine omni ju-

juriſdictione eſſe , & in hæreticos à quovis Epiſcopo ferri poteſt) pertinent . Si tamen pertinacius ſit malum , ita , ut ne ſummi quidem Pontificis auctoritate tolli valeat , ad Univerſale Concilium, tanquam ultimatum judicem , revertendum eſt . Præterea verum fixumque manet , in rebus quibuſcunque maximi momenti , à quibus ſalus Corporis dependet , nihil *ſine Primatis acceſſu* , & quantum fieri poteſt , *aſſenſu* , ſtatuendum eſſe .

(5) Quæ num. 1. ex *FLORENTINO CONCILIO* relata ſunt , ea ſic primus, & perperam , anno 1626. ex ſiniſtra Græci exemplaris verſione Romæ edidit Abrahamns Cretenſis , nimirùm : *Quemadmodum etiam in actis Conciliorum Oecumenicorum , & in ſacris Canonibus continetur* . Quando econtra , referente Flavio Blondo Eugenii PP. IV. Scriba , & hanc ob cauſam minimè ſuſpecto , in *Decad. III. Lib. X.* ſic legendum eſt : *Quemadmodum ET in Geſtis Oecumenicorum Conciliorum, ET in ſacris Canonibus continetur* . Expreſſionem Blondi non ſolum probant Marcus Vigerius Cardinalis *in Decachordo Chorda X.* , Joannes Roffenſis *in Art. XXV. Contra Lutheranas aſſertiones*, Joannes Eckius *de Primatu Petri Lib. II. cap. 25.*, & Albertus Pighius *de Eccleſ. Hierarchia Lib. IV. cap. ult.* ; ſed & apertè firmat textus Græcus in verbis : καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων , καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται . Id eſt : *Juxta eum modum , qui & in geſtis Oecumenicorum Conciliorum , & in ſacris Canonibus continetur* . Talis igitur eſt Romani Antiſtitis per univerſam Eccleſiam poteſtas , atque ita exercenda , *quemadmodum* tum *in geſtis* Oecumenicorum *Conciliorum* , tum in ſacris *Canonibus* (non verò uti in falſis Decretalibus) *continetur* . Scilicet repetita illa particula, *&* , *&* , καὶ, καὶ , regendæ Eccleſiæ rationem definit , ac circumſcribit , atque aliam quamlibet propoſitam excludit . Quod ipſum adhuc luculentius apparet ex mutuis Græcorum & Latinorum concertationibus , quæ Decreti ſanctionem antecedunt, ejuſque formæ anſam dederunt . Evacuatis his diſputationibus , in duo finaliter puncta

à Græcis & Latinis Patribus convenitur, eaque ſtatuuntur: Primum, ut in aſſerendo Romani Pontificis Primatu *de dictis Sanctorum* (quod volebant & urgebant Romani) nulla fiat mentio: Alterum, ut ſummi Pontificis Primatus retineatur talis, qualis & in *Actis Conciliorum Oecumenicorum*, & in *ſacris Canonibus* aſſertus reperitur. Porro Florentini Patres Oecumenicas Synodos ſeptem priores intelligunt, ſiquidem hæc Florentina, quando primùm ab Abrahamo Cretenſi edita, & Clementis VII. Papæ privilegio munita eſt, ſe *octavam* Oecumenicam inſcribat. Conferatur P. de Marca *de C. S. & I. Lib. III. cap. 8. n.* 5. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 534. *edit. Paris*. His de ſe ipſis ſat luculentis, tria adhuc momenta ſubjungenda veniunt: Primum: quod ipſo agnoſcente Bellarmino Lib. II. de Concil. cap. 13. *Concilium Florentinum non ita expreſsè hæc deſiniverit*: Alterum: quod Patres Concilii Tridentini nullatenus crediderint, capitalem illam quæſtionem, quam hic tractamus, quæque tam fervidè in eodem Concilio agitata fuit, in Florentina Synodo favore Papæ fuiſſe deciſam. Vid. ſupra *cap. I. §.* 8. Tertium: quod in eadem Tridentina Synodo à Gallis pernegatum fuerit, Florentino inter Generalia Concilia locum dandum eſſe; quippe quod *ex quibuſdam Italis & quatuor ſolum Græcis Patribus* compoſitum fuit. *Florentinam ſola Gallia pro Oecumenica nunquam habuit*, inquit Didacus Payva in Defenſione Trid. fidei Lib. I. pag. 179.

(6) Sicut *CONCILIUM TRIDENTINUM* ſtudioſé cavit, ne primariam illam de ſummi Pontificis auctoritate quæſtionem, cujus anſas toto cap. III. expoſuimus, decideret, & immediato Epiſcoporum juri præjudicium ferret, uti vidimus *cap. I. §.* 8. & porro videbimus *cap. VII. §.* 2., ita nihil eidem tribuit, quod ſuperiorum Conciliorum hac in parte ſanctionibus quidquam ſuperaddat, quemadmodum ſolidè demonſtrat Natalis Alexander *cit. Tom. VIII. p.* 654. & 692. Cæterum quæ ejuſdem Concilii *Seſſ. XIV. de Pœnit. cap.* 7. de reſervatione certorum graviorum criminum decla-

declarantur, ea generaliora ſunt, nec exprimunt, à quo, & quibus gradibus, ac quoad quas partes, ſuprema hæc poteſtas Romano Præſuli in univerſa Eccleſia tradita fuerit; nihilque impedit, quominus credamus, reſervandorum nonnullorum graviorum peccatorum poteſtatem ab Eccleſia, ſeu Concilio ſupremo, Pontifici permiſſam fuiſſe eadem ratione, qua illi tributa fuit facultas diſpenſandi in quibuſdam conſtitutionibus Conciliorum; de quo vide infrà *cap. VII. §. 6. n 6.* Adde etiam *cap. VI. §* 1. *n.* 5.

(7) Dum ſic gravioribus argumentis, quæ à *Conciliorum* actis & decretis petuntur, ſolidè ſatisfit, facile erit Lectori ex iisdem genuinis principiis ſatisfacere reliquis Tranſalpinorum objectionibus, ab auctoritate *Patrum*, *Pontificum*, quin & enuntiatione nonnullorum *Imperatorum*, petitis. Negandum interim non eſt, quin continuus ille uſus univerſalis Primatus Romani multis privatis, quin & ipſis ſummis Pontificibus, anſam dare potuerit credendi & ſcribendi, his univerſalem quandam ac propriam per totam Eccleſiam, & in ſingula ejus membra Epiſcopalem juriſdictionem competere. At hæc nihil poſſunt adverſus inſtitutum Chriſti, & veram Eccleſiæ œconomiam. Cum in Florentina Synodo Seſſ. XXV. de ſancienda Romani Pontificis dignitate *per dicta ſanctorum Patrum* ageretur, Græci Latinis reſtiterunt: *Hoc etiam*, addunt Acta, *non placuit Imperatori*, Orientis, qui, *AN SI QUIS, inquit, SANCTORUM IN EPISTOLA HONORET PAPAM, EXCIPIET HOC PRO PRIVILEGIO?* Itaque ſepoſitis à definienda auctoritate Papæ *Sanctorum dictis*, Synodus ad *Oecumenicorum Conciliorum* geſta, & *ſacros Canones*, ſe dumtaxat recepit, ex quibus illa demum comprobetur.

(8) Ut nihil quod ad hanc materiam pertinet, relinquamus intactum, addimus formulam Profeſſionis fidei à PIO IV. PP. præſcriptam, & orbis Catholici reverentia conſecratam, hoc tenore: *Agnoſco Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem & magi-*

magiſtram; *Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori*, *ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro*. Quod ad verba *Sanctæ*, *Catholicæ & Apoſtolicæ ROMANÆ Eccleſiæ* attinet, illud lumen ac interpretationem accipit ex iis, quæ obſervavimus *cap. I. §. 9. n. 1. v. Utitur* De qualitate *Matris* & *Magiſtræ* egimus *cap. III. §. 6.* Quantum ad *Obedientiam* Rom. Pontifici debitam, conſtat imprimis, non omnem obedientiam ſupponere aut involvere ex oppoſito jurisdictionem. Hoc apparet in Patre, Hero, Magiſtro &c. Sic ſcripſit ad Innocentium IV. Papam Robertus Epiſcopus Lincolnienſis apud Matthæum Paris. ad an. 1253. *Noverit Diſcretio veſtra*, *quod mandatis Apoſtolicis AFFECTIONE FILIALI devotè & reverenter OBEDIO*. *His quoque quæ mandatis Apoſtolicis adverſantur*, *PATERNUM ZELANS HONOREM*, *adverſor & obſto*. *Ad utrumque enim teneor ex divino mandato*. Et S. BERNARDUS Lib. III. de Conſiderat. ad Eugenium PP. cap. 1. *Numquid non & villa villico*, *& parvus dominus ſubjectus eſt pædagogo? Nec tamen villæ ille*, *nec is ſui domini dominus eſt. Ita & tu præſis ut provideas*, *ut conſulas*, *ut procures*, *ut ſerves*. *Præſis ut proſis*; *præſis ut fidelis ſervus & prudens*, *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*. *Ad quid? Ut des illis eſcam in tempore*, *hoc eſt*, *ut diſpenſes non imperes &c.* Utcunque autem verba hujus Profeſſionis, & in ea expreſſæ Obedientiæ accipiant Romani, non poterit malè verti Epiſcopis, aliiſque Presbiteris & Clericis, ſi eam intelligant ac jurent conformiter ad tenorem & mentem prælaudati Canonis Florentini, ſcilicet *juxta eum modum*, *qui in geſtis œcumenicorum Conciliorum*, *& in ſacris Canonibus continetur*. Archiepiſcopos olim in receptione Pallii Rom. Pontifici non aliter obedientiam promiſiſſe, quam *ſecundum Canones*, obſervat & probat Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VI. pag.* 117.

(9) Editores noviſſimi Operum GREGORII M. Benedictini Congregationis S. Mauri *Tom. IV. pag.* 251. tradunt, ab eo-

eodem S. Gregorio ſacram juriſdictionem per univerſam Eccleſiam exercitam fuiſſe, in Africa, Ægyto, Aſia, inter ipſos Conſtantinopolitani Patriarchatus fines. Scilicet (1) in cauſa Monachorum Iſauriæ. *Lib. IX. Epiſt.* 59. *Lib. VI. Epiſt.* 53. *Lib. IV. Epiſt.* 32. (2) Cauſam Petri Epiſcopi Africani Colombo in Numidia Epiſcopo judicandam committendo *Lib. 6. Epiſt.* 37. (3) Similiter Urſicini Taurinæ civitatis Epiſcopi Syagrio Auguſtodunenſi, nec non (4) Januarii Malacitani Epiſcopi, alteriuſque Præſulis, Stephani nuncupati, Joanni Defenſori delegando. *Lib. IX. Epiſt.* 115. *Lib. XIII. Epiſt.* 45. (5) Paulum in Africa Epiſcopum, à Gennadio Patricio accuſatum (cum ipſe, ut judicio Papæ ſe ſiſteret, Romam veniſſet, nec ex altera parte idonei accuſatores comparerent) remittendo, *Lib. VII, Epiſt.* 2. Denique (6) Joannis Epiſcopi primæ Juſtinianæ in Illirico & Primatis ordinationem, petentibus id provinciæ Epiſcopis, confirmando, eundemque pallio donando *Lib.* II. *Epiſt.* 22. & 23. Verùm re curatius inſpecta diſparebit omnis idea juriſdictionis propriè dictæ ex his factis apparenter reſultans.

Ad Primum. Cum quemdam ex Monachis Iſauriæ, ſacerdotii dignitate inſignem, in Eccleſia Conſtantinopolitana fuſtibus cæſum fuiſſe GREGORIUS accepiſſet, ſcripſit ſemel atque iterum ad Joannem Patriarcham CP. ut criminis perpetrati veritatem exploraret. Illi diſſimulanti, & facti ignorantiam affectanti, repoſuit Gregorius: *Quid deterius eſſe poteſt, quam ut agantur talia adverſus ſervos Dei, & ipſe neſciat qui preſto eſt. Quæ ergo poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves commedit, & paſtor neſcit?* His aliiſque Pontifex Joannem ad ſaniora conſilia revocare ſtudens, eum hortatur ab obſervantiam Canonum, qui Epiſcopos Paſtores eſſe volunt, non percuſſores: *Nova enim & inaudita*, inquit, *eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem: Si autem Canones non cuſtoditis, & majorum vultis ſtatuta convellere, non cognoſco qui ſitis.* Ad extremum ſuadet, ut emendato juvene totius mali artifice,

reje-

rejectiſque ejus conſiliis, Monachos à ſe malè habitos in ſuis ordinibus recipiat, eiſque pacem præbeat. Sabiniano quoque ſuo apud Mauricium Imp. Legato præcepit, ut de eodem negotio Patriarcham ſui officii admoneret. Illum ſtatim non præbuiſſe aurem ſatis indicat alia Epiſtola ad Narſem Patricium, in qua *De cauſa*, inquit, *Presbiterorum, quæ cum fratre meo & Coepiſcopo, viro reverendiſſimo Joanne Patriarcha agitur, ipſum, puto, adverſarium patimur, quem aſſeris velle Canones cuſtodire. Caritati autem tuæ breviter fateor, quia omni virtute & omni pondere eamdem cauſam auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus ſum. In qua ſi videro Sedi Apoſtolicæ Canones non ſervari, dabit Omnipotens Deus quid contra contemtores ejus faciam*. Vide Epiſtolas ſupra citatas. Sic ſanè potuit & debuit Rom. Pontifex vi Primatialis officii hortari Archiepiſcopum CP. muneris ſui paſtoralis, cui deeſſe videbatur, & obſervantiæ Canonum; poterat etiam in caſu certæ, ſcandaloſæ, & perdurantis prævaricationis, communionem cum eo rumpere, uti diximus *cap.* III. §. 4. Et hoc ſenſu verè ſcripſit S. GREGORIUS *Lib.* IX. *Ep.* 59. Joanni Syracuſano occaſione Primatis Byzaceni in Africa: *Si qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei* [Sedi Apoſtolicæ] *Epiſcopus ſubjectus non ſit*. Attamen in continenti ſubjungit: *Cum verò culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſumus*.

Ad ſecundum. Remiſit in cit. Epiſtola ad Columbum Numidiæ Epiſcopum GREGORIUS quendam Petrum nomine, qui ſe Epiſcopum fuiſſe aſſerebat, atque cauſæ ſuæ remedium à Gregorio poſtulaverat, ut *ei ſervet quidquid juſtum canonicùmque fuerit, quatenus & rectitudinis vigor à vobis in omnibus impleatur, & cauſa ipſius ſecundum Dei timorem, & ECCLESIÆ videatur REGULAS judicata*. In quo recurſu quid amplius pro jure & juriſdictione Rom. Pontificis habeatur, quam in illo SS. Athanaſii, Joannis Chyſoſtomi & aliorum, de quo infrà §. 8., equidem non video; imò minus.

Ad

Ad tertium. Scripſit ea Epiſtola ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum GREGORIUS, ut Seguſienſes Taurinenſis diœceſeos parochias (quas Guntramnus Rex, poſtquam eum tractum ſuis ditionibus adjecerat, Taurinenſi Epiſcopo deinceps ſubeſſe noluit, ſed ad novum Mauriennæ Epiſcopatum referri juſſit; eo quod Taurinum in poteſtate Longobardorum adhuc eſſet) illi reſtitui faciat, his eum verbis interpellans: *Præ cæteris fraternitatis tuæ ſollicitudo pro noſtra commendatione, ac divinæ conſiderationis intuitu, in ejus ſe enixius defenſione impendat, & à ſuis illum amplius contra rationem remotum eſſe parochiis non permittat; ſed tam per ſe, quam ſupplicando præcellentiſſimis Regibus, quos vos in nullo credimus contriſtare, id peragat, ut & hoc quod malè factum eſt, corrigatur, & quæ violenter ablata ſunt, veritate patrocinante reddantur*. In his omnibus adhuc minus apparet quidquam, quod arctiſſimos Primatis, pro bono & pace Eccleſiæ, ut decet, ſolliciti, fines tranſgrediatur.

Ad quartum. Habet cauſa Januarii Malacitani Epiſcopi aliquid ſpeciale, quod in *Exemplo legis Joanni Defenſori eunti in Spaniam*, Gregorianæ Epiſtolæ, de qua agitur, ſubjuncto, ſic exprimitur: *Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit nec Patriarcham, dicendum eſt, quia à Sede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum Caput eſt, cauſa hæc audienda ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus Epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilii habuit omnino ſuſpectos*.

Ad quintum. Ex Epiſtola 2. Libri VII. ad Columbum Antiſtitem Numidiæ ſcriptà, videmus equidem, Paulum quendam Epiſcoporum Romam veniſſe, ad ſe purgandum ſuper quibuſdam imputatis, non comparentibus autem idoneis adverſus illum actoribus, ſine ulteriore cauſæ diſcuſſione ac judicio remiſſum eſſe. Sed quis inde inferet adverſum ea, quæ *cap.* IV. §. 8. & 11. evidenter demonſtramus, ad jura & juriſdictionem Romani Pontificis tum

pertinuiſſe, Epiſcoporum cauſas Romam promiſcuè evocare, ibidemque agere & definire?

Ad ſextum. Notum eſt, nullam eſſe regionem exteram, in quam tantum auctoritatis ſibi tribuerint ſummi Pontifices ac in Illiricum. Non mirum ergo, ſi nonnulla ibidem extent Romanæ poteſtatis exempla, quæ alibi fruſtra quæſieris. In citata hic Epiſtola 23. ſcribit Joanni Pontifex: *Pallium pro more tranſmiſimus, & vices vos Apoſtolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus &c.* De hoc egimus Cap. IV. §. 1. n. 2. Porro ex confirmatione Epiſcopi primæ Juſtinianæ deducat quiſquis volet, eo jam ævo in more fuiſſe, electionum & ordinationum Epiſcopalium confirmationem à Papa petere. Vid. *cit. cap.* IV. §. 3. & 4.

Hæc ſingulatim & paulò uberius dilucidare fuit operæ pretium: tum ut facilius intelligeretur, veris his monumentis (quæ ſibi ſolis relicta nec univerſalem monarchiam, nec juriſdictionem propriè talem evincunt) falſa Iſidori quodammodo fulciri, & aliqua ſimilitudinis ſpecie ſuſtineri potuiſſe: tum ut aliis ejuſmodi exemplis, in antiquitate fortè obvenientibus, congrua interpretatione ſucurri valeat.

§. V.

Romano Pontifici ex natura & jure Primatus non competit jus Appellationum ex omnibus totius Eccleſiæ partibus. Genuinus ſenſus Sardicenſium Canonum exponitur.

Qui ſummo Pontifici originariam & propriam juriſdictionem verumque imperium in omnes Eccleſiæ Provincias & ſingulos fideles tribuunt, ii magnum ſuæ ſententiæ pondus collocant *in jure Appellationis* eidem ex *omnibus* Chriſtiani orbis *partibus* competente. Facit id præprimis BENEDICTUS XIV. Pont. Max glor. mem. in ſuo Tractatu *de Synodo diœceſana Lib.* IV. *cap.* 5. *n.* 1. ubi: " Eſt ejuſmodi appellationum jus.

jus

„ adeo neceſſario connexum cum Romani Pontificis in univer-
„ ſam Eccleſiam juriſdictionis primatu, ut nemo poſſit illud in
„ controverſiam adducere, niſi & hunc velit perfractè inficiari:
„ Etenim cùm Primatus prærogativa Romanus Pontifex ſit ſu-
„ premus in Eccleſia judex, cuique datur per appellationem
„ ipſius implorare tuitionem: ab inferioris quippe ſententia ſu-
„ perioris tribunal adire, omnibus conceſſum eſſe, ipſa natura-
„ lis æquitas dictat & perſuadet." At vereor, ne doctiſſimus Pontifex ſuam ſententiam potius ex præconceptu Monarchico deprompſerit, quam ex antiquis veriſque monumentis Eccleſiarum. Sanè Juſtinianus Imp. quando *Nov. CXXIII. cap. 22.* omnes judiciorum Eccleſiaſticorum inſtantias, ſcilicet *Epiſcopi* cum ſua Synodo ' *Metropolitani* & congregati cum eo provincialis Concilii, demum *Patriarchæ* ſeu *Primatis* recenſet, & de hoc in fine addit: *nulla parte ejus ſententiæ contradicere valente*; ne verbum de Romani Pontificis judicio memorans, hoc manifeſtè a ſerie *ordinariarum* inſtantiarum & appellationis excludit. Idem colligitur ex Concilio Francofordienſi anni 794. *Can. 6.* in Jacobi Sirmondi *Concil. Gall. Tom. III.*

Quia aſſertum hoc jus appellationum ab omnibus mundi partibus recipiendarum, præcipuum ſuum fundamentum trahit à *SARDICENSI Synodo*, convenit ejus diſpoſitionem & mentem hic curatius ſcrutari; quo facto apparebit, *adjectitium eſſe privilegium*, memorata Synodo primo Epiſcopo tributum, originariè & ex natura Primatus Apoſtolici eidem non competens, ſed ne indolem quidem genuinæ appellationis habens, proinde prætenſum illum primatum juriſdictionis propriè dictæ deſtruens potius, quam ſuſtinens.

Scilicet præter antiquum judiciorum Eccleſiaſticorum morem, Conciliis *Nicæno* & *Antiocheno* definitum, amplius aliquid à Sardicenſi Synodo ordinatum fuit, Romanoque Pontifici attributus honos, cum auctoritate conjunctus, quem nec ex jure Divino, nec ab antiquiore lege Eccleſiaſtica obtinuerat. Nimirum ejusdem Concilii Can. III. & V., præeunte OSIO Epiſcopo Hiſpano, Patribus placuit, ut Provincialis Synodi judi-

cium, in Epiſcopum latum, renovari queat, ſi ita videatur Præſuli Romano, ad quem permittitur Epiſcopo damnato confugere, non quidem eo fine & affectu, ut ejus cauſa Romæ judicetur, ſed tantum, ut ibidem inquiratur, num cauſa talis ſit, quæ novum examen deſideret. Si itaque Romanus Pontifex intellexerit, cauſam in provincia non ſatis examinatam fuiſſe, concedunt ei Patres Concilii, ut præter Epiſcopos Provinciæ, in qua cauſa judicata eſt, ex finitimis Provinciis cognitores tribuat, qui cauſam denuò excutiant, data inſuper Romano Antiſtiti facultate, ut, quatenus velit, ad poſterius illud judicium etiam Legatos *de latere ſuo* mittat; ſi verò Papa perſpexerit, cauſam non eſſe talem, quæ retractari debeat, firmum manebit Provinciæ judicium. Probatæ huic Oſii propoſitioni, mox addidit GAUDENTIUS Epiſcopus appendicem, quam Patres Sardicenſes pariter probarunt; ſcilicet, ut interim, dum Romæ deliberatur, num cauſa Epiſcopi depoſiti iterum ſub examen revocanda ſit, nullus in ejus locum ſubſtituatur.

Ex curata Canonum, quibus hæc ſtabiliuntur, ponderatione, binæ hæ propoſitiones & veritates pullulant: Primo. Novum quid & antè inſuetum hic introduci. Secundo. Non concedi ſimpliciter provocationem ad Romanum Pontificem, nec poteſtatem ei fieri definitivè judicandi de cauſa Epiſcopi in Provincia damnati, ſed tantum quandam decernendæ reviſionis auctoritatem ipſi tribui.

(1) Primum ſatis apparet ex verbis Oſii proponentis: *Si veſtræ*, inquit, *Dilectioni videtur*, *Petri memoriam honoremus*; Nimirum dum proponit (*a*) an non placeat Patribus in hoc *memoriam B. Petri honorare*, cupit hunc honorem Romani Pontifici *deferri*; non jus aliquod præexiſtens Romanæ Sedi *conſervari*. Addit (*b*) *ſi veſtræ Dilectioni videatur*: id eſt, ſi vobis propoſitio & conſilium meum arrideant, Petri memoriam honoremus. Hæc verba ad ipſum Petri Primatum, aut jus aliquod ei *per ſe* cohærens referri non poſſunt, quippe quæ à Synodi arbitrio minimè dependebant; proinde neceſſario ad ſeparatum aliquod privilegium

gium ſpectant , quod Patres ſucceſſori Petri ex cauſa mox recenſenda adjicere meditabantur . (*c*) Adeo autem verum eſt , iſtam Oſii propoſitionem novam fuiſſe , ut mox Gaudentius Epiſcopus ei aliquid adjiciendum cenſuerit ; ſcilicet: *Neceſſe eſt adjici huic ſententiæ , quam ſincera dilectione plenam protuliſti , ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus &c.* Unde luculenter apparet , diſciplinam iſtam , quæ ab Oſio Epiſcopo Cordubenſi , Occidentalium Coriphæo , proponebatur , necdum in uſu fuiſſe . Porro ad proponendam & ſanciendam *novam hanc diſciplinam* motus eſt Oſius per judicia ab Orientalibus , Ariana lue infectis , in Athanaſium & Marcellum lata , quæ Sardicenſis Synodus reſciderat , & quibus ſimilia alia meritò timebantur . Cum enim illi ſic damnati , ad Julium Papam confugiſſent , ab eo in communionem recepti , atque in dicta Synodo , ad inſtantiam Julii convocata , abſoluti fuerunt . Itaque ut Epiſcopis , ita injuſtè damnatis , aliquis purgationis locus relinqueretur , optimum viſum eſt , ſi cui à Concilio facultas daretur dignoſcendi , *utrum , & quando , renovationi judicii locus eſſe deberet , vel non* : ne Judicia Eccleſiaſtica hæreticorum aut impiorum quorundam artibus & proterviæ paterent ſine omni remedio . Cum verò nemo eſſet , qui hoc munere potius honorandus videretur , quam Romanus Epiſcopus , inter omnes Primatum obtinens , & in quo B. Petri memoria honorari poſſit , hinc Oſius , qui cauſam ſociorum Athanaſii in Occidentem trahere avebat , Synodo propoſuit , num placeret , ut præfato modo , id eſt, præliminaris cujuſdam cognitionis delatione , *honoretur memoria S. Petri* .

(2) Dixi *præliminaris cujuſdam cognitionis* delatione : nam facultatem judicandi cauſas appellationum interpoſitarum ab Epiſcopis , damnatis à Synodo provinciali , Patres Sardicenſes Romano Pontifici minimè attribuerunt . Siquidem (*a*) juxta Canonem III. Epiſcopus *damnatus, ſe bonam cauſam habere* putans , illud unum ſperare poteſt , *ut iterum Concilium renovetur* . Huic reviſorio judicio eoſdem Epiſco-

ſcopos Provinciæ, qui primitus judicaverant, iterum intervenire obſervavit Hincmarus in Epiſtola ad Joannem PP. VIII. nomine Caroli Calvi ſcripta *cap.* 9. (*b*) Scribitur Romano Pontifici, ut ipſe videat, num æquum ſit judicium renovari, (*c*) Si ille exiſtimaverit, judicium eſſe renovandum, non ipſe judicat cauſam, ſed dat judices; ibi: *Et ſi judicaverit, eſſe renovandum, det judices*. eod. Can. III. (*d*) Judices ita dati neque Romani ſunt, neque Romæ judicant; ſed *ſi* Pontifex *juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere dignetur his Epiſcopis, qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia* [in Provincia] *requirant, & juxta veritatis fidem definiant*. Can. V. (*e*) Adeo autem verum eſt, ſummum Pontificem non habuiſſe, nec per Canones Sardicenſes obtinuiſſe jus cauſæ Romæ definiendæ, ut ad ſummum illi concedatur facultas, mittendi Legatum ad ſecundum judicium in Provincia agendum. eod. Can. V. (*f*) Non inquirit in præliminari ſuo judicio Papa de *internis meritis cauſæ*, an ſcilicet malè vel benè judicatum fuerit, ſed *utrum cauſa talis ſit, quæ iterum ſub incudem revocari debeat*: nec confirmat judicium Provincialis Synodi reſcindendo appellationem, ſed tantum, ut habet Canon. III. *ſi probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur, quæ dicta ſunt, quæ decreverit, confirmata erunt*. [*g*] Itaque Papa non dignoſcit, num damnatus nocens ſit necne, ſed utrum in ſententia adverſus ipſam lata ſervata ſit forma judicii, an non? an per vim extorta, aut ex odio vel gratia profecta ſit? utrum denique cauſa ſatis fuerit examinata & diſcuſſa? Sicque in effectu Pontifex latum in Provincia judicium non infirmat, ſed pro re nata aliud judicium & novum examen indicit. Exempla talium informium judiciorum dabimus infrà §. 8. [*h*] Norunt omnes, quantum ſit diſcrimen inter *remedium talis reviſionis*, & *jus admittendæ appellationis*, quorum poſterius integram cauſæ cognitionem transfert ad judicem ſuperiorem, ut litem *in ſuo tribunali* excutiat & definiat; nihil autem ſimile eſt in privile-

gio

gio quod à Sardicenſi Synodo Papæ tribuitur. (*i*) Denique veræ appellationis ordinarius effectus eſt, ut vim ſententiæ ſuſpendat; noſtra econtra ſpecies provocationis ad Romanum Pontificem non omnino ſuſpendit prius judicium, manet enim *depoſitus Epiſcopus*, etiamſi Papa reviſionem decernendam putaverit; ſolummodo ex adjecta Gaudentii Epiſcopi ſententia, quæ Concilio probata eſt, *nullus interim in ejus locum ordinatur*, ne ſi quis actu ordinatus fuiſſet, & poſtea cauſa amoti Præſulis retractanda decerneretur, inde tumultus naſcererur, cum Epiſcopus modò ordinatus loco cedere nollet.

(3) Itaque valde impropriè *appellandi* voce in hac materia utitur Canon V. Sardicenſis Latini idiomatis; accuratior hac in parte eſt textus Græcus, qui *VELUTI appellantem* dicit Epiſcoporum in Provincia condemnatum, dum ſic ad Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem confugit. Ex quo videntur Præſules iſtud appellationis *veræ* nomine non eſſe dignati, quod his aliis verbis ſæpius exprimunt: *Renovare examen*; *renovare judicium*; *refricare quæ acta ſunt*; *confugere ad Epiſcopum Romanum*; *cauſam iterum audiri*. Quamobrem cùm Oſius ait Can. VII. *Si appellaverit*, non addit, ad *Romanum Epiſcopum*; ſed ſubauditum vult potius: *aliud judicium*; ſubjicit verò ſtatim: *Et confugerit ad Romanum Epiſcopum*: ut nimirum aliud judicium impetret ſecundum Synodi Decretum. Attamen inde evenit, ut ſequens ætas æxiſtimaverit, in his Canonibus agi de *vera appellatione*, juxta propriam & legitimam hujus vocis ſignificationem; quod rectè obſervavit P. de Marca *de C. S. & I. Lib.* III. *cap.* 3. *n.* 6. addens, Sardicenſibus his Canonibus deberi primam originem juris Sedis Romanæ quoad judicia Canonica Epiſcoporum.

(4) Inſinuavimus, huic recurſui ad Romanum Pontificem non adhærere *effectum ſuſpenſivum* ſententiæ à Concilio Provinciali adverſus Epiſcopum appellantem latæ. Palmare hujus rei exemplum habemus in cauſa Hincmari Epiſcopi

Lau-

Laudunenſis circa annum 865. , in qua Epiſcopi provinciæ Remenſis Hadriano II. Papæ, ad quem Hincmarus appellaverat, ſcribunt : " Si fortè, quod non putamus, viſum vobis neceſſario fuerit, ut ſecundum Sardicenſes „ Canones renovetis judicium, & detis judices, ſcribendo „ Epiſcopis, qui in finitimis & vicinis provinciis ſunt, ut „ & ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant : vel ſi decreveritis mittere à latere veſtro „ habentes auctoritatem veſtram, qui cum Epiſcopis judicent, *eo in gradu adhuc non reſtituto*, ſicut ſacri Sardicenſes Canones præcipiunt, non abnuimus. " Labbe *Concil. Tom.* VIII. *col.* 1656.

(5) Interim nova hæc Judiciorum Eccleſiaſticorum forma non per omnia placuit Afris, qui è Synodo ſua *CARTHAGINENSI*, circa annum 425. celebrata, Cœleſtino Papœ ſcribunt, non ſolum ut Presbiterorum aliorumque Clericorum improba refugia ſeu appellationes (quæ tunc modò haud infrequentes fuiſſe intelliguntur) repellat, ſed etiam ne de latere ſuo mittat, qui appellantium Epiſcoporum cauſam recognoſcant. Verba Epiſtolæ apud Harduinum *Tom.* I. *col.* 950. hæc ſunt : " Presbiterorum quoque & „ ſequentium Clericorum improba refugia, ſicut te dignum „ eſt, repellat Sanctitas tua : quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta „ Nicæna ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. „ Prudentiſſimè enim juſtiſſimeque viderunt, quæcunque „ negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda, nec unicuique providentiæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, „ qua æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur : maximè quia unicuique „ conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit Cognitorum, ad „ Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam *Univerſale* provocare. Ubi notandum quod per Concilium *Univerſale* hic appelletur quod ex deputatis omnium provinciarum Africæ coadunatum eſt. Cum hac Epiſtola Synodali Africanoru

con-

conjungenda alia eorundem de 31. Maij an. 419. ad Bonifacium I. PP. apud Hrduinum cit. Tom. I. col. 942. ubi: *De tua poſcimus Sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam à Patribus acta & conſtituta ſunt, ſic ea à nobis facias cuſtodiri, & ibi apud vos iſta, quæ in Commonitorio attulerunt, faciat exerceri, id eſt:* " *Si Epiſcopus accuſatus fuerit &c.* " Hic ſequuntur verba Canonis 7. Concilii Sardicenſis. Tum ſic proſequuntur Patres Africæ: *Hæc utique uſque ad Adventum, donec authentica Nicæni Concilii afferantur exempla, veriſſimorum exemplariorum Nicæni Concilii inſerta geſtis ſunt, quæ ſi ibi, quemadmodum conſtituta ſunt, & quemadmodum ipſo quod apud nos fratres ex Apoſtolica Sede directi allegaverunt Commonitorio, continentur, eoque ordine vel apud vos in Italia cuſtodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, quod tua Sanctitate Romanæ Eccleſiæ præſidente, non ſumus jam iſtum typhum paſſuri; & ſervabuntur erga nos, quæ nobis etiam non diſſerentibus cuſtodiri debeant cum fraterna caritate, quæ ſecundum ſapientiam atque juſtitiam, quam tibi donavit Altiſſimus, etiam ipſe perſpicis eſſe ſervanda, niſi fortè aliter ſe habeant Canones Concilii Nicæni &c.* Pro horum meliori intellectu non prætermittendum, *Nicænorum* Canonum nomine hic *Sardicenſes* intelligi. Conf. Concilium Milevitanum *Can.* 22. & Codicem Canonum Afric. *à cap.* 135. *ad* 138. Plura vide in Zegeri van Eſpen Commentario in Canones, *Diſſert. in Synodos Africanas* §. *X. pag.* 292. *& ſeq. edit. Colon. an.* 1755.

§. VI.

Provida & cauta fuit Canonum Sardicenſium ordinatio :

Nec tamen omnibus locis congrua ; hinc nec ubique recepta.

Illam falſæ Decretales in infinitum extenderunt .

Magno Diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimento , & juſtitiæ diſpendio , in hodiernum uſque diem perdurante .

A natura inſitum eſt omnibus hominibus, ut cum iniquius ſecum actum eſſe putant, ad eos confugiant, qui aliquam auctoritatem habent, & apud quos aliquid gratiæ ſperare poſſunt. Hinc videmus multos a Synodis damnatos non ſolum *ad Romanum Pontificem*, ſed nonnunquam *ad Imperatores* , aliquando *ad alias Sedes*, & ſæpius ad *majores Synodos* confugiſſe . Deinde licet innumeris Canonibus eſſet vetitum , ne quis excommunicatum in communionem ſuſciperet ; attamen ubi perſpicuum erat , aliquem innocentem per vim , vel per gratiam , aut omiſſa legitima judicandi forma , damnatum eſſe , haud difficulter ab aliis Epiſcopis in communionem ſuſcipiebatur . In his circumſtantiis conveniebat certum modum ſtatui ac determinari , ne illis, qui ſe ita gravatos exiſtimarent, in infinitum vagari permitteretur. Hoc eo modo præſtitere Patres Sardicenſes , quem ſuperiore §. expoſuimus . At quia etiam Conciliorum ſtatuta ibi non obligant , ubi propter inconvenientias , inde certis in locis reſultantes , non recipiuntur, uti probavimus ſupra §. 2. n. 6. hinc Sardicenſis ordinati in Oriente & in Africa vix ullum uſum fuiſſe , quin eidem data opportunitate contradictum eſſe , deprehenditur . Vid. §. *præced. n.* 5. Add. §. *ſeq. n.* 2.

Interim hæc dederunt campum Iſidoro falſario zelum ſuum pro Romana Curia exercendi : imprimis quidem interpolando textum Synodi Sardicenſis , uti vidimus *cap.* III. §. 9. *n.* 7. Deinde , quod in eadem Synodo in & pro ſolis cauſis *Epiſcoporum*

rum permiſſum fuit, extendendo ad quaſcunque cauſas & quoſcunque judices . *Si quis veſtrum*, ait , *pulſatus fuerit aliqua adverſitate , licenter hanc Sanctam & Apoſtolicam Sedem appellet , & ad eam quaſi ad caput ſuffugium habeat , ne ipſe innocens damnetur , aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur* . Ita ex ſuppoſititia Epiſtola Sixti I. *Cauſ.* II. *Can.* 4. *Quæſt.* 8. Et *Can.* 8. ex Epiſtola Zephierini : *Ad Romanam Eccleſiam AB OMNIBUS, maximè tamen ab oppreſſis , appellandum eſt , & concurrendum quaſi ad Matrem , ut ejus uberibus nutriantur , auctoritate defendantur , & a ſuis oppreſſoribus reſerventur : quia non poteſt , nec debet mater oblviſci filium ſuum* &c.

(1) Claudius Fleuri ex fide & veritate Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ differit, quando *Diſcurſu IV. n.* 5. hæc ſcribit : " Une
„ des plus grandes playes , que *les fauſſes Decretales*
„ ayent fait à la diſcipline de l'Egliſe , c'eſt d'avoir étendu
„ à l'infini les appellations au Pape . Il paroit , que le
„ fauſſaire avoit cet article fort à cœur , par le ſoin qu'il
„ a pris de répandre par tout ſon ouvrage la maxime que
„ non-ſeulement *tout Evêque* , mais *tout Prêtre* , & en
„ general *toute perſonne* , qui ſe voit vexée , peut *en toute*
„ *occaſion* appeller directement au Pape . Il a fait parler
„ ſur ce ſujet juſqu' à neuf Papes, Anaclet , les deux
„ Sixtes , premier & ſecond , Fabien , Corneille , Vi-
„ ctor , Zephyrin , Marcel , & Jules . Mais S. Cyprien , Epiſt. 59.
„ qui vivoit du tems de S. Fabien & de S. Corneil- pag. 265.
„ le , ne s'eſt pas ſeulement opposé aux appellations ,
„ il a encore montré les raiſons ſolides de n'y pas déferer;
„ & du tems de S. Auguſtin l'Egliſe d'Afrique ne les re-
„ cevoit point encore , comme il paroit par la lettre du
„ Concile tenu en 426 au Pape Celeſtin . Enfin juſqu' au
„ neuviéme ſiécle on voit peu d'exemples de ces appella-
„ tions en vertu du Concile de Sardique : ſi ce n'eſt, com-
„ me je l'ay dit , de la part des Evêques des grands ſié-
„ ges , qui n'avoient point d'autre ſuperieur , que le Pape .
„ Mais depuis que les fauſſes Decretales furent connues ,
on

„ on ne vit plus qu' appellations par toute l'Egliſe latine.
„ Hincmar mieux inſtruit, que les autres de l' ancienne
„ diſcipline s'oppoſa vigoureuſement à cette nouveauté.

(2) Eſt hæc conſtans modernorum & eruditiſſimorum Galliæ Canoniſtarum traditio, e quibus etiam Hericourtium hic juvat audire. Is in Tractatu *les Loix Eccleſiaſtiques de France dans leur ordre naturel Part.* I. *Chap.* 25. ſequentia profert: " Le Concile de Nicée permet à ceux qui ſe
„ croyent excommuniés injuſtement par leur Evêque, de
„ ſe plaindre au Concile de la province de la ſentence pro-
„ noncée contre eux; mais le même Concile ajoûte, que tou-
„ te affaire, de quelque nature qu' elle ſoit, ſera terminée dans
„ la Province. Ainſi dans le commencement du quatriéme ſié-
„ cle, il n'y avoit d'appel que de l'Evêque au Concile Provin-
„ cial, & le Concile jugeoit ſouverainement. Dans le Concile
„ *de Sardique*, on permit aux Evêques vexés par leurs
„ Comprovinciaux de s'adreſſer au Pape, qui pouvoit
„ faire examiner l'affaire de nouveau dans une aſſemblée
„ d'Evêques plus nombreuſe que celle, qui les avoit con-
„ damnez. Tout le monde ſçait, combien l'Egliſe d'Afri-
„ que s'oppoſa à ces appellations d'outre-mer, & il n'y
„ a perſonne de ceux, qui étudient la Diſcipline Eccleſia-
„ ſtique, qui n'ait lû la lettre que cette Egliſe écrivit du
„ tems de S. Auguſtin au Pape S. Celeſtin. L' Eglise
„ *Gallicane* ne conſerva point ſon ancien droit avec moins
„ de zele, que *celle d'Afrique*. Nous voyons pluſieurs
„ Evêques des Gaules condamnés dans le quatriéme ſiécle
„ par le Concile de leur Province ſans qu' ils ſe ſoient
„ addreſſés au Pape, pour faire rétracter les jugements
„ prononcés contre eux. C'eſt ce que ſoûtint ſaint Hilai-
„ re dans la diſpute, qu' il eut avec le Pape S. Leon. Dans
„ la ſuite, on ceda au Pape le droit de connoitre par ap-
„ pel des cauſes des Evêques, & des autres affaires les
„ plus importantes. Un droit nouveau, qui s' établit,
„ quoiqu' avec oppoſition, en attire ſouvent un autre après
„ lui. Outre l'appel *des Eveques*, on admit à Rome celui

des

„ *des particuliers*, qui ſont bien-aiſes de trouver un juge
„ ſuperieur, auquel ils puiſſent s'adreſſer, ſoit parce
„ qu'ils croyent avoir été mal condamnez, ſoit parce
„ qu'ils eſperent d'avoir plus de faveur auprés de ceux,
„ qui examineront leur affaire de nouveau. Les fauſſes
„ Decretales ne ſervirent pas peu à établir ce droit d'appel
„ pour les affaires legeres . . . . . Le Concile de Bale
„ prit quelques meſures pour reprimer ces abus &c. "
Tantùm abeſt, ut quæ à Sardicenſi Synodo in honorem ſedis Apoſtolicæ ordinata ſunt, *ex Jure Divino* immediatè promanare, aut Romano Primatui *eſſentialiter adhærere* cenſeri debeant. Adde *§. ſeq. n. 2.*

(3) Quam horrendas inconvenientias poſt ſe trahant promiſcuæ illæ appellationes ad Romanam Curiam, intelligimus ex S. BERNARDO, qui Lib. III. de Conſiderat. cap. 2. ad Eugenium Papam talia refert: *Quantos novimus appellaſſe pulſatos, quo interim liceret, quod numquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria ſcimus, verbi gratia, inceſtum, adulterium, Quale eſt hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari à turpibus oportebat? Quouſque murmur univerſæ terræ aut diſſimulas, aut non advertis? Quouſque dormitas? Quouſque non evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem atque abuſionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur, aut perſona. Præſumuntur leviter paſſim, plerumqne & nequiter. Volentes malignari, nonne his potiſſimum terreri ſolebant? Nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum verſum in venenum. Non mutatio dexteræ Excelſi hæc.*

Appellantur boni à malis, ut non faciant bona: & ſuperſedens a voce tonitrui tui formidantes. Denique appellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſolvere vel prohibere. Appellantur, ne rapinas, ne furta, ne ſacrilegia, & quæ ejuſmodi ſunt, punire ullatenus vel cohibere

præſu-

præſumant . Appellantur , ne indignas & infames perſonas à ſacris officiis beneficiiſque repellere ſeu amovere queant . Quod tu invenis remedium morbo huic , ne quod repertum ad remedium fuit , reperiatur ad mortem? . . . . Tuum eſt conſiderare , non meum commentari iſtud . Et cur , inquis , malè appellati non veniunt oſtenſuri ſuam innocentiam, malitiam convicturi ? Dico quod dicere ad hæc ſolent : NOLUMUS VEXARI FRUSTRA . IN CURIA ESSE , QUI PROCLIVIUS FAVEANT APPELLANTIBUS , FOVEANT APPELLATIONES . CESSURIS ROMÆ . DOMI CEDERE SATIUS . Eædem querelæ à tot ſæculis in hunc uſque diem perdurant . Adde ejuſdem S. BERNARDI Epiſtolam 178. & binas ſequentes .

(4) Bernardo juvat jungere Conradum Urſpergenſem , illi ferè coævum . Is *in Chron. pag.* 307. ſequentia memorat: „ Vix remanſit aliquis Epiſcopatus, ſive dignitas eccleſiaſtica , vel etiam parochialis eccleſia, quæ non fieret litigioſa , & Romam deduceretur ipſa cauſa , ſed non manu vacua . Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur „ cataractæ theſaurorum in terra , ut ad te confluant rivi & „ aggeres nummorum in magna copia . Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in compenſationem „ tantorum malorum datur tibi pretium . Jucundare ſuper „ adjutrice tua diſcordia , quia erupit de puteo infernalis „ abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum proemia . „ . . . . . . Ad te trahit homines non ipſorum devotio aut „ pura conſcientia , ſed ſcelerum multiplicum perpetratio, „ & litium deciſio pretio comparata .

(5) Circa eadem tempora contra eundem appellationum abuſum & Epiſcopalis auctoritatis depreſſionem Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis *Epiſt. LXXXII. ad Honorium II Pont. Max.* ita ſcribit : " Quaslibet appellationes in „ Romana vigere & ſuſcipi Eccleſia , cis Alpes auditum „ non eſt , nec in ſacris traditum Inſtitutis . Quod ſi fortè hujuſmodi emerſit novitas , ut placeat omnem indif-

feren-

„ ferenter admittere appellationem , Pontificalis cenſura
„ peribit, & omnino conteretur Eccleſiaſticæ robur diſci-
„ plinæ Quis enim raptor ad ſolam anathematis commi-
„ nationem non ſtatim appellabit ? Quis Clericus aut Pres-
„ byter , fruſtratoriæ appellationis refugio non putrebit ,
„ aut etiam ſepelietur in ſtercore ſuo ? Quis Epiſcopus
„ habebit in promptu , non omnem dico , ſed aliquam ul-
„ ciſci inobedientiam? Ejus virgam quævis appellatio quaſ-
„ ſabit , ſolvet conſtantiam , ſeveritatem emolliet , addu-
„ cens & illi ſilentium , & reis impunitatem delictorum .
„ . . . . . Dilatione nempe cenſuræ facinora fovebuntur ,
„ & venient in profundum iniquitatis impunè delinquen-
„ tes &c.

(6) Nemo ſibi perſuadeat , has querelas, peræque juſtas, atque amaras, *modum* tantum appellationum tangere , non autem earum *ſubſtantiam* ; ab eo autem tempore illis modorum vitiis finem poſitum eſſe , tum per varias Concilii Tridentini ſanctiones, tum per plures ſubſecutas Romanorum Pontificum Conſtitutiones , ſignanter CLEMENTIS VIII. GREGORII XV. URBANI VIII. BENEDICTI XIII. , & quæ harum omnium ſummam complectitur, BENEDICTI XIV. , data 3. Cal. Aprilis an. 1742. Verum omnibus his & ſingulis Ordinationibus aliud non cavetur, quam ut frivolis appellationibus à gravaminibus *extrajudicialibus* , per Epiſcopos paſtorali ſuo munere fungentes prætensè illatis, occurratur ; ut primum autem negotium ejus naturæ eſt , ut *judicialiter* tractandum , aut ſaltem ità tractatum coram Ordinario fuerit , juxta Juriſprudentiam Romanam ex omnibus mundi partibus , in quibuſcunque cauſis, & ab omnibus perſonis , in via appellationis , Romam ambulandum eſt , omneſque eæ inconvenientiæ, tam *publicæ*, quàm *privatæ* , tanquam *naturales comites* hujus provocationis , exhauriendæ ſunt , quarum partem recenſent Bernardus , Hildebertus Urſpergenſis , Fleurius, & alii; aut cauſa , ſæpe cum publico diſpendio , in medio relinquenda .

(7) Fa-

(7) Fatentur, quos jam laudavimus, ſummi Pontifices, ſæpe ad eorum thronum ab Epiſcopis deferri de Romanis appellationibus querelas. BENEDICTUS XIV. ſub initium citatæ ſuæ Conſtitutionis anni 1742. aſſerit, has *querelas inanes eſſe, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re cauſam & originem habentes, quod inferioribus grave ſit obedientiæ ac ſubjectionis jugum erga majora tribunalia, ipſisque nimis diſpliceat, ſibi ſubditis adpellationis beneficio ſuccurri*. Sic exiſtimatur, aut ſaltem aſſeritur Romæ; ſed ſolidius cogitatur extra Italiam, ubi ideo hæ appellationes refugiuntur, quia repugnant ſacris Canonibus, æquitati, prudentiæ & politiæ Chriſtiano-Catholicæ, bono diſciplinæ Eccleſiaſticæ, juribus regnorum, evertunt fortunas privatorum; & procurant delinquentibus impunitatem. His adde, quod Romani parum, aut planè non attendant ad jura particularia provinciarum, è quibus lites ad Curiam deferuntur, Vid. *Cap. III.* §. 11. *Cap. V.* §. 3. *n.* 7. *Cap. VII.* §. 4. *n.* 9. *Cap. VIII.* §. 9. *n.* 4. *Cap. IX.* §. 2. *n.* 2. 4. *& ſeqq.*

§. VII.

Summorum Pontificum Gelaſii & Nicolai I. Epiſtolæ, quæ favore Romanarum appellationum ſolent allegari, explicantur.

BENEDICTUS Papa XIV. loco ſub initium §. 5. *hoc Cap.* citato ad ſuſtinendam prætenſam illam connexionem juris recipiendarum & finiendarum appellationum cum Rom. Pontificis Primatu, duas ſummorum Pontificum auctoritates profert: primam GELASII in Epiſtola anno 495. 1. Febr. ad Epiſcopos Dardaniæ ſcripta apud Harduinum Concil. Tom. II. col. 909. ubi: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, ſedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi: utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: ſiquidem*

dem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illo autem nemo ſit appellare permiſſus. Hanc Gelaſii auctoritatem repetit & allegat NICOLAUS I. Epiſt. 8. ad Michaelem Imp. Harduini Tom. V. col. 167. inquiens: *Patet profectò, ſedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus*. Verum quod ſcripſit Gelaſius, *CANONES voluiſſe*, ut ad Petri Sedem de qualibet mundi parte appellaretur, id apertè ad Canones *Sardicenſes* pertinet, proinde ex præmiſſis interpretationem accipit. Quod addidit: Romanum Pontificem *de omni Eccleſia fas habere judicandi*; *neque cuiquam licere de ejus judicare judicio*, id quoad priorem partem in materia fidei (de qua in Epiſtola agitur) ſuo modo verum eſt, circa *præliminare* aliquod judicium, reſervata ſemper univerſali Synodo ſua ampliore auctoritate. In altera verò ſuæ propoſitionis parte, non loquitur Gelaſius de *Synodo* aliqua, quacunque demum, ſed de *ſingularibus* Epiſcopis, uti apparet ex voce *Cuiquam*; horum quippe *nulli in particulari* competit jus reformandi ſententiam ſummi Pontificis. Confirmat id ſcopus Epiſtolæ, in qua contra illos agitur, qui nomen Acacii retinere volebant in dypthicis, id eſt, adverſus *ſingulares* Epiſcopos.

(1) Plura ſpecioſa verba exhibet Gelaſiana Epiſtola, ſi *ſingulatim* conſiderentur; ſi verò *ad totum* ejus argumentum attendatur, parum continet, quo Ultramontanorum prætenſiones ſuffulciantur, uti ſolidè demonſtrant Ill. Boſſuetus *de Poteſt. Eccleſiaſt. Lib. XII. cap.* 33. *Lib. XIV. cap.* 15. *Lib. XV. cap.* 9. *&* 22. Launois *Epiſt.* ad Jacobum Boetium, quæ eſt 3. *Lib. II.* Dupinius de *Antiqua Eccl. Diſcip. Diſſ. II. pag.* 160. 168. 220. *& ſeqq.* Cæterum ſententia Gelaſii rectiorem interpretationem, aut ſi ejus verbis præcisè inſiſtere malis, certiorem refutationem accipere non poteſt, quam in curata diſcuſſione trium illuſtrium exemplorum, ad quæ in confirmationem ſui aſſerti ipſe provocat; quæ-

que nos §. *ſeq.* ad juſtam actorum publicorum lancem ponderaturi ſumus. Confer interim ſuprà *cap. III. §.* 8. & habe hoc pro exemplo, qualiter Romani, cum de munienda ſua auctoritate ageretur, jam ſub finem Sæculi V. expreſſionibus uſi ſint, quæ poſteros, niſi ſollicitè omnia combinent, facilè in errorem nimietatis poſſent conjicere.

(2) Tempore NICOLAI I., id eſt Sæculo IX. fictæ Iſidori Decretales ſuum jam vigorem obtinuerant; proinde minimè mirandum, ſi hic Pontifex plenis velis ierit in communem tunc ſententiam, ſuæ Sedi adeo faventem, atque hunc in finem ex Gelaſii Epiſtola, quæ in rem ſuam eſſe videbantur, decerpſerit. Eo non obſtante, domonſtrat Stephanus Baluzius in excellenti ſua Præfatione in librum Antonii Auguſtini de Emendatione Gratiani, ante octingentos annos, id eſt, ante epocham de qua hic agimus, Synodos Gallicanas nullam unquam appellationem à decretis ſuis ad Romanum Pontificem fieri permiſiſſe.

§. VIII.

SS. Athanaſii, Joannis Chryſoſtomi, & Flaviani provocationes ad Sedem Romanam, neque fundant, neque ſupponunt illud jus appellationis, quod ſibi Romani tempore Gelaſii Papæ aſſeruerunt, aut etiamnum prætendunt.

Sed videamus porro, quam infirma ſint argumenta, quibus Auctor Epiſtolæ Gelaſianæ utitur ad probandum ab exemplis, & ex diſciplina Eccleſiæ, id quod intenditur. " Apoſto-
„ lica, inquit, Sedes frequenter, more majorum, *etiam ſine*
„ *ulla Synodo* præcedente, & abſolvendi, quos Synodus iniquè
„ damnaverat, & damnandi nullà exiſtente Synodo, quos
„ oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe ATHA-
„ NASIUM Synodus Orientalis addixerat, quem tamen excep-
„ tum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſen-

„ ſenſit, abſolvit . Sanctæ memoriæ nihilo minus JOANNEM „ Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſu- „ lum certè damnaverat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica, „ *etiam ſola*, quia non conſenſit, abſolvit . Itemque ſanctæ „ memoriæ FLAVIANUM, Pontificum congregatione damna- „ tum, pari tenore, quoniam ſola Sedes Apoſtolica non con- „ ſenſit, abſolvit : potiuſque, qui illic receptus fuerat, Dioſco- „ rum ſecundæ Sedis Præſulem ſua auctoritate damnavit. “ Accurato ſingulorum horum exemplorum examine inſtituto, iisque tum ad fidem hiſtoriæ, tum ad normam Diſciplinæ primorum ſæculorum ponderatis, nihil proderunt ſive ad fundandum jus amplius Appellationum, quam ſit illud, quod Sardicenſibus Canonibus inſtitutum eſt, ſive ad ſtabiliendam Romani Pontificis ſupremam judicandi in cauſis Epiſcoporum auctoritatem .

(1) Quod imprimis ad cauſam S. ATHANASII attinet, cum is citra omnem judiciorum formam, per vim & ambitum, innocens & abſens, damnatus eſſet, non ſolius Julii Papæ, ſed omnium Occidentalium ſententia, additis etiam Ægyptiorum & Orientalium quamplurimorum ſuffragiis, ſuæ Sedi reſtitutus eſt . Scilicet (*a*) Imperator Conſtantinus extraneorum illorum Epiſcoporum, qui Athanaſium damnaverant, judicium, utpote contra leges latum, ratum non habuit, atque Epiſcopos Concilii ad ſe evocavit, ut facti ſui rationem redderent . (*b*) Athanaſius ità damnatus non provocavit ad Romanum Pontificem, ſed confugit ad Imperatorem, ut is, quæ contra formam judiciorum & leges ab adverſariis facta fuerant, reſcinderet aut irrita declararet. (*c*) Ad Sedem ſuam & Eccleſiam recuperandam, non impetravit Romani Pontificis auxilium ; ſed quemadmodum à Conſtantino fuerat expulſus, ita à filiis ejus reſtitutus eſt . (*d*) Athanaſius Romam confugit, non quaſi appellans, ſed vim hoſtium metuens . (*e*) *Euſebiani*, adverſarii S. Athanaſii *ad* JULIUM *litteras miſere*, *& ut nos terrerent*, *Synodum juſſerunt convocari*, *& ei ſi vellet*, *cauſæ arbitrium detulerunt*, inquit Athanaſius *Apolog.*

log. II. pag. 739. , ſicque Julius *tanquam judex à partibus electus* potuiſſet Euſebianos ad ſe vocare , detrectantes damnare , atque Athanaſium abſolvere ; (*f*) Neutrum tamen fecit , nec ullum judicium tulit , ſed tantum auditâ Athanaſii apologia ſuam cum eo communionem confirmavit , & pro Epiſcopo ipſum habuit . (*g*) Synodus *Sardicenſis* ex Imperatorum reſcripto cauſam Athanaſii retractavit , eumque ſuæ Sedi reſtituendum declaravit . (*h*) Is non contentus Occidentalium in hac Synodo ſententia , Orientalium quoque poſtulavit judicium , & ab his , tum ſubſcribentibus Synodicæ Epiſtolæ Concilii , tum ſeorſim per eorum litteras , innocens declaratus eſt . Adde Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Sæcul. IV. Diſſ.* 22. *Tom. IV. pag.* 292. *ſeqq.*

(2) Æque parùm *originarium* jus Romanarum appellationum ſuſtinetur altero exemplo , quod de S. JOANNE CHRYSOSTOMO Gelaſius profert . Exſtat Chryſoſtomi Epiſtola ad Innocentium Papam de ſua in Synodo ad Quercum damnatione , in Operibus S. Chriſoſtomi apud Montfauconium Tom. III. pag. 515., ubi ſic latinè : *Igitur Domini mei maximè venerandi & pii, cum hæc ita ſe habere didiceritis , ſtudium veſtrum & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc , quæ in Eccleſias irrupit , iniquitas . Quippe ſi mos hic invaluerit , & fas fuerit cuivis in alienam paroeciam irrumpere , idque ex tantis intervallis , & ejicere, quos voluerit , & auctoritate propria quæque pro libidine ſua facere , ſcitote , quod brevi tranſibunt omnia , & totus orbis premetur bello inexpiabili , omnibus ejectis , & omnes ejicientibus . Quaprópter , ne confuſio hæc omnem , quæ ſub cælo eſt , nationem invadat . OBSECRO , UT SCRIBAS, QUOD HÆC TAM INIQUE FACTA , & ab una ſolum parte , abſentibus nobis , & non declinantibus judicium , NON HABENT ROBUR , ſicut neque natura ſua habent : illi autem , qui adeo iniquè egiſſe deprehenſi ſunt , pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant ; nobis verò , qui nec convicti, nec redarguti , nec habiti ut rei ſumus , literis veſtris & caritate*

tate veſtra, *aliorumque omnium*, *quorum ſcilicet & antea ſocietate fruebamur*, *frui concedite* . Ex mox relatis verbis ad Pontificem directis : *Obſecro*, *ut ſcribas*, *quod hæc tam iniquè facta non habeant robur*, concludunt Romani, præeunte hic Gelaſio Papa, appellatum à Chryſoſtomo ad Innocentium, huncque rogatum, ut Pontificia ſua auctoritate judicia in Oriente lata irritaret . Verum, ſi advertatur, eandem Epiſtolam, quæ etiam invenitur apud Palladium in Dialogo hiſtorico de Vita & converſatione S. Joannis Chryſoſtomi, teſte eodem Palladio *pag.* 22. a S. Joanne ad Venerium Epiſcopum Mediolani, & ad Chromatium Aquileiæ Epiſcopum pariter ſcriptam fuiſſe, certò concludetur, Chriſoſtomum non petiiſſe, ut illi, aut alter eorum irritet judicium in Oriente latum, ſed ut ſinguli ſcribant, illa, quæ ibi facta fuerunt, robur habere non poſſe, tanquam acta adverſus Canones & formam judiciorum Eccleſiaſticorum ; proindeque petiit, ut ſibi ab Occidentalibus non denegetur communio, ſed ea potius confirmetur . Hæc autem omnia *facere*, *non ſolum Præſuli Apoſtolico licet*, *ſed & cuicunque Pontifici*, inquit ipſe Gelaſius Papa in Epiſtola ad Fauſtum in Harduini *Collect. Concil. Tom. II. col.* 886. Quem effectum apud Innocentium Pontificem produxerint litteræ S. Chryſoſtomi, legitur apud Palladium *cit. pag* 22. nimirum : *Ad hæc beatus Innocentius Papa utrique parti pares litteras communionis miſit*, *improbans judicium*, *quod à Theophilo factum videbatur*; *dicens*, *deberi aliam cogi Synodum irreprehenſibilem Occidentalium & Orientalium* : *primum quidem ſecedentibus ab illo conſeſſu amicis*, *deinde & inimicis* : *a neutris enim*, *ut plurimum*, *rectum proficiſcitur judicium* . Sed videamus porro, quid Innocentius acceptis hac de cauſa litteris Cleri Conſtantinopolitani reſponderit . Has reſponſorias primum edidit Sozomenus *Lib. VIII. cap.* 26 In his cumprimis Pontifex : *Injuſtè perpeſſus eſt frater & comminiſter noſter Joannes Epiſcopus veſter*, *qui in judicio auditus non eſt* : *Nullum crimen profertur*, *nullum auditur* . Et deinde

de

de : *Quodnam eſt hoc perditum conſilium ? In locum viventium ſacerdotum alii ſubſtituuntur : . . . . . . Neque enim talia unquam à Patribus noſtris geſta comperimus , ſed potius prohibita , cum nemini licentia data ſit in locum viventis alium ordinandi . Reproba enim ordinatio honorem Sacerdotis auferre non poteſt : quemadmodum is Epiſcopus omnino eſſe nequit , qui injuſtè ſubſtituitur .* Porrò : *Solos Canones Nicænos ſectari & agnoſcere debet Eccleſia Catholica . Quod ſi à quibuſdam alii proferantur , qui à Nicænis Canonibus diſſentiant , & ab hæreticis compoſiti eſſe arguuntur , hi à Catholicis Epiſcopis rejiciendi ſunt . . . . . . quemadmodum etiam in Sardicenſi Synodo jam condemnati ſunt .* Denique : *Sed quid adverſus iſta in præſenti faciemus ? NECESSARIA EST COGNITIO SYNODI, quam & nos jam pridem congregandam eſſe duximus . HÆC ENIM SOLA EST , quæ hujuſmodi tempeſtatum motus ſedare poſſit . Quam quidem ut obtineamus , utile fuerit medicinam horum malorum ex voluntate ac nutu Dei optimi maximi , & Chriſti Domini noſtri interim exſpectare . . . . . Nam & nos diu multumque cogitamus , quonam modo œcumenica Synodus congreganda ſit, ut turbulenti motus cœleſtis Numinis arbitrio tandem conquieſcant .* Sic (*a*) Innocentius quidem judicium à Theophilo actum improbavit ; quod & procul dubio Venerius Mediolanenſis , & Chromatius Aquilejenſis , & infiniti alii fecere ; at non *forma* aut *via judiciali* . (*b*) Miſit Innocentius Chryſoſtomo litteras communionis ; ſed nec minus illas dedit ejus adverſario Theophilo , qui teſte Palladio *pag*. 9. pariter , & primus quidem ea de re litteras ad Pontificem dederat . (*c*) Ad juridicam cauſæ deciſionem dixit *neceſſariam eſſe Synodi COGNITIONEM* . Quæ omnia multum diſtant à prætenſo jure Pontificis privativo , per ſe *in via & gradu appellationis* cognoſcendi de controverſiis Epiſcoporum , eaſque definiendi , ultra tenorem Canonum Sardicenſium , quorum eo certius memor fuit Innocentius , quod expreſſam eorum mentionem in ſua Epiſtola faciat . Exitum cauſæ ju-

juvat hic ſubjungere verbis Ill. Boſſuetii *Defenſ. Cleri Gall. Lib. XIV. cap.* 11. " Innocentius Papa Theophili judicium „ caſſum & irritum habuit : ultimam tamen ſententiam „ Concilio œcumenico reſervavit , ut diſertè aſſerit inculcatque Palladius Chryſoſtomi Comes ac rerum omnium „ teſtis oculatus . Locum Univerſalis Concilii Occidentales Theſſalonicam deſignabant . Memorabilis verò eſt „ hæc Palladii ſententia : *Scopus Romanæ Eccleſiæ iſte eſt*, „ *non communicare Orientalibus Epiſcopis , præſertim Theophilo , donec Dominus* Imperator *dederit locum Univerſali* „ *Synodo , quæ profectò morbis eorum , qui hæc patraverunt medeatur* . Sic Romanus Pontifex , quæ pro loci „ amplitudine ſolus inchoavit , non niſi totius orbis ſententià finiturus erat . Verùm , cum Synodus œcumenica ab „ Arcadio Imp. impetrari non poſſet , totius Occidentis „ cum Apoſtolica Sede conjuncta ſententia profecit , ut „ Joannis Chryſ. nomen Conſtantinopoli quoque in ſacras „ Tabulas referretur ; ac ſine novo judicio , conſenſione „ totius Eccleſiæ , Theophili Synodus ſolveretur . " Itaque cauſa terminata fuit , non via *judiciali* , ſed ea , quam citra juriſdictionem propriè dictam , in Primatis Univerſa- „ lis jure & poteſtate eſſe , inſinuavimus *cap. III.* §. 4. Adde *cap. IV.* §. 9. *n.* 2. & *cap. V.* §. 4. *n.* 9.

(3) FLAVIANUS Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Epheſina Synodo (quæ latrocinium communiter dicitur , ob violentiam Dioſcori & fautorum Eutychis) injuſtè damnatus , ab iniquo hoc judicio appellavit . Hujus appellationis luculentus teſtis eſt S. LEO Papa Epiſt. XL. ult: edit. ad Theodoſium Imp, data , in quà cap. 3. de ſuis Legatis ita loquitur: *Quia & noſtri fideliter reclamarunt , & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit* . Poſt hanc appellationem per Flavianum interpoſitam , idem ſanctus Pontifex convocationem Concilii generalis apud Theodoſium urget : *Quam autem* , inquit , *poſt appellationem interpoſitam hoc* Concilium *neceſſario poſtuletur , Canonum Nicææ*

cææ habitorum decreta teſtantur ; Canones *Sardicenſes* haud dubiè intelligit S. LEO , ſecundum Sedis ſuæ morem loquens. Itaque appellationis libellum Flavianus tradidit Legatis Papæ, in ſequelam Sardicenſium Canonum ; Leo ſicuti vigore eorundem Canonum de cauſæ meritis & ſubſtantia judicare non poterat, ita nec Flaviani cauſam coram ſe fecit ventilari, nec ejus judicandæ poteſtatem ſibi arrogavit ; ſed in mox laudata Epiſtola ad Theodoſium converſus, cum cauſa fidei huic negotio implicata eſſet, *Generalem*, ait, *Synodum jubeatis intra Italiam celebrari* ...... *convenientibus utique Orientalium provinciarum Epiſcopis*. Rectè id ab Imperatore rogavit Pontifex ; illius enim erat convocare generalia Concilia, uti cap. ſequenti demonſtrabimus. Igitur non alio fine aut conſilio Flavianus libellum appellationis conſignavit Legatis Leonis, tanquam univerſalis Primatis, quam ut hujus ope & miniſterio obtineret ſuæ cauſæ in legitima ſynodo retractationem. Negari equidem non debet, quod S. Leo judicium Latrocinii Epheſini irritum habuerit, & omni id quidem jure, tanquam quod in innocentem Flavianum per vim latum fuerat ; at inde concludendum non venit, ſpeciale judicium eatenus à Pontifice inſtitutum fuiſſe. Poſtquam is intellexiſſet, ea quæ Epheſi facta ſunt, contra jus fas que geſta eſſe, popoſcit a Theodoſio *Epiſt.* 40. ut omnia in ſtatu eſſe juberet *in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus convocaretur* ; quod certè longè abeſt ab omni ſpecie judicii definitivi, à Pontifice, ſua auctoritate, ferendi. Confer van Eſpen in *Commentario poſthumo in Canones & Decreta Juris veteris ac novi pag.* 206. *ſeq. edit. Colon.* Nec non Paſchaſii Queſnelli Diſſertationem de Cauſa Flaviani Ep. Conſtantinop. in pſeudo-Synodo Epheſina damnati, quæ eſt Octava *Tom. II. Opp. Leonis pag.* 204. *ſeqq. edit. Lugd.*

CA-

CAPUT VI.

De Conciliis Generalibus.

§. I.

Jura Univerſalium Conciliorum prætenſo ſtatui Monarchico Eccleſiæ repugnant.

Romanum Pontificem Generalibus Synodis ſubjectum eſſe, Conſtantienſe & Baſileenſe Concilium apertè definierunt.

Idem pluribus Concilii Tridentini locis haud obſcurè inſinuatur.

Facultas diſpenſandi in lege Conciliari non arguit ſuperioritatem in illud.

Hæc de Jure etiam Epiſcopis ſuo modo competit.

Epiſcopi in Conciliis ſunt Conjudices, non meri Conſultores Papæ.

HActenus abundè demonſtravimus, Monarchicam illam poteſtatem, quam nonnulli Rom. Pontifici tribuunt, non evinci neque ſacro Textu, neque primorum ſæculorum Uſu & obſervantia; quin ex contrario eandem deſtrui, omnemque illius idæam fugari in conſideratione Eccleſiaſticæ Diſciplinæ circa Cauſas Majores, circa modum ferendi Leges pro univerſali Eccleſia, circa Judiciariam poteſtatem, & jura Appellationum. Idem non minus apparebit ex jure & diſciplina *Generalium*

 Con-

Conciliorum , quæ in ſingulis eorum partibus hoc Capite ponderabimus .

Et imprimis quidem conſtat , à Generali Concilio univerſam Eccleſiam repræſentari , non item à ſolo Romano Pontifice; conſtat item , & probavimus *cap. I. §.* 5., Generalia Concilia , in Spiritu Sancto legitimè congregata , ſuam immediatè à Chriſto habere auctoritatem . Hæc auctoritas univerſalis Eccleſiæ ſe extendere debet , & revera ſe extendit ad omnes & ſingulos , qui eandem Eccleſiam agnoſcere debent pro *Matre*, à primo ad infimum uſque . Equidem *ſingulis* Eccleſiæ Paſtoribus poſt diœceſium diviſionem pars Eccleſiaſticæ juriſdictionis in certas perſonas, certas cauſas, certoſve diſtrictus credita eſt : at Univerſæ Eccleſiæ auctoritas & poteſtas , *in omnes*, data , ſemper integra & illibata permanſit . Vid. *cit. cap. I. §. 6. & 7.* Nulla lege Divina primum Eccleſiæ Membrum ab univerſali hac, ex divina inſtitutione proximè emanante , Eccleſiæ auctoritate exceptum legitur . Romanos Pontifices in errores prolabi poſſe , & gravibus fœdiſque vitiis depravari , nemo dubitat ; aliundè autem conſtat , ab eccleſiaſtica communione ejiciendos , & de Epiſcopatu deturbandos eſſe eos , qui in fide vel moribus graviter & cum ſcandalo peccant ; at quis Papam ſic gradu dejiciet, niſi Eccleſia in Spiritu Sancto congregata ? hoc verò non poſſet, niſi eo eſſet ſuperior . Si Papa ab omni tribunali & judicio altiore eſſet independens , non eſſet qui remedium ferret erroribus & ſcandalis , quæ toties à Romanis Epiſcopis in Eccleſia cauſata fuiſſe produntur ab Hiſtoria Eccleſiaſtica . Nihil itaque juſtius , ac divinæ providentiæ & prudentiæ , omnia fortiter & ſuaviter diſponentis , regulis accommodatius , quam ut eo caſu denuntietur Eccleſiæ ; quod & haud rarò factum novimus . Quoties etiam in Eccleſia graviores controverſiæ exortæ ſunt , Univerſalia Concilia convocata fuerunt ; hæc autem neceſſe non fuiſſet congregari , ſi unius Romani Præſulis auctoritas illam Concilii ſuperaret aut æquaret . Non inepta cujuſdam erat interrogatio : Quare non miſerint Romani poſt enatas Sæculo XVI. hæreſes, Nuntios & Curſores ad Principum aulas potius pro deferendo illuc ultimato Papæ LEONIS X. judicio, quam ad tractandum

um

cum eis de convocatione Concilii Tridentini , ſi tunc vel ab ipſis ſummis Pontificibus ſeriò exiſtimatum fuiſſet, eorum ſententiam in his cauſis abſolute definitivam , nec Conciliorum examini ſubjectam exiſtere . Atque hæc ità de hac materia generatim . Alia & plura ſolidè tractata vide apud Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert.* 4. *in Sæculum XV. pag.* 369. *& ſeqq. Art.* 1. §. 2. *& ſeq.* ubi Bellarmini & ei adhærentium argumentis reſpondet . His adde Andreæ Epiſcopi Magorenſis Hiſpani Gubernaculum Conciliorum . Part. IX. cap. 4. in Actis Concilii Conſtantien. Hermanni von der Hardt. *Tom. VI. part.* 4. *pag.* 304. *ſeqq.* Nos imprimis ſententiam Conciliorum Conſtantienſis , Baſileenſis , & Tridentini de hac quæſtione paucis exponemus , deinde per ſingulas Generalium Conciliorum , quotquot illorum hactenus habita ſunt , actiones & partes eorum ſuperioritatem , poteſtatem & juriſdictionem in Rom. Pontificem demonſtrabimus , & inde concludemus , ſancta , æqua & juſta fuiſſe Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis hac de re Decreta . Non hic (uti faciunt qui contra ſentiunt) Conciliaria decreta Conſtantienſia & Baſileenſia cum Florentinis , Lateranenſibus & Tridentinis collidemus , quod Hæretici rideant , ſed quæ ad ſummam attinent, omnia coaleſcere , atque uni omnino formæ reddi demonſtrabimus .

(1) Concilium *CONSTANTIENSE* Seſſ. IV. declarat , *quod ipſa Synodus , in Spiritu Sancto congregata legitimè , Generale Concilium faciens , & Eccleſiam Catholicam repræſentans , poteſtatem à Chriſto immediatè habeat , cui quilibet , cujuſcunque ſtatus vel conditionis ETIAMSI PAPALIS exiſtat , obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis , & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in CAPITE & membris* . Seſſione verò V. *Quod quicunque cujuſcunque conditionis , ſtatus , dignitatis , ETIAMSI PAPALIS, qui mandatis aut præceptis hujus ſacræ Synodi , & CUJUSCUNQUE ALTERIUS CONCILII GENERALIS legitimè congregati . . . . . obedire contumaciter contempſerit , niſi reſipuerit , condignæ pœnitentiæ ſubjicia-*

 tur

tur &c. Cum hæc Decreta Bellarmino incommodarent, is *Lib. I. de Concil. cap. 7.* generoſo tranſiliens pede, non dubitavit aſſerere: "Hoc Concilium, quantum ad pri-„mas Seſſiones, ubi definit Concilium eſſe ſupra Papam, „reprobatum eſt in Concilio Florentino & Lateranenſi ul-„timo." Quæ cum eruditis parum perſuaderent, cum quod Florentinum Conſtantienſi revera non deroget, tum verò etiam, quod bina illa juniora Concilia pro Generalibus univerſim non agnoſcantur: excogitavit Emmanuel Scheleſtratus notam illam de textus Seſſionis IV. fucatione fabulam, acſi verba *Reformationis in Capite & membris* primo Decreto quartæ Seſſionis non fuiſſent à Patribus inſerta, cum tamen certò conſtet, ea inveniri in præambulo hujus Decreti, & adhuc magis authenticè in primo Decreto Seſſionis V. Prætendit equidem Scheleſtratus, ejuſdem quintæ Seſſionis Decreta non fuiſſe debita cum deliberatione, & conſentientibus omnibus, quorum intererat, condita. Verùm ſi abſque apertis probationibus, & ab Univerſali Eccleſia agnitis, liceret poſt aliquot ſæcula Generalium Synodorum placita, ſub prætextu inſufficientis deliberationis, enervare, nihil in his remaneret ſanctum, & omnia incertitudinibus exponerentur. Multi has Scheleſtrati ineptias confutarunt. Omnium loco laudamus & ſuademus conſuli Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert. 4. in Sæculum XV.* Videbimus autem infrá *c. VIII. §. 3.* qualiter celeberrimus Gerſon duabus Orationibus coram univerſa Conſtantienſi Synodo habitis, non ſolum genuina utriuſque Decreti verba recitaverit, ſed & nemine reclamante ut hæreticum pronuntiaverit, quiſquis his veritatibus, à Generali Concilio definitis, auſerit contradicere; quod fieri ſanè haud potuiſſet, niſi antè in communi Synodo verba Decretorum genuina & authentica, ipſa verò Decreta ab omnibus ut legitima fuiſſent agnita. Adde Hermanni von der Hardt Acta Concilii Conſtantienſis *Tom. VI. Part. 2. pag. 11. ſeqq. nec non Part. 4. pag. 154.* Cæterum conſtat, à ducentis Patribus, communi conſenſu,

Seſſio-

Seſſionis IV. & V. Canones fuiſſe conditos : ut profectò pudere debeat aſpernari, imò fœdis erroris ac ſchiſmatis notis tantum infamare cœtum, vel ſi etiam, quod abſit, pro œcumenica Synodo non valeret. Porro certum eſt, nihil ab ullo Romano Pontifice contra eos Canones geſtum eſſe : imò *tota* Conſtantienſis Synodus, æque ac cæteræ Concilii Generalis titulo inſignitæ, in editione Romana PAULI V. juſſu prodiit. Solus Binius, uno præeunte Bellarmino, tanto Concilio auſus eſt hanc notam apponere : *Concilium Conſtantienſe ex parte approbatum* : nullis Eccleſiaſticis geſtis, nulla alia auctoritate nixus. Quæ ſi privatis liceant, nihil eſt quod Theologi adverſus hæreticos Conciliorum œcumenicorum fixa & irrevocabilia decreta jactemus.

(2) Concilii Conſtantienſis Decreta confirmavit Synodus *BASILEENSIS*, Seſſ. II. & alibi pluries. Ex eadem hac Synodo ad Eugenium Papam, Concilium abrumpere conantem, ſequentia ſcripſit Cardinalis Julianus, Pontificis Legatus & Concilii Præſes, die 5. Junii an. 1432. in Operibus Æneæ Sylvii pag. 75. *An hoc Concilium legitimum ſit, ex Concilio Conſtantienſi dependet; Si illud verum fuit, & iſtud. Nemo autem dubitare viſus eſt an illud legitimum fuerit : ſimiliter & quicquid ibi decretum eſt. Nam ſi quis dixerit Decreta illius Concilii non eſſe valida, fateri neceſſe habet, privationem olim Joannis XXIII. factam vigore illorum Decretorum non valuiſſe. Si illa non valuit, nec Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc ſuperſtite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas veſtra eſt, quæ per Cardinales ab ipſo factos electa eſt. Nullius ergo magis intereſt defendere Decreta illius Concilii, quam Sanctitatis veſtræ. Et ſi quodcunque illius Concilii Decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterunt revocari & reliqua ejuſdem Concilii Decreta : hac eadem ratione nec aliorum Conciliorum Decreta valebunt : Quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia, juxta argumentationem B. Auguſtini, & habetur IX. Diſt. cap.* Si ad Scripturas. *Ergo*

&

& Fides, & omnia Eccleſiæ Sacramenta titubabunt, ſi de robore unius Concilii legitimè celebrati dubitetur. Per Concilium autem Conſtantienſe fuit factum Decretum, FREQUENS, in quo ſtatuitur, quod primum Concilium fiat in quinquennium à fine illius, & aliud in ſeptennium. A fine Concilii Conſtantienſis quinquennio elapſo, celebratum eſt Papienſe vel Senenſe; a cujus fine elapſo ſeptennio, cœptum eſt celebrari iſtud. Valde convincenti argumento, ſeu tali quod vocamus *Ad hominem*, utitur Cardinalis, ad probandam ſubſiſtentiam Concilii Conſtantienſis, & ſingulorum ejus Decretorum, apparet etiam ſatis ex hoc diſcurſu, neminem eò uſque de eadem ſubſiſtentia dubitaſſe.

(3) Pergit deinde Julianus, probando, Papam Concilio ſubjectum eſſe: *Dicunt, diſſolutionem Concilii* (quam Eugenius meditabatur) *evidenter tendere in everſionem Fidei, & ruinam Eccleſiæ, & perturbationem populi Chriſtiani; Ergo fieri non poſſe, nec parendum fore. Aſſerunt etiam prædictam diſſolutionem fieri non potuiſſe obſtante quodam Decreto Conſtantienſis Concilii.* " Quòd in his, quæ pertinent ad „ Fidem & extirpationem Schiſmatis, & reformationem „ Eccleſiæ in Capite & in membris, quilibet cujuſcunque „ conditionis, *ETIAM PAPALIS*, tenetur obedire ſtatutis „ & ordinationibus & præceptis cujuſcunque Concilii Ge„ neralis: & niſi obediret, puniatur &c. " *Ecce poſſe ſtatuere in aliquem, poſſe præcipere, poſſe punire non obedientem, ſigna ſunt evidentia ſuperioritatis in his, in quibus ſtatuit, præcipit, aut punit. Teneri autem obedire, ſubjici ac parere, ſigna ſunt inferioritatis in prædictis caſibus. Ergo in prædictis caſibus, cum Papa, ut dicunt, ſit inferior Concilio, quod etiam facto probatum fuit (Nam propter unum de tribus caſibus Concilium privavit Joannem, & propter alterum privavit Benedictum) non poterit Papa diſſolvere Concilium: Quia inferior, in eo quod eſt inferior, non poteſt ſolvere vel ligare ſuperiorem, nec tollere legem Superioris . . . . . . Concilium autem hoc congregatum eſt propter extirpandas hæreſes, faciendam pacem, reformandum mo-*

mores: & in prima Seſſione ordinavit & ſtatuit ad iſta debere intendi : & quod procurans impedire hoc Concilium , diſſolvere , vel prorogare , vel mutare , ſeveriter poſſit puniri , & procedi tanquam contra communem turbatorem communis pacis &c. Si autem diſſolvi poteſt , conſtat quod non obeditur prædictæ Ordinationi . Harduino paradoxior ſit , qui ſibi vel aliis perſuadere conetur , Julianum virum ſanè egregium , pium , Sedi Romanæ apprimè addictum , cum omnibus Nationibus , quarum Prælati Baſileenſi Synodo aderant , Italis , Gallis , Germanis & Hiſpanis , conſpiraſſe , ad falſificandum verba Concilii Conſtantienſis , quæ ſuæ ad Eugenium graviſſimæ Epiſtolæ inſeruit ; aut adeo fuiſſe , à ſana mente motum , ut hoc falſo voluerit ac potuerit imponere Romanæ Curiæ circa rem graviſſimam , Primam Sedem præcipuè tangentem , ante ſexdecim ſolum annos ſingulari cum ſtrepitu in conſpectu totius Europæ deciſam , cujus deciſionis (in perſonam Joannis XXIII. etiam executioni mandatæ) Tabulæ in omnium manibus erant .

(4) Porro : *Nemo dubitat* (ſic proſequitur in ſua Epiſtola Card. Julianus) *ſi contra aliquem ſummum Pontificem ageretur de hæreſi , quod ipſe non poſſet Concilium diſſolvere : quia ſi poſſet diſſolvere , non poſſet judicari , quod eſt contra Caput SI PAPA . Diſt. XL. Ergo ſicut in hæreſi , ſic in aliis duobus caſibus : Iſti enim tres pariſicati ſunt per Concilium Conſtantienſe . Et , ut prædixi , facto Concilium Conſtantienſe approbavit hanc ſententiam : quia propter Schiſma privavit Petrum de Luna , & propter deformitatem vitæ privavit Joannem . Et ſi quæ Jura reperiuntur quæ dicunt .* " Prima ſedes non judicatur à quoquam : & „ Primam ſedem nemo judicat : & Nemo ſibi dicit , cur „ ita facis ? " *intelligenda ſunt his tribus caſibus exceptis . In principio de Fide proviſum fuit per Caput SI PAPA : in aliis duobus per Decretum Conſtantienſe . Alioqui ſi ſine ulla exceptione intelligeretur illud ;* Prima ſedes &c. *tunc Caput* ſi Papa XL. Diſt. *& prædictum Decretum Conſtantienſe eſſent falſa ? Et ſi Caput* ſi Papa , *addidiſſet cauſæ hæ-*

hæreſis iſtos duos caſus, *nemo dubitaret de prædicta ſententia*. *Sic etiam nemo debet dubitare de Decreto Concilii, quod factum eſt auctoritate Papæ*, *& repræſentat univerſam Eccleſiam*. *Et ſi dicatur*, *in Conciliis intelligitur excepta auctoritas Papæ*: *Reſpondeo*, *illud verum eſt, quando perſona Papæ ſpecialiter non includitur; ſed ſi ſpecialiter includitur, non poteſt excipi*, *quia ſaperet contradictionem*. Ut quam recto devotoque animo Papæ hæc inſinuet Cardinalis, manifeſtet, addit in fine Epiſtolæ: *Si ſanctitas veſtra videret puram mentem meam*, *& mundum conſcientiam*, *& integrum animum quo talia ſcribo*, *oſcularemini me ex nimia charitate*, *& procul dubio me ut filium diligeretis*. *Dixi ſæpe*, *& jam dico & proteſtor coram Deo & hominibus*, *quod cauſa eritis ſchiſmatis & multorum malorum*, *ſi non mutaveritis conſilium*. Igitur quamvis Eugenius IV. Baſileenſe Concilium ſtatim diſſolvere tentaverit, ſtetit tamen illius, ceu œcumenici Concilii, inconcuſſa & Eugenio ſuperior auctoritas, donec Ferrariam translatum eſt: Conciliique Conſtantienſis Decreta de ſuprema Generalium Conciliorum Auctoritate, non ſolum Schiſmatis, ſed quovis tempore, à Baſileenſi egregiè explicata ſunt & invictiſſimis argumentis ac Decretis totius mundi reverentiam poſtulantibus confirmata. Hæc inter complures alios ſolidè probat Natalis Alexander *cit. Tom. VIII. Diſſert.* 8. *Art.* 3. ſequenti autem, *Art* 4. oſtendit, nullius planè ponderis eſſe argumenta, quibus Baſileenſem Synodum è numero Conciliorum Generalium expungendam quidam contendunt, aut ſacroſancta ejus Decreta de Conciliorum Generalium Auctoritate convellere nituntur. Cæterum Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis decretis nullatenus derogari per Concilium *LATERANENSE* V. anni 1512. latè demonſtrat Tournelius *Prælect. Theol. Tom. V. pag.* 160. *& ſeqq. edit. Colon.*

(5) Ipſum Concilium *TRIDENTINUM* (quamvis, uti *Cap. I.* §. 8. inſinuavimus, ab *apertà* deciſione capitalis illius quæſtionis conſultò abſtinuerit) nihilominus ſuperioritatem

tem in Pontificem *actu* exercuiſſe variis locis deprehenditur . Tanta, tamque penetrans eſt , ut ut occulta vis veritatis , ut vel non advertentibus , vel invitis iis , quorum intereſt eam occultari , ſe ſe manifeſtet . Sic (*a*) Concilium concipit Decreta & Canones ſuo nomine , & hac ratione ſibi ea attribuit . Vid. ſupra *Cap. IV. §.* 11. *n.* 1. Et quamvis in eo non prætermittatur memoria Legatorum ſanctæ ſedis, ſit id tantummodo , ut ſacro Cœtui , qui eadem Decreta condidit , præſediſſe dicantur, (*b*) Licèt Paulus III. Legatis ſuis dediſſet facultatem Concilii , cum neceſſe foret , aliò transferendi , nihilominus Translatio ipſa Bononiam ipſius auctoritate Synodi decreta , ordinata & effectuata fuit Seſſione IX. die 21. menſis Aprilis an. 1547. ibi : *Conſiderans , quod . . . . . . DECREVIT & ORDINAVIT Concilium ex eo loco in hanc civitatem eſſe transferendum .* Præcedente Seſſione VIII. Concilio ſeu Patribus propoſita fuerat quæſtio : *Placetne vobis DECERNERE & DECLARARE . . . . . . Concilium ipſum ad civitatem Bononiæ . . . . . . transferendum eſſe , & ex nunc transferri? Reſponderunt , PLACET .* (*c*) Exercuit ſupra Papam auctoritatem , abolendo Mandata Apoſtolica & mentales Reſervationes *Seſſ. XXIV. cap.* 19. Item Acceſſus & Regreſſus à Romanis Pontificibus eo ævo concedi ſolitos , nec non Coadjutorias beneficiorum , quæ Epiſcopatibus & Abbatiis inferiora ſunt , *Seſſ. XXV. cap.* 7. *&c.* Varia circa Cardinalium munus & obligationes , etiam reſpectivè ad Papam, ſtatuit *Seſſ.* XXIII. *cap.* 1. *&* 2. *Seſſ. XXIV. cap.* 11. *&* 18. *Seſſ. XXV. cap.* 1. *&* 7. (*d*) Concilium inſinuat , Papam quaſdam poteſtates , quibus fruitur , *ab Eccleſia* tenere . Huc pertinet jus ſtatuendi & diſpenſandi in impedimentis Matrimonii dirimentibus . Siquidem Tridentinum *Can.* 3. *&* 4. *Seſſ. XXIV. de Matrim.* has facultates *Eccleſiæ* arrogat , quaſi fonti, anathema pronuntians in eos, qui dixerint , *Eccleſiæ* jus non eſſe , novos Gradus adjicere eis, qui in Levitico expreſſi ſunt , aut in horum aliquibus diſpenſare . Igitur, ſi Eccleſia has ſimileſve poteſtates Papæ tranſmittit , illo ſuperior eſt , & conſequenter etiam

Concilium Oecumenicum Eccleſiam repræſentans. Poſtquam ſacra Synodus *Seſſ. XXI. Can.* 4. articulum de uſu Calicis alicui nationi, vel regno, rationalibus de cauſis concedendo, ſibi definiendum reſervaſſet, in ultimo Decreto ſequentis Seſſionis XXII. committit Papam pro conceſſione hujus uſus, curam illi relinquendo ponderandi, an revera adſit juſta cauſa concedendæ talis diſpenſationis; ſcilicet: *nunc eorum, pro quibus petitur ſaluti optimè conſultum volens* Concilium, *DECREVIT integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti Decreto refert; qui pro ſua ſingulari prudentia id EFFICIAT, quod utile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum Calicis fore judicaverit*. (*e*) Quod Concilium, tanquam validiſſimum, imò unicum poſt Scripturam Catholicæ fidei documentum, proponens, frequenter tradit de *Conſuetudine*, *Conſenſu*, *Judicio* & *Interpretatione*, denique de his innexa *Innerantia Eccleſiæ*, & nunquam dicit de *Papa*, ſatis indicat Eccleſiam, & Generalem Synodum, quæ hanc repræſentat, habere aliquid pluſquam ſolum Papam. Ita Seſſ. IV. in Decreto de editione & uſu ſacrorum Librorum dicit, *Eccleſiæ eſſe judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum*. Seſſ. VI. in Proemio de Juſtificatione agens, exponit doctrinam, quam *Eccleſia Catholica Spiritu Sancto ſuggerente perpetuò retinuit*. Idem facit in Præfatione Seſſionis XIII. agens de Euchariſtiæ Sacramento. Seſſ. XIV. de Pœnitentia Can. 6. provocat ad modum Confitendi, quem *Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat*. Adde ejuſdem Seſſionem cap. 4. de ſatisfactione, ibi: *Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit &c.* Argumentum, quod hanc in rem ex Seſſ. XXI. cap. 1. deſumitur, reliquis ferè validius eſt; in eo ad Judicium Eccleſiæ ſic provocatur: *Sancta Synodus, à Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt Sapientiæ & intellectus, Spiritus Conſilii & Pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ JUDICIUM & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet &c.* Huc etiam confer, quæ attulimus cap. I. §. 6. n. 1.

[6] Cæ-

(6) Cæterum facultas diſpenſandi in Lege Conciliari, non arguit ſuperioritatem in eo, qui hac facultate utitur, ſed tantum ſupponit poteſtatem illi (e. g. Pontifici) tacitè vel expreſſe attributam ab iis, qui collegialiter Legem tulere. Hanc poteſtatem in Rom. Pontifice agnovit Baſileenſis Synodus *Tom. XII. Collect. Concil. Labbe pag.* 691. *inter Epiſt. Synod. n.* 9. Sed eidem auctoritati fines & leges dixit Tridentinum *Seſſ. XXV. cap.* 18. Adde Num. præced. Lit. d. Pluribus idem argumentum proſequitur Natalis Alexander *cit. Tom. VIII. pag.* 692. *edit. Paris.* Sed nec clauſulam *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, quæ legitur in fine Præfationis Seſſ. VII. Concil. Trid. aut per hanc ſimilem, *Salva ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſit, & eſſe intelligatur*, quæ exſtat ejuſdem Concilii Seſſ. XXV. cap. 21., inferri, quaſi ſacra hæc Synodus ſuorum Decretorum vigorem ſummi Pontificis auctoritati, & Conciliaria jura ejuſdem poteſtati ſubjecerit, demonſtrat Gibert *Corp. Jur. Canon in Prolegom. Part. I. Tit.* 20. *Sect.* 2. *pag.* 157. *ſeq.* Conf. ſuprà cap. III. §. 7. n. 4. 5. Obſervat tamen & refert Ill. Boſſuetius *Defenſ. Declar. Cleri Gall. Lib. XI. cap.* 18. his clauſulis Gallos ita commotos fuiſſe, ut vel ea cauſa Synodum Tridentinam admittere recuſarent.

(7) Circa Diſpenſationes in ſtatutis Generalium Conciliorum hoc addendum, quod, niſi de expreſſa exceptione conſtet, etiam Epiſcopis in ſuis reſpectivè diœceſibus earum jus competat, pro illis caſibus, & ex iis cauſis, propter quas Concilium ipſum diſpenſaturum fuiſſet, arg. *cap.* 26. *&* 32. *X. de Præbend.* Defluit hoc jus ex poteſtate gubernandi, quam habet quilibet Epiſcopus, à Spiritu Sancto poſitus, ut in ſua diœceſi regat Eccleſiam Dei; ne quidquam impediente, quod inferior à ſuperioris lege diſpenſare nequeat: hæc etenim ratio, ſi adverſus regimen Eccleſiæ, Epiſcopis à Deo commiſſum, poſſet prævalere, etiam contra Papam militaret in *Gallia*, in qua is Concilio ſubeſſe creditur, & tamen ejus rationabiles diſpenſationes in lege Conciliari admittuntur. Et univerſim Papa

Oo 2 non

non eſt ſuperior *Spiritu Sancto*, qui Univerſalibus Synodis præeſſe noſcitur. Sic Theologi & Canoniſtæ Romano Pontifici communiter attribuunt poteſtatem certis in caſibus diſpenſandi *in lege divina*; ex ratione, quod Papa acceperit omnem poteſtatem neceſſariam ad rectam fidelium gubernationem. Sanè Apoſtolorum Collegio ſinguli Epiſcopi ſunt inferiores, & tamen hi rectè diſpenſant in abſtinentia & jejunio Quadrageſimali, quod ab illis introductum creditur. Adde Gibert *Tom. II. pag.* 104. *&* 149. Vide etiam cap. ſeq. §. 6. Locum hic & attentionem meretur ſequens animadverſio Petri Rebuffi in Praxi Beneficiorum Tit. de Diſpenſ. ad plura benef. n 32. pag. m. 370. *Ignari Epiſcopi, neſcientes quam pulchra Jus Canonicum eis tribuiſſet privilegia, paulatim ex conſuetudine & ſtylo Curiæ Romanæ derogari illis paſſi ſunt, & jus ſuum neglexerunt; veruntamen adhuc jure poſſent ex præfata neceſſitatis cauſa diſpenſare*.

(8) Hæc ita: niſi Concilium expreſsè aliter ſtatuerit, & diſpenſationes inhibuerit, quod ut fieret optavit & monuit Cancellarius Gerſon, *Tract. de Reformatione Eccleſiæ in Concilio univerſali cap. XVII.* ſcribens: " Caveat univerſa-
„ lis Eccleſia ſuper omnia, ut nunquam ſub quovis colore
„ concedat Papæ poteſtatem diſpenſandi contra ſtatuta ge-
„ neralis Concilii, aut ea interpretandi ſeu immutandi,
„ propter varietates temporum, & novos ſupervenientes
„ caſus, ſed quod ſolum illa debeant immutari per aliud
„ Concilium generale, fiendum de tempore in tempus pro-
„ pter reformationem Eccleſiæ. Luce enim clarius con-
„ ſtat, quòd pro majori parte facta & ordinata in quatuor
„ Generalibus Conciliis principalibus, & aliis Conciliis per
„ temporum ſucceſſiones ſtatuta, creſcente avaritia Ponti-
„ ficum, Cardinalium & Prælatorum, tam per Papæ re-
„ ſervationes quam per iniquas Cameræ Apoſtolicæ con-
„ ſtitutiones, & Cancellariæ regulas, & ambitioſas diſpen-
„ ſationes, abſolutiones, indulgentias &c. ſint ferè immu-
„ tata, & quaſi in deriſum & oblivionem poſita." Sed
forte

forte hic nimium petiit Gerſo, juſto cæteroquin dolore præteritorum, præſentium & præviſorum abuſuum tactus. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines. Huc confer Epiſtolam Symmachi Papæ de anno 501. in Dacherii *Spicil. Tom. V. pag.* 583. *primæ edit.* atque ea, quæ dicturi ſumus *cap. VIII.* § 3. *n.* 6.

(9) Doctrinam Proſperi Fagnani, celebris Canoniſtæ, ſed Romani, quaſi *Epiſcopi in Conciliis ſint tantum conſultores Papæ, non con-judices*, meritò ut *erroneam* perſtringit Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag.* 538. *Schol. X.* Sed juvat hic ſummatim recolligere, quæ eadem de Quæſtione adverſus Bellarminum diſputat Ill. Boſſuetius *in Defenſione Declar. Cleri Gall. Lib. XIII. cap.* 20. Nempe *primò*: " Vidimus Romanorum Pontificum in Conciliis „ Oecumenicis judicia retractata; de his quæſtionem habi- „ tam; quæſtione habita, Cœleſtini, Leonis, aliorumque „ probata judicia; Vigilii atque Honorii reſcripta impro- „ bata fuiſſe, neque quidquam à Sancta etiam Sede profe- „ ctum, aut à Patribus, aut a Romanis etiam Pontificibus, „ pro irrefragabili eſſe habitum, niſi poſtquam Eccleſiæ „ conſenſus acceſſit. *Secundò*. Si Pontifex petit tantum „ conſilium, quod quidem pro animi ſui ſententia vel ad- „ mittat vel reſpuat; non profectò Epiſcopi, ſed doctiſſi- „ mi quique vocandi ſunt. Nec erunt adhibendi qui con- „ judicent, qui condecernnat, qui anathemata ſimul intor- „ queant ac pronuntient; ſed qui datis conſiliis præluce- „ rent, & rem Pontificio judicio poteſtatique relinquerent. „ *Tertiò*. In Macedonii quæſtione de Spiritu Sancto non „ dabant conſilia S. Papæ Damaſo in Occidente verſanti, „ qui ſeorſim Conſtantinopoli quæſtionem habebant Orien- „ tales Patres: neque hi per litteras Conſultationem mit- „ tunt, ſed Decretum, ſed Symbolum, ſed Anathema ad- „ verſus hæreticos &c. *Quartò*. Non Epiſcopi putabant „ ſe eſſe à Papa ſelectos judices, ſed à Chriſto datos; ne- „ que ipſe Pontifex Synodos exquirebat, quæ ſibi judica-

turo

„ turo eſſent neceſſariæ; ſed orbis Chriſtianus meritò re-
„ poſcebat, ut quod certa fide crederet, certa jam & in-
„ victa auctoritate doceretur. *Quintò*. Si lux quærebatur
„ tantum, cur congregatæ Synodi Romanorum Pontifi-
„ cum dogmata non editis tractatibus, ſed Decretis condi-
„ tis muniebat? An verò Tertia, Quarta, Sexta, Septi-
„ ma Synodi, myſterium fidei lucidius explanatur, quam
„ Cyrillus à Cœleſtino laudatus, quam Leo, quam Mar-
„ tinus, quam Agatho, quam Gregorius II., quam Adria-
„ nus I.? Neutiquam. *Sexto*. Illud Bellarmini, Conci-
„ lia non eſſe medium divinum confirmandæ fidei, ſed hu-
„ manum, monendo & inſtruendo Pontifici; id, inquam,
„ ex Apoſtolico illo Concilio perſpicuè refellitur, neque
„ enim quiſquam dixerit, conveniſſe Apoſtolos ut mone-
„ rent Petrum, ſed ut ipſi cum Petro, conjuncta auctori-
„ tate eam veritatem promerent, cujus cuſtodes ac teſtes
„ à Chriſto in commune eſſent conſtituti. *Septimò*. Cùm
„ fateatur Bellarminus, Definitiones de fide præcipuè pen-
„ dere ex traditione Apoſtolica, & conſenſu Eccleſiarum,
„ hinc profectò fit, ut illa conſenſio ad plenam veritatis
„ fidem neceſſariò requiratur; quæ ſi Pontifici pronun-
„ tianti deſit, nempe deerit illud, quod eſt præcipuum, &
„ unde *PRÆCIPUE*, teſte Bellarmino, definitio pendeat.
„ *Octavo*. Conciliis novo auſu humanam tribuunt aucto-
„ ritatem; at non invenimus in Sacris Conciliis, in eo re-
„ poſitam eſſe vim illam, quæ os omne obſtrueret, ſed in re-
„ promiſſione Chriſti dicentis: *Vobiſcum ſum omnibus die-
„ bus ſæculi*: ſed in certiſſima inhabitatione Divini Spiri-
„ tus, cujus præſentiam Sacerdotum toto orbe præſiden-
„ tium congregatio teſtaretur: ſed in invicto robore Tra-
„ ditionis ejus, quam communis conſenſio declaret. *Nono*.
„ Quod ait Bellarminus, Congregationem Sacerdotum
„ Chriſti eò eſſe comparatam, ut Papam dicturum au-
„ diant, neque quis ignorantiam decreti prætexat, Pri-
„ mum quidem inutile eſt, cùm aliis modis ita ſententiæ
„ promulgentur. Ut verò nemo ignorantiam prætexere
poſ-

„ poſſit, Patribus contumelioſum eſt, ut toto orbe convo-
„ cati, tanto quidem labore, at nullo interim neceſſario
„ officio, eccleſias ſuas deſerant. " His Boſſuetius in Corollario ſuæ Defenſioni ſubnexo *pag.* 402. addit: " *De-*
„ *nique* decurrunt ad illud, convocatas Synodos, quacun-
„ que in quæſtione, non ex neceſſitate ad ſolvenda dubia,
„ ſed ex abundanti ad frangendos contumaces. Frangen-
„ dos vero, an potius adjuvandos, ſi poſt infallibile,
„ quod illi quidem volunt, Pontificis judicium quæſtio
„ innovetur? Vel enim illuſoria deliberatio eſt de re jam
„ confecta quærere: vel ſi ſeria habetur quæſtio, jam non
„ modo contumaces, ſed etiam modeſti probique dubita-
„ re coguntur.

Qui poſt hæc ſententiam Bellarmini ſectantur, de iis liceat jure dubitare, an non dedita opera privatis magis commodis ac favoribus, quam Veritati & Eccleſiæ bono ſtudeant. Adde infrà *§.* *6.* *n.* 4. *ſeqq.*

(10) At inquient: Eo prætextu, quaſi [*a*] abſque generali Concilio nihil ſit in fide definitum; & quod (*b*) ſæpe multa & gravia in adminiſtratione ſupremi officii Pontificalis emendanda occurrant, continuò ſollicitari Eccleſiam, ac Chriſtianum orbem commoveri, Sediſque Apoſtolicæ auctoritatem in ordinario etiam regimine à Concilii auctoritate ſuſpenſam, adeoque impeditam ſemper, & tantum non invalidam teneri, malum fore gravius illo, cui ab Oecumenicis Synodis quærimus remedium. Ad harum propoſitionum primam abundè reſpondebimus *§.* 8. Ad alteram declaramus, talem nobis non eſſe animum, ſed regulas tradere, omni Juri Sacro conformes, queis *imprimis* ea, in quibus jam à pluribus ſæculis, ſupremo in regimine, abſque alia ſpe emendationis, peccari à bonis omnibus agnoſcitur, cum effectu corrigantur. *Tum* ut Pontificiæ auctoritati ſui ponantur aut declarentur fines, quibus Conciliaria Decreta & Canonica Diſciplina ponantur in tuto. *Demum* ut in omnem, licet rariorem eventum

tum noverit Romana Curia, dari remedium, Eccleſiæ & ſummo ejus Capiti Chriſto probatum, quo uſurpationibus, Corpori noxiis, occurratur. Nempe mortalem tanta poteſtate præditum, tot tentationibus obnoxium, tanta adulatione circumdatum, aliquo Canonum metu coerceri oportet,

§. II.

Nulla lege divina aut humana convocatio Univerſalium Conciliorum ſummo Pontifici reſervatur.

Octo priora Concilia Generalia ſola Imperatorum auctoritate convocata fuere.

Ne tumultuariè Epiſcopi Synodos coeant, legitimè convocandi ſunt. Nulla autem exiſtat lex Divina aut Eccleſiaſtica, quæ convocationem Generalium Conciliorum Romano Pontifici reſervet, quæque irrita declaret ea, quæ ſine ejus voluntate coacta ſunt. Certum eſt ex contrario, octo priora Concilia, quæ à Chriſtianis omnibus *Generalia* agnoſcuntur, a Romanis Imperatoribus convocata eſſe, quædam etiam invito Pontifice Imperatorum hoc jus in eo fundatur, quod, cum Eccleſia mediis coactivis deſtituta, non habeat alia, quam perſuaſiva & medicinalia, juſtum ſit recurri ad eos, qui gladio materiali armati ſunt, id eſt ad Principes (quorum tunc primarius erat Imperator, ferè totum orbem Chriſtianum in ſua habens poteſtate) ut nemo præſumat reſiſtere Conciliis eorum auctoritate congregatis, tanquam ultimis & ſupremis in Eccleſia judicibus.

(1) Primum univerſale Concilium, anno 325. *NICÆÆ* habitum, à Conſtantino Imperatore convocatum eſſe, teſtatur Euſebius *in Vita Conſtant. Lib. III. cap. 6.* Socrates *Lib. I. cap. 5.* Sozomenus *Lib. I. cap. 17.* Theodoretus *Lib. I. cap. 7.* Secundum Concilium generale, quod fuit primum *CONSTANTINOPOLITANUM*, anno 381. habitum, ſolius Theodoſii M. Imp. auctoritate convocatum eſt, incol-

inconſulto Damaſo Papa, qui tunc Romanam Sedem tenebat; ſed nemine quidem ejus nomine comparente, uti videre eſt ex ſubſcriptionibus apud Harduinum *Collect. Concil. Tom. I. col.* 813. *ſeqq.* Sunt quidem, qui aliter ſentiunt, moti Epiſtola Synodica, quam ſervavit Theodoretus *Lib. V. cap.* 9.; Aſt obſervandum imprimis, hanc Epiſtolam non eſſe ſolum inſcriptam Damaſo Papæ, ſed etiam Ambroſio Mediolanenſi, Brittoni Trevirenſi, & pluribus aliis Epiſcopis Romæ congregatis. Deinde eadem Epiſtola non eſt opus *Patrum* memorati Concilii Conſtantinopolitani an. 381., quod Generalibus accenſetur, ſed *alterius Synodi non generalis*, in eadem urbe ſequenti anno 382. poſt Aquilejenſe Concilium habitæ. Vid. Harduin. *l. cit. col.* 825. Confer Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Sæcul. IV. Diſſ.* 36.

(2) Primum Concilium *EPHESINUM*, quod inter Generalia tertio loco numeratur, celebratum anno 431. à Theodoſio juniore convocatum fuiſſe apparet ex Epiſtola ejuſdem Theodoſii & Valentiniani Impp. ad Cyrillum Patriarcham Alexandriæ & Epiſcopos Metropolitanos provinciarum apud Harduinum *cit. Tom. I. col.* 1343. Cœleſtinus Papa, ut ſe conformaret voluntati Auguſtorum, miſit Legatos ſuos ad Concilium. Theodoſio reſpondens: *Huic Synodo, QUAM ESSE JUSSISTIS, noſtram præſentiam, in his quos mittimus, exhibemus.* Ibid. *col.* 1473. *CALCEDONENSE*, quod numero reputatur quartum generale, anno 451. celebratum, equidem ad inſtantiam Leonis Papæ convocatum fuit; at non ab ipſo, verum a Marciano Imp. & primum quidem Nicæam, uti videre eſt ex ejuſdem Auguſti Litteris convocatoriis, tum ad omnes ejus temporis Epiſcopos apud Harduinum *Tom. II. col.* 45., tum ſpeciatim ad Anatholium Antiſtitem Conſtantinopolitanum; inde verò ejuſdem Imperatoris auctoritate Chalcedonem transiatum, uti conſtat ex ejus Litteris *cit. Tom. II. col.* 50.

(3) Quintum Oecumenicum eſt *CONSTANTINOPOLITANUM* II. anni 553., quod teſtibus Evagrio *Lib.* IV. *cap.* 37.

& Nicephoro *Lib. XVII. cap.* 27. Juſtinianus Imp. indixit. Adde valde notabilem ejuſdem Imperatoris Epiſtolam ad Epiſcopos Conſtantinopoli congregatos, quà exponit qualiter anteriora Concilia à piiſſimis Imperatoribus adunata fuerint apud Harduinum *Tom. III. col.* 54. Sextum generale itidem *CONSTANTINOPITANUM* eſt, actum annis 680. & 681. præſente Agathone Romano Pontifice. Direxerat Conſtantinus Imp. ad Domnum Agathonis prædeceſſorem Divalem ſacram, qua eum invitaverat ad mittendum ad Concilium, ex juſſu Imperatoris habendum, perſonas negotio aptas, apud Harduinum *cit. Tom. III. col.* 1043. Extat & *ibid. col.* 1074. ad eandem Divalem reſponſio Agathonis ſucceſſoris Domni Papæ, quæ recitata fuit ejuſdem Concilii Actione quarta.

(4) Generale ſeptimum fuit *NICÆNUM II.* convocatum anno 787. ab Irene Imperatrice & Conſtantino ejus filio, teſte itidem Divali ſacra eorundem Auguſtorum ad Hadrianum I., quà invitatur ad Concilium proximè habendum, apud Harduinum *Tom. IV. col.* 21. Miſit etiam Legatos ſuos Hadrianus ad Concilium, cujus quoque acta habuit rata. Denique octavum Concilium Oecumenicum, id eſt, *CONSTANTINOPOLITANUM IV.* indictum fuit per Baſilium Imperatorem cognomento Macedonianum anno 869. eo ſcilicet tempore, quo Roma & Italia Imperatoribus Orientis non amplius parebant. Quod nihilominus ab hoc Imperatore idem concilium convocatum fuerit, manifeſto apparet ex Hiſtoria hujus Synodi ſcripta ab Anaſtaſio Bibliothecario, & è Concilii Actione V. ex ejuſdem Anaſtaſii verſione Latinà. Ibidem refertur Helias Presbiter Hieroſolymitanus Patres ita alloquens: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum orbe vicarios ad diſpoſitionem hujuſmodi cauſarum colligebant; quorum more & Dei cultor Imperator noſter univerſalem hanc Synodum fecit &c.*

§. III.

§. III.

Tacito Principum & Eccleſiarum conſenſu jus congregandi Univerſales Synodos Romano Præſuli delatum fuit.

Non tamen abſolutè, & pro omni caſu.

Equidem poſt octo ſæcula hæc diſciplina mutata fuit. Scilicet ſeparato Orientis Imperio ab Occidentali, hocque poſteriore inſuper in plura regna & ſtatus diviſo, non erat amplius in unius Principis poteſtate omnes Chriſtiani orbis Epiſcopos in unum locum congregare. Cumque multis difficultatibus implicata res eſſet, omnium Principum ad hoc obtinere concurſum, uſu, & tacito tam Eccleſiarum, quam Principum conſenſu, hoc jus generales Synodos convocandi delatum fuit Romano Pontifici, tanquam ei, qui primam Sedem tenet, in qua unitas Sacerdotii concentratur; ita tamen, ut nec ſic Chriſtianorum Potentatuum aſſenſus aut excludatur, aut prætermittatur; qui vel ideo neceſſarius eſt, quod Epiſcopi, tanquam horum ſubditi, abſque eorundem venia Eccleſias ſuas & regna ac provincias deſerere non poſſint, & ſine illorum concurſu non valeat ſervari concordia inter Sacerdotium & Imperium, citra quam Chriſtiana ſocietas nequit ſubſiſtere. Hinc in Bulla indictionis Concilii Tridentini PAULUS III. expreſſe dicit, ſe conſuluiſſe Principes, & nominatim Imperatorem ac Regem Galliæ. In Bulla reſumptionis ejuſdem Concilii JULIUS III. ſperare ſe ait, *per Dei gratiam & benignitatem, futurum, ut Reges omnes ac Principes Chriſtiani ſuis in hac re votis annuant, faveant, atque aſſiſtant*. Denique PIUS IV. in ſua Bulla celebrationis ejuſdem Concilii dicit, ſe Principes *de conſilio ſuo certiores feciſſe*. Cæterum ex his inferri non debet, neque ullo argumento probari poteſt, Reges & Principes a ſe irrevocabiliter abdicaſſe jus & facultatem congregandi Oecumenica Concilia, præſertim pro eo caſu, quo Papa id cum magno Eccleſiæ incommodo facere omitteret. Adde infra *cap. IX. §. 9.*

(1) Tempore Schiſmatis Avenionenſis mota fuit quæſtio : *An non diviſa inter duos Pontifices Eccleſia, Cardinales univerſale Concilium convocare poſſint* ? In conferentia anno 1408. Florentiæ ſub præſidio Laurentii à Rodulphis celebris J. C. ea de re tribus diebus continuis habita, unanimi voto concluſum fuit, Concilium ab illis hoc caſu congregatum legitimum eſſe . Vid. L'Enfant *Hiſt. Concil. Piſani Lib. III.* §. 7. Adde Andreæ Epiſcopi Magorenſis *Gubernaculum Conciliorum Part. VII. pag.* 296. *& ſeqq.* in Hermanni von der Hardt Actis Concil. Conſtantien. Tom. VI. Piſanum Concilium convocatum fuit anno 1409. durante Schiſmate Benedicti XIII. & Gregorii XII. per Cardinales Benedicto adhærentes , apud Portum Liburnum congregatos , cum quatuor Cardinalibus alterius obedientiæ , ipſo Gregorio conſentiente .

(2) Rectè ſtatuit Gerſon *Tr. de Auferibilitate Papæ ab Eccleſia Conſiderat. XI. Opp. omnium Tom.* II. *col.* 215. *edit. Antverp.* nec non *Tract. de Reformat. Eccleſiæ cap.* VIII. in Hermanni von der Hardt Actis Concilii Conſtant. Tom. I. Part. V. pag. 85. item *eodem Tract. Cap. XIV. & XV. pag.* 97. *& ſeqq.* quoties de ipſo Papa judicando agitur , jus ejus , tanquam qui hoc caſu pars foret, congregandæ Synodi ceſſare , illudque ad Principes & Epiſcopos redire . De hoc jure Principum , & præcipuè Imperatoris ſic ſcribit Æneas Sylvius in Exhortatoria ſua ad unionem Eccleſiæ , ſive Epiſt. 18. *Quo in ſtatu ſit Reſpublica Chriſtiana vides : lacerata Eccleſia eſt : nec in Populo, nec in Clero pax eſt : dolet ſuper his invictiſſimus Imperator noſter , & ut advocatum decet Eccleſiæ , operam navare cœpit , ut ſubortum Schiſma poſſit eradicari : ad hoc nullus aptior videtur modus , quam generale cogi Concilium : hunc ipſe amplexus eſt , & ſuper eo cœteris Regibus ac Principibus ſcribit* . Plura ſuppeditat mox citatum *Gubernaculum Conciliorum pag.* 281. *ſeqq.*

(3) Multò magis Concilium unum œcumenicum , univerſalem Eccleſiam repræſentans, de aſſenſu Principum , aliud ſe-

ſequens poterit indicere . Hujus rei exemplum habemus in Baſileenſi Synodo , quæ à Conſtantienſi & Sienenſi indicta noſcitur . Plura vide infrà *cap. IX. §.* 3.

(4) Cum apud omnes conſtet , ſaltem in quibuſdam caſibus extraordinariis , Univerſale Concilium abſque Papa congregari poſſe , idque non modò in Schiſmate , ſed & ſi Pontifex ſit hæreticus , ſi detentus , ſi mente captus , ſi apertè ſimoniacus , ſi ea moliatur , quibus univerſam peſſumdet Eccleſiam &c. quos caſus evenire poſſe , Theologi & Canoniſtæ omnes agnoſcunt : nemo diffitebitur iiſdem caſibus Papæ Concilium anteponi . Vid. Boſſuetii *Defenſ. Cleri Gallic. Lib.* III. *cap.* 4. 5. 6. 7. 8. *&* 9. Quorſum autem attineret Concilium abſque Papa , & in ejus cauſa , celebrari , niſi auctoritas Concilii prævaleret ?

(5) Concilium ſemel ritè adunatam impedire valet , ne Papa illud intempeſtivè diſrumpat . Quid ea de re actum fuerit in Baſileenſi Synodo , cum Eugenius Papa reformationem ſuæ Curiæ ſubodoratus , & exceſſus in Pontificia poteſtate moderationem veritus , illam aliò transferre moliretur , diximus *hoc cap. §.* 1. *n.* 2. *ſeqq.* & dicemus amplius *cap. IX. §.* 7. *n.* 5. Quibus adjunge Andreæ Magorenſis Epiſcopi *Gubernaculum Conciliorum Part. IX. pag.* 299. *ſeqq.*

[6] Idem Andreas *Part. VII. p.* 277. obſervat, quod in Concilio per Concilium convocato poſſit à Papa , Concilium in exercitio ſuorum jurium impediente , recedi , & ei fieri *obedientiæ ſubtractio* ; addens , id expreſſe poni in texti *Can. Anaſtaſius* 9. *Diſt.* XIX. ubi dicitur , quod *multi Clerici & Præsbyteri ſe à communione Anaſtaſii Papæ abegerunt* . Quanquam autem hic Canon à Correctoribus Romanis pro confićto habeatur ; nihilominus ſatis indicat , quæ hac in parte diſciplina viguerit ante Gratianum , & Ivonem , qui ſuo illum Decreto quoque intulerat .

§. IV.

§. IV.

Duplex in Conciliis præſidium, unum ab Imperatoribus, alterum regulariter à Pontificibus exercitum.

His etiam competit jus proponendi, & primam ſententiam edicendi.

Attamen ſalvo jure Epiſcoporum.

Duplex in Conciliis præſidium exercetur: alterum a *Principibus ſæculi* ad ordinem *exteriorem*, de quo jam memoravimus *cap. V. §. 4. n. 3.*, alterum à *ſummis Pontificibus*. Utriuſque meminit Relatio Synodi Chalcedonenſis ad Leonem Papam apud Harduinum *Tom. II. col. 655.* ibi: *Si enim ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi ſe Chriſtus in medio eorum fore perhibuit, quantam circa quingentos viginti Sacerdotes familiaritatem potuit demonſtrare, qui & patriæ & labori ſuæ Confeſſionis notitiam prætulerunt? Quibus TU quidem SICUT MEMBRIS CAPUT PRÆERAS, in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens; IMPERATORES verò fideles ad ordinandum decentiſſimè PRÆSIDEBANT, ſicut Zorobabel & JESUS, Eccleſiæ, tanquam Jeruſalem, ædificationem, circa dogmata renovare annitentes.* Itaque quod ad præſidium hierarchicum attinet, illud per verba: *Sicut membris Caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem*, Leoni tanquam ſummo Pontifici agnoſcitur. Cum hoc jure præſidii naturaliter connexum eſt jus proponendi, competens Præſidi cujuſcunque Collegii. At hoc præſidium eique cohærentia jura æque parum evincunt *ſuperioritatem Papæ ſupra Concilium*, quam præſidentia & directorium cujuſque Præſidis in quocunque alio Corpore ſeu politico ſeu eccleſiaſtico.

(1) Hæc ita quidem in regula, & niſi Concilio aliter videatur; in hujus etenim facultate eſt, etiam præſentibus Pontificiis Legatis alteri deferre præſidium. " Multæ rationes „ ſuadent, præſidentiam Concilii Nicæni, quam habuit „ Oſius Cordubenſis, ipſi delatam fuiſſe per electionem

Con-

„ Concilii cum beneplacito Imperatoris ; neque enim cre-
„ dimus eum fuiſſe Legatum Pontificis ", " inquit Gibert *Corp. Jur. Can. in Prologom. Part. I. Tit.* 15. *ſect.* 17. *pag.* 107. Aderant Concilio Silveſtri Papæ Legati Vitus & Vincentius Præsbiteri, qui poſt Oſium ſubſcripſerunt. Adde Launojum Lib. VIII. *Epiſt.* 1. *& ſeqq.*

(2) *Jus proponendi* Romano Pontifici in generalibus Synodis competens, nullatenus impedire poteſt nec debet, quominus etiam ab aliis, de aſſenſu congregatorum Patrum, ordinatè proponatur, quidquid ipſiuſmet Pontificis perſonam aut prætenſiones, aliaſve Eccleſiæ utilitates poſſet concernere.

(3) Exercuit inſuper Papa in œcumenicis Conciliis, eique juxta tradita à nobis cap. II. §. 6. competit jus *Relationis* ſeu *primæ ſententiæ*; ita, ut ipſius ſit referre ad Patres, quo de cenſendum ſit, & primam ferre ſententiam, quæ definitionis vim habet, ſi Patrum ſententiis firmetur. Sic rectè docet Ill. de Marca *de C. S. & J. Lib. V. cap.* 8. cujus ſententiam amplectitur Cl. Thomaſinus in Recenſione ſuarum de Synodis Diſſertationum.

(4) Equidem in Concilio Tridentino clauſula illa, *Proponentibus Legatis*, quæ in Seſſ. XVII. & antea ſæpius uſurpata fuit, non nihil invidiæ præ ſe tulit, ex quo ea Epiſcopis jus, quo in præcedentibus Conciliis fruiti erant, per quandam reſervationem auferre videretur. " Quoad perver-
„ ſas intentiones, quas introductores clauſulæ *Proponen-*
„ *tibus* fortaſſe habuerunt, inquit Gibert *l. cit. pag.* 169.
„ earum præcipua eſt, impedire ſinceram Romanæ Curiæ
„ reformationem, ſive quoad commercium Beneficiorum,
„ Diſpenſationum, abſolutionis Caſuum reſervatorum, ſi-
„ ve quoad uſurpationem juris Epiſcoporum, qui pro
„ meris Vicariis a Pontifice habebantur; ſive quoad lu-
„ xum, mollitiem, earumque turpes effectus; quippe illi
„ haud ignorabant, quantopere reformatio exoptaretur à
„ Principibus, qui Legatis ſuis præceperant, ut acriter
in

„ in ea inſtarent, & à pluribus ſanctioribus Prælatis, qui
„ ſtudia ſua dudum teſtati erant . . . . Inde formido erat, ne, ſi alii quam Legati facultatem habuiſſent
„ proponendi Capita diſcutienda, aliqui exiſterent Epiſcopi, qui ultrò, vel ſuggerentibus Principum Legatis,
„ quæſtiones moverent circa abuſus in Romana Curia vigentes, & multò magis, ne inſinuata aliis Epiſcopis neceſſitate ejuſmodi quæſtiones tractandi, neceſſaria quoque tandem fieret eorundem abuſuum emendatio. Itaque ad occurrendum huic ſuo incommodo, cauſa ipſius amputanda erat, per reſervationem de qua loquimur;
„ nec circumſtantiæ patiebantur, ut alia adhiberetur cautio.

(5) Verum intercedentibus Principum Oratoribus, præſertim Hiſpano (qui ajebat, " Regem conſideraſſe, cum ipſe „ tam ingentem partem orbis Chriſtiani poſſideret, ſe obſtringi, ne permitteret dici poſſe, inductum ætate ſua fuiſſe id quod tam grave detrimentum inferret Conciliis in poſterum. " Pallavicin. *Hiſt. Concil. Trid. Lib. XXIII. cap.* 2. *n.* 1.) multiſque ea de re habitis tractatibus, quos ad longum refert idem Pallavicinus *cit. cap.* 2. *per totum*, *cap.* 5. *a num.* 7. *ad* 14. *cap.* 6. *n.* 5. *cap.* 8. *n.* 5. *cap.* 12. *n.* 6. *&* 7. Concilium Seſſ. XXIV. de Reform. cap. 21. *explicando declarat*, *mentis ſuæ non fuiſſe*, *ut in verbis* Proponentibus Legatis, ac Præſidentibus, *ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur*; *neque novi quidquam*, *præter id*, *quod à ſacris canonibus*, *vel generalium ſynodorum forma hactenus ſtatutum eſt*, *cuiquam adderetur*, *vel detraheretur*. Unde quæ hactenus diximus de jure Epiſcoporum, præſertim circa *propoſitiones* in Conciliis faciendas, ſaltem pro futuris temporibus ſalvata ſunt, licet eorum uſus, tum propter cauſas in cit. cap. 21. Seſſ. XXIV. publicè allegatas, tum propter ſecretas cauſas, quas num. 4. retulimus, in Tridentino factus non fuerit.

§. V.

§. V.

Generalium Synodorum Decreta non indigent Pontificiæ confirmatione .

Hujus non-uſum probant Acta ſingulorum Conciliorum .

Optandum quidem eſt , ut ſummi Pontificis , tanquam viſibilis Capitis Eccleſiæ , conſenſus ſemper accedat ad concluſa Concilii , ut tantò evidentius, & eo majore robore univerſalis Eccleſiæ conſenſus opponi poſſit his , qui unionem ſcindere , aut pacem turbare volunt . At ſi Papa Concilii decretis ſubſcribere , & univerſalis Eccleſiæ deciſioni ſe ſe accommodare recuſet , poterit Œcumenica Synodus ſuâ adverſus illum , ſicut contra alia Eccleſiæ membra , auctoritate uti . Ita formaliter declaravit Concilium Conſtantienſe Seſſ. III. & Baſileenſe Seſſ. II. Hæc Conciliaris declaratio , quam reſpuunt Ultramontani , exprimit doctrinam Eccleſiæ *Gallicanæ*, imò veriùs *Univerſalis* . Rectè omninò Turrecremata , aſſertor cæteroquin vehemens Pontificiæ dignitatis , *Lib. III. cap.* 10. ubi loquens de jure Conciliorum : ***Celebratio*** , inquit , ***Conciliorum utilis eſt ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum , qui Pontificatum ſuum aut extra SS. Patrum regulas pro voluntate exercent, aut ſimoniaca pravitate dehoneſtant , aut Sæculi vanitate & vita ſcandaloſa confundunt &c.*** Plura de hac materia ex probatiſſimorum Theologorum & Canoniſtarum doctrina occurrent infrà *cap. IX.* §. 9. Inde ſequitur, quod , cum aliunde certum ſit , omne Concilium à dominatione Papæ liberum eſſe debere , ſynodalia decreta abſque illius approbatione tum maximè vigorem obtineant , quando ***de ipſiuſmet Pontificis perſona & prætenſionibus*** agitur , aut ſanè hoc caſu conſenſus & acceptatio ei non magis libera eſſe debet , quam cuicunque fideli . Porro obſervant eruditi , ante duodecimum ſæculum nullam Synodum deprehendi , cujus Decreta ſub nomine Romani Pontificis, tanquam Præſidis Concilii , fuerint concepta . Antea loquebatur & decernebat ſuo nomine ſynodus ; & meritò quidem :

ex quo decreta communi congregatorum Epiſcoporum auctoritáte condita, omnibus etiam Epiſcopis adſcribi debeant.

(1) Dum de diſciplina Eccleſiæ circa Pontificiam confirmationem generalium Conciliorum tractatur, *triplex* earundem *Synodorum ſpecies* diſtinguenda venit. *Prima* illarum quibus ipſe Pontifex interfuit; *Altera*, quibus adfuit per Legatos; *Tertia*, quibus neutro modo intervenit. Ad primam ſpeciem pertinent Concilia *LATERANENSIA*, *LUGDUNENSIA*, *VIENNENSE*, & *FLORENTINUM*. In his nullum occurrit veſtigium, quo dignoſcatur, vel rogatum fuiſſe Pontificem, ut horum Conciliorum decreta confirmaret, vel eadem ab illo proprio motu confirmata fuiſſe. (*a*) Sed neque poteſt Pontifex, qui Concilio adfuit, omnique ſua poteſtate ad ejus Decreta condenda concurrit, his ſua confirmatione novam aut pleniorem tribuere auctoritatem. Intereſt Papa Concilio tanquam Caput univerſalis Eccleſiæ, proinde *extra illud* nequit habere auctoritatem ſuperiorem illa, quam *in eodem* exercet, communicabilem quademum-cunque confirmatione eorundem decretorum, quæ ipſe conjunctim cum aliis Patribus condidit (*b*) Decreta præfatorum Conciliorum Lateranenſis IV. duorum Lugdunenſium, Viennenſis & Lateranenſis V. concepta fuerunt ſub nomine Pontificis, cum clauſula: *Sacro approbante Concilio*. Itaque ſi eadem Concilia ſuorum Decretorum confirmationem à Pontifice petiiſſent, hoc ipſum fuiſſet rogare, ut Papa ſuummet opus firmaret, quod eſſet inutile & ferè abſurdum. (*c*) Si autem talis confirmatio intelligeretur & acciperetur de nuda declaratione, quod Decreta legitimè facta ſint: præterquam quod de tali Confirmatione hic non agatur, nullus ſimilis Confirmationis foret fructus; quippe quod Pontifex declararet id, quod ex modo concipiendi Decreta jam ſatis intelligitur.

(2) Quantum ad Concilia, quibus Pontifex *per Legatos* adfuit: nec de his ullum extat monumentum, quo probetur, eorum confirmationem à Sede Romana rogitam

fuiſſe

fuiſſe; id quod & amplius apparebit ex evolutione Epiſtolarum, quas Concilia ad Papam ſcripſere poſt condita Fidei & Diſciplinæ decreta. (*a*) Primum horum Conciliorum eſt *NICÆNUM I.*, cui nomine ac loco Silveſtri Rom. Pontificis tanquam Legati interfuerunt Vitus ac Vincentius urbis Romæ Præsbiteri præſide Oſio Epiſcopo Cordubenſi. Nulla hic apparet requiſitio Confirmationis ex parte Synodi, aut ejus conceſſio ex parte Pontificis, præter utramque ſpuriam, quas edidit, ſimulque atro calculo notavit Harduinus *Tom. I. col.* 343. & 344. Utriuſque hujus documenti confictio deſignat potius, quid Romani ſerius imperitis perſuadere tentaverint, quam quid dictaverit geſtorum veritas. (*b*) Alterum eſt *EPHESINUM*. Hujus Synodi Patres ſcribunt ad Cœleſtinum Papam, exponendo ea, quæ circa quatuor facta ipſis propoſita in Concilio geſta ſunt. Abſoluta narratione, dicunt, ſe Acta adjeciſſe, ut Pontifex ex ipſis factorum veritatem cognoſceret. Et hæc eſt ſumma Epiſtolæ, in qua ne verbum, quo ſignificetur, Synodum à Papa ſuorum Decretorum confirmationem rogaviſſe. Vide Epiſtolam ipſam apud Labbæum *Concil. Tom. III. col.* 659. Putat equidem Cardinalis Orſi in Tract. *de Auctorit. Rom. Pontificis Tom. I. Part.* 1. *pag.* 147. argumentum pro abſoluta Romani Pontificis poteſtate in hoc Concilio exercita, deſumi poſſe ex verbis Commonitorii, quod Cœleſtinus dedit Legatis ſuis ad univerſalem hanc Synodum proficiſcentibus, ſcilicet: *Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri debere mandamus. . . . . . . Ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire certamen.* Ad horum intelligentiam noſcendum, actam in hoc Concilio eſſe cauſam Neſtorii ex una, & S. Cyrilli ex altera parte, qui ambo univerſale hoc judicium à Theodoſio Imperatore petierant. Habuerat jam Cœleſtinus de hoc Neſtorii negotio Romæ Synodum, è qua ad Cyrillum ſcripſerat, ejus partes ſuſtinendo. Cum denique cauſa ad Œcumenicum Concilium delata eſſet, prudenter utique egit Pontifex,

tifex, inſtruendo Legatos ſuos, ne contendentium Epiſcoporum diſſidiis ſeſe immiſcerent, quippe qui non pars contendens, ſed Judices eſſe deberent, *cum Synodo utique*; in qua Papa legitimi Primatus prærogativam quidem, & rectè, ſuſtinuit, Judicis autem partes *ſolus* minimè egit. Præfata Epiſtola Synodalis Epheſinorum Patrum *negativè ſolum* probat, ab hoc Concilio non fuiſſe rogatum Pontificem, ut ſua decreta confirmet: (*c*) At Epiſtola Concilii *CHALCEDONENSIS* ad Leonem Papam, quæ exſtat apud Harduinum *Tom. II. col.* 655. præbet quoque *poſitivum* hujus rei argumentum. Nempe poſtquam Synodus ſua adverſus Dioſcorum Alexandrinum, Eutichis fautorem, ipſumque Eutichem, & horum hæreſim, geſta narravit, non poſtulata a Pontifice confirmatione ſententiarum, quas in hæreſes ipſas, harumque auctores tulerat, ad aliud factum tranſit multo minus grave, ejus petens confirmationem, ex quo Pontificis Legati illi contradixiſſent. Scilicet Synodus Patriarchæ Conſtantinopolitano ſecundum in Eccleſia gradum, una cum poteſtate, Metropolitanos Aſiæ & Ponti, nec non Epiſcopos diœceſium inter Barbaros ſitarum conſecrandi, contulerat. Huic attributioni Pontificii Legati repugnaverant, utpote quæ adverſaretur diſpoſitionibus ſexti Canonis Nicæni, & primi Concilii Conſtantinopolitani, inſuper etiam dignitati Sedis Apoſtolicæ, cujus eſſet tales prærogativas concedere. Itaque Synodus cupiens tollere hanc qualemcunque difficultatem, recurrit ad Pontificem, petens ab eo, ſub *Confirmationis* verbo, ratihabitionem eorum, quæ contra voluntatem Legatorum acta fuerant. Diverſa hæc agendi ratio, *circa duo capita*, docet, Concilium non putaviſſe, quod ſua Decreta *annuentibus Legatis* confecta confirmatione Pontificis indigeant; econtra eam utiliter obtineri pro roboratione Decreti, *iiſdem Legatis repugnantibus* concepti circa rem, de qua citra Primatis univerſalis concurſum diſponi non poſſe exiſtimabatur. Adde S. LEONIS M. *Epiſt. XC. Cap.* 2. & *Epiſt. LXXXVII. cap.* 1. *ultimæ*

timæ edit. cum Notis . Confer etiam quæ à nobis de hac Synodo tradita ſunt *Cap. V.* *§.* 4. *n.* 3. (*d*) Fatendum Concilium generale VI. , quod eſt *CONSTANTINOPOLITANUM III.* videri poſtulare ab Agathone Pontifice ſuorum Decretorum confirmationem , per verba Synodalis Epiſtolæ : *Quam doctrinam ut iterum per honorabilia reſcripta confirmetis , veſtram rogamus paternam ſanctitatem* , apud Harduinum *Tom. III. col.* 1439. ſed multum abeſt , ut Patres poſtulent confirmationem , de qua hic agitur , tanquam ſine quà Decreta Conciliorùm non habeant vim obligandi ; rogant enim dumtaxat confirmationem , quæ ſita eſt in *nova approbatione* ; quæ cum ſit *novum teſtimonium* , Pontificem Concilio conſentire , definitionem aliquatenus corroborat. Firmat hunc ſenſum verbum *Iterum* , evincitque , nihil aliud peti à Pontifice , niſi , ut rurſus faciat , quod jam fecit . (*e*) Epiſtolæ Taraſii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani , ad Hadrianum Pontificem ſcriptæ poſt celebrationem Concilii *NICÆNI II.* Œcumenici VII. , apud Harduinum *Tom. IV. col.* 507. & 511. annumerari poſſunt Epiſtolis de quibus loquimur . quæ *Synodi Relationes* appellantur . At in toto illarum contextu nihil eſt , quo probetur Concilium ab Hadriano rogaſſe ſuorum Decretorum confirmationem . Nihil in illis aliud dicitur Romanæ ſedi favorabile , quam quod definitiones Concilii Romam miſſæ ſint : unde eò minus concludi poteſt , Concilium a Papa petiſſe Synodaliùm ſtatutorum confirmationem ; ex quo credibile ſit , ſimiles Epiſtolas a Synodo ad alias quoque inſigniores ſedes miſſas fuiſſe . (*f*) Talis Encyclica ſeu Circularis Epiſtola ſcripta fuit à Concilio Generali VIII. *CONSTANTINOPOLITANO* . Præter hanc Epiſtolam narratoriam Geſtorum hujus Concilii , & probabiliter miſſam ad omnes Epiſcopos, qui Concilio non adfuerant , ſaltem ad eorum præcipuos, alia eſt ejuſdem ſpeciei , inſcripta Pontifici Hadriano II. quæ deſinit in verba , quibus oſtenditur , ſynodum longè abſuiſſe a petenda confirmatione ſuorum Decretorum , ut

ea

ea vim obligandi haberent ; ſcilicet ; *Vos autem Conventum omnium noſtrum , & conſonantiam hujus Synodi benevolè recipite , & precibus apud Deum veſtris confirmate .* Add. infrà num. 6. (*g*) Et hæc ſunt omnia Concilia *Orientis* , quæ ad Pontificem Actorum ſuorum relationem miſere . Quia verò in nullo eorum quidquam reperitur , ex quo colligi poſſit , eadem *ſuorum Decretorum confirmationem* à Pontifice petiiſſe , veroſimillimum eſt, nullum illorum hanc deſideraſſe . (*h*) Quantum ad Concilia generalia *Occidentis* , quibus per Legatos Papa adfuit , nullum noſcitur , quod miſerit ad illum ſuorum Geſtorum relationes ; unicum eſt *TRIDENTINUM* , quod Pontificis confirmationem rogaverit . Is igitur , qui Bullam Pii IV. Concilii Tridentini confirmatoriam confecit , in Hiſtoria Conciliari parum erat verſatus , vel ipſos fontes minimè conſulerat , cum Pontificem dicere facit , Concilium, dum confirmationem ſuorum Decretorum petit , veterum ſequi veſtigia Conciliorum . De *CONSTANTIENSI* & *BASILEENSI* Conciliis egimus hoc cap. §. 1. & 5.

[3] Concilia , ſine ullo Pontificis interventu habita , ſunt (*a*) *CONSTANTINOPOLITANUM* I. ſub Damaſo Pontifice , cujus acta, & ſpecialiter ſubſcriptiones, nullam mentionem habent Romanæ Sedis Legatorum . Ideo autem Damaſus neque per ſe , neque per Legatos huic Concilio adfuit, quod ipſe eadem de cauſa Synodum haberet Romæ , in qua exſpectabat Epiſcopos , qui Conſtantinopoli coacti fuerant . Factum hoc intelligitur ex Epiſtola Synodica hujus Concilii apud Harduinum *Tom. I. col.* 822. in qua nullum verbum , quo probetur , idem Concilium ſuorum Decretorum confirmationem Romæ poſtulaſſe . Quin ex contrario manifeſtum fit ex eadem Epiſtola , ad Damaſum Papam, Ambroſium Mediolanenſem , Brittonem Trevirenſem , Valerianum Aquilejenſem Archiepiſcopos , alioſque Antiſtites directa , hanc Synodum ante omnem Romani Pontificis conſenſum pro Œcumenica habitam fuiſſe,
his

his verbis: *Quæ igitur ad fidem attinent, quam apertè prædicamus, in ſumma ſunt hujuſmodi, de quibus amplius animis veſtris ſatisfacere poteritis, ſi tomum Synodi Antiochenæ, & eum qui ſuperiori anno Conſtantinopoli A SYNODO UNIVERSALI eſt editus, inſpicere dignamini.* (*b*) Idem eſt de *CONSTANTINOPOLITANO II.* generali V. cui Pontifex ideo neque ipſe neque per Legatos adfuit, quod non probaret moveri quæſtionem *de tribus Capitulis*, & quidem *in Concilio*. Exſtat equidem apud Conciliorum Collectores, ſignanter Harduinum *Tom.* III *col.* 213. græcè & latinè *Epiſtola Decretalis Vigilii Papæ pro confirmatione quintæ Synodi Œcumenicæ*; ſed imprimis notat Harduinus ipſe in margine: *Suppoſititiam eſſe hanc Epiſtolam, probari à Joanne Garnerio Soc. Jeſu in Notis ad Breviarium Liberati*; deinde quamvis in inſcriptione hujus Decreti, ad Eutichium miſſi, feratur, illud factum fuiſſe ad confirmationem S. Concilii, nullum tamen in eo eſt verbum, ex quo id colligatur; niſi pro Confirmatione Concilii accipiatur *damnatio Trium Capitulorum*, quæ oſtendit Pontificem conſentire Synodi Decreto. Porrò, ne loquitur quidem Pontifex de hoc Concilio, multò minus de damnatione ab eodem facta.

(4) Cæterum de quibuſdam Actis, ad executionem Conciliorum pertinentibus, dici ſine omni præjudicio poteſt, ea facta eſſe ad illorum *Confirmationem*. Sic Concilium Conſtantinopolitanum I. in ſua ad Theodoſium Imp. Epiſtola apud Harduinum *Tom.* I. *col.* 807. petit confirmationem geſtorum ſuorum his verbis: *rogamus igitur Clementiam tuam, ut per literas pietatis tuæ ratum habeatur Concilii decretum*. In fine Concilii Generalis VI. exſtat Lex Imperatoris Conſtantini Pogonati ad Joannem Pontificem ad confirmationem hujus Concilii inſcripta ſub hac rubrica: *Exemplar divinæ juſſionis Juſtiniani Auguſti, directæ ad Joannem Papam urbis Romæ in confirmationem VI. Synodi Conſtantinopolitani*, apud Harduinum *Tom.* III. *col.* 1477. Plura vide apud Ill. Boſſuetium *Lib.* XIII. *cap.* 2. 9. *& ſeq.*

Fieri

Fieri itaque eadem ratione potuit, ut Generalia Concilia, ſi Pontificiam confirmationem petiiſſent, nihil intendiſſent aliud, quam ut impetrarent aliquas litteras eorundem Conciliorum executioni inſervientes, per teſtimonium approbationis Capitis Eccleſiæ. Atque his abundè ſatisfit iis, quæ de Confirmatione Concilii Conſtantinopolitani III. Generalis VI. profert Cardinalis Orſi *de Auctorit. Rom. Pont. Lib.* I. *cap.* XXIV. *Art.* 3. *pag.* 415. *ſeq.*, & de aliis Generalibus Synodis in Libro II. paſſim.

(5) Finaliter triplicem poteſt habere *Confirmatio* ſenſum: (*a*) auctoritatem impertiri: (*b*) ratum habere: (*c*) agnoſcere, quod requiſitæ ſolemnitates fuerint obſervatæ. Non declararunt Patres *TRIDENTINI*, in qua harum trium ſignificationum confirmationem ſuorum Decretorum à Pontifice peterent. Veroſimile eos id diverſis motivis impulſos feciſſe, prout alii pro ſuperioritate Pontificis ſupra Concilium, alii pro dependentia Papæ à Concilio affecti erant. Sic conſenſerint in hanc petitionem *Itali* ſub prima notione Confirmationis: *Galli*, *Germani*, & *Hiſpani* ſub ſecunda & tertia; ita ut ea via concorditer abſolveretur Concilium, quod viginti ferè annis duraverat; atque ut per unitatem Confirmationis declaretur unitas Concilii, ſub tribus Pontificibus Paulo III., Julio III., & Pio IV. celebrati.

(6) Non poſſum, quin hic mea faciam verba laudati Epiſcopi Meldenſis *cit. Lib.* XIII. *cap.* 10. " Libenter quærerem, ludantne nos Synodi, cum abſolutè ac decretoriè „ pronunciant: *Si quis non ita ſenſerit, anathema ſit*. Ac „ nimis profectò ineptiunt, qui hæc anathemata intentari „ reſpondent à Synodis ſub ratihabitione & confirmatione „ futura ipſius Pontificis; at ſaltem audiant has formulas „ ab omnibus Synodis frequentatas, quæ effectum ipſum „ denotant: *Ab Eccleſia projecimus*, *privavimus*, *nudavimus omni dignitate*. Ac rurſus alio modo, *nudatus eſt*, „ *privatus eſt*, *projectus eſt*. Tanquam perfecta re, quam

ipſi

„ ipſi pendere volunt . Poſtremò ſi adhuc hæſitent , eſto
„ illud ab VIII. Synodo decretum , peremptorium haud
„ minus adverſus eorum ſententiam , quam adverſus Pho-
„ tium : *Nos eum inobedientem , & reſiſtentem Sanctæ huic*
„ *& Univerſali Synodo repulimus & anathematizavimus*
„ *atque a tota & Apoſtolica Eccleſia fecimus alienum , per*
„ *datam nobis poteſtatem in Spiritu Sancto A PRIMO ET*
„ *MAGNO PONTIFICE NOSTRO LIBERATORE ET SAL-*
„ *VATORE CUNCTORUM* : quid enim expectant qui ſic
„ pronuntiant ?

§. VI.

Nullus unquam Pontifex auſus eſt de novo diſcutere decreta alicujus Concilii univerſalis .

Econtra Synodi Generales frequenter ad novum examen revocarunt materias & quæſtiones à Summis Pontificibus deciſas .

In Conciliis Epiſcopi jure ſuo diſcernunt & judicant .

Inauditum eſt , aliquod *Concilium Generale* , multò minus *Pontificem* , auſum fuiſſe diſcutere , aut ſub incudem revocare definitiones *præcedentium* Conciliorum , univerſim *pro Generalibus* habitorum ; quin ex contrario , cum eaſdem definitiones tanquam documenta fidei venerarentur , iiſdem ad dirimendas novas controverſias uſi ſunt . Sic Concilium generale Conſtantinopolitanum I. ſuos Canones inchoat præcipiendo , ut definitiones Nicænæ Synodi ſtabiles maneant atque inconcuſſæ . Eadem definitio Nicæna lecta fuit in Concilio Epheſino , ſtatutumque , ut ipſa Actis ejus insereretur . Synodus Chalcedonenſis Conſtantinopolitanæ & Epheſinæ veſtigiis inſiſtens , definitionem Generalium Conciliorum innovat , ſuis Actis infert , & eandem in fronte decreti mox proponendi locat , veluti principium , cui illa innititur . In damnatione *Trium Capitulorum* , lata a quinto Concilio generali , Synodus monet ,

ſe illa damnare, ideo, quod eadem reperiſſet contraria doctrinæ Concilii Chalcedonenſis, addens ſe recipere definitiones omnium Conciliorum præcedentium, nempe Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis, ac damnare, quidquid eadem Concilia rejecerant atque damnaverant. Idem obſervatum noſcitur in Conciliis Generalibus VI. VII. & VIII: Eadem ratione ſcripſit S. LEO M. ad Leonem Auguſtum Epiſt. CXXXII. cap. 3. *Prænoſcat igitur pietas veſtra, hos, quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra ullos, à Sede Apoſtolica profecturos: quia de rebus, quæ apud Nicæam, & apud Chalcedonam, ſicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum: tanquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas*. Adverſa planè diſciplina uſa fuere Concilia reſpectu Pontificiarum Definitionum: has denuò diſcuſſerunt, hoc ſuo tractatu, diſcuſſione & deliberatione ſignificantes, aliter ſe *de his Decretis*, aliter de *Synodalibus Definitionibus* ſentire. Non poterant Concilia generalia I. II. & V. ſubmittere ſuo examini Decreta S. Sedis, cum horum nulla præceſſiſſent de materiis, quæ in iiſdem Synodis definitæ ſunt. Econtra uſus & diſciplina Eccleſiæ, Pontificia Decreta ſuo examini ac judicio ſubjiciendi, ſe ſe plenè manifeſtat in Conciliis III. IV. VI. & ſequentibus.

(1) Ut ex pluribus hujus rei exemplis pauca delibemus, primum deſumemus è Concilio *CHALCEDONENSI*, ex cujus Actione II. apparet, quod licet Leo Pontifex definiviſſet, duas eſſe in Jeſu Chriſto naturas, Divinam & humanam, in Perſona unica, ac ſine ulla confuſione & proprietatum diminutione unitas; nihilominus Synodus hoc caput denuo diſcuſſerit, Pontificis Epiſtolam duntaxat laudando inter Patrum teſtimonia, probantia, Eccleſiam univerſam illuc uſque credidiſſe, duas eſſe Naturas integras, atque unicam in Chriſto Perſonam. Vid. Harduin. *Tom.* II. *col.* 286. *ſeqq.* Scilicet poſtquam ex decreto Concilii, & pro more Synodorum, publicè lectæ eſſent profeſſiones fidei & doctrinæ Patrum circa materiam, de qua agebatur, nempe Con-

Concilii Nicæni, Cyrilli, Leonis Papæ in Epiſtola Synodica ad Flavianum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum contra Eutychetis hæreſim, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, Joannis Chryſoſtomi & Auguſtini, *reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Hæc quæ in LEONIS Epiſtola continetur. *Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt; Apoſtoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit; Cyrillus ita docuit; Cyrilli æterna memoria. Leo & Cyrillus ſimiliter docuerunt; anathema ei, qui ſic non credit. Hæc vera fides. Catholici ita ſapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheſo cur lecta non ſunt? Hæc Dioſcorus occultavit.* Et poſtea: *Magnificentiſſimi judices & Ampliſſimus Senatus dixerunt: Poſt hæc omnia adhuc quis dubitat? Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Nemo dubitat. Atticus reverendiſſimus Epiſcopus Nicopolitanæ Civitatis dixit: Quoniam præſtitit Magnificentia veſtra ſuarum aurium facilitatem cum patientia, precamur (ſi jubeatis) inducias dari nobis, ut intra paucos dies tranquilla mente, & non turbato animo, quæ Deo placent, a Sanctis Patribus ordinentur. Quoniam verò nunc Domini noſtri & Sanctiſſimi Patris & Archiepiſcopi Leonis, adornantis Apoſtolicam Sedem, lecta eſt Epiſtola; oportet verò & beatæ memoriæ Cyrilli Epiſtolam ſcriptam ad Neſtorium, in qua jubet eum conſentire duodecim Capitulis, & hanc dari nobis, ut in tempore diſceptationis parati inveniamur. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Si jubetis dari nobis inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi judices & ampliſſimus Senatus dixerunt: Differatur audientia uſque ad quinque dies, ut inter hos conveniat veſtra ſanctitas ad ſanctiſſimum Archiepiſcopum Anatolium, & communiter de fide tractetis &c.* Ex his intelligitur (*a*) plures Patrum non fuiſſe contentos ſolius Epiſtolæ S. Leonis lectione, ſed & voluiſſe illam Cyrilli ad Neſtorium videre, ut poſt utriuſque collationem in tempore *diſceptationis*

parati inveniantur. (*b*) Atticum Epiſcopum Nicopolitanum cum aliis petiiſſe inducias, ut tranquilla mente, & non perturbato animo, quæ Deo placent, a ſanctis Patribus *ordinentur*. (*c*) Eos, qui ſanam partem tuebantur, non provocaſſe ad unius Leonis auctoritatem, ſed etiam, & æqualiter, ad Cyrilli ſententiam, ibi: *Leo ita docuit, Cyrillus ita docuit*. (*d*) Proinde, dum profitentur, Petrum per Leonem locutum eſſe, aliud non dicunt, quam examinatam à ſe, & cum Patrum ſcriptis collatam ſententiam Leonis inveniſſe conformem doctrinæ *Petri* & reliquorum *Apoſtolorum*, eandem proinde amplectendam eſſe. Confirmantur hæc egregiè ex ejuſdem Leonis Papæ Epiſtola XCIII. ad Theodoretum Epiſcopum Cyrenenſem ſcripta 11. Junii an. 453. atque adeo biennio poſt celebratam Chalcedonenſem Synodum; ubi: *Ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia quælibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum nonnulli diſſenſionum incitati auctore, ad contradictionis bella proſiliunt, ad majus bonum, malum ejus, auctore totius bonitatis diſpenſante, perventum eſt*. Loquitur S. Papa de ſua ante Concilium definitione in cauſa hæreſis Eutichis ac Neſtorii; & deinde ſic proſequitur, referendo, qualiter eadem cauſa per Epiſcopos fuerit examinata: *Ipſa quoque veritas*, inquit, *& clariùs reniteſcit, & fortius retinetur, dum, quæ fides prius docuerat, hæc poſtea examinatio confirmaret. Multum denique ſacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc ſe accipit exerendi fiducia, ut vincatur adverſitas: ne, quod per ſe probatur reprobum, ſilentii præjudicio videatur oppreſſum*. Medio ſanè meridie cœcutiat, qui in his non intelligit ſolemnis Pontificii decreti in materia fidei Conciliarem diſcuſſionem, ſeu *examen* ad indagandam firmandamque *veritatem* inſtitutum, *con-*

ſen-

ſenſum ab *aſſentatione* diſtinctum, eumque cum plenaria *libertate*, præſtitum.

(2) Quamvis notabile ſit hoc exemplum, propter inſignem S Leonis famam, ſequens tamen gravius eſt, deſumptum ex Actis Concilii *CONSTANTINOPOLITANI*, generalis VI. ab Actione IV. ad XVII. Ex quibus liquet, Agathonem Pontificem in Romana CXXV. Epiſcoporum Synodo diſcuſſiſſe quæſtionem, *An duæ ſint in Chriſto voluntates*, eamque definiviſſe; & nihilominus Concilium generale eandem rurſus tractat, atque definit, quaſi neque tractata, aut definita fuiſſet, apud Harduinum *Tom.* III. *col.* 1074. *& ſeqq.* præſertim 1115. 1142. *ſeqq.* Meretur hoc eo majorem attentionem, quod Agathonis definitio vim omnem ac pondus habeat, quæ Definitioni *ex Cathedra* maximè ſolemni competere poſſit; nulla eſt enim ex iis, quæ hoc nomine donantur, quæ auctoritate 125. Epiſcoporum Pontifici junctorum fulciatur. Nimirum, quo ritu & ordine S. Cyrilli & S. Leonis Epiſtolæ in tertia & quarta Synodis eodem ordine rituque S. Agathonis in Synodo ſexta probantur Epiſtolæ: hac formulà: *Paulus magnificus à ſecretis dixit: Dicat Georgius Archiepiſcopus hujus Regiæ urbis, & qui cum eo &c. Si convenit ſenſui ſuggeſtionum directarum ab Agathone Sanctiſſimo Papa, & ſua Synodo. Georgius dixit, inſpiciens omnem virtutem* [id eſt, ſignificationem ac vim] *earum litterarum, & ſcrutans libros ſanctorum probabilium Patrum: cuncta, quæ continent, inveni conſonantia eis, & ſic profiteor & credo.* Alii: *Inveni in nullo eas à Sanctis Patribus diſcrepare, & conſentio &c.* In eum ſenſum omnes ſingulatim dicunt; nec niſi eo examine probatæ ſunt Epiſtolæ S. Agathonis & Romanæ Synodi. Vid. Harduinum *l. cit. col.* 1155. *ſeqq.* At *inquis*: Sancto Pontifici explorata erant omnia, igitur in tanta certitudine nullus quæſtioni, nullus examini quale nos aſſerimus, permittebatur locus. Qui hæc objiciunt, non videntur ſatis percipere, quid ſit examen in negotio fidei, præſertim dum de ſummis & præcipuis Chriſtianæ religionis dogmatibus agi-

agitur. Neque enim aut Patres Nicæni, cum de Arianis quærerent, de Filii divinitate ambigebant: ſed, quam ab ea fide Ariani abeſſent, quibuſque ſententiis ac verbis inſanus error confutandus eſſet. Neque Epheſini, cum de Neſtorii & Cyrilli, atque adeo de Cœleſtini fide inquiſitio fieret, ipſi de fide dubitabant; ſed rectene, an ſecus, illi fidem expoſuiſſent. Neque item Chalcedonenſes ullo modo dubitabant, quis eſſet Chriſtus, Deuſne ac homo verus, an confuſis Naturis quid tertium: id ſanè non quærebant, ſed verene & ex communi Patrum & Eccleſiæ ſententia tantum ſacramentum Leo exponeret. Et utcunque Leoni certum eſſet, a ſe rectè & *pleniſſimè* fidem expoſitam fuiſſe; nihilominus Epiſcopi, ad quos perlata erat Leonis Epiſtola, tam in-quam extra Concilium, ejus ſenſum quiſque cum ea fide componebat, quam ipſi à Patribus accepiſſent, neque hunc aliter, quam ex certa & expreſſa diſquiſitione acceptabant. Confer infrà *hoc §. n. 6.*

(3) Ultimum exemplum à nobis modo adferendum vel ob eam quoque cauſam haud modicum habet gravitatis, quod ejus ſit ævi, quo Pontificis Infallibilitas in Definitionibus *ex Cathedra* aſſeri jam coeperat. Illud depromitur ex diplomate LEONIS X. adverſus errores Lutheri, & ex Actis Concilii Tridentini. Ex Pontificio Decreto patet, idipſum poſt deliberationem, tractatum, ac diſcuſſionem, tanto negotio parem, factum fuiſſe, Pontificemque præviè excepiſſe ſententiam Cardinalium, & complurium aliorum virorum inſignium: puta ſuperiorum Generalium, Priorum Regularium & Doctorum ſive in Theologia, ſive in utroque Jure. Et nihilominus ex Actis Tridentini cum Bulla Leonis collatis manifeſtum eſt, ſynodum rurſus & ab integro diſcuſſiſſe errores à Pontifice jam damnatos.

(4) Suſtinet Cardinalis Orſi *de Rom. Pontificis auctoritate Lib. I. cap. X. Art.* 2. & alibi ſæpius, eſſe aliquam rerum a ſummo Pontifice definiendarum diſcuſſionem, quæ cum ineluctabili ipſius in fidei dogmatibus definiendis auctoritate conciliari optimè poſſit: ejuſmodi autem inter alia opinatur

natur, quam Epheſini Patres adhibuerunt in Concilio Generali tertio circa Decretum Cœleſtini Papæ adverſus Neſtorium: " Inſtituitur, inquit vir Eminentiſſimus, aliquando
„ de rebus fidei collatio & inquiſitio, non ut aliquid, quod
„ adhuc lateat, certum fixumque eruamus, ſed ut illud ma-
„ jori luce donetur; utque firmis etiam rationibus tenea-
„ mus, quod ſola auctoritate tenemus; vel etiam ut non
„ ipſi nos in veritate firmemus, ſed ut aliis conſulamus,
„ & qui ad amplectendam de aliquo fidei dogmate Apo-
„ ſtolicam definitionem, Pontificiæ auctoritatis pondere
„ non ſatis inclinantur, eo ſaltem illos perſpicuis ex ſa-
„ crarum Litterarum, aut Patrum, aut Conciliorum ora-
„ culis ductis argumentis compellamus. Hujuſce rei (ad-
„ dit) illuſtre habemus documentum in celebri illo Apo-
„ ſtolorum Hieroſolymitano Concilio, quod aliorum for-
„ ma exiſtit & exemplar. Quum enim Petrus certam de
„ re, quæ in quæſtionem vocatur ſententiam pronuntiaſ-
„ ſet, eam deinde Jacobus ad Scripturarum amuſſim, &
„ Prophetarum oracula exegit; non quidem, quod Pe-
„ tri definitionem haud ſatis ſuo pondere firmam & im-
„ mobilem judicaret, ſed ut, quos Petri auctoritas non
„ moveret, in eandem ſententiam veterum Scripturarum
„ auctoritate pertraheret. " Idem Cardinalis ſcripſit amplam Diſſertationem *de Modo conciliandi ſummam Romani Pontificis auctoritatem cum libertate ſuffragiorum in Synodis Œcumenicis*, quam Tomo I. majoris ſui Operis ſubjunxit. Hujus lucubrationis Summa tota quanta in hoc redit: " Ut Epiſcopi in generalibus Synodis juſtam notitiam accipiant conditæ à Romano Pontifice legis, hu-
„ jus æquitatem, rationes, & momenta cognoſcant, atque
„ ita tum auctoritate ſummæ Sedis munita, tum lumini-
„ bus illuſtrata, & Zelo incenſa, omnia poſſit adverſus
„ impios & perduelles pro religione & veritate: *in hoc*, ait,
„ *vere Synodi libertas poſita eſt*. " Vid. *pag. 66. & 67.*
Verum imprimis gratis ſupponitur, unius Petri auctoritate quæſtionem de Legalibus *deciſam*, *terminatamque* fuiſſe

fuiſſe. Emanavit profectò Synodale concluſum *omnium Apoſtolorum & Seniorum* nomine ac iure; licet Petrus, tanquam Primas, primus ſententiam ſuam protulerit; quam cùm reliqui Apoſtoli prævia diſquiſitione veritati & Scripturis conformem inveniſſent, ſuum ei calculum addiderunt. Vid. ſuprà *cap. I. §. 7. n.* 3. Dein abſonum foret dicere, vel ſolum cogitare, toties univerſalium Conciliorum coactione totum orbem Chriſtianum concuſſum fuiſſe, eo præcipuè fine, ut quod ſinguli jam ante *Pontificia eaque ineluctabili auctoritate tanquam de fide* domi tenebant, dein rationum momentis, Sacræ Scripturæ oraculis, vel Patrum ſententiis firmatum peregrè perciperent; & ad id percipiendum aliquot Epiſcoporum centurias ex longiſſimè diſſitis regionibus, ex Occidente in Orientem, & viciſſim, proprios greges deſerendo, cum ingenti ſumptu in pauperum & Eccleſiarum præjudicium, commigraſſe; quaſi de his omnibus non potuiſſent per litteras Encyclicas, aut aliis commodioribus viis fideles erudiri; cum tamen nemini fas eſſet dubitare de veritate Pontificii oraculi, ad ipſos jam antè delati. Vix liciti eſſent tales conventus, cum mala quæ ab iis provenirent, bonis penſari non poſſent. Quantum ab hac ſiniſtra interpretatione diſtat conſtans Diſciplina Conciliaris! Hæc docet in Synodis quidem actum fuiſſe rationibus, ſcripturarum allegationibus, & Patrum ſententiis, nihilo tamen ſecius eorundem Epiſcoporum, qui his armis certabant, *diſcuſſione*, *deliberatione*, *votis*, *ſententiis*, ac *conſenſu* cauſas, de quibus agebatur, eſſe *definitas*. Vid. ſuprà §. I. *n.* 9. Interim his & ſimilibus minutiis blandiuntur ſibi Itali, disjecta eſſe validiſſima præſidia, quibus incomparabilis ille ſanctæ Religionis noſtræ Defenſor Boſſuetus, & alii viri, docti non minus quam pii, libertatem Eccleſiæ invictè tuentur; quando ex contrario ſapientiores & præjudiciis vacui putant, hoc eſſe in re valde ſeria ludere, vel propriis oculis ſponte velum objicere eo fine, ut incautis pro *Libertate* Canonica imponatur *Servitus* ordini Epiſcopali indigna,

ſacris

ſacris Litteris & Traditioni adverſa, ſicque forma ſacri regimini à Chriſto inſtituta evertatur.

(5) Quod in ſpecies ad Concilium Hieroſolymitanum (ad quod Cardinalis Orſus tam confidenter provocat) attinet, juvat hìc legere, quid de eo ſentiat & ſcribat ejuſdem cum illo Dominicanorum inſtituti Alumnus & graviſſimus „ Theologus Melchior Canus, qui Romanis hac in cauſa omnium minimè ſuſpectus videri poteſt. Is de Locis Theologicis Lib. V. cap. 5. pag. m. 161. *Apoſtolis* (ſicque inter hos Petro, ait) *& Presbiteris in Synodum Hieroſolymitanam congregatis non ſtatim revelatum eſt, quid eſſet in fidei cauſa DECERNENDUM, ſed facta eſt prius, ut Lucas ait, MAGNA CONQUISITIO.*

(6) Pergit deinde doctiſſimus Canus, in confirmationem eorum, quæ nos de Conciliari *Diſquiſitione* expoſuimus: „ In Nicæna Synodo, ut Rufinus tradit, per ſingulos dies „ agitabatur conventus: nec facilè aut temere de re tanta „ ſtatuere audebant Patres. Evocabatur frequenter Arius „ in Concilium, & aſſiduo tractatu aſſertiones ejus diſcu- „ tiebantur, & quid adverſum hæc teneri deberet, aut „ ſtatui, ſumma cum libratione quærebatur. Ita poſt „ diutinum multumque tractatum firmiſſima omnium „ ſententia Arius condemnatus eſt. Ex quo perſpicuum „ eſt, non dormientibus & oſcitantibus Patribus Spiritum „ Sanctum aſſiſtere, ſed diligenter humana via & ratione „ quærentibus rei, de qua diſſeritur, veritatem. “ Sic actum in Conciliis Generalibus, quibus nullæ præluſerunt Romanorum Pontificum Decretales; nec aliter proceſſum in illis, quæ ſecuta ſunt eorundem Pontificum declarationes circa eas fidei quæſtiones, quæ deinde conſtituerunt objectum deliberationis in ſimilibus Synodis. Plura dicemus infrà §. 8.

(7) Cum Epiſcopi auctoritate ſibi divinitùs commiſſa *ſinguli* extra Synodos de rebus fidei cognoſcant & *judicent*, uti *cap. IV.* §. 2. probavimus, indignum videtur Chriſtiano

S f exi-

exiſtimare, eoſdem *univerſos*, in Œcumenicis Conciliis congregatos non æque *Judicum* munere atque auctoritate fungi. *Epiſcopos in Conciliis non Conſiliarios eſſe, ſed Judices*, adverſus Hæreticos ipſe probat Bellarminus Lib. I. de Conciliis cap. 18. Poſt hæc prudens firmumque judicium formari poterit de disjunctiva propoſitione Illuſtriſſimi de Marca de C. S. & I. Lib. V. cap. 7. n. 2. ſcilicet: *Si ſummam in cenſendo & definiendo poteſtatem Romano Pontifici tribuamus, perit libertas ſuffragiorum. At conceſſa ſuffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter Romanum Pontificem & cæteros Epiſcopos, quod multum de ſumma ejus dignitate detrahit*. Invictum manet inconcuſſumque principium, fruſtra convocari Generales Synodos, ſi tota auctoritatis Eccleſiaſticæ & definiendæ veritatis ratio in uno Pontifice conſiſtat. Qui ſic ſentiunt, uno illo argumento attoniti, veluti palabundi in diverſa fugiunt; ſed undique præcipitia. Quidquid eis perfugii ſupereſſe videtur, illud obſtruximus ſupra §. 1. *num.* 9.

(8) Andreas Epiſcopus Magorenſis Hiſpanus, inclytus in Conſtantienſi Synodo Orator, Libro, quem inſcripſit *Gubernaculum Conciliorum*, quemque Cardinali Juliano in Baſileenſi Concilio præſidenti anno 1435. obtulit, *Part. I. cap.* 2. apud Hermannum von der Hardt Act. Conc. Conſtantien. Tom. VI. Part. 3. pag. 148. ſeq. ita differit: „ Papa poteſt peccare, Ergo ipſe ſubjicitur legi Evangelicæ. Quia ait Apoſtolus: *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Subjicitur ergo, in quantum peccator, correctioni fraternæ, juxta præceptum Chriſti, qui ait: *ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres, & ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Ergo Eccleſia ſecundum Chriſti Jeſu Evangelium ipſum poteſt arguere, judicare & condemnare: Ergo eſt major, quam Papa in poteſtate . . . . , Non eſt poſſibile ſecundum fidem

Jeſu

„ Jeſu Chriſti, quod Papa poſſit quacunque poteſtate a
„ Chriſto ſibi tradita arguere, corrigere, judicare, aut
„ condemnare ſacrum Concilium, quod repræſentat uni-
„ verſalem Eccleſiam, quæ regitur Spiritu Sancto, & quæ
„ eſt ſine peccato, & ſine macula ante thronum Dei.
„ Quia nullus punitur, niſi propter culpam, quam ha-
„ bere non poteſt univerſalis Eccleſia. Et tamen, ut di-
„ ctum eſt, Papa poteſt errare & peccare, & judicari &
„ condemnari per Concilium. Ergo major eſt poteſtas
„ Concilii, quam ſit Papæ Romani.

§. VII.

Concilia Generalia abſolutè neceſſaria eſſe, Eccleſia ſæpius agnovit.

Ea frequentius haberi optat Eccleſia, & Canones præcipiunt.

Sed inſtemus paulò amplius neceſſitati congregandorum univerſalium Conciliorum, propter indeclinabilem in materiis fidei auctoritatem *illis ſolis* inhærentem. Dixerat, & rectè dixerat, Meldenſis Epiſcopus Boſſuetius: *Quorſum attinebat, ab ultimis orbis partibus cieri Epiſcopos tantis laboribus tantiſque ſumptibus, & Eccleſias Paſtoribus viduari, ſi totum erat in Romano Pontifice poſitum*? Adverſus hæc regerit Eminentiſſimus Orſus *cit. Tom. II. pag.* 334. “ Non id ex nobis quærant, non
„ ex Romanis Pontificibus, Silveſtro, Damaſo, Cœleſtino, Aga-
„ thone, Hadriano, qui nuſquam indicant, poſt Apoſtolicæ
„ Sedis decreta opus fuiſſe Œcumenicis Synodis, ut hæreſes
„ indeclinabili auctoritate confoderentur. Non item ex Magno
„ Leone quærant, qui quamquam ad reſarciendas Orientis ja-
„ cturas poſt Epheſinum Latrocinium Œcumenicam Synodum
„ poſtulavit, tamen antea Synodi celebrationi totis viribus in-
„ tercеſſerat, ratus ſuæ ad Flavianum Epiſtolæ ſatis ineſſe ro-
„ boris ac momenti ad Eutychianam hæreſim profligandam.
Non

„ Non ergo ex nobis, non ex Romanis Pontificibus, ſed ex „ Orientis Imperatoribus, & Regiæ urbis Epiſcopis quærant, „ cur poſt Apoſtolicæ Sedis decreta *per univerſum Occidentem, & maximam Orientis partem recepta*, voluerint tantis labori„ bus, tantiſque ſumptibus Synodos Œcumenicas celebrari? „ Et ſi quidem reſponderint, quod non aliter potuerint ſolem„ nia illa Romanæ Sedis decreta, toto jam ferè orbe ſuſcepta, „ invictum auctoritatis robur obtinere; eorum reſponſio jam „ non illam, quæ nobis peculiaris eſt, ſed quæ etiam Gallicanis „ Epiſcopis communis eſt, doctrinam atque ſententiam labefa„ ctabit. Quare aut fateri debent adverſarii, hoc argumento „ non probari Conciliorum generalium, ad facienda fidei „ dogmata, & profligandas hæreſes, abſolutam neceſſitatem; „ aut eo demonſtrari, quod neque accedente majoris partis „ Epiſcoporum, & eorum moralis unanimitatis conſenſu, irre„ formabile evadat Apoſtolicæ Sedis de fidei controverſiis judi„ cium. " Singulare profectò ratiocinium! Quaſi celebratio primarum generalium Synodorum fuiſſet privatum ſeu particulare attentatum Imperatorum Orientis, & Epiſcoporum urbis Conſtantinopolitanæ, adverſus authoritatem, & infallibilitatem Romani Præſulis: quaſi eorundem Conciliorum Acta non eſſent factum Univerſalis Eccleſiæ: demum, quaſi idem Univerſalis Eccleſiæ geſtum, non ſemel aut bis, ſed toties repetitum, quoties Generalia Concilia habita fuerunt, non ſit apertum documentum conſtantis diſciplinæ ejuſdem Univerſalitatis circa medium finaliter terminandi implexas & tumultuoſas fidei controverſias. Itaque ſi conſequenter voluiſſet loqui Eminentiſſimus, debuiſſet dicere: *Non ex nobis, ſed ex Univerſali Eccleſiâ, quærant, cur ea poſt Apoſtolicæ Sedis decreta voluerit tantis laboribus, tantiſque ſumptibus in Oecumenicis Synodis coire &c.* Quod autem ad retorſionem in Gallicanorum Epiſcoporum ſententiam attinet, ea (ſuppoſito, quod olim etiam exiſtimatum fuerit, diſperſorum per orbem Epiſcoporum ſententiis, cum Romani Pontificis judicio conſpirantibus, eandem vim eſſe, quæ Conciliari concluſo ab omnibus agnoſcitur, de quo mox diſquiremus] vim argumenti nullatenus debilitat; ſed imprimis

primis ſupponit & firmat (quod hìc interim notari cupimus) tunc communiter & univerſim talem cum Papa concordantem non congregatorum Epiſcoporum ſententiam pro *finali* judicio habitam non eſſe . Cæterùm in convocatione octo primorum Conciliorum Generalium non tam attendebatur ad numerum Epiſcopòrum Pontifici novam hæreſim damnanti adhærentium, quàm ad cauſæ difficultatem , & ad tumultum , quem perverſa illa doctrina in Eccleſia excitaverat , aut movere pergebat, quique non putabatur aliter tolli poſſe , aut Imperatoriâ poteſtate priùs comprimi debere , quàm articuli fidei , de quibus agebatur , eâ authoritate definiti fuiſſent, quæ ab omnibus , & in omni caſu , *pro irrefragabili* haberetur .

(1) Vel non cogitabatur tunc de ea , quæ hìc objicitur , quæque hodie in Scholis tractatur , quæſtione : vel non putabatur rei Catholicæ conſultum , in ſpinoſam illam indâgationem , an ſufficiens ad conſtituendam Univerſalitatem adeſſet numerus Epiſcoporum Pontifici adhærentium , ſe ſe intromittere , atque interim certum & naturale Conciliorum remedium differre aut negligere .

(2) Addit tamen ſæpe laudatus Cardinalis Orſi poſt Bellarminum , & Melchiorem Canum : eo demum caſu Oecumenica Concilia deſiderari poſſe , quo res adeo implexa eſt , & tot altercationum nebulis involuta , ut ad eam certo judicio terminandam *Pontifex ipſe* ſibi opus eſſe judicet non modò domeſticæ ac ſibi jugiter adhærentis , verùm & plenioris , imò & generalis Synodi conſultatione . Verùm ſi ad hæc reſtringitur uſus & neceſſitas generalium Conciliorum , certè ſupervacua fuiſſe dicenda ſunt (quod tamen ſine impietate ferè dici non poteſt) octo illa priora Generalia , de quibus hoc Capite frequens mentio occurrit ; quippe quorum nullo Pontifex hac ratione hocque fine uſus eſſe noſcitur ; quin ex contrario aliqua eorum ſine Pontificis voluntate coadunata leguntur .

(3) *Mos*

(3) *Mos antiquus habuit, quòd omnia negotia difficilia terminabantur per Concilium; & crebrò fiebant. Poſtea verò quidam ſummi Pontifices, qui magis ad modum terrenorum Principum, quam Apoſtolorum, rexerunt, non curârunt facere Concilia; ex qua omiſſione prodierunt multa mala.* Ita Card. Zarabella Archiepiſcopus Florentinus Tract. de Schiſm.. apud Schard. pag. 242. edit. an. 1609. Itaque juxta eorum ſententiam, qui Eccleſiam Dei more terrenorum Principum regere amant, celebratio Oecumenicorum Conciliorum minimè erit neceſſaria; ſecundùm morem antiquum, & inſtitutum Chriſti, Eccleſia illis eget. Quid cuique Reipublicæ maximè conveniat, imò pro ejuſdem conſervatione neceſſarium ſit, longa rerum experientia attentos ac prudentes monet. Hac edocti Patres Concilii Conſtantienſis Seſſ. 39. ſequentia declarant: *Frequens Conciliorum generalium celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſium, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimam fertilitatis adducit; illorum verò neglectus præmiſſa diſſeminat atque fovet. Hæc præteritorum temporum recordatio & præſentium conſideratio ante oculos noſtros ponunt.*

(4) Si neceſſe eſt, *ut veniant ſcandala*, ùt dicit Dominus Matth. XVIII. v. 7. & *oportet eſſe hæreſes*, ùt Apoſtolus ait 1. Cor. XI., v. 19. neceſſe etiam eſt, ut in Eccleſia ſit *certum* & *ultimatum* aliquod judicium, quo & ſcandala frequenter pullulantia tollantur, & enatæ ſubinde hæreſes damnentur; alioqui brevi tempore Eccleſia univerſa in partes ſcinderetur & periret. Nam omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. Diſſenſiones circa res *Fidei* nullâ meliori ratione, quàm per Generale liberum Concilium è medio tolli poſſe, etiam Receſſibus Imperii Romano-Germanici declaratum eſt. Vid. R. I. an. 1524. §. 28. an. 1525. §. 5. & 6. an. 1526. §. 1. an. 1529. §. 1. an. 1548. §. 4. & ſeq. an. 1551. §. 10. Adde Gibert. *Corp. Juris Canon. Tom. I. in Prolog. Sect. IV. pag. 6. ſeqq.*

(5) Porro

(5) Porro ad elucidationem, aut veriùs refutationem eorum, quæ *num.* 2. ex Melchiore Cano, Bellarmino & Orſo propoſuimus, apprimè ſervit ſequens clariſs. Giberti *l.cit. p.* 169. obſervatio: „ Infallibilis conſilio non indiget; quis ejus „ judicium improbare abſque temeritate audeat vel poſſit; „ niſi forte ii, qui Pontifici infallibilitatem largiuntur, „ eam naſci dicant ſolùm poſt Epiſcoporum adprobatio- „ nem, quo in caſu neceſſe erit, eos prætcrea confiteri, „ Pontificem ejuſmodi prærogativam à Concilio habere. „ Verùm ſi hæc nobis concedant, tollunt ſimul neceſſita- „ tem explorandæ mentis Pontificiæ circa uniuſcujuſque „ Decreti argumentum, ubi Legatos habet in Concilio; „ nihil quippe foret in ſuffragio Pontificis, quo tanquam „ certâ regulâ Patres aſtringerentur; verùm ſufficeret Le- „ gatos audire, quemadmodum aliorum Epiſcoporum „ Procuratores audiuntur, qui, cùm ſpeciali documento „ ſeu inſtructione non egeant circa ſingula Capita ſpecia- „ lia, quæ Synodus diſcutit, ſed generale mandatum pro „ omnibus in Concilio gerendis afferant; nihilo-magis ne- „ ceſſarium eſt, ut Legati Pontificii ſpeciales habeant in- „ ſtructiones circa ſingulas quæſtiones in Synodo diſcutien- „ das. Adjice id ſæpe impoſſibile eſſe, cùm multæ quæ- „ ſtiones incidant, quæ prævideri nequeunt, ſufficit au- „ tem eos generalem facultatem habere ad tractanda omnia, „ quæ in Concilio proponerentur.

(6) Genuina hæc principia ſectatus HADRIANUS VI. Papa, antiquæ probitatis vir, errorum Lutheri condemnationem, à Leone X. anno 1520. factam, non allegavit, ſive cùm Fridericum Saxoniæ Ducem per literas hortatus eſt, ne Lutherum, quem verbis alioqui durioribus appellat, in fidem ſuam reciperet, aut illius erroribus patrocinaretur: ſive cùm Franciſco Cheregato Oratori ſuo in Germaniam eunti mandata dedit eo conſilio, ut Germaniæ Principes & populos in Catholicæ Eccleſiæ communione retineret, vel ad eam illos, qui deſeruerant, revocaret. In his autem mandatis ſic loquitur: „ Et certè „ fate-

„ fatemur Luthero “ (qui ſe inauditum à Leone X. condemnatum eſſe querebatur) „ defenſionem negari non debere in his, quæ ſunt facti, hoc eſt, utrùm dixerit, nec „ ne, utrùm prædicaverit, vel ſcripſerit, nec ne; ſuper „ divino jure & materia Sacramentorum *ſtandum auctoritati Sanctorum & Eccleſiæ*. Adde, quòd ferè omnia, „ in quibus Lutherus ab aliis diſſentit, ſunt per *diverſa* „ *Concilia* prius reprobata. Non debet autem revocari „ in dubium, quòd *per Generalia Concilia & univerſam* „ *Eccleſiam* conſtat eſſe approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam namque facit *Eccleſiæ Synodo*, qui ſemel ritè diſpoſita nititur in dubium revocare. Quid „ enim unquam certi eſſe poterit inter homines, vel quis „ dubitationum contentionumque finis erit, ſi præſumptuoſo & perverſo cuique libertas ſeu licentia erit recedendi ab iis, quæ non unius aut paucorum, ſed tot „ ſæculorum, & tot ſapientiſſimorum hominum conſenſu, *& Catholicæ Eccleſiæ*, quam Deus in his, quæ ſunt „ fidei, nunquam errare permittit, *determinatione* ſancita „ ſunt.

(7) Imbutus hac doctrinâ CLEMENS VII. ad convocandam Synodum animum appulit, & in literis, quas eâ ſuper re ad Franciſcum I. Regem Galliæ anno 1533. ſcripſit, illam eſſe remedium unicum à deceſſoribus uſurpatum affirmat. „ Superiori, inquit biennio, ſicut tua Majeſtas recordari „ poteſt, cùm Sereniſſimum Cæſarem, quanquam pro „ ſua inclyta pietate omnia conatum, tamen in conventu „ Auguſtano nihil remedii ad hæreſim Lutheranam in Germania tollendam præ illorum obſtinatione afferre potuiſſe audiremus, *ſolumque Concilii generalis remedium* „ à noſtris prædeceſſoribus in caſu ſimili uſitatum, & ab „ ipſis Lutheranis poſtulatum, ſupereſſe videremus, habitâ ſuper hoc cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. „ E. Cardinalibus maturâ deliberatione, ad ipſius Concilii Generalis indictionem in Italia, & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tuæ Majeſtati,

„ ſtati, ſicut Cæſaris, & cæteris Principibus ſignificandum „ communicandumque duximus. “ Conſonat PAULUS III. in ipſa convocatione Tridentini Concilii, anno 1544. ubi hæ tres generalis Concilii habendi cauſæ memorantur: *ad tollenda in religione diſſidia, ad reformandos mores, ad ſuſcipiendam contra infideles expeditionem. Quorum,* inquit, *trium Capitum cauſâ, Concilium maximè eſſe neceſſarium ſemper duximus.* Joannes Launojus *Lib. III. Epiſt.* 4. producit Romanorum Pontificum XXXVI. teſtimonia, quibus Conciliorum non modò utilitas, ſed etiam neceſſitas, identidem comprobatur.

(8) Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in Canonibus reformandi Eccleſiam Kal. Novemb. an. 1416. in Concilio Conſtantienſi oblatis Cap. I. apud Hermannum von der Hardt *Act. Concil. Conſtant. Tom. I. Part.* 8. *pag.* 412.: „ Si Concilia ſæpius celebrata fuiſſent, veriſimile eſt, quod „ hoc nefandum ſchiſma non tam diu perduraſſet, nec „ fortè ſchiſma Græcorum. Unde hujuſmodi ſchiſmatibus debuiſſet citò per Concilium generale provideri. „ Ut in primitiva Eccleſia docuerunt Apoſtoli, prout legitur *Actorum VI.* quod, quia ortum murmur Græcorum adversùs Hæbreos &c., ſtatim XII. Apoſtoli ipſum „ convocatâ multitudine ſedaverint. Similiter *Act. XV.* „ ortâ diſſenſione propter obſervantiam legalium, ſtatim „ Paulus & Barnabas aſcenderunt ad Apoſtolos in Hieruſalem. Unde patet, quàm damnabiliter peccaverint illi, „ ſeu Principes, ſeu Prælati, qui pro ſedatione hujus „ ſchiſmatis, convocationem Concilii neglexerunt aut impediverunt. “ Addit deinde Cardinalis Cameracenſis: „ Item aliqui ſunt caſus ardui neceſſariò reformandi, in „ quibus non poteſt commodiùs quàm per generale Concilium provideri. Sicut patet primò de reformatione „ Curiæ Romanæ, quæ, ùt infrà dicetur, neceſſaria eſt. „ Et tamen non niſi per generale Concilium fieri poteſt. Et

„ ideo non debet Romana Curia indignari, ſeu reſpuere „ à generali Concilio reformari. Sicut nec contempſit à „ generali Concilio plures ſui principatûs-honores recipe- „ re. Quia licet principaliter Romana Eccleſia principa- „ tum habuerit à Domino, tamen ſecundariò à Concilio, „ ùt dicit Gloſſa *Diſt. XVII. ſuper cap. 6.* " Sed hoc po- ſterius ad materiam *Diſciplinæ* pertinet, de qua pluribus „ agemus *§. 12. h. cap.*

(9) Sicuti Generalia Concilia in quibuſdam occurrentiis, juxta humanæ conditionis fragilitatem non rarò obvenientibus, neceſſaria ſunt, ita *frequens* eorundem celebratio Spiritui Eccleſiæ & Canonicis Sanctionibus conformis eſt. „ Inter varia Statuta à Conſtantienſibus Patribus edita, *ni-* „ *hil ſapientius utiliuſque* proviſum ordinatumque fuerat, „ quàm ut frequentia haberentur Cuncilia Generalia, in qui- „ bus, ut ipſi ajebant, *hæreſum errores, & ſchiſmatum* „ *vepres & tribuli exſtirparentur*, *exceſſus corrigerentur*, „ *deformataque reformarentur*; ſicque excultus Domini- „ cus ager frugem ubberrimæ fertilitatis produceret; unde „ ſolemni ſanxere decreto, uti aliud Concilium poſt quin- „ quennium à præſentis Conſtantienſis fine computandum „ Papiæ celebraretur; indeque tertium ſeptennio elapſo, „ à ſummo Pontifice & Concilio pariter indicendum in „ qua mallent civitate; ac deinde *de decennio in decennium.* „ Abſoluto itaque anno 1418. Conſtantienſi Concilio, Pa- „ pienſe conſequenter anno 1423. inceptum eſt, quod „ propter vigentem ea in urbe peſtem translatum eſt in „ Senenſem civitatem. Quo ſequenti anno 2. Martii fini- „ to, indictum in ſeptennium eſt Baſileenſe anno 1431. „ die 3. Martii inchoandum &c. " Ita Martene & Durand *Collectionis ampliſſ. Tom. VIII. in Præfat. num. 2.*

Concil. Conſt. Seſſ. 39.

§. VIII.

§. VIII.

Parum firma eſt illorum ſententia , qui à plurima parte Epiſcoporum , definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhærentium , ultimatum & irrefragabile judicium conſtitui exiſtimant .

In eorum ſententia , qui ſupponunt , omni tempore id in Eccleſia receptæ Diſciplinæ fuiſſe , ut plurima parte Epiſcoporum ſentiente cum Romano Pontifice , de rebus fidei decernente , non multis ex adverſo ſtantibus , cauſa *pro demum finita* haberetur , nihil argumento , à Conciliis generalibus petito , quod adverſus Pontificiam prætenſionem præſenti Capite urgemus , decedit . At nos (quod hic incidenter , nec tamen ſine fructu , in illud , quod de vero & ultimato controverſiarum fidei Judice tractamus , argumentum redundante , monitum ſit) irrefragabilem , & talem , quæ pro formando *articulo fidei* deſideratur , certitudinem in illorum ſententia non deprehendimus . Sanè *ultimatum* illud & à Divinitate participans inerrantiæ privilegium non tam *ſingulis* , quam *Corpori* , atque adeo Œcumenicis Conciliis , reſervatum videtur , quibus omnino convenit illud Chriſti promiſſum : *Ego VOBISCUM ſum* . Nimirum *Quod dixit : Ego vobiſcum ſum , UNIVERSÆ promiſit Eccleſiæ* , ait S. AUGUSTINUS . Hæc fuit ſententia Patrum Concilii Senonenſis anno 1528. , dum Decret. III. de Fide ita diſſerunt : *Quod ſi ubi duo vel tres in nomine Domini CONGREGANTUR, (LICET SIBI IPSIS RELICTI FALLI POSSINT) continuò tamen in medio eorum ſit Dominus ; quantò magis , ubi ſummus Pontifex , cæterique Primores Eccleſiaſtici conveniunt , ut hæreſibus ſubinde pullulantibus occurrant , & Dominicum agrum ſubortis expurgent zizaniis ?* Sic promiſſum Salvatoris noſtri intellexit ſincera antiquitas, quæ per octo ſæcula non novit alium modum, *pertinacium* circa res fidei in Eccleſia motuum *finaliter* componendorum , quam Conciliorum auctoritatem . Quæ autem per tot ſæcula habita ſunt pro genuina norma *ultimato* finiendarum

controverſiarum fidei , ea ſic in formam Eccleſiaſtici regiminis videntur influere, ut convelli minimè debeant opinione olim ignorata, qua in convocationes Conciliorum, Majoribus noſtris tam ſacras convocationes, & hodienum omnium bonorum votis expetendas, recentiores inſurgere nituntur.

Neminem fugit, quantum interſit inter *ſingularia* ac *diſgregata* plurium judicia, licet de cætero in idem colliment, & inter *Collegiale* concluſum. Tanta eſt, & omnium animis quaſi innata hæc differentia, ut nulla ſocietas, nulla natio, nullum ævum hactenus pro vero & legali judicio agnoverit ſententiam, aliter quam a *congregatis* Senatoribus conceptam & latam. Scilicet quiſque Senatorum domi ſuæ ex *privato* ſenſu judicat de re & objecto, de quo quæritur; in Senatu econtra ſeu Collegio ſinguli eriguntur & confirmantur ſuorum Collegarum eruditione, intellectu, & experientia; quæ in communi diſquiſitione & deliberatione omnibus redduntur *communia*, & formant quandam ſufficientiam ac plenitudinem notitiarum, negotio, quod tractatur, proportionatarum; ipſæ etiam oppoſitiones, contradictiones & diſputationes, quæ à talibus conventibus abeſſe minimè ſolent, dant anſam ulterioribus reflexionibus; unde reſultat amplior cauſæ dilucidatio, exactior & ſecurior diſcuſſio, curatius examen difficultatum & incommodorum ex una, juſtitiæ verò & veritatis ex altera parte. Termini etiam & voces, de quibus circa Symbola fidei frequenter agitur, curatius ponderantur, certius determinantur, aptiuſque deliguntur. Vid. ſuprà §. 6. n. 2. & 6. Appoſitè hæc expreſſerunt Patres Concilii Generalis V. Conſtantinopolitani II. Collat. VIII. apud Harduinum *Tom.* 3. *col.* 183. " Licèt Sancti Spiritus gratia & „ circa *ſingulos* Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno „ conſilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen voluerunt de „ eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, *de-* „ *finire*, priuſquam *communiter congregati* divinarum Scriptura- „ rum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt. Unde „ communiter omnes de eo ſententiam protulerunt, ad gentes „ ſcribentes Act. XV. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis &c.* „ Sed & Sancti Patres, qui per tempora in Sanctis quatuor

Con-

„ Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, *communi-*
„ *ter* de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt: certo
„ conſtituto, quod in communibus diſceptationibus, cum pro-
„ ponuntur, quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis
„ lumen tenebras expellit mendacii. *NEC* enim *POTEST* in
„ *communibus* de fide *diſceptationibus ALITER* veritas manife-
„ ſtari, cum unuſquiſque proximi adjutorio *indiget*; ſicut in
„ Proverbiis dicit Salomon: *Frater fratri adjutorium præſtans,*
„ *exaltabitur ſicut civitas munita: valet verò ſicut regnum fun-*
„ *datum* &c." Confer ſupra §. 6. n. 5. & 6.

Et hæc quidem *modum* tractandi principalius attinent. Quod verò ad *jus*, ſeu *univerſaliter* definiendi *poteſtatem* pertinet, rectè, meo quidem judicio, ſtatuit Gerſon de Poteſt. Eccleſ. Conſiderat. IV. Opp. Tom. II. col. 231. edit. Antverp. ſcilicet: *Eccleſia SPARSIM CONSIDERATA non habet illam poteſtatem, NISI IN QUODAM MATERIALI ET POTENTIALI: ſed CONGREGATIO ſua & unitio, quæ fit in Concilio generali, DAT QUASI FORMAM, ſicut in aliis communitatibus exemplum dari poteſt*. Quocum conjungendum illud Almaini in Tractatu de Auctoritate Eccleſiæ, edito eodem Tom. II. Gerſoniano, cap. X. col. 1004.: *Eccleſia UT DISPERSA nullum actum juriſdictionis exercere poteſt, nec aliquid ſententialiter definire; & ſic infallibilitas in definiendo ei competere debet UT CONGREGATÆ in Concilio*. Confer ſupra cap. I. §. 6. Eſt haud dubiè extra-Conciliaris illa ſummi Pontificis ac aliorum, & quidem plerorumque Epiſcoporum conſenſio, circa fidei quæſtionem aut difficultatem recens motam, magni ponderis; eſt *præjudicium* admodum urgens pro ſanctitate doctrinæ, in qua illi conveniunt; at *per ſe* nunquam erit *judicium definitivum* Univerſalis Eccleſiæ, ſeu *infallibiliter* deciſivum. Nimirum (*a*) Non ſatis conſtat de promiſſo Chriſti; quippe quod *Eccleſiæ*, id eſt Corpori, non *ſingulis*, utcunque multis, factum intelligitur. (*b*) Sana ratio omnibus perſuadet, viam Conciliarem ad detegendam determinandamque veritatem multò eſſe aptiorem, quam diſperſorum quomodolibet diligens examen. (*c*) Singularia multorum decreta non poſſunt coaleſcere in unum, ita ut

Uni-

Univerſalis Eccleſiæ forment *deciſum* (*d*) Noſtræ ſententiæ ſuccurrunt Uſus & Diſciplina Eccleſiæ . (*e*) Non agitur hic de argumentis humana ratione aptis ad indagandam veritatem, ſed *DECISO ultimato*, & ex inſtituto Chriſti *infallibili*. De conſenſu Epiſcoporum, quatenus ex eo *Teſtimonium* Univerſalis Eccleſiæ erui vellet , aut poſſet, tractabimus mox in Commentario. (*f*) Qui *privatam* ſuam ſententiam graviſſimorum virorum teſtimonio & judicio præfert , facilè in *errorem* prolabitur, & ſæpe cum temeritate peccat ; qui autem doctrinæ divinitus inſpiratæ reſiſtit, *formalis hæreticus eſt* .

(1) Fideles ſubmiſſionem debent Eccleſiæ non *definienti* ſolum, verum etiam *docenti*; huic quippe Unitati ſeu Corpori docenti dictum eſt : *Qui vos audit , me audit* . Quocunque enim modo Eccleſia locuta ſit , tranſacta res cenſeri debet; *neque fieri poteſt unquam, ut Eccleſia, ſpiritu veritatis inſtructa , non repugnet errori*, ut ait Boſſuetius in Defenſ. Cleri Gall. Part. I. Lib. III. cap. 2. Repugnabit utique : ſed repugnans legitimo procedet modo : eo ſcilicet, quem deſcribemus *num.* 13. Eſt ſane Eccleſia non minus infallibilis docens, quam definiens; at quodque ſuo ordine; in *ambiguis* autem & *indeciſis* recta ratio exigit, ut puncta controverſa antè definiantur à Corpore ſeu Collegio, quam à membris *fide divina* proponantur credenda ; ſive ea deciſio fiat & emanet *expreſſe* , quemadmodum fit in Conciliis, ſive *tacitè* per univerſalem & conformem Eccleſiæ obſervantiam, de qua agemus infra *num.* 5. 11. 12. & 14. Equidem nemo Catholicorum diffitetur , & Concilium Tridentinum Seſſ. IV. apertè definit , nulli errori ſubjectum eſſe poſſe *unanimem* ſententiam P*atrum* circa dogma fidei , aut Sacrarum Scripturarum interpretationem. Sed negamus , *Romani Pontificis* & *Epiſcoporum* ſententiam , verè vel interpretativè concordantem , eſſe illum *unanimem PATRUM conſenſum* , de quo Tridentinum loquitur; hæc quippe unanimitas docentium Patrum imprimis non reſtringitur ad ſolos Epiſcopos, nam plures eorum,

rum, quos Eccleſia ut *Patres* veneratur, Epiſcopi non fuere; deinde eadem unanimitas neque verificatur in nuda conformitate ſenſus, ſed *frequentiam* & *perſeverantiam* deſiderat, uti paulo poſt num. 3. & 11. ex Vincentii Lirinenſis verbis: *quidquid vel omnes vel plures, uno eodemque ſenſu, manifeſte, FREQUENTER, PERSEVERANTER*, item: *quod ubique, quod ſemper, quod AB OMNIBUS*, adſtruemus. Adde infra *num.* 7. Fatebimur etiam, viventibus nunc in Eccleſia Doctoribus & Magiſtris, ſeu illis, qui fidelem populum vice Chriſti in fide inſtituunt, *univerſis* & *ſimul ſumptis* Spiritum veritatis abrogari vix poſſe, quin per indirectum Corpori Eccleſiæ idem Spiritus auferatur; ſed negabimus iterum, hanc docentium communitatem in ſolis Epiſcopis reſidere. Illud TERTULLIANI de Præſcript. cap. 28.: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*: non ad multos tantum *Epiſcopos*, ſed propriè ad multos *fideles* pertinet. In quo autem illa ex mandato Dei fideles inſtruentium *Univerſitas* vere conſiſtat, dicemus *num.* 14. ubi inſimul aperiemus, quodnam ſit extra Concilium verum & unicum organum docentis & definientis *Eccleſiæ*, penes quam *ſolam* eſt *infallibilitas*.

(2) Ergo, ais, nullus Hæreticorum exiſtimabit ſe *ultimatò* & *infallibiliter* damnatum, niſi per Univerſale Concilium. Ita ſanè ex noſtra ſententia omnibus illis caſibus, & in eis circumſtantiis, quibus tu conformem Epiſcoporum cum Papa ſententiam deſideras. Quid autem facilius eſt, quid certius: damnare hæreſes in Generali Synodo, an diſperſorum *concordibus* ſententiis? Illius plura & indubia exempla dederunt novem priora Eccleſiæ ſæcula; hujus incertitudinem inter reliqua probat Hiſtoria Janſeniſtarum, qui quia res tractum habuit, aliaque, quæ diſparatis Epiſcoporum judiciis opponi amant, intervenere, horum judiciorum pariformitatem, univerſalitatem & legalitatem non agnoverunt.

(3)

(3) Equidem S. AUGUSTINUS, poſtquam adverſus Pelagianos undecim ex antiquis Patribus, qui diverſis locis ac temporibus floruerant, Catholicæ Traditionis teſtes produxiſſet, Julianum arguit, *qui maximè querebatur, examen ipſis & Epiſcopale judicium denegari*: Oſtendit ſcilicet, in undecim illis Patribus, cum cæterorum choro mirè concinentibus, tantum eſſe pondus auctoritatis, quantum congregatis in Concilio: *Iſti*, inquit Lib. II. contra Julianum cap. X. *Epiſcopi ſunt docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores adverſus garulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate (quæ tria bono judici tribuiſti) non potes invenire, quod ſpernas. Si Epiſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, ſi tales poſſent illic facilè tot ſedere; quia nec iſti uno tempore fuerunt . . . . . . Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare cogantur homines, ſed in Librum, qui navigare poſſit ad homines &c.* Sed quà in cauſa ita diſſerit S. Doctor? in cauſa *Pelagianorum*; de qua ipſe Libro IV. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. ult. ſcribit: *Concilii congregatione opus non fuit, ut TAM APERTA pernicies damnaretur*. Scilicet hoc imprimis volebat Auguſtinus, Pelagianorum doctrinam Patrum & uniformibus Eccleſiarum *teſtimoniis* ita obrui, ut *formali* ac *expreſſo* univerſalis Eccleſiæ *judicio* opus non ſit. Proinde facto rectè applicabatur regula, quam pro tali caſu præſcribit Vincentius Lirinenſis *Commonitorii cap.* 4.: "Quum primum „ mali cujuſque erroris putredo erumpere cœperit, & ad „ defenſionem ſui quædam ſacræ Legis verba furari, ea„ que fallaciter & fraudulenter exponere, ſtatim interpre„ tando Canoni Majorum ſententiæ congregandæ ſunt: „ quibus illud quodcunque exſurget novitium, ideoque „ profanum, & abſque ulla ambage prodetur, & ſine ul„ là retractatione damnatur . . . . & quidquid vel „ omnes vel plures *uno eodemque ſenſu*, *manifeſtè*, *fre„ quenter*, *perſeveranter*, velut quodam conſentiente ſibi Magi-

„ Magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo „ firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habea- „ tur. “ Hac regula probè utetur Doctor in ſua cathedra, Epiſcopus in Synodo Diœceſana, & Provinciali, denique Patres in Generali; ſcilicet quiſque pro ſuo modo, & pro ſua auctoritate.

(4) Sed revertamur ad AUGUSTINUM, qui poſtquam cit. cap. fin. dixiſſet: *Concilii congregatione opus non fuiſſe, ut tam aperta pernicies damnaretur*, mox proſequitur: *Quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione, damnata ſit: quum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ UBI extiterunt, ILLIC improbari damnarique meruerunt, atque INDE per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt*. Rectè dicit S. Doctor: *Ubi* hæreſes extiterunt, *illic* damnantur, ut *inde* ad cæteras terras devitandæ innoteſcant. Nimirum quilibet Epiſcopus tanquam judex fidei à Deo & ab Eccleſia conſtitutus, conformiter ad ea, quæ *cap. IV. §. 2.* tradidimus, judicabit de pernicioſis doctrinis in ſua diœceſi natis, ſeu in eam invectis. Damnabuntur hæreticæ doctrinæ, earumque fautores primum in Synodis Epiſcopalibus; ſi verò malum latius ſerpat, in provincialibus; & ſic deinceps; poteritque, imò debebit doctrina ità condemnata, cum ſuo doctore, *interim ſaltem*, devitari. Habebitur etiam talis doctrina proſcripta non in illa tantum diœceſi & provincia, ſed in aliis etiam; ea etenim ſemper fuit Eccleſiarum inter ſe ſocietas & concordia, Canonumque ac definitæ doctrinæ apud omnes auctoritas, & religio tanta, ut quod a Synodo aliqua conſtitutum *uſpiam* eſſet, idem aliæ Eccleſiæ ſibi *pro re nata* imitandum, & pariter ſtatuendum ducerent, ſive expreſſa conſenſione, ſive tacità approbatione. Sic facile & quaſi naturaliter evenit quod S. Auguſtinus memorat, nempe raras fuiſſe hæreſes adeo pertinaces, ut ad eas profligandas opus fuerit convocatione Generalis Synodi.

(5) Verè dicit Ill. Boſſuetius (quamvis de cætero à noſtra, quam hic exponimus, ſententia diverſus) in Secundo ſuo Paſtorali Documento circa Eccleſiæ promiſſa : *Dieu ſçait tellement ſe ſaiſir des cœurs*, *que la ſaine doctrine prevaut toujours dans la communion viſible & perpetuelle des ſucceſſeurs des Apotres*. Accipimus hoc Meldenſis Epiſcopi effatum, ſicuti illud, quod ex eodem ſupra *num.* 1. laudavimus: ſcilicet de *Eccleſia* ipſa, eaque *Univerſali*. Neque neceſſum eſt, ut divinus ille motus ſemper fiat per medium Generalium Conciliorum; eundem enim per *conſtantem* & *uniformem* Eccleſiæ *Obſervantiam* (quæ nec falli nec fallere poteſt) non minus fieri, obſervavimus *cap. I.* §. 9. Adde *cap. II.* §. 8. *n.* 5. & *hoc cap.* §. 1. *n.* 5. *lit. e* nec non *h.* §. *n.* 14. Huc etiam pertinet hæc laudati illuſtriſſimi Viri obſervatio *Defenſ. Cleri Gall. Lib. XIV. cap.* 1. " Eccleſiæ ,, ſententiam (Romani Pontificis aut Concilii Univerſalis) ,, non exſpectarunt, ut Manichæos, Ophitas, Collyridia- ,, nos, Tertullianiſtas, aliaſque ſive manifeſtè impias, ſive ,, obſcuras leveſque ſectas, per loca excitatas, aut horre- ,, rent aut contemnerent. Neque dignæ ſunt habitæ, pro- ,, pter quas Romani ſe Pontifices commoverent. Ergone ,, ſingulares Eccleſiæ, à quibus ſtatim rejectæ, aut etiam ,, oppreſſæ ſunt, ineluctabili auctoritate gaudebant ? Mi- ,, nimè : Sed profecto ſic habet : Semel conſtituto hoc cer- ,, to dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem *unitate* ,, *& conſenſione* conſtare ; id quoque valere quocunque ,, modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive Concilia con- ,, gregentur, ſive non congregentur. " *Hanc communem & pervulgatam eſſe controverſiarum finiendarum viam, qui non intelligit, eum pacis inimicum, & omnis Eccleſiaſticæ rei imperitum eſſe profiteor*, ait Boſſuetius initio Capitis ſeq. Cum his conjungendum illud S. Auguſtini Epiſt. 55. alias 119. cap. 19. effatum : *Eccleſia inter multam paleam conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt CONTRA FIDEM, vel BONAM VITAM, non approbat, nec TACET, nec FACIT*. Verba INNOCENTII I. Diſt. LXXXIII. Can. 3. :

Error

Error cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas cum non defenſatur, opprimitur, ſæpius deinde ab ejus ſucceſſoribus uſurpata ſunt.

(6) Dixi *conſtantem* & *uniformem UNIVERSALIS ECCLESIÆ obſervantiam*: Si enim Decretum fidei, ſive à particulari Synodo, ſive à Romano Pontifice emanatum, non adeo paucas ſibi habeat adverſantes Eccleſias, Paſtorum dignitate, eruditione & pietate conſpicuas, quales in controverſia de Baptiſmo Hæreticorum habuiſſe Decretum Stephani Papæ & Martyris dicemus §. *ſeq.*: aut ſi adverſantium, etiam *Sæcularium*, tantus ſit numerus, qualis Sæculo XVI. fuit Lutheranorum & Calviniſtarum, ſed ne tantus quidem, aliud non ſupererit remedium, quam *formale & expreſſum judicium Univerſalis Eccleſiæ*. Sanè cum ab Imperatore & Regibus apud Romanam Sedem pro convocatione Tridentini Concilii tam ferventer ageretur, publicè & communiter exiſtimatum non fuit, unius Rom. Pontificis damnationem, accedente plurimarum *diſparatarum* Eccleſiarum conſimili judicio, partim expreſſo, partim tacito, conſtituere *ultimatum* & *indefectibile* deciſum Univerſalis Eccleſiæ. Vid. §. *præced. n.* 6. 7. & *cap. IX.* §. 3.

(7) Dum Pontifex aliquod dogma definit, Epiſcoporum eſt, hanc definitionem cum Verbo Dei ſcripto & tradito conferre, ad diſpiciendum, an huic illa ſit per omnia conformis. Vid. *cap. II.* §. 8. & *cap. IV.* §. 1. Si Epiſcopi ad ſummi Pontificis ſententiam *etiam tacitè* accedant (quod non ſemper eveniſſe docet Hiſtoria Eccleſiaſtica) *atque in eo ſtatu res tranquillè permaneat*, ita, ut per hoc *conſtans* illa & *uniformis*, ſeu (ut Lirinenſis loquitur) *manifeſtè*, *perſeveranter*, *ubique*, & *ab omnibus* tradita & agnita doctrina, atque fidelis obſervantia comprobetur, cauſa finita eſt. Atque hoc modo plures hæreſes citra Generale Concilium ſuppreſſæ aut ſublatæ noſcuntur. Sed idem etiam vel ſola particularium Synodorum præeunte diſcuſſione, ſententia atque auctoritate, concurrente tacità omnium ap-

 pro-

probatione & acceptatione, eveniſſe conſtat; abſque quod inde erui valeat aut harum Synodorum, aut Romani Pontificis infallibilitas; vel illa deciſio tanquam *Collegiale Concluſum* Eccleſiæ conſiderari debeat. Eveniunt hæc ea Spiritus Sancti directione, de qua *num.* 5. ex & cum Boſſuetio locuti ſumus, quæque operatur in omnibus illis membris, quæ ſimul ſumpta Corpus Eccleſiæ conſtituunt, uti pluribus dicemus *num.* 14.

(8) Quantum *Conciliares* deliberationes & *Synodalia* concluſa à *ſingularibus* Epiſcoporum judiciis & decretis differant, experientia etiam Tridentinos Patres & Theologos edocuit. Inter hos Didacus Payva Doctor Luſitanus in Defenſione Tridentinæ fidei Lib. I. pag. 42. *Cum de Religione*, inquit, *quæſtio exiſtit, tam avidè Theologi primum, deinde Patres, ſacra oracula atque veterum placita inveſtigant, tam accuratè, diligenter & ſtudiosè veritatem indagant, tam candidè & ſimpliciter adverſariorum ſententias referunt, eorumque argumenta exquiſitè expendunt, ut neque tantam diligentiam quidquam latere, neque adverſarios pro ſe quidquam amplius dicere potuiſſe videatur. Quare cum Tridentino ipſe in Concilio verſarer, ſæpe dicere ſolebam, quod quamvis nullis Chriſti promiſſionibus Conciliorum auctoritas firmata eſſet & conſtituta, illa certè perſcrutandi veritatem tam accurata ratione coactus, illorum facilè definitionibus aſſentirer. Qua tamen veritatis tam diligenti ac ſeria diſquiſitione tranſacta nihil conficitur, quamdiu graves aliquot & ſpectati viri a majore parte diſſentiunt . . . . . Patres illud crebris ſermonibus uſurpabant, Religionis myſteria à Conciliis non niſi ſumma Patrum conſenſione ediſſeri.*

(9) Principium, de *majori parte* concluſum faciente non eſt *divini juris*, ſed *humani*; hinc in aliquibus materiis placuit prævalere *majora* vota: in aliis *duas tertias*: in aliis *ſingulorum* aſſenſum requiri. Non leguntur Concilia ſe ſe ad regulas *humani* juris adſtrinxiſſe. *Tametſi fuerit plurimorum in Concilio congregatorum teſtimonium* (inquit Holden

Lib

Lib. I. Reſolut. fidei cap. 9.) *niſi UNIVERSUM & CATHOLICUM ſit, Traditionis certitudinem perfectam non habebit*. Proceſſerunt itaque Oecumenica Concilia ad definitiones nullo refragante; aut certè, ſi quorum ſingularis opinio aliquando, ut contigit in Tridentino exploſa fuit, talium virorum erat opinio, quorum moroſitas, atque exotica ſingularitas nimiave contendendi prurigo extra ſemitam Patrum, quæ eſt ſimplicitas in dogmatizando, ex converſatione atque colloquiis jam erant Patribus univerſis probè nota ac perſpecta. *Nego*, inquit Canus Lib. V. de Locis cap. 5. Quæſt. 2. *cum de fide agitur, ſequi plurimorum judicium oportere. Nec hic, ut humanis vel electionibus vel judiciis, ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur. Scimus frequenter uſu venire, ut major pars vincat minorem: ſcimus ea non ſemper eſſe optima, quæ placent pluribus: ſcimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ſapientium ſenſum eſſe præferendum*. Hæc Canus, qui exiſtimat, Papam Conciliis vim & auctoritatem conferre.

(10) Nullum in laudata Tridentina Synodo *fidei* decretum, niſi ex ſumma Patrum conſenſione ſtatutum eſſe, ex ipſiuſmet PII IV. Pontificis animo refert Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. Lib. XXII. cap. 4. n. 2. & alibi, præſertim Lib. XIX. cap. 15. n. 3. ubi: *Juſſit ſignificari Legatis ...... ſatis futurum Pontifici, ſi nec de ſua, nec de Epiſcoporum poteſtate quidquam exprimeretur, illis tantum editis definitionibus, in quas Patres UNANIMI conſenſu conſpirarent*. Ad quæ reflectens Boſſuetius in Defenſ. Cleri Gall. Lib. I. cap. 2. *Quod*, ait, *Pius IV. ſcripſit, ut eæ definitiones ederentur, in quas Patres unanimi conſenſu conſpirarent: id verò tanta Sede, tantoque Pontifice digniſſimum fuit; neque enim in fidei decretis quid privati quique SEORSIM ſentiant, ſed quid COMMUNIS traditio OMNES doceat, attendendum eſt*. Adde laudatum Pallavicinum *Lib. XVIII. cap.* 2. ubi narrat diu agitatam fuiſſe quæſtionem. An Chriſtus in ultima Cœna ſe ipſum in ſacrificium Deo Patri obtuliſſet; diviſis hinc inde ſuffragiis: " Quæ res,

„ in-

„ inquit, hunc exitum tulit. Cum initio complures re-
„ pugnarent declarationi hujuſce oblati, quo hic ſe Chri-
„ ſtus quocumque modo obtuliſſet, poſtremò contigit ad-
„ verſus quam evenire ſolet in ſubtilioribus diſputationi-
„ bus . . . . Etenim *ferè omnes* in primam ſenten-
„ tiam abiere, etiam qui acerrimè reſtiterant &c. " Quæ ſanè plurimum abſunt à privatis Doctorum Epiſcoporumque *extra-Synodalibus* ſententiis, judicio Romani Pontificis adhærentibus, etiamſi frequentiſſimis (ubi de novo dogmate definiendo, aut vetere declarando agitur) ad gradum articuli fidei elevandis; niſi *conſtans* illa & *uniformis* Eccleſiæ *obſervantia*, quæ ex natura ſua tractum habet, & mora indiget, poſtmodum accedat, de qua memoravimus paulo antè *n.* 5. *&* 6.

(11) Itaque totum revertitur ad receptiſſima & genuina fidei principia accuratè tradita in *Veroniana* Regula Fidei §. 2. Scilicet totalis & unica Catholicæ fidei regula, illa nimirum, ad quam omnes ſub pœna hæreſeos & ſeparationis ab Eccleſia Catholica obligantur, eſt *Divina revelatio* facta Prophetis & Apoſtolis, *propoſita ab Univerſali Eccleſia vel in Generali Concilio, vel per Univerſalem ejuſdem Eccleſiæ obſervantiam*. Quidquid hujus indolis eſſe dignoſcitur, eſt articulus Catholicæ fidei. Econtra *nulla doctrina ad capita fidei referenda venit*, cui deeſt ſive prima conditio, id eſt, revelatio divina, ſive altera, nempe propoſitio per Eccleſiam univerſalem alterutro modo facta. Hujus regulæ ſunt quæcunque ingrediuntur formulam noſtræ Profeſſionis fidei, extractam è Decretis Concilii Tridentini à Papa PIO IV., qui ei per Legatos præſedit. Sed quis *ultimatò* decidet, cum prudenter dubitatur, aut controvertitur, *num conſtans illa & univerſalis Eccleſiæ obſervantia pro hoc illove articulo habeatur*, ſive, ut cum Vincentii Lirinenſis Commonitorio cap. 3. & 4. loquar, an revera adſit illud *Quod ubique*, *quod ſemper*, *quod ab omnibus*? Haud dubiè Concilium.

(12)

(12) Dixi cum *Veroniana* Regula , propoſitionem , ad hoc ut conſtituat articulum fidei , debere nobis eſſe propoſitam vel (*a*) per *Generale Concilium* , vel (*b*) per *Univerſalem Eccleſiæ Obſervantiam* ; quæ duo procul dubio inter ſe differunt . Concilium , licet eſſentialiter conſtituatur à ſolis Epiſcopis , *Univerſam* nihilominus *Eccleſiam repræſentat* , proindeque habet *Univerſalis Eccleſiæ conſenſum & auctoritatem* ; uti rectè docet Bellarminus Lib. I. de Concil. cap. 15. & 18. Extra Concilium Eccleſia conſiſtit non in ſolis Epiſcopis , ſed in reliquis etiam Clericis , imò Laicis. Inter hos *ſinguli* quidem *Epiſcopi* nomine & auctoritate Eccleſiæ de fide judicant; ſed nec ultimatò nec infallibiliter: *Corpus* verò ex Laicis Clericiſque compoſitum , fidem , quam tanquam fidele depoſitum ſervat , ad nos illibatam tranſmittit , licet *per ſe ipſum*, extra Synodum non valeat agere ut perſona moralis , id eſt , non judicare, definire, condemnare, excommunicare &c. uti ſupra cum Gerſonio & Almaino ex vulgatis Juriſprudentiæ principiis, quæ omnibus Corporibus politicis communia ſunt , inſinuavimus . Qualiter Eccleſia *in Oecumenica Synodo* articulos fidei proponat credendos , omnes norunt . Qua id ratione fiat *per univerſalem Eccleſiæ obſervantiam* , vidimus ſuprà num. 5. Scilicet ibi *definiendo*, hic *tradendo* . In hoc tamen majus eſt privilegium univerſalis Obſervantiæ in rebus fidei , quod hæc ſit *abſolutè* infallibilis, Concilium Generale *conditionatè* : ſi nempe Patres legitimè convocati , in eo ita ſe geſſerint, ut dici debeant repræſentaſſe totam Eccleſiam ; quod , an ita de facto ſit , declarat agnitio ſeu receptio Eccleſiæ . Qui autem utrumque hoc lumen ſimul & ſemel deficere poſſe ſuſtinent , illi ſunt in reatu , quem *cap. I. §. 9.* reprobavimus .

(13) Adverſum hæc inſtituent (ſic auguror) qui à nobis diſſentiunt , ſequentem argumenti progreſſum : (1) Pontifex de mota in Eccleſia quæſtione *judicium* pronuntiat : (2) accedit omnium *Eccleſiarum* toto orbe diſperſarum conſenſus ; (3) agnoſcunt ſingulæ ſuam in hoc judicio , quam

quam profitentur, fidem. (4) Hic communis Eccleſiarum conſenſus eſt certiſſimum *Traditionis* argumentum; (5) proinde eandem obtinet auctoritatem, quam Univerſale Concilium.

Ad ſingula reſpondeo: *Ad* 1. Utitur ſanè Pontifex tale ferens judicium, jure, & fungitur officio ſuo, juxta tradita *cap. II. §.* 8. & *cap. IV. §:* 2. *n.* 8. ſed judicium ejus non eſt *Univerſalis Eccleſiæ* judicium. *Ad* 2. Accedens omnium Eccleſiarum *extra-Conciliaris* conſenſus, juxta probata non eſt ejuſdem indolis, nec in via *univerſalis JUDICII* habet eandem vim, quam obtinet definitio earundem Eccleſiarum in Œcumenica Synodo congregatarum, & *collegialiter* ſtatuentium. *Ad* 3. Agnoſcunt ſingulæ ſuam in Papæ enuntiato fidem, perinde ac ſi omnes, definitioni particularis cujuſdam Synodi adhærentes, ſuam in illa profiterentur. Utroque caſu, ſi vel ſic omnia tranquilla perdurent, obtinebit quod ſupra *num.* 5. cum Boſſuetio expoſuimus; at citra *formale* & expreſſum (de quo hic agimus) *concluſum Eccleſiæ*; neque illud quidem ex ſolo *Epiſcoporum* acceſſu, ſed ex *univerſorum* fide fidelium, quæ deficere non poteſt. *Ad* 4. Cum de *univerſali* ſeu catholica *Traditione* agitur, imprimis conſtat, eam a nullo particulari ſeu *ſingulari* homine, qualis is cunque ſit, petendam eſſe. Deinde ſinguli Eccleſiæ Paſtores & Rectores, extra Concilium, veritatum revelatarum, *reſpectu Univerſalis Eccleſiæ*, ſunt tantum pro ſua quiſque parte, *Cuſtodes* & *Teſtes*; conſtat autem, quantum interſit inter *Teſtem* & *Judicem*. Porro ſicuti *SCRIPTURA*, ita *TRADITIO* Eccleſiæ conſtans, & univerſaliter recepta, eſt *Norma* ſeu regula, ad quam quiſque privatus, quiſque Paſtor & Epiſcopus; demum quæque Synodus, in ſua reſpectivè Sphæra, ſuam & aliorum fidem regulare & efformare debet, ſed non eſt *Judicium ipſum*. Et quemadmodum juxta Tridentinum ad S. Matris Eccleſiæ tribunal pertinet *JUDICARE de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum*; item, qui Libri Canonici ſint, qui non

non : ita ad idem Tribunal ſpectat, auditis convenientibus teſtimoniis, ultimatò *judicare* de exiſtentia, qualitatibus & accidentibus *Traditionis*, de quibus ſæpe graviſſimæ quæſtiones moventur, uti §. *ſeq.* in exemplo videbimus. *Ad* 5. Quamprimum *de JUDICIO Univerſalis Eccleſiæ*, ex traditione & teſtimonio ſingularum Eccleſiarum formando, agitur, jam ex communibus principiis omnis Juris Collegialis *Collegium* ſupponitur & requiritur, quod teſtimonia *collegialiter* audiat, examinet, ponderet, propoſitæ quæſtioni applicet, & ſic demum ex Chriſti promiſſo *indefectibiliter* pronuntiet. Adde Bellarminum Lib. I. de Concil. cap. 18. ubi: *Nos ergo dicimus, conſeſſum Epiſcoporum in Conciliis legitimis eſſe verum JUDICUM conſeſſum &c.* Verum ab hoc Eccleſiæ *Judicio* differt univerſalis & uniformis *Obſervantia* Eccleſiæ in materia fidei: non quidem quoad infallibilitatem, bene verò quoad alios effectus, qualitates, accidentia, directionem &c.

(14) Poſt hæc: Promiſſum Chriſti, inquient, de infallibilitate ſeu non-defectione Eccleſiæ *omni die* impleri debet in morali totalitate *Corporis*; alias illo ſaltem die evacuabitur divina promiſſio: ita, ut nunquam dici aut cogitari valeat, Spiritum veritatis vel minimo tempore ab Eccleſia receſſiſſe; at hoc aſſeri deberet, ſi Epiſcoporum, à Spiritu Sancto ad regendam Eccleſiam Dei poſitorum, ſeu effectiva ſeu moralis univerſalitas cum Papa conſentire poſſet in dogma aut regulam morum errori vel vitio obnoxiam. Rectè hæc & veriſſimè de *Corpore Eccleſiæ*; ſed negamus hoc *extra Concilium* conſtitui aut legitimè repræſentari à *Papa* & *ſolis Epiſcopis*. *Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ*, inquit Gratianus Diſt. XI. cap. 9. *ſuccedentium ſibi Epiſcoporum ſerie, & POPULORUM CONSENSIONE firmatur*. Eſt Chriſtus ſanè & manebit cum *PRIMIS PASTORIBUS*, ut per quemvis eorum ſervetur fidei puritas atque integritas, & in ea ritè inſtituatur grex, qui *per ſe loquendo* vocem ſui Paſtoris audire tenetur. Sed nec minus divino ſuo lumine adeſt *PASTORIBUS SECUNDI ORDINIS* ad

X x bap-

baptizandum, docendum, cæteraque muneri paſtorali & ordini Sacerdotali divinitus adjuncta peragenda. Illud *Amas me Petre, paſce oves meas &c. non ad Sacerdotes ſolum dictum eſt, verum etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimus grex commiſſus eſt*, inquit S. CHRYSOSTOMUS Homil. 79. in Matth. Quare nec ipſis quidem LAICIS (Quanquam ii ad nullam eccleſiaſticorum Conciliorum & Judiciorum ſpeciem pertinere noſcantur) gratia Chriſti deeſt, ad fideliter cuſtodiendum fidei depoſitum, & ad opera ſua illi conformandum, imò & ſuo modo alios, præſertim liberos, jure Catholicæ educationis, in articulis fidei inſtruendum. Nam ut ait NICOLAUS I. relatus in Can. 4. Diſt. XCVI. *fides univerſalis eſt, omnium communis eſt; non ſolum ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos*. Adde Can. 36 Diſt. IV. de Conſecrat. Horum omnium neque pauci, neque multi infallibilitate gaudent, ſed, ut diximus, *CORPUS* ipſum, ex jam enuntiatis membris compoſitum, cujus voci omnes fideles *ſemper* obedire tenentur, quodque nullo unquam tempore à vero & recto deviat, conſtanti & uniformi agendi ratione falſum *dogma* ſequendo, aut corruptos *mores* probando. Dico, *conſtanti & uniformi agendi vel credendi ratione*: hic enim ſolus modus eſt, quo *Corpus Eccleſiæ* poſſit *extra Concilium* ſenſus ſuos promere. Hanc vocem in Eccleſia nunquam non, etiam ante Concilia, locuti ſunt, & porro loquentur *Laici* cum *Clericis*, circa ſpecies Sacramentorum, baptiſmum parvulorum, jejunium Quadrageſimale, piam crucis formandæ methodum, orationes pro defunctis, cultum reliquiarum, venerationem ſacrarum imaginum, aliaque, quæ ad omnes æque pertinent. Vide Canum *in Locis Theol. Lib. IV. cap. ult. v. Reſp. ad* 14. Itaque ad ſatisfaciendum omnibus ex adverſo argumentis ſervient & ſufficient ſequentia hactenus probata Themata: (*a*) Epiſcopi neque ſoli ſunt in Eccleſia Doctores, neque (*b*) ſoli fidei Cuſtodes, neque (*c*) ſoli Spiritus Sancti habent aſſiſtentiam, neque (*d*) ſoli extra Concilium.

lium Univerſalem Eccleſiam conſtituunt aut repræſentant. Poteſt autem Deus, antequam conſtans Univerſalis Eccleſiæ conſenſus ſeparatis Epiſcoporum decretis ſuperveniat, unum vel plures, etiam ex ſecundi Ordinis Sacerdotibus, excitare, atque eorum, in gratiam orthodoxæ fidei reclamantium, verbis vim & efficaciam addere, ad parandum veritati triumphum; ne dicam zelus ardens paucorum Epiſcoporum, ſicut in Concilio, ita & extra illud, reliquos in ſuas partes trahere, ſic efficaciter non minus quam ſuaviter diſponente Spiritu illo Veritatis. Vitabuntur econtra facilius certiuſque omnes in Eccleſia motus, ſi quemadmodum faciendum diximus *cap. IV. §. 2. n.* 7. 8., Epiſcopi, ſive cum Pontifici extra Œcumenicum Concilium eorum vota roganti ſuos pandunt ſenſus: ſive dum poſt primæ Sedis effatum, de ejus acceptatione deliberant, negotium, antequam de eo ſtatuant, in ſuis particularibus Synodis ordinatè tractent. Porrò quando re ipſa, vel moraliter, adſit conſtans illa Eccleſiæ uniformitas (quæ res tractum temporis deſiderat) æque debet piorum ac prudentum virorum judicio, ac demum Conciliorum definitioni relinqui, quam in adverſariorum noſtrorum ſententia, dubium illud ſeu quæſtio, Quandonam adſit moralis unanimitas Epiſcoporum Papæ aſſentientium, de quo poſteriore regulas & principia tradit Tournelius *Tom. II. Part. I. de Eccleſiâ pag.* 77. item *pag.* 96. *& ſeqq.* denique *pag.* 116. *& ſeqq. edit. Col.* Interim prioris aliqualem ideam dabunt quæ tradidimus *n.* 9. *&* 10. *h. §.*

(15) Quanquam autem Corpus Eccleſiæ nullo unquam tempore poſſit conſentire in dogma *falſum*, inde tamen non ſequitur, quod ad objectam à quolibet novam fidei difficultatem ſemper in promptu habeat, & illicò propalet deciſionem *veri*. Vid. cap. VII. *§.* 2. *n.* 3. Aliud eſt *non conſentire* erroribus novis, aliud eos *protinus profligare*, & tanquam hæreſes *CON*-(id eſt unanimi conſenſu) *demnare*: nequidem Concilium hoc ſtatim facit, ſed poſt multum demum tractatum, atque diſceptationem: *Facta* eſt, inquit

 Evan-

Evangeliſta Act. XV. *diſquiſitio magna* : quam multò minus ergo promiſſio Chriſti importabit *extemporaneam* definitionem extra Concilium. Pleræque Generales Synodi enatos errores ſerius damnarunt ut hæreſes. Palmare exemplum dabit §. ſequens. Dum interim horum errorum magiſtri plerumque pro ſe allegarent rationes quidem non *veras*, attamen nondum plenè *eliquatas*, & definitivè *evictas*, inerrantia Corporis Catholici ſalvatur per *non-labi* in enatum errorem; illicò autem *definire finaliter*, & ſtatim, ut ita dicam, *prophetare*, neutiquam importat. In ea, quam §. proximo referemus, controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, S. AUGUSTINUS, etiam poſtquam Rom. Pontifex ſuam ſententiam protuliſſet, Lib. II. de Bapt. cap. 4. ſcripſit: *Quomodo potuit iſta res, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primò DIUTIUS per orbis terrarum regiones, MULTIS hinc atque hinc diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* In ſumma: Fides ſubinde obſcuratur, veritas confunditur, errores videntur prævalere, zizania bono frumento miſcentur, illudque nonnunquam ſuffocare exiſtimantur; multi paleam elevant ſuper fundamentum de ſe ſolidum; verbo: dantur tempora tenebrarum, in quibus veritas altercationum nebulis involvitur; at ea deinde per diſcuſſiones, quæ in Concilio Generali fiunt, primævum ſuum ſplendorem recipit. Poſtquam autem illa per diſquiſitionem & deciſionem Conciliarem declarata eſt, non debet neque poteſt ei reſiſti ſine damnabili pertinacia.

[16] Ulteriores adhuc ſi quis hac in cauſa inſtantias facere voluerit, ei ſatisfaciemus Boſſuetii, licet hac in parte nobis adverſantis, ſapientiſſimis, & huic, quam tractamus, materiæ omninò convenientibus reflexionibus. Sic autem ille *Lib. XV. cap. 36.* " Inſtant: at ſaltem in gravi diſſenſione, „ aut incerta erunt omnia, aut periculum ſchiſmatis im„ minebit, neque quidquam remedii eſt. Neutrum: nam „ & eruditiores Traditione tenebuntur, ut factum ſub

Ste-

„ Stephano Auguſtinus docet; & imperitiores, ſiquidem
„ ſunt Eccleſiæ veri filii, piæ Matris judicium obedientiſſi-
„ mè exſpectabunt ..... Sunt quidem eà de re multa
„ à Gerſone non incommodè ſcripta. Verum id ſufficiat:
„ infinita eſſe, quæ ille Spiritus, in ſe unus ac ſimplex, in
„ donis varius, Eccleſiæ ſuggerat. Id quidem certa fide
„ credere nos oportet, non remedia, non auctoritatem de-
„ futuram, cum Eccleſia Catholica *diſperſa* & *adunata* tan-
„ ta poſſit. Hinc exiſtit argumentum: id tantum in Ec-
„ cleſia habendum eſt pro impoſſibili, quo facto nullum
„ ſupereſt veritati præſidium: at in caſu, quem dicimus
„ tutum ſupereſſet in Eccleſiæ Catholicæ auctoritate præ-
„ ſidium &c." Qua autem ratione interim & *proviſionaliter* hæreſibus occurratur, pluries per decurſum hujus Tractatus inſinuavimus. Vid. *cap. II. §.* 4. *n.* 4. *§.* 8. *&* 9. *cap. IV. §.* 2. *cap. V. §.* 1. *n.* 4. *cap. VI. §.* 8. *n.* 4.

(17) In ſolidis his principiis non inveniet Janſeniſta confugium ſubtilis ſuæ vanitatis; licet enim nondum eſſet *ultimatò* & *in forma* condemnatus, agnoſcere tamen debet adeſſe modo omnia *materialia* prævidendæ damnationis in futuro Concilio Generali: Et non ſolum ille peccat in Deum & Eccleſiam, qui his adhærere pergit, quæ per *judicium Patrum ultimatum* de facto ſunt damnata, ſed etiam qui præſeminat, aut rebus uſque adeo diſcuſſis pertinaciter ſuſtinere pergit doctrinas, quas prudenter prævidet, aut prævidere debet, damnatum iri, quam primum congregabuntur in unum Patres cum Pontifice. Sanè S. AUGUSTINUS cauſam Pelagianorum finitam eſſe affirmat, licet non ignoraret, decem & octo inter illos *pertinaces* in errore ſuo permanſiſſe, interpoſità ad Concilium generale appellatione, quos Imperator tanquam Eccleſiæ & Imperii *perturbatores* in exilium deportari mandavit: Unde viget hic illud Vincentii Lirinenſis Commonit. cap. 38. *Si quando pars contra univerſitatem; novitas contra vetuſtatem; unius vel paucorum diſſenſio contra omnium vel certò multò plurium*

Catho-

Catholicorum conſenſionem rebellaverit : præferas partis corruptioni univerſitatis integritatem .

(18) Extra Concilium (quod quandoque nonnullorum inexcuſabili culpa nimium diſtertur) non niſi tardè & gradatim pervenitur ad *Unitatem ſenſus*, quando in Eccleſia exoritur novum aliquod dogma , quod antiquas regulas videtur convellere , aut hæreſibus jam damnatis favere , non aliter, quam ſubtili quadam explicatione , aut verborum dulciore apparatu , ab eis diverſum , quodque hæreſes *crudum* propoſuerunt , *paulò melius decoctum* , idem tamen ſemper in ſubſtantia manens , publicè proponens fidelibus. Talis erat doctrina Janſenii, ſaltem ut jacet in quinque Propoſitionibus ; ſive ità revera ſenſerit Janſenius, uti eas Eccleſiæ acceperunt & intellexerunt ex obvio ſenſu , ſive non: Quid hoc ad nos ? Tendunt potiſſimum eæ diſputationes , ad ſalvandam *perſonam* jam mortuam & judicatam , quæque ſola poſſet eſſe interpres verborum ſuorum , ſi adhuc viveret .

(19) Ut nemo ſibi ex his rebellionis arma deſumat, addimus, nihil futurum iniquius , quam ſi quis contendat, nulla judicia Eccleſiaſtica vim ſuam ſortiri , priuſquam partes adverſæ acquieſcant . Inde ſanè eveniret , ut omnia ferè dogmatica Eccleſiæ decreta ſubvertantur ; cum pleraque nonnullos ſibi adverſantes habuiſſe Hiſtoriæ monumenta demonſtrent . Hoc unum volumus : cum nobis multò appareat veroſimilius, a ſolis Epiſcopis extra Concilium totam Eccleſiam nec conſtitui , nec repræſentari, non debere eadem judicia univerſalia antè revera finita cenſeri , quam quando de ſententia ſeu acceptatione *Corporis Eccleſiæ* ſatis conſtat ; ad quod determinandum noſcendumque iiſdem ferè regulis & principiis utendum eſt , quæ ex adverſariorum noſtrorum ſententia apud bonos valet ad ſtatuendum de unanimitate & conformitate *Corporis Epiſcoporum* ; de quibus vide Ill. Boſſuetium *in Defenſ. Declar. Cleri Gall. Lib. III. cap.* 2. Quibus illud porro addimus , quando de

fide

fide, docilitate, & acceptatione Eccleſiarum queritur, Epiſcoporum, de ſuis reſpectivè Eccleſiis referentium, *teſtimonio* regulariter deferendum eſſe.

§. IX.

Quæ priore §. tradita ſunt, illuſtrantur & confirmantur ex controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, inter SS. Cyprianum & Stephanum Papam.

Hæc ſanè Sæculo III. fuit ſententia magni illius Eccleſiæ luminis, S. CYPRIANI, in diſſenſione, quam habuit cum S. Pontifice STEPHANO, occaſione Baptiſmi Hæreticorum; & Sæculo V. S. AUGUSTINI, qui in jam memoratam Cypriani ſententiam commentatus eſt. In hac concertatione *tribus* munitus præſidiis incedebat Romanus Pontifex: ſcilicet auctoritate primæ ſuæ Sedis; numero Epiſcoporum ſibi adhærentium; & Traditione. Singula hæc ad deciſionem cauſæ, quæ vertebatur, inapplicabilia aut irrelevantia eſſe, regerebat Cyprianus. (*a*) Et quantum quidem ad *Primum*, ſcilicet *AUCTORITATEM SEDIS APOSTOLICÆ*: ſcripſit in eadem cauſa ad Cyprianum FIRMILIANUS Cæſareæ Capadocum Epiſcopus *Epiſt. 75. inter Cyprianicas*: " Stephanus de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & „ ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem funda- „ menta Eccleſiæ collata ſunt &c. " Hinc comprimis intelligitur, eo jamtum ævo, ſub obtentu Cathedræ Petri, à Romanis Pontificibus amplius aliquid juris prætenſum eſſe, quam eis ab aliis Eccleſiis & digniſſimis illarum Rectoribus agnitum conceſſumque fuerit. Ipſe S. CYPRIANUS in Concilio Carthaginenſi III. apud Harduinum *Tom. I. col.* 159, hanc exceſſivam Stephani prætenſionem, aut ſaltem ſequelam ab illo ex Petri ſucceſſione & primatu ductam perſtringens, ſic ejuſdem Synodi Patres alloquitur: " Supereſt, ut de hac ipſa re quid ſinguli ſentiamus, „ proferamus; neminem judicantes, aut è communione ali- „ quem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſ-

quam

„ quam noſtrum, Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut „ tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos „ adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis „ & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab „ alio non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum judicare. Sed „ exſpectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, „ qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Ec„ cleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi. " Peſſimè concluderet, qui hinc deduceret, Cyprianum negaſſe Primatum Romanæ Sepis; quippe quem ab ipſo agnitum defenſumque fuiſſe, probavimus *cap. II. §. 1. n. 6.* At ſequelam quam nonnulli ex hoc Primatu ad deprimendam aliorum Epiſcoporum auctoritatem & libertatem, aut de eorum ſententia *extra Concilium* judicandi facultatem trahebant, pernegavit cum Africanis Patribus Cyprianus. (*b*) *Alterum*, cui Stephanus innitebatur, erat *TRADITIO*. Aſt hanc negabat, aut ſaltem non legitimam cum ſuis Cyprianus contendebat, Epiſt. 74. ad Pompejum ſcribens: *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*; quam corrigendam eſſe ſuſtinet, recurrendo ad Divinæ & Apoſtolicæ traditionis caput ac originem, *ut ſi in aliquo*, inquit, *nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam atque Apoſtolicam traditionem revertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſurrexit*. Paulo antè dixerat: *Unde eſt iſta traditio? utrumne de Dominica & Evangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? . . . . . Ut nemo infamare Apoſtolos debeat, quaſi illi hæreticorum baptiſmata probaverint, aut eis ſine Eccleſiæ Baptiſmo communicaverint.* Scilicet illo ævo necdum ſatis conſtabat, pro qua parte circa eam Theſin, de qua contendebatur, ſtaret veritas & auctoritas Traditionis. Aptiſſimè de hac eadem Cypriani & Stephani controverſia S. AUGUSTINUS Lib. II. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 8. *Noluit vir graviſſimus* (Cyprianus) *rationes ſuas, etſi non veras (quod eum latebat) ſed tamen non victas, VERACI quidem, ſed tamen NONDUM ASSERTÆ conſuetudini cedere*. Notanda hic interim apta illa diſtinctio

inter

inter *rationes* NON VERAS, & NON VICTAS, quæ alibi ſæpe locum obtinet, præſertim adverſus captioſa ratiocinia Cardinalis Orſi. [c] *Tertium* Stephani præſidium ponebatur in numero ſeu *COPIA EPISCOPORUM CUM ROMANO PONTIFICE SENTIENTIUM*. Jam laudatus Auguſtinus Lib. de unico Bapt. contra Petilianum cap. 14. ſcribit: *MULTI cum illo* (Stephano) *QUIDAM cum iſto* (Carthaginenſi Epiſcopo) *etiam ſentiebant: utrique cum eis in unitate conſiſtentes*. Addit non multò poſt, *fermè octoginta* Africanarum Eccleſiarum Epiſcopos ſtetiſſe cum Cypriano, *reliquos* per Chriſtianum orbem *omnes* cum Stephano. Idem Lib. III. contra Creſconium Donatiſtam cap. 3. *Si omnino*, ait, *jam credendum ſit, quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto ejus pluribus, contra TOT MILLIA EPISCOPORUM, quibus hic error IN TOTO ORBE diſplicuit*. Item Lib. IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. *Non invenio, cur Cyprianus .... vir tanta ſcientia præditus ..... adverſus totius orbis morem has rationes* (ex textibus Sacræ Scripturæ petitas) *arripuit, quas modò nos antiquitate ipſius conſuetudinis, & plenarii POSTEA Concilii auctoritate firmati, diligentius conſiderantes, veriſimiles potius, quam veras eſſe invenimus*. Tot millium Epiſcoporum vota in congregata Synodo haud dubiè prævaluiſſent, cauſamque finiiſſent; & tamen neque Auguſtinus neque Cyprianus tantam Epiſcoporum, per orbem diſperſorum, Romano Pontifici adhærentium turbam, contra numerum reſpectivè tam modicum, putarunt *citrà Generale Concilium* conſtituere Regulam firmam credendi agendique; ſic etenim ille cit. cap. 14. adverſus Petilianum: *Illis temporibus* (viventibus ſcilicet Cypriano & Stephano) *ANTEQUAM PLENARII CONCILII SENTENTIA, quid hac de re ſequendum eſſet, TOTIUS ECCLESIÆ CONSENSIO confirmaſſet, viſum eſt ei* (Cypriano) *cum fermè octoginta Coepiſcopis Africanarum Eccleſiarum ......* Hoc nullatenus improbat Auguſtinus, diſertè agnoſcens, Cyprianum non fuiſſe damnandum, quod bona fide, & ratione non victus, inhæſerit ſuæ & exigui illius numeri Africanorum ſententiæ *ante plenarii Concilii definitionem*; quando econ-

econtra ſuo Auguſtini ævo Donatiſtæ inexcuſabiles ſint, qui *poſt plenariæ Synodi definitionem* adhuc Cypriani ſententiæ inſiſterent, ut ut ea jam non modò ſeptuaginta vel octoginta Afrorum, ut antè, ſed inſuper quinquaginta Orientalium votis munita incederet. Exiſtimabat ergo non ſolum Cyprianus, ad captivandum intellectum haud ſufficere Stephani Papæ decretum cum accedente *diſperſorum* per orbem *Epiſcoporum* aſſenſu; ſed & Auguſtinus, veræ de Hæreticorum Baptiſmo doctrinæ adverſus Cyprianum cæteroquin egregius aſſertor, quod ad robur Pontificii Decreti attinet, Cypriani ſententiam apertè ſequitur Lib. II. de Bap. cap. 4. aſſerens: *Neque nos tale aliquid auderemus aſſerere*, quale Stephanus juſſit, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritate firmati: Cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata PER PLENARIUM CONCILIUM ſolidaretur*.

(1) De eo diſceptatur inter Patronos Curiæ Romanæ, & horum Contradictores, An quæſtio, quæ inter SS. Stephanum & Cyprianum vertebatur, *dogmatica* fuerit, an *diſciplinaris*? Quærebatur de valore Sacramenti imprimentis characterem, ſicque vix dubium eſſe poteſt, quin pro *dogmatica* habenda ſit. Scilicet agebatur de præcipuo religionis noſtræ capite, hoc eſt, de virtute & efficacia ſacramenti omnino neceſſarii, quo deficiente nullus dici aut cenſeri poteſt Chriſtianus. Ad hæc de baptiſmi tuenda unitate agebatur; hunc enim, quem *unum* Scriptura conceptis verbis prædicat, iterandum non eſſe fides docet. Sanè dogmatica erat hæc quæſtio in opinione CYPRIANI & Epiſcoporum Africæ, in Concilio Carthaginenſi apertè dicentium: *Qui hæreticorum baptiſma probant, noſtrum evacuant: ſecundo baptiſmate* (eo ſcilicet, quod in Catholica Eccleſia datur) *qui non fuerit baptizatus, regno cælorum fiet alienus: Quot ſint baptiſmata, viderint aut præſumptores aut fautores hæreticorum: ſi error non obtemperat veritati, multò magis veritas non conſentit errori: Qui hæreticis Baptiſmum Eccleſiæ concedit & prodit, quid aliud quam Spon-*

Sponſæ Chriſti Judex exiſtit &c. Vid. Harduinum cit. col. 159. ſeqq. Hanc ſuam ſententiam Patres Carthaginenſes non humanis ratiociniis, ſed divinis oraculis muniebant. Vid. *Can.* 5. ubi: *Baptiſma, quod dant Hæretici & Schiſmatici, non eſſe verum, ubique in Scripturis ſanctis declaratum eſt*. Et tamen, uti apertè vidimus, iidem Patres cum Primate ſuo Cypriano non putabant, hac in parte cedendum Stephano Papæ, & Epiſcoporum per orbem diſperſorum, ejus ſententiæ adhærentium, multitudini, licet Romanus Pontifex illos propter hanc opinionum diverſitatem, & agendi rationem ad eandem efformatam, vel actu à ſua communione removerit, uti communius creditur, vel ſaltem eos ſe inde ſemoturum minatus molituſque fuerit. Si opponas, perperam ſic judicaſſe Africanos, quippe qui ſiniſtrè verba S. Scripturæ in ſuum ſenſum interpretati ſint: Reſpendeo cum S. Auguſtino, *veritatem*, tam ex verbo Dei *ſcripto* quam *tradito*, eo ævo nondum fuiſſe *eliquatam*; Cypriani, viri graviſſimi, *rationes* (quod ſerius ex generalis Concilii deciſione apparuit) equidem fuiſſe non *veras*, attamen tunc necdum *victas*; atque in hoc rerum ſitu Cyprianum, abſque deciſo Univerſalis Concilii cedendum non eſſe, ratum fuiſſe. Sed & in opinione STEPHANI in hac cauſa agebatur de *Doctrina*, ſiquidem in materia meræ *Diſciplinæ* is nunquam potuiſſet dicere, vel etiam cogitare, minus definire, omnes à ſe diſſentientes ab Eccleſia pellendos eſſe.

(2) Ex eo, quod Stephani edictum haud paucas habuerit ſibi adverſantes Eccleſias, dignitate & eruditione illuſtres, concludit Tornelius de Eccleſia Quæſt. III. Art. 5. *in controverſia de Baptiſmo ab hæreticis collato, tempore Stephani ſummi Pontificis & S. Cypriani, non fuiſſe moralem unanimitatem, ſaltem completam & perfectam*. Econtra Cardinalis Orſi *Tom. II. pag.* 78. " Juxta communes, *inquit*, „ & pervulgatas notiones, tamdiu permanere cenſetur in „ aliqua ſocietate *moralis unanimitas*, quamdiu quorun- „ dam reſiſtentia non impedit, quominus univerſæ ſocietati

„ quidquam abſolutè ac ſimpliciter tribuatur. At quæ-
„ cunque fuerit Eccleſiarum Africæ & Aſiæ &c. reſiſten-
„ tia, hæc S. Auguſtinum & alios Patres minimè impedi-
„ vit, quin admittendi ſine novo baptiſmo hæreticos con-
„ ſuetudinem univerſæ Eccleſiæ tribuerent: ergo non de-
„ fuit in hac controverſia *moralis* Epiſcoporum *unanimi-*
„ *tas* &c. " Citat deinde Orſus varia S. Auguſtini loca, quibus probat, etiam *tempore S. Cypriani* fuiſſe *univerſalis* Eccleſiæ conſuetudinem hæreticos non rebaptizandi; & manet nihilominus inconcuſſa S. Auguſtini ſententia ſupra relata, *ſe non audere tale quid aſſerere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritas per plenarium Concilium fuerit eliquata & ſolidata*. Ergo quam illa de rebaptizatione ſententia culpabilis, tam hæc de Romano Pontifice & conſentientibus ei Epiſcopis culpa vacat. Porro ſi Orſum ſequimur, Auguſtinus obſervantiam & ſententiam *plerarumque* ſegregatarum Eccleſiarum *univerſali* Eccleſiæ attribuit, & tamen multo majorem vim & auctoritatem agnoſcit in plenario Concilio, tanquam quo veritas *eliquatur* & *ſolidatur*: Si ad Tournelium attendimus, tam implexa res eſt dignoſcere, an adſit moralis illa unanimitas, ut doctiſſimi Theologi poſt diligens examen *facti*, ex Hiſtoria ubertim conſcripta prominentis, de *jure* convenire non poſſint, in cauſa, quæ in ea, quam tractamus, quæſtione pro exemplo & norma ſervire deberet, & pro tali uſurpari ſolet. Add. infra num. 5.

(3) Diximus, actum fuiſſe de *Dogmate*, atque in eo ſententiam Vincentii Lirinenſis ſequimur; Cardinalis Orſus econtra tenet, eſſe punctum *Diſciplinæ*: *Agnoſcimus ergo*, inquit ille pag. 60. *in Stephani decreto auctoritatem Cathedræ PRÆCIPIENTIS, non Cathedræ DEFINIENTIS. Idque probant Auguſtini verba*, quibus dicitur, Stephanum Cypriano *ad iſta non conſenſiſſe, verum etiam contra ſcripſiſſe atque PRÆCEPISSE*. Aſt ſicuti Cypriani & Africanorum factum contradicit *infallibilitati* Romani Pontificis, ſi (quod num. 1. probavimus) præceptum Stephani *dog-*

ma-

matiſum fuit, ita repugnat *Monarchiæ*, ſi reputetur pro *diſciplinari*: non enim *juſtitiæ* tantum, ſed quam maximè *poteſtatis* defectum in Stephano Cyprianus incuſat, dum quærit, quis eum *Epiſcopum Epiſcoporum conſtituerit*, id eſt, talem, qui valeat Epiſcopis *præcipere*.

[4] Hanc de Baptiſmo controverſiam (poſtquam ſeptuaginta circiter annis, etiam ſub Stephani ſucceſſoribus, maximè ſub Sixto Papa, duraverat) *plenario* demum Concilio definitam eſſe, teſtatur S. AUGUSTINUS *Lib. IV. de Bapt. cap.* 9. Alii putant Arelatenſi, alii Nicæno; verius poſteriore. Vid. Natal. Alexandr. *Hiſt. Eccleſ. Tom. III. Diſſert.* 24. *in Sæc. III.* Cæterum conſtat ex Euſebii *Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. cap.* 5. & aliis coævis monumentis, Stephanum Papam, quod Cyprianus cum ſuis Africanis ejus ſententiæ ſubſcribere recuſaret, ab eorum communione vel actu abſtinuiſſe, vel ſaltem (quod aliqui opinantur) ſe id facturum comminatum eſſe, imò verius tentaſſe. Quod vel ideo minus probat AUGUSTINUS *Lib. I. de Bapt. contra Donatiſtas cap.* 7. & *Lib. IV. cap.* 6., quia hæc quæſtio tunc nondum ſatis erat *eliquata*, nec ab univerſali Eccleſia *deciſa*. Prudentior & moderatior in Cypriano erat agendi ratio: utramque deſcribit S. Hypponenſis Epiſcopus *Lib. V. de Bapt. cap.* 25. nimirum: *Stephanus abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur: iſte autem* (Cyprianus) *quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent; ita quamvis commotius, tamen fraternè indignaretur*. Itaque præcipitantius voluit Stephanus excommunicare, aut actu excommunicavit Cyprianum, quem, uti videre eſt in Epiſtola Firmiliani, appellat *Pſeudo-Chriſtum*, *Pſeudo-Apoſtolum*, & *doloſum operarium*, cum quali hominum genere nulla in Sacris ſtare communio poteſt; moderatius econtra Cyprianus communionem cum Romano Pontifice, & his, qui cum eo ſentiebant, non abrupit; unde factum, referente ſic porro AU-

AUGUSTINO, *ut vincente pace Chriſti in cordibus eorum, in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur*. Ex iis, quæ ſuprà *cap. III. §.* 4. tradita ſunt, abundè intelligitur, tales excommunicationes nullam juriſdictionis ſpeciem involvere aut ſupponere. Optandum equidem eſſet, ut ſimiles in Eccleſia diſſenſiones nunquam eveniant; quod ſi tamen accideret, qui prudentior ſanctiorque foret, is Cyprianica moderatione, Auguſtino & bonis omnibus probata, uteretur; certum etenim firmumque ſemper ſtabit illud ejuſdem S. AUGUSTINI aureum effatum: *Præſcindendæ unitatis nulla unquam juſta poteſt eſſe neceſſitas*. Pluribus de his tractat Boſſuetius *Defenſ. Cleri Gallic. Lib. XIV. a cap.* 3. *ad* 10. Probat autem *ibid. cap.* 5. illud Stephani Papæ contra rebaptizantes decretum, tota Sedis Apoſtolicæ auctoritate factum, & Cyprianum cum ei adhærentibus à Stephano actu excommunicatos fuiſſe. Adde ejuſdem Diſſertationem præliminarem, editioni Gallicæ anni 1745. adjectam, *a §. 67. ad* 77.

(5) Tradunt equidem adverſæ partis Theologi, eam in ſentiendo unanimitatem ſufficere, quæ ſit totius *Corporis Eccleſiæ*, quippe cui inerrantiæ donum promiſſum eſt; atqui inquiunt, unanimitas multitudinis Epiſcoporum, qui Capiti ſuo Romano Pontifici adhærent, eſt moralis unanimitas totius Corporis Eccleſiæ &c. Eccleſiam enim *omnibus ditbus* alicubi eſſe oportet: ergo vel eſt cum morali Epiſcoporum unanimitate, vel cum paucis contradicentibus, quo poſteriore nihil abſurdius. Verùm non ſic ratiocinabatur AUGUSTINUS, qui poſtquam Lib. de Bapt. contra Petilianum cap. 14. ſcripſiſſet: *multos cum illo*, Stephano, *quoſdam cum iſto*, Cypriano, *ſenſiſſe*, mox ſubjungit, *utroſque cum eis in unitate conſiſtentes* manſiſſe: atqui ſi major Epiſcoporum numerus cum Rom. Pontifice legem facerent, nec Cyprianus, nec reſpectivè pauci cum ipſo ſentientes in unitate remanſiſſent; ergo &c. Conf. *§. præced. n.* 14. *&* 15.

Cum

Cum totum præſens Opus cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quin & ſaniori judicio prudentum & doctorum virorum ſubſternamus, facimus id nihilominus ſingulariter intuitu illorum, quæ hoc & præcedente §. tractata ſunt: atque id eo quidem facilius, quod hæc ſine minimo totius Tractatus præjudicio, aut honeſtiſſimi finis in eo propoſiti diſpendio, potuiſſent prætermitti, atque unico veritatis indagandæ magiſque explicandæ ſtudio eruditis ponderanda propoſita ſunt.

§. X.

Legitimitas appellationis à Romano Pontifice ad Generale Concilium, proinde hujus ſuperioritas, omnibus Sæculis & ab omnibus Nationibus in Eccleſia agnita fuit.

Oportet, ut in omni Rep. ſit judicium abſolutè ſupremum. Tale in Eccleſia eſt Univerſale Concilium; ſiquidem juxta hactenus deducta, Status *Monarchicus*, ſi inſtitutum Chriſti & genuina Diſciplina Eccleſiæ apud nos valeant, ab hac penitus exulet. Itaque de legitimitate appellationis à Pontifice ad Concilium dubitandum non erit: Sic ſenſit S. AUGUSTINUS, dum de judicio Romano adverſus Donatiſtas à Papa Miltiade lato, *Epiſt.* 162. ita ſcribit: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe judices: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*. Cum idem S. Doctor in ea, quam ſuperiore §. tractavimus, Quæſtione de Hæreticorum Baptiſmo *Lib. II. de Bapt. cap.* 4. & 9. ſcriberet: *Quæſtio tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta eſt. Neque nos tale quid auderemus aſſerere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritate firmati; cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur*: non potuit non Concilii præ Pontifice ſuperioritatem, & legitimum ordinem recurſus

ab

ab hoc ad illud agnoſcere & publicè profiteri. Itaque quoad ſubſtantiam hæ appellationes, ſeu recurſus, antiquiſſimi ſunt: Juvat id pluribus hic exponere verbis Ludovici Hericourt *Loix Eccleſiaſtiques Part. I. cap. 25.* ubi: " Les appellations au „ futur Concile ſont plus anciennes au fond, que dans la for- „ me. En effet on étoit perſuadé dans les premiers ſiécles de „ l'Egliſe, que le Pape n'eſt point infallible & on s'oppoſoit „ à ſes deciſions, tant ſur le Dogme, que ſur la Diſcipline, „ juſqu'à ce, qu'elles fûſſent confirmées par le Corps des Pa- „ ſteurs. Les Aſiatiques ne furent pas regardés comme ſeparés „ du corps de l'Egliſe, quoi qu'ils n'ayent point voulu ſe ſoû- „ mettre à la deciſion du Pape Victor, qui les avoit excommu- „ nié au ſujet de la celebration de la Paque. Saint Cyprien, „ qui étoit dans l'erreur ſur le batême des Heretiques, mourut „ dans le ſein de l'Egliſe, qui celebre ſa fête non obſtant l'ex- „ communication prononcée contre lui par le Pape St. Etienne. „ La raiſon qu'en rend S. Auguſtin dans le livre II. du Batême, „ c'eſt que cette queſtion n'étoit point encore ſuffiſament eclair- „ cie, & que les raiſons du Pape Etienne n'étoient point aſſes „ fortes pour emouvoir l'ame de ſaint Cyprien. Ailleurs S. „ Auguſtin avouë, qu'il n'oſeroit point décider cette queſtion, „ ſi l'autorité d'un Concile General, *plenarii*, à la quelle S. „ Cyprien auroit cedé lui-même, ne l'avoit determiné. „ Le même Saint dit aux Donatiſtes, que s'ils avoient „ ſujet de ſe plaindre du jugement du Pape Melçia- „ des, ils pouvoient s'adreſſer au Concile Univerſel *reſtabat* „ *adhuc plenarium Eccleſiæ Concilium*. Neſtorius fut appellé „ au Concile d'Epheſe, pour y prendre ſa place entre les Evê- „ ques, quoiqu'il eut été condamné par le Pape Celeſtin, qui „ l'avoit excommunié, s'il ne ſe retractoit dans dix jours. La „ celebre Epître de ſaint Leon contre l'Eutichianiſme avoit été „ approuvée par les Evêques d'Italie, des Gaules, & d'une „ partie de l'Orient; mais les oppoſitions des Evèques de „ l'Ilirie engagerent le Pape à demander à l'Empereur „ Theodoſe, qu'il aſſemblât un Concile General. Le cin- „ quiéme Concile condamna la lettre d'Ibas contre la de-

ciſion

„ ceſſion du Conſtitutum de Vigile . Sophronius Patriarche
„ de Jeruſalem s'eleva contre la lettre d'Honorius , & le
„ ſixiéme Concile condamna cette lettre comme contraire
„ aux Dogmes Apoſtoliques & aux definitions des Saints Peres .
„ On trouve dans l'Hiſtorie Eccleſiaſtique pluſieurs autres exem-
„ ples d'oppoſitions formées aux Decrets des Papes, qui en
„ ont ſuſpendu l'effet juſqu' à ce, qu' ils euſſent été acceptés
„ pas l'Egliſe aſſemblée dans un Concile Œcumenique . " Adde Ill. Boſſuetum Defenſ. Declar. Cleri Gall. Lib. XVI. cap. 23. ubi : *Novum ſit fortaſſe vocabulum* ; *ipſa res antiquiſſima* , & *cum ipſius Eccleſiæ conſtitutione conjuncta eſt* .

In omnibus itaque his factis nulla equidem *formalis appellatio* ; at variæ ſpecies *recurſuum* à gravaminibus Pontificum ad generale Concilium . Erant hi modi recurrendi priſtinæ Diſciplinæ, & illi ævo accomodati, quo necdum judiciaria , propriè dicta , eaque abſoluta poteſtas penes Romanum Pontificem reſidere exiſtimabatur . Mutata hac in parte externa Eccleſiæ Diſciplina, & remanente ſemper inter fideles idea ſuperioritatis Concilii ſupra Papam, creditum fuit , veræ appellationis ſpecie, tanquam forma proceſſui judiciario magis accommodata , utendum eſſe . Duravit hic appellationis modus multis ſæculis, præſertim in Gallia, uſque dum ibidem reciperentur appellationes *ab Abuſu*, de quibus amplius agemus infra *cap. IX.* In hoc multò commodiore, nec minus legali inſtituto, eadem vis inveniebatur ad reprimendos exceſſus Pontificiæ auctoritatis .

(1) Tam frequentes fuere & ordinariæ in Eccleſia inde ab initio Sæculi XIII. formales appellationes à Papa ad Concilium, ut illarum à diverſis nationibus, ſcilicet Germanis, Anglis, Gallis , Italis, Hiſpanis & Polonis injectarum, integram Centuriam hic recenſere, haud adeo foret difficile ; juvat autem aliquas ſaltem ad ſpeciem delibare . Et primum quidem Fridericus II. Imp. anno 1239. á ſententia Gregorii PP. IX. appellaſſe legitur apud Matthæum Paris in Hiſt. mai. pag. 454. ubi, *Ecce* , inquiebat, *quod ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales per ſanguinem Jeſu Chri-*

ſti & ſub obteſtatione Divini judicii per litteras noſtras & Nuntios obteſtamur, ut Generale Concilium Prælatorum, & aliorum Chriſti fidelium debeant evocare. Et poſtea pag. 466. *Nos autem, qui proceſſum hujuſmodi temeritate plenum & juſtitia vacuum habebamus, ad Fratres ſuos litteras & legatos transmiſimus, Generale petentes Concilium convocari*. Anno 1246. Eccleſia Anglicana appellavit ad futurum Concilium ab impoſitione tributorum facta per Innocentium III. apud eundem Matthæum pag. 953. Anno 1251. Conradus IV. Imp. ab injuſto proceſſu & gravamine inferendo per Innocentium IV. in Steph. Baluzii *Miſcellaneis Tom. I. pag.* 482.

(2) Anno 1304. Philippus Pulcher cum adhærente ei Clero Regni Galliæ ſimiliter appellavit contra Bonifacium VIII. Marca *de C. S. & I. Lib. IV. cap.* 16. *n.* 7. Galterus Epiſcopus Pictavenſis a Clemente Papa V. ob prætenſam contumaciam condemnatus, & ſuo Epiſcopatu privatus, cum paulo poſt lethali ægritudine infirmatus, ad extrema deveniſſet, appellavit à Pontificis ſententia, ſeu ad judicium Dei, ſeu ad futurum Concilium, ac membranam appellationis, animam exalando, anno 1306. die 21. Jan. in manum ſuam inferi juſſit, cumque ea tumulari voluit. Gallia Chriſt. *Tom. II. col.* 1188. *nov. edit.* Parem appellationem anno 1323. interpoſuit Ludovicus Bavarus, hujus nominis IV. Imp. Extſtat hujus appellationis documentum in Libro Hervardi Cancellarii Ducis Bavariæ apud Freherum *Script. Rer. Germ. Tom. I. in Append. pag.* 19. Michael Cæſenas Ordinis Minorum Generali ob controverſiam de paupertate Chriſti & uſu ac dominio rerum a Joanne XXII. hæreſeos damnatus, die 13. Junii an. 1328. appellavit ad Eccleſiam Catholicam & ad futurum Concilium. VVaddingus *Annal. Minor. d. an. n.* 18. Rinaldus *cod. an. n.* 64.

(3) Anno 1408. antiqui Cardinales Gregorii Papæ XII. a variis ſibi ab eo inflictis gravaminibus appellarunt ad generale

rale Concilium, tanquam in quo Pontificum actiones ſoleant examinari & judicari. Fleury. *Hiſt. Eccl. Tom. XX. Liv. C. n.* 8. Anno 1418. 22. Aprilis, dimiſſo eo die Concilio Conſtantienſi, Poloniæ Regis Legati ad futurum œcumenicum Concilium appellarunt a Martino V., à quo ſine effectu petierant, ut Librum Joannis Falckenbergii, jam in ſecretis Congregationibus damnatum in publica Seſſione condemnari faceret. Boſſuet. *Lib. XV. cap.* 27. Anno 1427. die 22. Martii Henricus Archiep. Cantuarienſis appellavit ad futurum Concilium à decreto Martini V. quo eum ſuſpendit & reſpective privat exercitio quorundam jurium ſuo Archiepiſcopatui & Primatui annexorum, apud Wilkins *Concil. magnæ Britan. Tom. III. pag.* 485. Eodem anno Regens Angliæ ad univerſale Concilium appellavit à bulla Legationibus data die 18. Martii ejusd. anni Henrico Cardinali ad perſequendum armis ſpiritualibus & temporalibus Wicleſiſtas & Huſſitas, qua hic Legatus ſine venia Regis uti præſumebat. Continuatio Fleury *Tom. XXI. Liv. CV. n.* 21. Anno 1431. Cardinalis Dominicus Capranica provocavit ab Eugenio IV. & Cardinalibus ab eo ad judicandam cauſam ejuſdem Dominici delegatis, ad Concilium Baſileenſe eo anno inchoatum. Baluzii *Miſcellan. Tom. III. pag.* 273. Anno 1460. Univerſitas Pariſienſis appellavit à Bulla Nicolai V. data favore Religioſorum Mendicantium adverſum jura Parochorum. Fleury *Continuat. Tom. XXIII Liv. CXI. num.* 14. Sigiſmundus Dux Auſtriæ eodem anno appellavit ad futurum Concilium à bulla excommunicationis Pii II. in eum latæ propter violentias commiſſas adverſus Cardinalem de Cuſa, Brixienſem Epiſcopatum, contra uſum & diſciplinam Germaniæ, in Commendam tenere volentem. Freherus *Script. Rer. Germ. Tom. II. pag.* 121. *&* 125. Eodem anno Joannes Dauvet Caroli VII. Regis Galliæ Procurator generalis cum reverentia ſe oppoſuit bullæ *Execrabilis* ejuſdem Papæ Pii II. quà appellationes ad futurum Concilium ſub pœna excommunicationis interdicuntur, hac uſus elo-

cutionis forma : *Neque enim æſtimandum eſt, eundem Sanctiſſimum Dominum noſtrum per Litteras, quas Mantuæ publicaſſe fertur, quæ incipiunt EXECRABILIS ET INAUDITUS &c. voluiſſe prohibere, ut in nullo caſu, ſive tangat conſervationem orthodoxæ fidei, ſive extirpationem ſchiſmatis, ſive univerſalem reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris, ſuper gravaminibus, quæ per aliquem ſummorum Pontificum inferri contingeret Principibus & Regionibus, liceat quovis modo habere* recurſum *ad judicium plenarii Concilii; cum ſub generali prohibitione non veniant ea, quæ ſpeciali prohibitione indigerent, & præſertim talia, ex quibus læſio fidei orthodoxæ, ſchiſmatum fomenta, atque graviſſima decoloratio ſtatus Eccleſiæ univerſæ ſequi poſſet*. Dietherus Archiepiſcopus Elector Moguntinus anno 1461. ſimiliter appellavit ab exceſſiva taxa Annatarum ſuæ Archidiœceſi impoſita apud Gudenum *Cod. Diplom. Mogunt. Tom. IV. pag.* 344. Anno 1467. Univerſitas Pariſienſis ad futurum Concilium provocavit ab abolitione Pragmaticæ Sanctionis. Spondanus *Continuat. Annal. d. an. nu.* 3. Philippus I. Archidux Auſtriæ, quà Dux Brabantiæ, die 28. Maji 1497. à diverſis abuſibus, qui ab Alexandro VI. Papa in collationibus beneficiorum comittebantur, ad Concilium generale appellavit. Vid. documentum in libro anno 1672. Antverpiæ edito ſub tit. *Ordinantien, Statuten, edicten en placcaerten*.

[4] Similis appellatio Capituli Cathedralis Pariſienſis annis 1501. & 1502. à cenſuris adverſus ejuſdem Capituli & Eccleſiæ beneficiatos ac ſubditos comminatis. Concluſa Capitularia deſuper edita proſtant in *Collectione Mandatorum Card. Noaillii pag.* 650. *ſeqq.* Reſp. Veneta anno 1509. ab excommunicatione Julii II. ad futurum Concilium provocavit. Raynaldus *d. an. n.* 6. & 13. Spondanus *eod. an. n.* 1. Idem anno 1511. fecit Reſp. Florentina. Eodem appellationis remedio anno 1517. uſa eſt Pariſienſis Academia uti & Parlamentum Regium pro defenſione Canonicarum Electionum & Juris communis adverſus Concor-

datum

datum Bononienſe, & Pragmaticæ Sanctionis abrogationem. Continuation de Fleury *Tom. XXV. Liv. CXXV. n.* 13. *&* 54. Nec minus anno 1526. Carolus V. Imp. appellavit à decretis Clementis VII. Vid. Goldaſti *Conſtit. Imp. Tom. I. pag.* 500. Add. Lunig *Spicileg. Eccleſ. Part. I. pag.* 435. Denique, ut plura alia omittam, anno 1688. Achilles de Harlay Procurator Regius appellationem ad futurum generale Concilium interpoſuit à quocunque gravamine per Innocentium Papam XI. regno Galliæ inferendo. Obſervandum tamen, hoc remedium, in ſe ſpectatum, in pleriſque caſibus ſapere aliquid imbecillitatis aut ignorantiæ Juris; ſiquidem appellare a Papa, erat ejus recognoſcere auctoritatem, quæ plerumque deficiebat. Aptior itaque eſt, quæ & in ſimilibus caſibus poſtea receptior fuit, appellatio *ab Abuſu*.

(5) Fieri equidem nequit, ut Papa à ſe ipſo ad Concilium appellet; adſunt tamen exempla, quibus Pontifices eos, qui ad ſe pro remedio recurrerunt, ad generale Concilium remiſerunt. Unum præbet Innocentius III. *Lib. III. Regeſt.* 15. *Epiſt.* 104. ubi in gravi negotio diſſolutionis matrimonii ſcribit ad Philippum Auguſtum: *Non auderemus ſuper hujuſcemodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire, propter illam ſententiam Evangelicam, quam ipſe Chriſtus expreſſit; ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, cum abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo ſuffragentur. Verum ſi ſuper hoc abſque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officii nobis periculum immineret, cum contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.* Quod ſanè nihil eſt aliud, quam cauſam ad futurum Concilium remittere, cujus amplior ſit auctoritas, quam Pontificis, & à quo ipſe periculum ordinis & officii metuere poſſit. Plura ſuppeditat Launoius *Lib. II. Epiſt.* 7.

§. XI.

§. XI.

Dilucidatur ulterius materia appellationum à Romano Pontifice ad futurum Concilium; & declaratur, quibus caſibus illæ obtineant.

Quod in actionibus hominum ut plurimum uſuvenit, ut in exercitio nonnullorum, imò plerorumque jurium detur *legitimus uſus* & reſpectivè *abuſus*; id pariter accidit in iis, de quibus hic agimus, Appellationibus. Legitimum earundem uſum deſignavit in ſuo actu appellationis à Conſtitutione Pii II. laudatus priore §. regius Procurator Joannes Dauvet, ſcilicet in caſibus, qui tangunt *conſervationem orthodoxæ fidei, extirpationem ſchiſmatis, & univerſalem reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris*; item *ſuper gravaminibus, quæ per aliquem ſummorum Pontificum inferri contingeret Principibus & Regionibus*. Abuſum econtra notavit PIUS II. in eadem, de qua tunc agebatur, Conſtitutione *Execrabilis*, in verbis: *Calumniatores malevoli & perverſi ſubterfugere juſtitiam præſumentes, per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id, quod nuſquam eſt, obedientiam improbè declinant & temerè*. Etenim & alii Pontifices, nominatim JULIUS II., & GREGORIUS XIII. has appellationes ſeverè & *generatim* inhibuerunt, atque inter hos poſtremus eandem prohibitionem Bullæ *Cœnæ Domini* inſeruit. Verum nemo prudenter ſuſtinebit, eſſe in Romani Pontificis poteſtate, cum præjudicio Univerſalis Eccleſiæ, antiquorum Canonum, ordinis Epiſcopalis, Principum & Regnorum, jura antiquitati ignorata, id eſt ſuperioritatem præ Univerſalibus Conciliis, ſibi adſcribere. Ea ratione memoratæ Bullæ in Statibus Catholicis nunquam fuerunt receptæ; quod de Bulla *Cœnæ* ſpeciatim indicavimus *cap. V. §. 3. n. 5.* Adde Ill. Boſſuetii Defenſionem Declarationis Cleri Gallicani *Lib. XV. à cap. 26. ad 31.*

(1.) Ad hoc, ut quis appellare poſſit ad judicem ſuperiorem, debet tribunal ejus exſtare. Sed quid ſi hoc deficiat ſtudio

&

& machinatione ejus, à cujus judicio provocatur, præſertim obtentu ſupremæ & irreformabilis auctoritatis; an eo minus juſta & legalis erit appellatio, aut propterea ſuo carebit effectu? Non poterit hoc caſu appellatio haberi tanquam illuſoria & fruſtratoria, dummodo appellans ſerió diſpoſitus ſit ad ſe ſubmittendum deciſioni ſupremi illius judicii; qui certè animus defuiſſe videtur appellantibus Lutheranis, & omnibus iis, qui Eccleſiam agnoſcere nolunt ut Matrem & Magiſtram.

(2) Si decreta plurium Conciliorum ſervarentur, quæ ea ſtatis temporibus renovanda & cogenda ſanxerunt, haberet Eccleſia certum promptumque remedium occurrendi & medendi pluribus incommodis, quibus nunc affligitur. Subſiſtit ſanè tribunal Œcumenici Concilii in voto Eccleſiæ, &, ut ita loquar, in *Jure*. Vigore expreſſorum Decretorum Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis illud ſingulis Decenniis congregandum eſt; *Ut ſic per quandam continuationem, ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur*. Concilium. Conſtat. Seſſ. 39. *Quem terminum liceat ſummo Pontifici de fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio, ob emergentes fortè caſus abbreviare; ſed nullatenus prorogetur*. ibid. In litteris indictionis ALEXANDRI III. pro convocatione Concilii Lateranenſis III. an. 1179. apud Labbæum *Tom. X. Concil. col.* 1505. inter cætera ſcribitur, Concilia *Generalia* cumprimis utilia eſſe, *quod* in iis *bonum ſecundum conſuetudinem antiquorum Patrum providéatur, & firmetur à multis: quod, ſi peculiariter fieret, non facilè poſſet plenum robur habere*. Nemo rerum Sæculi XVI. benè gnarus dubitabit, quin à Tridentino Concilio, ſi illud prima poſt natas hæreſes occaſione congregatum fuiſſet, potuerit obveniri infinitis illis malis Germaniam aliaque regna & provincias deſolantibus, quæ deinde immedicabilia facta ſunt per moram & diuturnas illas deliberationes, An Concilium convocandum eſſet, nec ne?

(3) Sunt equidem haud exiguæ difficultates congregandæ & celebrandæ Synodi Univerſalis; ſed nemo ignorat, maximas remoras & obſtacula naſci ex horrore ferè invincibili & oppoſitione Romanæ Curiæ adverſus ſanctiſſimum ac divinum hoc inſtitutum, ad cujus ſolum ferè nomen ea contremiſcit inde à Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis. Noti ſunt motus illi tantum non infiniti Caroli V. Imp., & Franciſci I. Regis ſollicitationes, imò minæ, quibus tandem, licet ſerius, effectum eſt, ut Concilium Tridentinum convocaretur, & deinde diſſolutum reſtauraretur. Vid. infra *cap. IX.* §. 3. Frequentior Conciliorum celebratio Romanos Præſules eis tandem adſueſceret, inſimulque præberet occaſionem deliberandi, ſtatuendique de mediis, quibus Epiſcoporum ad ea acceſſus minus redderetur difficilis. Cæterum ſi ſaluberrimæ leges de frequentandis Conciliis non obſerventur culpa eorum, quibus ejus rei executio ſecundum ſtatum modernum ab Eccleſia commiſſa eſt, ingemiſcit hæc meritò; aſt inde minimè concludi valet, Appellationem ad Concilium propterea tanquam illegitimam & fruſtratoriam taxari poſſe ab iis, quorum facto eadem Concilia negliguntur.

(4) Sicut ab omni alia Synodo, ita maximè ab illa, ad quam à ſummi Pontificis decreto appellatum eſt, exulare debent vis, metus, & quidquid aliud plenæ libertati poſſet officere; ex quo nemo libenter ſe ſubmittat deciſioni, quam prudenter exiſtimat eſſe ejuſdem judicis opus, à quo provocavit. Neque ſic præjudicabitur Papæ præſidio, ad quod pertinet curare, ut ſervetur ordo, impediantur factiones; non verò præſcribere & dictare ea, quæ collegiali judicio decidenda ſunt; aut dominari ſive apertis modis, ſive obliquis viis, aut ſecretis motibus. Abſint factiones, reliqua ſalva erunt ex Chriſti promiſſo, qui diſcipulis ſuis & eorum ſucceſſoribus dixit, ſe cum eis futurum uſque ad conſummationem ſæculi.

§. XII.

§. XII.

Magna Generalium Conciliorum in negotiis fidei utilitas ; & ex horum neglectu hæreſum propagatio .

Major eorundem pro conſervanda , & reſtauranda Diſciplina neceſſitas .

Concilium Tridentinum uberem adhuc reformationis meſſem poſt ſe reliquit , à futuris Conciliis Univerſalibus colligendam .

Si ex una parte multum expedit pro conſervanda puritate fidei univerſalia Concilia haud rarò cogi ; adeo quidem , ut ſi ea ſæpius congregata fuiſſent , Chriſtianus orbis ſub duriſſimis illis hæreſum ponderibus veroſimiliter non gemiſceret : exigit ex altera parte Eccleſiæ utilitas, quin & neceſſitas, ut illa frequenter celebrentur pro conſervanda & reſtauranda eccleſiaſtica Diſciplina , quæ quaſi continuo frœno indiget . Qui genuinos Eccleſiæ Canones eorumque ſenſum ac ſpiritum perſpectum habent , ii ſatis ſuperque ſentiunt , multum abeſſe, ut per Canones Concilii Tridentini ſacra Diſciplina in eum ſtatum reſtituta ſit , in quo illam videre ipſimet Tridentini Patres optaverunt . Omnium hanc in rem teſtimoniorum & documentorum loco eſſe poteſt declaratio & proteſtatio anno 1563. ſub finem Tridentinæ Synodi facta à *CAROLO CARDINALE A LOTHARINGIA* , quæ proſtat in Libro *Memoire pour le Concile de Trente pag.* 571. hoc tenore : *Cum nudius tertius meam de reformationis articulis dicerem ſententiam , præfatus ſum , etiam me valdè cupere , ut priſca illa Eccleſiaſtica reſtitueretur diſciplina : ſed cum his corruptiſſimis temporibus & moribus intelligam, non poſſe ea , quibus maximè opus eſt , protinus adhiberi remedia ; interim aſſentiri & probare ea, quæ nunc ſunt decreta : non quod ea judicem ſatis eſſe ad integram ægrotantis Reip. Chriſtianæ curationem, ſed quod ſperem , his prius lenioribus fomentis adhibitis , cum graviora medicamenta pati potuerit Eccleſia, Pontifices Maximos,*

& maximè ſanctiſſimum Dominum noſtrum Pium, pro ſua inſigni pietate & prudentia, diligenter curaturum, ut ea, quæ deſunt, implens, & efficaciora inveniens remedia in uſum veteribus jam diu abolitis revocatis Canonibus, & maximè quatuor veterum illorum Conciliorum, quæ quantum fieri poterit, obſervanda cenſeo, vel ſi expedire videbitur, frequentiori Conciliorum Œcumenicorum celebratione, morbum ab Eccleſia propulſans, eam ſuæ priſtinæ reſtituat ſanitati. Hanc autem meam mentem & ſententiam, tum meo, tum omnium Galliæ Epiſcoporum nomine, ad Acta referri volo, & ut fiat, à Notariis peto & poſtulo. Multò provectiorem poſt Tridentinam Synodum apparituram fuiſſe Diſciplinæ reformationem, niſi egregiè obſtitiſſent Romanorum & Curialiſtarum, propriam ſuam & ſuorum reformationem toto ſtudio declinantium, indefeſſa molimina, quæ omnem Patrum ardorem & conſtantiam fregerunt, ac per hoc effecerunt, ut graviora reformationis capita ad directionem & nutum Romanæ Curiæ identidem revocarentur, atque hac via ſepelirentur, diſcimus, & hoc loco memoramus, non ex Scriptoribus Proteſtantibus, nec ex Paulo Sarpio, aut alio quocunque Romanæ Sedis oſore, ſed ex viro probo & candido, rerum in Tridentina Synodo geſtarum gnaro atque oculato teſte, Franciſco de Vargas, Regis Hiſpaniæ in eodem Concilio Oratore, qui Parte I. Commentarii *Quis ordo deceat in Conciliis, & quænam ibidem ſint Legatorum officia*, ſic inter cætera fatur: " Sæpè „ diſputatum fuit, an (in) Concilio ſe applicarent ad refor- „ mandos abuſus ante dogmatum examinationem. Omne ma- „ lum fatebantur è prava conſuetudine invecta originem trahe- „ re. Eſſe eundem fontem hæreſum ajebant. Ac certè præ- „ bere hanc occaſionem hæreticis, ut in dies inſolentiores fiant, „ & audacia efferantur. Poſtquam igitur conventum, ut eo- „ dem tempore dogmata perluſtrarent, ac de tollendis diſqui- „ rerent erroribus, & ut *conjunctim* hæc duo pertractanda aſſu- „ merentur, Legati idem ſe comprobare ſimularunt. Hinc ſta- „ tim ab initio de pravo Scripturæ Sacræ uſu quædam allata. „ Sed ubi ad mores ac diſciplinam pedem promoverunt, tam „ pauca geſta ſunt, & quæ tot modis atque limitibus circum-

ſcri-

„ ſcripta, ut longè præſtitiſſet, hoc quidquid erat ſuo loco
„ fuiſſe relictum. Pudor non erat omnia Romæ iterum reſcin-
„ di, quod & in conſpectu totius Orbis atque Concilii facere
„ univerſi haud dubitarunt, quæ Tridenti erant determinata.
„ Jucundum nempè videbatur, & vel maximè decorum, ani-
„ mum nullo fractum timore præ ſe ferre; quando per Con-
„ cilium decreta edebantur Curiæ Romanorum adverſa. Nihil
„ erat, cui diligentius Legati invigilarent, quam ubi Reforma-
„ tionem, acriorem præſertim, ſibi turbare licebat, & cura ideo
„ præcipua fuit, Epiſcoporum conſilia expiſcari. Vide verò,
„ qua ratione ad finem hunc aſpiraverint. Primò quidem ver-
„ bis haud obſcurè indicabant, quam prompti eſſent ad labores
„ pro reformatione, etiam graviſſimos, ſubeundos; & in me-
„ liorem horum probationem dixerunt, tempus jam denique
„ ſalutem omnibus promittere. Poſtmodum ab Epiſcopis, Hi-
„ ſpanis præcipuè, petierunt, ut ſecum annotationes commu-
„ nicarent, quas abuſibus ipſi, & modo eiſdem occurrendi
„ ſubſtituiſſent; has enim inſtar regulæ ac inſtructionis ſibi poſſe
„ ſervire. Epiſcopi igitur, rem ita probè confectam rati, opti-
„ ma fide tradiderunt obſervationes, & quæ animo volverent,
„ haud ægrè aperuerunt. Sed hæc eorum ſinceritas eò tandem
„ profuit, ut Legatis de mente ſimul Epiſcoporum, & per
„ quas diſpertiti, provinciarum conſiliis conſtaret; neque hæc
„ quin confeſtim ad Curiam Romanam tranſmitterent, unquam
„ defuere. Ac certè demùm innotuit, Legatos eodem tempo-
„ re ſtudio incubuiſſe contra propoſitiones, quarum expeditio
„ imminebat. Erat qui Epiſcopis hæc retia præmonſtrabat, (Fortè Vargas ipſe.)
„ quæ facilis omninò via eſſet incurrere.

„ Poſtquam mores Legatorum toti fuerunt ex fallaciis ac
„ diſſimulatione conſuti, quamdiù Concilium inde ab initiis ſuis
„ duravit, idem quoque judicandum de eo, quod tanta animi
„ impotentia ac feſtinatione ad finem properaverint. Notum
„ eſt orbi univerſo, quibus artibus inſtructi acceſſerint. *Brevi*
„ ſibi quodam providerant, quo à Pontifice poteſtatem nacti
„ transferendi aliorſum Concilii, quando & quà ratione ipſis
ido-

„ idoneum videretur . . . . Quemadmodum facta
„ Curiæ Romanæ, quantum licet, continuo ferè ſtudio Legati
„ defendunt, contra autem loco ſuo pellunt Concilii dignitatem,
„ & quo Epiſcopi non aggrediantur, reformationi obſunt im-
„ pedimentis: ſic omnem quoque ipſi evitant occaſionem, ne
„ mentionem injiciant in Conventu etiam rerum minimarum,
„ quæ forſitan illuc tendere videantur. E re potius eſſe vide-
„ tur, ut excogitatis conditionibus ac mediis ſupprimant cau-
„ ſas, quaſi eſſet quæſtio de emptione & venditione; aut à liti-
„ bus animi, tanquam in foro agerent, donis atque promiſſis
„ eſſent abſtrahendi. Certum eſt, argumenta, à Legatis in
„ partem utramque allata, originem à Spiritu Sancto non habuiſ-
„ ſe; tendebant enim omnia ad firmandos abuſus . . . . . .
„ Nec fecerunt unquam, quin ſemper conſiliis optimo ſucceſſu
„ inſervirent. Quæ à Concilio dimiſſa, nequidem remedium
„ dicebant impoſterum admittere. Nec moratur eos, eſſe
„ damnata; hoc enim aulæ Romanæ ſufficit, quod tranquilla
„ jam diu utatur conſuetudine, qua Canones ſolummodò eli-
„ dat . . . . Penes quemque jam arbitrium eſto, an ita
„ conveniat celebrare Concilia, & num hoc verè abuſus ſit re-
„ formare? Ex eodem conſilio, Curiæ Romanæ utilitatem quæ-
„ rendi, profectum, quod tantas lites moverent legati, quibus
„ in urbe Roma reformationem, ſi quæ futura eſſet, obtine-
„ rent, non in ipſo Concilio. Sed prout in eo capite ſucceſſu
„ non adeo felici depugnarunt, ita omnem quoque induſtriam
„ ſuam in id contulerunt, ne fines poteſtatis ſuæ ultrà proferr-
„ ret Concilium, quam data ex aula Romana permiſſio requi-
„ reret; ſed gratiam ipſis potius haberet, quod nec ulteriora in
„ detrimentum ſuum auſi conſtituere. Præter hæc inventa, eò
„ præcipuè directa, ne Concilium ſe ſe extolleret, atque ne
„ quiſquam verbum ultrà faceret, quam liberet Legatis, peſſi-
„ mus quoque mos emergebat, ubi jam ſuffragia colligenda:
„ Erant inter Epiſcopos plerique ſtipendio à Pontifice con-
„ ducti, imò eum ſolum in finem ſuſtentati, ut vi-
„ ces repugnantium, ubi de Reformatione agebatur, ſibi ſu-
„ merent . . . .

Ad-

„ Adverte ergo animum ad univerſa, quæ in Con-
„ cilio hoc Tridentino contigerunt. Contra Papam magis
„ ejuſque Legatos dimicatum fuit, quo minus quod affectabat
„ iſte, in univerſum Conventum imperium exerceret, quam
„ malis obviam itum eſt, quibus graviſſimis Eccleſia premeba-
„ tur. Faxit Deus, ne majores hac ſua nequitia evadant; nec
„ enim aliud cogitant, quam omnes aſtutiæ artificiique modos
„ intendere, quibus res trahant ad Pontificis libidinem. Ita
„ quidem, ut nihil intereſſe videam, Romæne ſolus Papa cum
„ ſuis deliberet, an Patres hac ratione congregaverit. Ut di-
„ cam, quod res eſt, Romæ habetur Concilium, & quæ Pon-
„ tifex ibidem præſcripſit, hic executioni mandantur. Quicquid
„ in negotiis difficillimis conſtituitur, diu antè Pontifex juſſit
„ una cum Cardinalibus ad ſeligendas res Concilii deſtinatis. Et
„ verè dixerit quis, nos hic vivere non in Concilio, ſed in Epi-
„ ſcoporum conventu &c.“ Hactenus Franciſcus de Vargas. Adde Ejuſdem, Petri de Malvenda, veterumque quorundam Hiſpaniæ Epiſcoporum de Concilio Trid. Epiſtolas & Obſervationes *pag.* 47. *ſeqq. ed. an.* 1704. Equidem Franciſcum Vargam nonnulla durius perſtrinxiſſe non abnuam; nihilominus cum teſtè Paulo Manutio *Epiſtolarum Lib. II. Epiſt.* 1. vir fuerit, qui pietate in Deum & ſanctitate vitæ parem fortaſſe aliquem, ſuperiorem neminem habuerit, quique agnoſcente Pallavicino *Hiſt. Conc. Trid. Lib. XXI. cap.* 11. *n.* 3. religionis ſtudium, ſua doctrina, ſuique Principis pietate nihil inferius, præ ſe ferebat, quique inſuper ſcripto, non minus erudito quam pio, ad tuendam Pontificiam auctoritatem edito, ſuam fidem Pio IV. Papæ probavit: ſic de ſubſtantia eorum, quæ memorat, nimirum de Romanæ Curiæ & Miniſtrorum ejus indefeſſo labore alienandi Patres ab omni eo, quod ad reformationem aulæ Papalis, & quæ inde dependent, pertinere, aut hanc promovere potuiſſet, eo minus dubitari debet, quo facilius foret hæc Curialiſtarum ſtudia vel ex ipſo Pallavicino demonſtrare. Manſit itaque ex præallegata reſervatione & voto Cardinalis Lotharingi & Eccleſiæ Gallicanæ, imò verius Univerſæ, ſecuturæ poſt Tridentinam Synodo haud parca meſſis reformationum in Di-

ſci-

ſciplinaribus ad mentem Eccleſiæ & ſenſum genuinorum Canonum. In *diſciplinaribus* inquam; non in rebus *fidei*; circa quas nec eadem transverſa ſtudia vigebant, neqe ea, quæ in illis, commoda & humani fines intendebantur, aut agentibus proponi poterant.

(1) Vix poteſt plenariorum Conciliorum utilitas & neceſſitas melius intelligi, quam ex oppoſitione facta per Euſebium in Vita Conſtantini inter Imperatores Licinium & Conſtantinum: De illo tanquam perſecutore Eccleſiæ refert. Lib. I. cap. 51. *Lege lata præcepit, ne Epiſcopi uſpiam inter ſe de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius Eccleſiam ventitare liceret, & Synodos ac Concilia de communibus negotiis habere*. Addit deinde Euſebius: *Si præcepto paruiſſent, Eccleſiaſticas leges convelli oportebat. NEQUE ENIM MAJORIS MOMENTI CONTROVERSIÆ ALITER QUAM PER SYNODOS COMPONI POSSUNT*. Alià planè ratione agebat Conſtantinus eodem teſte Euſebio cit. cap. 51. *Nam is Sacerdotes Dei, pacis & concordiæ mutuæ cauſa, in unum convacabat*. Repræſentat eum Euſebius cap. 44. tanquam Principem decoris & unionis in Eccleſia ſervandæ pro officio ſtudioſum: *Eccleſiæ Dei*, ait, *præcipuè curam gerens, cum PER DIVERSAS PROVINCIAS quidam inter ſe diſſentirent, ipſe velut communis omnium Epiſcopus à Deo conſtitutus, Miniſtrorum Dei Concilia congregavit*. Produnt manifeſtè verba Euſebii, ei non eſſe ſermonem de *particularibus* ſeu minoribus Conciliis. Utitur inſuper Euſebius loquela & ſenſu non privato, ſed publico, & ſuo ævo communi. Viderint itaque illi, qui, quantum ad convocationem Conciliorum attinet, *Licinium* magis ſequuntur, quam *Conſtantinum*, & per hoc ſaltem anſam dant, ut interim Diſciplina Eccleſiaſtica corrumpatur, nec Eccleſiarum diſſenſiones circa res fidei in tempore tollantur.

(2) Ad probandum quod, & quanta reformatione Romana Curia ante Concilium Tridentinum indiguerit, non indigemus alio documento, quam Adriani VI. Pontificis Inſtru-

ſtructione datà Cheregato ejus Legato anno 1523. ad Norimbergenſia Comitia miſſo apud Goldaſtum *Conſtit. Imp. Tomo uno pag.* 450. *ſeqq.*, in qua hæc inter reliqua: *Scimus, in hac Sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe; abuſus in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à Capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos, deſcenderit. Omnes nos, id eſt, Prælati & Eccleſiaſtici, declinavimus, unuſquiſque in vias ſuas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum. Quam ob rem neceſſe eſt, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas noſtras ei: videatque unuſquiſque noſtrum, unde ceciderit: & ſe potius quilibet judicet, quam à Deo in virga furoris ſui judicari velit. Quà in re, quod ad nos attinet, polliceberis, nos omnem operam adhibituros, ut primum Curia hæc, unde fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur: ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tantò arctius obligatos reputamus, quantò univerſum mundum hujuſmodi reformationem avidius deſiderare videmus.* Quam ſincera fuit hujus Pontificis declaratio, tam ſeria videtur fuiſſe ejuſdem de reformanda ſua Curia intentio; *ſed quod non ita poſt morte ſublatus Adrianus præſtare non potuit, ſucceſſor ejus fortè noluit*, inquit vir integerrimus Claudius Eſpencæus *Operum ſuorum pag.* 480. *edit. Paris. an.* 1690.

(3) Si hæc comparentur cum proteſtatione & reſervatione Cardinalis Lotharingiæ, & cum relatione Franciſci de Vargas, haud difficulter fides adhibebitur Edmundo Richerio in Hiſt. Conciliorum Lib. IV. P. I. cap. 2. §. 1. ſcribenti: *Quanquam Curia Romana à Synodi Conſtantienſis temporibus toto conatu certarit, ut ſtudium nationum Chriſtianarum de neceſſitate Eccleſiæ reformandæ obſoleſceret: . . . . tamen nunquam voti ſui compos ſic effici potuit, quin ſemper viri boni & pii, diſciplinæ Eccleſiaſticæ atque bonorum morum ruinam uberrimè deflerent, ac neceſſitatem emendandæ*

in

in melius Eccleſiæ demonſtrarent. Quænam autem ſint illa à viris piis adeo deſiderata, necdum tamen obtenta, Catholicæ Reformationis Capita, §. ſequenti demonſtrabimus.

[4] Nolim hic prætermitti, quæ Gerardus Landrianus Laudenſis Epiſcopus, à Patribus Concilii Baſileenſis ad Henricum Angliæ Regem miſſus, de neceſſitate habendæ Synodi Anglis expoſuit apud Raynaldum *Continuat. Annal. Eccleſ. ad an.* 1432. *n.* 7. nempe. " Quidquid hæreſum, „ quidquid bellorum, quidquid diſcordiarum, calamitatum, quibus miſerè nimium nunc populus Chriſtianus premitur, omnia inquam per intermiſſionem „ Conciliorum exorta ſunt. Atque olim ſancti Patres, ubi quidquam parum honeſtè, parum verecundè, „ parum moderatè fieri conſpiciebant, Concilia ſtatim „ nullo intervallo facto cogebant in unum, neque morbos „ per negligentiam, aut deſidiam excreſcere ſinebant, nullo ſanè alio ſanctiori inſtituto aut documento utilius „ communi omnium ſaluti, atque poſteritati ſuæ conſulere poſſe putantes. Nos igitur tantorum patrum ſoboles, ſedendo, ſtantes, & otioſi aſpicere poterimus „ tam exitioſa, & indies magis excreſcentia mala gentis „ noſtræ? &c. " Quod (ut plura alia ſpecialia hic prætermittam) irrumpens ille reſervationum beneficialium „ abuſus, ſucceſſivè auctus, & tandem ad ſummum perductus fuerit, omiſſioni generalium Conciliorum adſcribit Cancellarius Gerſon, cujus verba damus *c. VII.* §. 4. *n.* 8.

(5) De neceſſitate frequentium Conciliorum Generalium pro emendando Statu Eccleſiaſtico diſſerens Andreas Epiſcopus Magorenſis Hiſpanus, egregius in Concilio Conſtantienſi Orator, Tractatu, quem inſcripſit *Gubernaculum Conciliorum*, *Part. III.* in Actis Concilii Conſtantien. *Tom. IV. Part.* 4. *pag* 170. in hæc verba erupit: " Non propter „ hoc, quod magnas & caudatas habemus cappas, non „ propter hoc, quod baculos paſtorales in manibus, & mi-

„ mitras habemus in capitibus, & ſacris induimur veſti-
„ bus, ac indulgentias & peccatorum abſolutiones aliis &
„ non nobis damus, ſumus ſancti : ſed ſi voluntatem fa-
„ cimus Jeſu Chriſti , ſumus ejus fratres , vel Prælati
„ vel Epiſcopi ,ac Clerici , juſtiſſimi , boni & rectiſſi-
„ mi . . . . . . Sed quia tales non ſumus , nec volunta-
„ tem Domini facimus , nec bene vivimus, nec de pecca-
„ tis noſtris pœnitentiam facimus , nec ad Deum in toto
„ corde convertimur , ideo ſunt neceſſaria Concilia gene-
„ ralia , in quibus , ſi ſalvi eſſe cupimus , ſi voluntatem Dei
„ Jeſu facere volumus , inveniemus opera voluntatis di-
„ vinæ , regulas Legis Evangelicæ , normas , ſtatuta & re-
„ gulas , officiorum noſtrorum , & totius vitæ noſtræ ,
„ extirpationem cujuſcunque criminis & culpæ , introdu-
„ ctionem cujuſcunque virtutis moralis & Theologicæ ,
„ protectionem Chriſtianitatis & fidei Catholicæ , extin-
„ ctionem ſectæ hæreticæ & adhæſionis ſchiſmaticæ , re-
„ conciliationem & pacem totius plebis Chriſtianæ , recti-
„ tudinem & æquitatem judicii & juſtitiæ , reformationem,
„ correctionem & emendationem Eccleſiæ Catholicæ . Hæc
„ & infinita alia bona & ſancta opera inveniuntur in ſacris
„ generalibus Conciliis , per quæ reputatur tota univerſa-
„ lis Eccleſia ſancta & immaculata , in qua non eſt pecca-
„ tum , nec culpa , nec ruga , nec macula , luce divina per-
„ fuſa , quæ ſanctitatem unius cubiculi , ſcilicet Jeſu Chri-
„ ſti , cujus eſt ſponſa , caſto pudore cuſtodit , ut ponitur
„ *XXIV. Quæſt. 1. cap. Loquitur* .

(6) Proſequitur deinde Andreas *pag.* 172. " Papa cum ſuis
„ Officialibus & Cardinalibus ſibi aſſiſtentibus in Romana
„ Curia exiſtentibus , majori movetur ratione , quod nun-
„ quam vellet celebrari ſeu convocare , aut convocari ſeu
„ celebrari facere Concilia generalia . Quia dubitant col-
„ lationem ſeu revocationem penſionum & Commenda-
„ rum , pluralitatem dignitatum & beneficiorum ac officio-
„ rum , uſurpationem reſervationum Epiſcopatuum , di-
„ gnitatum , monaſteriorum , & aliorum quorumcunque

„ beneficiorum, abſolutionem peccatorum & excommu-
„ nicationum, legitimationem baſtardorum, & diſpenſa-
„ tionem in gradibus conſanguineorum, & conſimilium
„ reſervationem, quæ ſunt factæ per Eccleſiam Romanam
„ & Curiam contra jura ſcripta & authentica, in libris
„ Decretalium & Decretorum ſanctorum Patrum poſita,
„ quod talia & ſimilia limitentur & reducantur ad jura ſcri-
„ pta ante tempus Bonifacii Papæ VIII. Et quod colla-
„ tiones beneficiorum, Epiſcopatuum, dignitatum ac mo-
„ naſteriorum, & electiones & confirmationes ipſorum
„ devolvantur ad Ordinarios, juxta tempora aliorum Pon-
„ tificum Romanorum. Et quia, ut dictum eſt, vident
„ adverſus ſe Statuta generalium Conciliorum in prædi-
„ ctis & ſimilibus, ideo abhorrent generalia Concilia,
„ nec volunt ea eſſe aut fore in militanti Eccleſia.

§. XIII.

Referuntur ſingulatim abuſus Eccleſiaſtici, inde à Conſtantienſi Concilio à viris piis & integris Nationibus publicè incuſati, per Tridentinum non ſublati.

Sed eamus in ſingula, & videamus, in quibus capitibus inde à Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis temporibus viri boni & pii, quin & integræ Nationes, lapſum *Canonicæ diſciplinæ*, relativè ad Curiam Romanam, incuſaverint, reformationemque optaverint, imò efflagitaverint, abſque quod ea vel in Concilio Tridentino decreta, aut aliunde hactenus obtenta fuerit; quæ proinde alterius Concilii manum, vel aliud quodcunque legale medium adhuc deſiderat, idque eo efficacius promptiuſque, quò majus eſt ſcandalum, quod iiſdem abuſibus, qui nullo temporis lapſu juſtificari poſſunt, cauſatur tam Catholicis, quàm Acatholicis; qui poſteriores dicunt ſchiſma eſſe in Eccleſia, non ipſorum voluntate, ſed illorum facto, qui, ne vetus ſanaque diſciplina omnibus Eccleſiis reſtituatur, totis viribus obſiſtunt. Qua in re num illi rectè ratiocinentur ego quidem

nec

nec aſſeveravero, nec credidero; illud nihilominus poſt Adrianum Papam VI. jam laudatum, poſt Claudium Eſpencæum, & poſt Auctorem Conſultationis de Capitibus reformationis juſſu Ferdinandi I. Imp. editæ mox recenſendos, aſſerere non vereor, primariam cauſam immanium defectionum Sæculo XVI. à Catholica religione factarum fuiſſe, & obſtaculum recunionis modò eſſe palpabiles illos abuſus Pontificiæ auctoritatis, quos ex probatiſſimis Scriptoribus ejuſdem Sæculi XVI. jam referemus, quoſque in hunc uſque diem perdurare, nemo harum rerum prudens negaverit. Scio, quid ad hæc reponant Romani: illud nimirùm, quod Cardinalis Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. Lib. II. cap. 7. n. 14. ad *Gravamina Centum* à Natione Germanica anno 1523. Adriano PP. VI. pro emendatione propoſita, de quibus mox; ſcilicet: *His omnibus poſtulatis ſi indulſiſſet Pontifex, ejus auctoritas deſerta jacuiſſet, & dum recuperandis laicis, & reconciliandis hæreticis ſtuderet, obſequentium ſibi Germanorum Antiſtitum jacturam feciſſet*. Ergo tanti valet auctoritas Papæ, non quidem *genuina* illa, & *jure Divino* obtenta (de hac enim minuenda in illis Gravaminibus, & recenſu abuſuum, quem hic inſtituimus, nullatenus agitur) ſed quomodocunque parta, ut potius Laici in perditionem euntes dimittendi, & Hæretici Eccleſiæ non eſſent reconciliandi, quam pacis amore (ne dicam alio jure vel titulo) quidquam remittendum ab acquiſita illa poteſtate, atque hanc exercendi ratione, utcunque populis gravi, & non conformi antiquis Canonibus, ſub quibus Eccleſia magis floruit, & ſua pace gaviſa eſt.

[1] Querelas à Clero Nationis Germanicæ adverſus gravamina & infractiones Concordatorum in dieta Confluentina anno 1479. propoſitas exhibet Leibnitz Cod. Juris Gent. Diplom. Part. I. pag. 439. In his occurrunt ſequentia: (a) §. 1. *Concordata nationis prædictæ per pactum cum S. Sede Apoſtolica non ſine legitima cauſa inita, & gravibus dictæ nationis laboribus obtenta, plurimum infringuntur & violantur*. (b) §. 15. *Summus Pontifex interdum ſæpius derogat ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiarum, de Nobilibus*

& legitimis dumtaxat recipiendis , & aliis diverſis ſtatutis, per quæ ſtatuta Eccleſiæ conſervantur in ſuo eſſe, & hoc ſine legitima cauſa . (c) §. 23. *Inſuper Fratres Mendicantium obtinuerunt , & indies obtinere nituntur diverſa enormia, ac juri communi contraria privilegia exorbitantia , de obtinendis beneficiis etiam majoribus , & de regendo Eccleſias parochiales , ac alias curatas ; & de miniſtrando ſimpliciter eccleſiaſtica ſacramenta , in præjudicium libertatis ſæcularium Clericorum , & rectorum parochialium Eccleſiarum , etiam in præjudicium ſæcularium Eccleſiaſticorum .* (d) §. 24. *Item impetrantur à S. Sede Apoſtolica exorbitantia privilegia exemptionis à jurisdictione Ordinarii & aliorum Prælatorum contra eorum præſcriptam conſuetudinem , in offenſam & jacturam Cleri ſæcularis .* Poſtremum hoc repetitur in Gravaminibus Centum Norimbergenſibus anni 1523. *Art.* 13.

(2) In Epiſtola Jacobi Regii ad Maximilianum Imp. adhortatoria , ut abolitionem Gravaminum nationis Germanicæ apud Pontificem urgeret, de anno 1507. apud Freherum Script. Rer. Germ. Tom. II. pag. 377. *Sed & hoc*, ait, *Deo gratiſſimum , animabus ſalutiferum , tuæ autem Majeſtati imprimis honorificum viſum eſt , ſi à ſacroſancta Sede Apoſtolica de quorundam abuſibus erudienda , inviolabili lege impetrares , ne deinceps quicunque vel natali obſcurus, vel omnium bonarum literarum indoctiſſimus , contra divinam naturalemque legem , contra ſacratiſſimos Canones , duo aut tria ſacerdotia ſub uno tecto , tres aut quatuor præbendas aut canonicatus in diverſis Collegiis , inter eadem Romani Imperii mœnia ſitis , totidemque pingues parochias , qualicunque diſpenſatione , ne dicam diſſipatione , à ſummis Pontificibus eſſet conſecuturus ; cum tot canonicatuum, aut eccleſiarum parochialium quælibet alterius aut utriuſque Juris Sacræve paginæ Licentiatum , imò Doctorem , honeſto Statu nutrire poſſet , adeo ut ſinguli ſingulis eſſent contenti .*

[3] In decem Gravaminibus Germanicæ nationis, & S. R. I. cum remediis & aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem an.

an. 1510. apud Freherum cit. Tom. II. pag. 373. (a) §. 1. *Quod ad ſervandas bullas, pacta, privilegia & literas ab anteceſſoribus abſque omni derogatione conceſſas, ſucceſſores Pontifices teneri ſe non arbitrantur: imò per crebras diſpenſationes, ſuſpenſiones, revocationes, ad cujuſcunque, etiam vilis, perſonæ inſtantiam contraveniunt.* (b) §. 2. *Quod annatæ abſque dilatione & ſine miſericordia, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis, exiguntur. Interdum plus, quam debeatur, extorquetur, propter nova officia & novos familiares. Exemplum de Moguntinenſi & Argentinenſi Eccleſiis.* In Epiſtola Caroli V. Imp. ad Adrianum VI. Papam de an. 1522. apud Goldaſtum Conſt. Imp. Tomo uno p. 447. dicitur, *Annatas, quas novi Antiſtites Rom. Pontifici ſolvere conſueverunt, ab origine ea maximè ratione conceſſas eſſe, ut hujuſmodi pecuniis Chriſti fidei hoſtes arcerentur.* Idem repetitur in Gravaminibus C. Norimbergenſibus *Art.* 27. (c) §. 10. *Cauſæ, quæ in Germania, in quâ etiam docti & juſti judices ſunt, terminari poterant, ad tribunalia* Romana *indiſtinctè trahuntur; quod S. Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, valde improbare videtur.* In Friderici III. Imp. Aviſamentis, quæ tempore Concilii Baſileenſis à Statibus Imperii Moguntiæ in publico conventu fuere deliberata, de hac materia ſequens proponitur Capitulum XII. *Item quod in partibus noſtræ nationis, quæ ultra quatuor diætas à Curia diſtant, omnes cauſæ, Majoribus, nec non Electionum Eccleſiarum Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectarum exceptis, in partibus terminentur.*

(4) Decem illis Gravaminibus ſubjuncta ſunt quædam remedia Imperatori Maximiliano ſimul præſentata. In his [a] §. 1. *Si Cæſareæ Majeſtati conſultum viſum fuerit, proponatur ſummo Pontifici & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quod grave, imò intolerabile ſit nationi Germanicæ, amodò tantas expenſas & moleſtias pati, tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inferre annatas, præſertim quæ in Epiſcopatibus quibuſdam ſucceſſu temporis auctæ, in quibuſdam duplicatæ eſſe dicuntur.* (b) §. 2. *Nam Sedes Moguntina, ut dicitur, olim ſolum dedit decem millia florenorum*

norum . Quæ cum quidam illic electus dare renueret, ſicque uſque ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum, confirmationis cupidus, ſe opponere timuit Sedi Apoſtolicæ, offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum: Is nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant, à ſuo prædeceſſore nondum perſoluta. (c) *§. 3. Sicque cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ tum indubiò in regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & uſque ad noſtram ætatem à ſingulis Archiepiſcopis exacta: & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque propter nova officia, & novos Pontificum familiares. Tandem excrevit ſumma uſque ad viginti ſeptem millia, quæ Archiepiſcopus Jacobus cogebatur nuper perſolvere.* (d) *§. 8. Mitius ergo ſummus Pontifex, velut pius pater, filiorum ſuorum amator, & fidelis ac prudens Paſtor, cum filiis ſuis Germanicæ nationis agat, ne propediem vel in univerſos Chriſti Sacerdotes perſecutio ſuboriatur, vel inſtar Bohemorum plerique ab Eccleſia deficiant Romana.* Huic Conſilio addictum inſuper exhibitum ſequentis Rubri: *Remedium pro Civitatibus Imperii animarum ſalute.* In eo *§. 1. Si ſollicitante Cæſarea Majeſtate, à Sede Apoſtolica impetraretur, quod Uriel Archiepiſcopus Moguntinenſis impetravit, ne quis deinceps in Civitatibus Imperii ſimul poſſit habere Canonicatus aut Vicarias in diverſis ejuſdem Civitatis eccleſiis, ſed ut ſingulæ in ſingulas diſtributiones deſervirent; tum minuerentur lites, Reſpublica magis ſentiret commodum, plures Docti, Imperio & fidei utiles, promoveri poſſent, plures Miſſæ legerentur, & omnis divinus cultus alacrius & laudabilius perageretur. Sicut de Baſilea & Spira exemplum adduci poſſet; in utraque enim Civitate nullus ſimul in diverſis Eccleſiis plures Canonicatus aut Vicarias ex ſanctiſſima conſuetudine poſſidere poteſt; ideoque utrobique religio & divinus cultus egregiè floret.* Idem inconveniens etiam in Concilio Conſtantienſi allegatum fuit à Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi *in Monitis de Neceſſitate reformationis Eccleſiæ in Capite & in membris cap. XIX.* ubi „ Infinitæ diſpenſationes etiam mirabiles, & ſine cujuſcun-

que

„ que ordine atque juſtificatione ad obtinendum beneficia „ incompatibilia , non habito reſpectu ad perſonas , qui- „ bus concederentur , hactenus emanarunt, cedentes evi- „ denter in divini cultus diminutionem , & animarum pe- „ riculoſiſſimum detrimentum . Et propterea oportet „ etiam removere iſtas abuſivas, indiſcretas gratias & di- „ ſpenſationes , verius diſſipationes , quæ ambitionem plu- „ rimum augent ; cultum divinum minuunt , & anima- „ rum pericula etiam indubitanter adducunt. " Dicunt, uſum in Germania obtinere , quod unus plures poſſit habere præbendas. Sed vel hinc diſpicitur , hunc uſum, ſeu magis abuſum , fundamentum habere in reprobatis diſpenſationibus ſuper pluralitate beneficiorum , ſine Canonica cauſa concedi ſolitis . Poſt hæc ſequuntur *Aviſamenta ad Cæſaream Majeſtatem*, quorum §. 4. monetur : *Provideat etiam Cæſarea Majeſtas , ne Fratres Mendicantes contra ipſa prædicent , qui Sedi Apoſtolicæ libenter deferunt , timentes perdere privilegia ſua , utinam Chriſto & Naturæ innixa : quamvis juſtiſſimam cauſam dudum habuiſſent , contra tantam avaritiam tantoſque abuſus prædicandi .*

(5) In Maximiliani I. edicto anni 1510. de abolendis quibuſdam Germanorum Gravaminibus apud Freherum cit. Tom. II. pag. 378. inter alia dicitur (a) *Manifeſtiſſimè experti ſumus, & in dies experimur, ex ineffabili atque à nullo diſpenſabili quorundam avaritia provenire, qui in beneficiis aſſequendis nullum finem conſtituunt: per quorum abſentiam (cum in uno ſolo perſonaliter reſideant, & diſtributiones deſerviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ benefactorum voluntates caſſantur, defunctorum animæ tardius ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labunt, eccleſiæ deſeruntur, eccleſiaſtica libertas læditur, litteræ & monumenta perduntur , hoſpitalitas & eleemoſinæ minorantur, patrimonia parentum & nervi rerum publicarum ex crebris hujuſmodi avarorum collitigationibus evaneſcunt: Clerici pro doctrina ſua & virtute beneficiis digni , ſuaque prudentia eccleſiis in temporalibus & ſpiritualibus utiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injuſtè eis lites moven-*

ventur, ſcandala laicis præbentur, ipſorum odium & murmur in reliquos honeſtos Sacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob cauſas, proſequitur Imperator (b) *ex officio Cæſareæ Majeſtatis, ex amore incrementi cultus divini, ex zelo Reipublicæ, hortamur & requirimus, ne quis à modò in una noſtrarum, noſtrique Romani Imperii civitate Canonicatum aut Vicariam poſſidens, in altera ejuſdem civitatis eccleſia aliam præbendam occupet, niſi primam infra ſpatium anni in perſonam idoneam ac Eccleſiæ utilem ſit dimiſſurus: neque alium in beneficiis aſſequendis per injuſtas lites aut ambages indignè vexet aut circumveniat* ..... (c) *Nec exiles præbendas, potiſſimum vero curatas eccleſias, penſionibus gravet* ..... *ſub pœna criminis læſæ Majeſtatis, & graviſſimæ noſtræ offenſæ*. Sic ſanxit poteſtas Sæcularis conformiter ad Sacros Canones: quando ex altera parte auctoritas Eccleſiaſtica adverſus ſanctiſſimorum Canonum diſpoſitionem indifferenter pergit diſpenſare.

(6) Circa idem tempus Paulus Langius Monachus in Ziticenſi Chronico apud Piſtorium Rer. Germ. Tom I. ad annum 1513. ait: (a) *Amore quidem auri & nunc Romæ cuncta venalia ſunt* .... *Præbendarum pluralitas in infinitum conceditur* .... *Annatæ, ſive medii fructus, abſque ulla dilatione temporis exiguntur. Quinimò ipſæ annatæ, in quas tempore Calixti PP. III. ad quatuor Principes conſenſerunt annos, non modo adhuc durant, ſed & indies magis creſcunt, duriuſque premunt & opprimunt*. Et deinde (b) *Pro palliorum Archiepiſcopalium redemptione ingens pecunia in damnum Eccleſiarum, contra ſanctionem Leonis PP. II., imò contra ſacri Baſileenſis Concilii decretum, pro uſu pallii, aliorumve officiorum confirmatione & impetratione nihil perſolvendum ſtatuentis, exigitur & extorquetur* ...... *Nam noſtra ætate Archipræſules pecuniam, quam pro pallio ſeu etiam confirmatione obtinenda Romam mittere coguntur immediatè, quatenus ipſi indemnes maneant, & theſauros ſuos non minuant; æquivalentem, imò multò ampliorem ſub nomine ſubſidii extorquent pecuniam, quemadmodum nuper in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi contigiſſe, haud abſque querela pauperum, proh dolor, audivimus.*

(c)

[c] *Per prædicta itaque & ſimilia, quæ ex Romana Curia manant , gravamina, per orbem Chriſtianum ruinæ , deſtructiones , & ærumnæ oriuntur . Nec mirum , cum ipſa Germaniæ ſuprema & principalis , quondamque potiſſima , Moguntinenſis Archiepiſcopalis Eccleſia , ob eas res cauſasque maximis & permultis onerata ſit debitis , & vehementer exhauſta .* Omnia hactenus recenſita gravamina Status Imperii anno 1523. in Comitiis Norimbergenſibus repetierunt, eique in ſuis ita dictis *Gravaminibus Centum* alia addiderunt, in quorum Epilogo ita demum perorando,& ad Pontificem ſupplicando , concludunt : *Quod ſi enumerata onera atque gravamina in præſtituto tempore , non etiam ocyus , ex oculis mortalium ſublata atque abolita & abrogata fuerint (id quod Imperii Romani Status laici futurum minimè ſuſpicantur , auguranturve) tum ſanctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta urgentiſſima atque intolerabilia penituſque non ferenda onera diutius eos neque perferre velle , neque tolerare poſſe : ſed rei ipſius iniquitate & neceſſitate huc eos adigi , cogi atque compelli , pro eorum captu ac induſtria , de aliis commodioribus fortè viis & mediis cogitandi , veſtigandi , ac conſultandi , quibus tandem modis, quà arte , qua denique ſolertià ,onerum atque gravaminum ſupra memoratorum exonerari , liberari , ac tandem in priſtinam immunitatem & libertatem aſſeri , atque vindicari poſſint . Quemadmodum omnia hæc , priuſquam Sanctitatis Pontificiæ Orator & Legatus (* Cheregatus *) à Norimberga ſolviſſet , eidem per modum reſponſi hinc legantis Sanctitatis referenda , ad longum ſunt expoſita, atque enumerata .*

(7) Sed videamus, quid Itali & Romani , ipſique Pontificis Miniſtri , de abuſibus in Curia vigentibus ſentiant . In Conſilio de emendanda Eccleſia anno 1536. juſſu Pauli III. PP. à delectis Cardinalibus & Prælatis conſcripto , eidemque Pontifici reverenter oblato , obſervantur ſequentia : (4) *Non putemus nobis licere diſpenſare in Legibus eccleſiaſticis, niſi urgenti de cauſa & neceſſaria ; nulla namque*

perniciosior conſuetudo, quam legum inobſervantia. (b) *Non licere Pontifici & Chriſti Vicario in uſu poteſtatis clavium, poteſtatis inquimus à Chriſto ei collatæ, lucrum aliquod captare. Hoc etenim eſt Chriſti mandatum: Gratis accepiſtis, gratis date.* Dein, poſt plura: *Diximus, Beatiſſime Pater, non licere aliquo pacto in uſu clavium aliquid lucri utenti comparari. Hoc non tantùm ad Sanctitatem tuam pertinet, ſed ad omnes, qui ſunt participes hujus poteſtatis: ideò à Legatis & Nuntiis vellemus idem ſervari. Nam ſicut uſus, qui nunc invaluit, dedecorat hanc Sedem, & conturbat populum, ita ſi fieret è contra, maximum decus huic Sedi compararetur, & ædificaretur mirificè populus.* (c) *Penſiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honeſtè vivere queunt ex reditibus, quos habent, magnus certè abuſus, tollendus utique.* (d) *Alius præterea inventus eſt dolus, cùm ſcilicet Coadjutores dantur Epiſcopis petentibus, minùs idonei, quàm ipſi ſint, ita ut, niſi quiſpiam claudere oculos voluerit, liquidò videat, hæredem eâ ratione inſtitui.* (e) *Abuſus alius eſt eâdem calliditate inventus: nam quædam beneficia incompatibilia Jure ſunt & appellantur; quâ ipsâ vi nominis majores noſtri admonere nos voluerunt, non deberi ea uni conferri. Nunc in his diſpenſatur, non tantùm duobus, ſed pluribus.* (f) *Abuſus magnus & minimè tolerandus, quo univerſus populus Chriſtianus ſcandalizatur, eſt in impedimentis, quæ inferuntur Epiſcopis in gubernatione ſuarum ovium, maximè in puniendis ſceleribus & corrigendis. Nam primò multis viis eximunt ſe mali homines, præſertim Clerici, à juriſdictione ſui Ordinarii. Deinde, ſi non ſint exempti, confugiunt ſtatim ad Pœnitentiariam, vel ad Datariam, ubi confeſtim inveniunt viam impunitati, & quod pejus eſt, ob pecuniam præſtitam.* (g) *Abuſus in diſpenſatione in Nuptiis inter conſanguineos ſeu affines. Certè in ſecundo gradu non putamus faciendam eſſe, niſi ob publicam cauſam gravem. In aliis verò gradibus, non niſi ob cauſam honeſtam, & abſque pecuniâ, ùt jam diximus, niſi jam priùs conjuncti eſſent; ubi liceret pro abſolutione à peccato, jam perpetrato, imponi mulcta pecuniaria poſt abſolutionem, & deputari ad pios uſus. Nam ſicut, ubi non eſt peccatum, in uſu clavium nihil exigi poteſt pecunia: ita*

ubi

ubi abſolutio petitur à peccato, imponi mulcta pecuniaria poteſt, & deputari ad pios uſus. (h) *Nec indulgentiæ item dandæ eſſent, niſi ſemel in anno, in unaquaque inſignium Civitatum.*

[8] In Conventu Epiſcoporum Galliæ apud Melodunum, anno 1548. habito, de jure, quod ſibi aſſererent Romani Pontifices in Provinciam & Britanniam Gallicam, apud Baluzium Miſcellaneorum Tom. VII. pag. 105. ſeqq. Epiſcopi ex mandato Regis congregati deliberaverunt & aviſaverunt: (a) *Quas Pontifex maximus reſervationes in Provinciam & Britanniam Gallicam vendicat, quas Cancellariæ regulas, quas regreſſiones, quæ beneficia & expectationum & præventionum, quas mandatorum providendi formulas, revocat, deinde penſiones aſſignatas, & edicta cenſuræ Apoſtolicæ, interdicta, devolutiones, rejectiones, cauſarum vendicationes, ſimplices ſignaturas, aut ſine plumbo diplomata, cæteraque cujuſmodi ſunt, ad Scripturarum normam & Canonum exigantur.* (b) *Pontificum decreta, ſi decretis antiquorum Patrum repugnarent, aut Evangelicis præceptis, irrita ſint ipſis Canonibus; ita nihil immutari ſine ratione queat, hoc eſt nihil planè, quod rectum ſit & æquum, nihil alienum aut contrarium induci. Id quoque obtineri præter cæteros intereſt ipſius Summi; quia ſignatum eſt velut conſignatum officium eſt tuendæ religionis, non modò inſtituendæ.* (c) *Reſervationes in Provinciam & Britanniam, quas commemorat, quo tandem pacto aut poſſumus accipere, aut cum veterum ſanctitate Canonum atque Religione congruant, quæ videri queant ſæpe numero à præceptione Chriſti diſcrepare. Quid enim diſcrepare, cùm Chriſti documento conferes alium mei gregis deſignari procuratorem, ne inconſulto Pontifice, meæ procurationis particulæ, & in hac re mihi ſummæ poteſtatis auctoritatem objici, præſertim ſi nihil eſt, quod in me reprehendatur.* (d) *Suſpicimus beatiſſimi Patris noſtri non minùs quàm Petri ſublimem illam dignitatem, ut illius tamen veſtigiis inſiſtamus, in quibus præterquam quod nihil eſt ſimile præventionum, nihil exſpectationum, nihil reſervationum mandatorum, regreſſuum, regularum Cancellariæ. Singulatim hæc ſi diſcutiantur, vix cum ullo antiqui-*

tatis aut more aut jure conveniunt, cum evangelicis inſtitutis ne vix quidem, in quibus libera eſt omnium recta Eccleſiæ adminiſtratio .... Hujuſmodi amplificata jura habita ſunt invidioſa & velut ſubcontumelioſa. (e) *Coadjutoriæ illæ operæ quoniam niſi aut in mente captis, aut juſta quavis alia de cauſa minùs aptis ad fungendum munus? Cujus rei ſingulorum ſit Epiſcoporum in ſua cujuſque procuratione cautio. Quorum negligentiæ tamen & culpæ tum judicem tum vindicem & procuratorem non negamus eſſe debere ſummum Pontificem, præſertim ſi hoc malum ab ejuſdem ordinis Principibus, qui propiùs aderant, contemnitur.* (f) Demum: *Penſiones verò illas haud dubiè conſtat longè ab antiquorum diſciplinâ & moribus aberráſſe, & abhorrent præterea à Canonum inſtitutione; quæ tamen eò ſunt receptæ à nobis, ut componerentur lites, & ne fortè reſignans inopia premeretur impoſterum.*

(9) In Conſultatione de Capitibus reformationis in Tridentina Synodo propoſitis ac proponendis, juſſu Ferdinandi I. Imp. inſtitutâ, apud Schelhornium Amœnit. Hiſt. Eccleſ. & Literar. Tom. I. pag. 490. ſeq. ponderantur ſequentia: (a) §. 3. *Tametſi Romanus Pontifex maximam habeat diſpenſandi poteſtatem, præſertim in his, quæ juris poſitivi ſunt, tamen animadverſum eſt, quòd nonnunquam ex Urbe diſpenſationes ad exteras nationes adferantur, quæ plenæ publici ſcandali ſunt, quæque auctoritatem Apoſtolicæ Sedis non imminuunt tantùm, ſed dedecorant etiam, efficiuntque tandem, ut omnes aliæ diſpenſationes, etiam legitimè factæ, vileſcant atque contemnantur. Piè itaque Papa Pius Sanctiſſimus D. N. cæterique reverendiſſimi Patres in hoc Concilio congregati diligenter provideant, ut ſcandalum hoc ex Eccleſia ſubmoveatur, neque in poſterum aliquid tale diſpenſetur, quod aut ipſos ſacros Canones ſua penitus auctoritate orbare, aut offendiculoſam aliquam abuſionem, ea iſta diſpenſandi poteſtate indignam, præ ſe ferre videri poſſet.* (b) §. 4. *Eadem eſt ratio de exemptionibus, contra*

jura

jura communia paſſim conceſſis, ut ſcilicet auctoritate Concilii revocentur, omneſque Baſilicæ & Monaſteria utriuſque ſexûs, ſub illius Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cujus territorio vel diœceſi poſita ſunt, ut ſacri diſponunt Canones. (c) *§. 5. Etſi in ſuperiore Tridentina Synodo ſaluberrimæ ſanctiones promulgatæ ſint, de abroganda pluralitate dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum, de perſonali reſidentia, de incorporationibus, ac congruarum partium aſſignatione, & id genùs aliis: videmus tamen ejuſmodi ſtatuta hactenùs ſuum non ſortiri effectum, ſed planè negligi, prorſuſque contrarium fieri. Videmus enim etiam nunc non uni unum beneficium conferri, ſicut decretum fuit, ſed à ſingulis etiam plures Epiſcopatus, plures Prælaturas, plures Canonicatus, plura denique curata beneficia, ſi non directè, per indirectum tamen, malis quibuſque artibus impunè impetrari & teneri . . . . Quamobrem ſacri Concilii fuerit, primùm, ut antiqui Canones ſeriò renoventur, qui jubent ſingulis ſingula beneficia conferri, & hæc quidem non niſi idoneis perſonis . . . . Provideant itaque diligenter, ne poſthac Clericus connumeretur in duabus Eccleſiis, cùm hoc negotiationis illicitæ ſit turpiſque lucri potiùs, quàm ullus laudabilis mos venerandæ antiquitatis in Eccleſia. Ac denique conductitiis Presbiteris non committantur Eccleſiæ &c.* (d) *Ceſſantibus intereà, nec obſtantibus juribus, conſuetudinibus, exemptionibus, diſpenſationibus, incorporationibus, reſervationibus & commendis quibuſcunque; niſi enim omnis Eccleſiaſticarum dignitatum & beneficiorum nundinatio prorsùs ſublata fuerit, ſinguliſque Eccleſiis ſinguli non quidem mercenarii, nec conductitii, ſed proprii Miniſtri, ad quos proprio jure oves ſpectent, ſine perſonarum acceptatione, ſed ſolius virtutis duntaxat, probitatiſque ac eruditionis ratione habitâ, & qui perpetuò reſidere velint, conſtituantur, nullam omnino ſpem eſſe, religionem Catholicam conſervari, vel inſtaurari unquam poſſe, omnes pii & periti homines Catholici palàm profitentur.*

(10) In

(10) In Elencho abuſuum, corruptelarum &c. in Eccleſia Romana, juſſu Ferdinandi I. & Maximiliani II. Imp. à Gregorio Vicelio conſcripto, & *Viæ* ejus *regiæ* ſubjuncto edit. an. 1650. pag. 112. ſeqq. dicitur: (a) *Diſpiciatur* .... *num Apoſtoli Petri ſucceſſori liceat, Epiſcopos Eccleſiarum jurejurando ſibi obſtringere & obnoxios facere, manuſque & pedes horum colligare, quo nimirùm vinculo coerceantur, ne veritati Chriſtianæ liberè ſubſcribere audeant, & modis omnibus caveant, ne vel pilum Sedis lædant, nec hiſcant, quicquid peccet Sedes* .... (b) *Etiam à Curia iſta ſublimior poteſtas reſecet auctionem palliorum intolerandam, quâ ſcilicet inſigniuntur Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſine quâ Epiſcopi nequidem ſunt. Tanti autem venditur pallium unum, quanti multa etiam ditiſſima cujuſque latifundia, contra apertiſſimos Canones Gregorii M. & aliorum: ut hodie nihil aliud ſit pallii redemtio, niſi Germaniæ ac aliarum nationum tacita direptio.*

(11) Claudius Eſpencæus, vir natalium ſplendore, eruditione, & ſincerâ pietate illuſtris, atque Paulo IV. Pontifici adeò probatus, ut parùm abfuerit, quin Cardinalitio galero eum dignatus eſſet, uti ipſe refert in Epiſtola ad Cardinalem Colignæum *Operum ſuorum pag.* 915., & teſtatur Thuanus *Hiſt. Lib.* XXXV. *pag.* 714 Is, inquam, Eſpencæus Commentar. in Pauli Epiſt. ad Titum cap. I. Opp. pag. 478. ſeqq. (a) *Annon*, inquit, αἰσχροκερδία *eſt clariſſima, quod tam multa poſitivo tantùm jure præcepta vel prohibita eouſque ligant homines, donec pecuniâ ſibi harum conſtitutionum gratiam impetrent, ita, ut regina rerum pecunia divitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum eſt.* Paulo poſt. (b) *Quid quòd liberos vulgò conceptos, & ex damnato coitu, inconceſſiſque Hymenæis, contra Dei, Eccleſiæ, legumque ſtatuta editos, ejuſdem pecuniæ vi legitimant, ad omnium Statuum & dignitatum capacitatem idoneos reddunt, illegitimos ad parem cum legitimis ſucceſſionem habiles interim reddunt & admittunt &c.* (c) Deinde pag. 479. *Proſtat, & in quæſtu pro meritrice*

ſedet

ſedet Liber palam ac publicè hìc impreſſus, hodieque, ut olim venalis, TAXA CAMERÆ SEU CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ inſcriptus, in quo plus ſcelerum diſcas licet, quàm in omnibus vitiorum Summiſtis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem abſolutio empturientibus promiſſa. Intendit hìc Eſpencæus in libellum Romæ anno 1514. apud Marcellum Silber in Campo Floræ expreſſum, ſub hoc titulo: *Taxæ Cancellariæ Apoſtolicæ, & Taxæ ſanctæ Pœnitentiariæ*; in quo per ordinem deſignatur quantitas taxæ ſolvendæ pro quibuſcunque litteris, diſpenſationum, abſolutionum &c.. Pergit eâdem p. 479. vir integerrimus (d) *Quâ ſubtilitate excuſari poſſunt Exſpectativæ gratiæ, reſervationes in pectore, beneficiorum primo currenti collationes, plurium curionatuum ad unum ſacellum vel canonicatum, aut ſimplex alioqui beneficium unio ſeu unitio, ne ſcilicet obſtet pluralitas; mandata, præventiones, popinæ, minuta ſeu communia ſervitia . . . . & infinita id genus, primum quidem Eccleſiæ tamdiu inaudita, nec à redivivis Petro & Paulo intelligenda, ut id nihil hactenus fuerit, quàm, quod prior prædixerat, fictis verbis in avaritia de nobis negotiari, 2. Petri 2. Deinde tanta & talia, ut ne ſui quidem Gloſſographi ea non incuſent.* (e) Porrò pag. 480. *Integro decennio interruptum* Concilium, *totis votis optatum, tandem etiam à Pio IV. obtentum, rurſum Tridenti reſumptum, & tertiò congregatum, Patribus licèt integrâ re à Pontifice permiſſâ, adeo tamen Romanam Curiam repurgare ſibi non permiſit, ut etiam quæcunque de morum reformatione & diſciplina eccleſiaſtica inferioribus præſcripſit, in his ſalvam ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritatem & eſſe & intelligi declararit, Seſſionis IX. & ultimæ Can: 21. die 1. Ut non minus gratè quàm piè Pius idem magnam gratiam Patribus Tridentinis publica oratione Romæ in frequentiſſimo R. Cardinalium conceſſu & conſiſtorio habuerit, quòd in eccleſiaſtica emendatione tantam auctoritatis illius rationem habuerint, tantaque in eum moderatione ſint uſi, ut ſi is ſe ipſe ſuaque reformare voluiſſet, longè ſeverior in ſe futurus fuerit.*

fuerit. (f) Poſt pauca: *Si non minus verè quam liberè Adrianus VI. Papa hodiernæ morum vaſtitatis tabem à Capite in reliquum Eccleſiæ Corpus ſerpiſſe dixit, percutiat ſanctuarium ſuum Pius ejus ſucceſſor oportet, & à domo ſua incipiat. Certè videt propter aliquot ejus præceſſorum, ſua, non quæ JESU Chriſti ſunt, quærentium, αἰσχροκερδίαν & avaritiam (ut ex Scriptoribus, ei licet Sedi addictiſſimis probare poſſumus) in quem Statum adducta ſit S. Sedes Apoſtolica, imò tota Chriſti Eccleſia, quàm multa non multis ab hinc annis facta ſit ab eo diſceſſio; metuendum ne major fiat, ni vel aliquando tandem remedium adhibeat, ſi tantis, quibus obruitur Eccleſia, malis medendis allata mora fuerit, hoc futura damnoſior, quo longior. Et tam diuturnorum motuum non alia cauſa major, quàm, quòd tot annis nihil immutatur, nihil emendatur, & omnis emendandi ſpes inde abrupta, quòd reliquum Eccleſiæ Corpus reformatum velint, qui tam multis annorum centenariis urbem, in quâ merum atque mixtum habent imperium, deformatiſſimam adhuc reliquerunt*. (g) Et tandem pag. 433. *Nuſquam pejus habent Eccleſiæ, quàm in patriis, quas vocant Obedientiæ, Epiſcopis earum à Papa, hoc eſt, à Petri ſucceſſore, plenitudine poteſtatis non contento, Apoſtolorum ſucceſſoribus Fratribus ſuis & Coëpiſcopis nullâ, vel certè admodùm parvâ, ſollicitudinis parte relicta. Tam multis Sedis Apoſtolicæ juribus ſummis, hoc eſt, ſummis injuriis, privilegiis, hoc eſt, abuſibus, conſuetudinibus, hoc eſt, corruptelis, ... gravari ſe quiritantur locorum Ordinarii, ut præter pedum & mitram nihil eis penè reliquum ſit. Nec eſt, quod ſperet Pontifex Galliam noſtratem adeò deformem reformare, adeo nutantem continere, niſi ſua primùm piet ac repurget.*

Vid. ſuprà §. 12. n. 2. hoc Cap.

(12) Franciſcus Duarenus J. Conſultorum ſui ævi flos, anno 1559. defunctus, in præclaro Opere de Sacris Eccleſiæ miniſteriis ac beneficiis Lib. I. cap. 6. p. m. 63. in hanc rem notavit ſequentia: (a) *Illud unum verè ingenueque dico, nihil Reip. Eccleſiæque Gallicæ mihi videri utilius, quàm*

auctoritate

auctoritate Regis Paſtores præfici Eccleſiis, ſi à Pontifice Romano obtinere poſſint Epiſcopi, ut ordinatio, inquiſitio, ac confirmatio ſecundum veteres Canones libera ipſis relinquatur, modò ipſi officii ſui meminiſſe velint. Quis enim eſt adeo imperitus rerum, ut Romanæ Curiæ artes non norit, & quantum ea hirundo gallici abſorbeat ſanguinis quotidie non ſatis intelligat? Dicam, quod à viris peritiſſimis, ac diu in republica verſatis non ſemel accepi, quanquam incredibile videtur, quotannis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine, ad ſeptuaginta & eo amplius aureorum millia hinc Romam exportari ſolere. (b) Lib. VIII. cap. 4. pag. 412 *Poſtulat aliquando neceſſitas aut utilitas evidens Eccleſiæ; ut duò plurave munera eccleſiaſtica unus idemque obtineat; ut puta, ſi ea ſit hominum idoneorum penuria, ut præſtet unum multis eccleſiis, quam ſingulos ſingulis, præfici; quæ res ad Epiſcoporum cujuſque civitatis curam pertinet. Can. 2. Diſt. LXXI. In gratiam verò perſonarum magis quam Eccleſiæ beneficia coacervare, quamvis & genere & doctrina aliis antecellant, peſſimi res exempli, & antiquis Canonibus omnino contraria eſt. Itaque gratiam horum Canonum à ſolo Pontifice Romano, cujus voluntas pro ratione habetur, fieri poſſe conſtitutum eſt in cap. de multa 28. X. de Præbend. & dignitat. Atque ita Canones prima ſpecie invicem pugnantes conciliari poſſe videntur, quamvis alii aliter nodum diſſolvant. Hinc fit, ut captatores beneficiorum Romam certatim curſitent, prætextu litteraturæ aut nobilitatis, veniam à Pontifice impetraturi, quæ nemini, quamvis indigno nebuloni, modò is numeret, denegari conſuevit. Qua ex re tanta Eccleſiæ deformatio exorta eſt, ut nulla vis humani ingenii ad eam indignitatem exprimendam ſufficiat.*

(13) Guilielmus Lindanus Epiſcopus Ruremondenſis, vir Apoſtolico dignus ævo, in Apologetico ad Germanos Antuerpiæ anno 1568. edito, *Tom. I. pag.* 19. *ſeq.* ex Ruevardi Tapperi, ſui quondam in Lovanienſi Academia Præceptoris, quem *pietate non minus clarum, quam rara eru-*

 ditio-

ditione præſtantem prædicat, ex Concilio Tridentino, anno 1552. interrupto, reverſi, & collapſos Eccleſiæ mores deplorantis, ore ſic diſſerit: (a) *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt & ſtudent avaritiæ, per diſpenſationes ſuper beneficiorum pluralitate, & ſuper aliis plurimis, ſuper quibus nec Chriſtus diſpenſare poſſet . . . . ſub prætextu tamen neſcio cujus cauſæ rationabilis, quæ ex more, nullo facto examine prætexitur, & bullis inſeritur ſemper; multaque præterea in Capitibus Eccleſiæ damnabilis eſt hypocriſis*. (b) Et mox: *Sunt tamen notoria vitia* Curiæ Romanæ, *ut multum cœcutiat, qui ea non videt, & inſanus ſit, qui excuſare conatur. Quis enim non videt, quantus ſit ſacrorum Canonum circa diſciplinam neglectus? Quis non gemit, nullam fieri illorum executionem, niſi circa beneficia, & ea, quæ ad forum pertinent contentioſum? quorum ſi revera eſſet obſervatio, & Prælati, quorum eſt eos exequi, ſuo non deeſſent officio in his, quæ mores & diſciplinam concernunt, florentiſſima eſſent omnia in Eccleſia, nec opus eſſet Univerſalibus Conciliis ad reformandam Eccleſiam Epiſcopos fatigare*.

§. XIV.

Summa abuſuum hodienum in Eccleſia vigentium, qui forti indigent remedio.

Illos quiſquis ſpontè tolerat, ſumma injuria in Eccleſiam agit, nec poteſt ſalvare animam ſuam.

Itaque abuſus Eccleſiaſticæ poteſtatis, quatenus hæc in & à Romana Curia exercetur, illi verò univerſam Eccleſiam affligunt, ex probatiſſimorum Scriptorum relatione ad ſequentia potiſſimum Capita reducuntur: Sancti & genuini Canones extra uſum & vigorem, quem eis ſequior ætas abſtulit, relinquuntur. Conſtitutiones anteriorum Pontificum, etiam ſaluberrimæ, nonnullæ quoque Regulæ Cancellariæ, quæ, ſi ſervarentur

tur, ſuam haberent utilitatem, ligant, donec pecunia ſolvantur; ſolet autem hæc eſſe decem ſcutorum pro qualibet derogatione, Laudabilibus conſuetudinibus particularium Eccleſiarum derogatur promiſcuè, uti ſine ſumptu & expenſis, ita ſine ſcrupulo. Putat & prætendit Curia, ſe Concordatis non ligari. Captantur ibidem utilitates & temporalia lucra ex uſu clavium. Fiunt & autorizantur variis ſub titulis & prætextibus beneficiorum nundinationes. Annatæ tolluntur ſine juſto originario titulo, & exiguntur juxta enormem taxam arbitrariè impoſitam. Pro confirmatione electionis & juribus palii levantur expenſæ tam exceſſivæ, ut integræ provinciæ ſummopere graventur, & ferè depauperentur. Tanta neceſſitas petendorum palliorum Metropolitanis imponitur, ut ſine illis nequidem valeant, quod jure divino poſſunt Epiſcopi eorum Suffraganei. Impediuntur Epiſcopi in exercitio propriæ ſuæ juriſdictionis, & paſtoralis officii, quod divino jure obtinent. Præveniuntur, & multis modis arcentur à ſeligendis & deputandis aptioribus miniſtris ad ſervitia ſuarum eccleſiarum. Jura Ordinariorum læduntur per exorbitantes exemptiones. Neque minus præjudicatur juribus Parochorum per enormia privilegia Mendicantium. Lites in cauſis etiam levioribus & ordinariis, variis modis, maximè autem per appellationes, trahuntur ad Curiam Romanam, cum ingenti diſpendio rerum & perſonarum. Diſpenſationes in beneficialibus, matrimonialibus, aliiſque, conceduntur abſque legitima cauſa, directè contra Canones. Eadem ratione diſpenſatur ſuper pluralitate beneficiorum cum quovis petente, ſine conſideratione meriti, aut alterius rationis Canonicæ. Approbantur Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, etiam ſuper beneficiis nullam curam annexam habentibus, & ubi nullum à Coadjutore ſervitium exſpectatur, ſolà intentione tranſmittendi beneficium quaſi hereditariè. Præbendæ etiam exiles gravantur penſionibus, non attento, an ſub tali reſervatione reſignans egeat, aut quale meritum in Eccleſiam ei ſuffragetur. Erga præſtationem certæ taxæ ſpurii indiſtinctè legitimantur, ac per hoc habiles redduntur ad beneficia & honores. Indulgentiæ conceduntur ſine diſcretione aut Canonico motivo, cum manifeſta

feſta infractione pœnitentialis diſciplinæ ; quæ proinde etiam ſuo effectu deſtituuntur & fructu carent, populo in hac ſua remiſſionis pœnarum temporalium ſpe malè deluſo. Ligantur Epiſcopi per noxia juramenta defendendi omnia Romanæ Sedis jura ac privilegia, illa utique, in quorum poſſeſſione eadem invenitur &c.

Si jam quæratur primò, an revera hodie adhuc omnes hi uſus vigeant? ſecundò, an ergo ii damnandi ſint? reſpondebo ad utrumque paucis cum Guilielmo Lindano, paulo antè laudato: *Multum cæcutiat, qui hæc non videt; & inſanus ſit, qui excuſare conetur.*

(1) Qui vel unius horum abuſuum reum ſe conſtitueret, vix excuſari poſſet à noxa; quid ſi tantorum? Fruſtra autem provocabitur ad Apoſtolicæ Sedis *ſumma jura*, *privilegia*, & *conſuetudines*, quippe quæ, ut mox vidimus, Claudius Eſpencæus, vir Pontificibus probatus, *ſummas injurias*, *abuſus*, *& corruptelas* jure appellavit.

(2) Si quis fortè opponat, ſine his ſummis juribus & prærogativis Summam Sedem ſuſtineri, & Primatum ejus exerceri non poſſe: confidenter regero, non licere facere malum, ut eveniat bonum, & ex Deo non eſſe illam Eccleſiaſticæ poteſtatis partem, quæ talibus mediis ad ſe ſuſtinendum indiget; proinde hanc egere reformatione, ſive via & medio Concilii, ſive alio ad hunc finem idoneo. Quibus juſtioribus mediis Romani Pontifices olim ſe ſuaque ſuprema jura tutati fuerint, diximus *cap. II. §. 7. n. 6. & 7.*

(3) Prætendunt Itali, Romanum Pontificem ex cathedra loquentem errare non poſſe in quæſtionibus juris tam *Fidei* quam *Morum*. De materia *fidei* ſatis egimus alibi; hic videmus *mores* minus laudabiles circa res ſacras vigere in Romana Curia, idque à ſæculis; nec tolerari ſolum, ſed ab ipſomet Pontifice, cujus nomine & auctoritate talia exercentur, probari. Quis igitur, ſi circa hos ſimileſve morum articulos lex univerſo populo Chriſtiano proponenda

aut

aut declaranda eſſet, multum fiduciæ ponet in *ſolo* Papa, & particulari ejus Eccleſia Romana? quando ex adverſo evidens eſt, talia nunquam ab *univerſali* libera Synodo probanda fore.

(4) Alvarus Pelagius, Minorita, unus de ſummis Papæ juxta combibitas falſas decretales adulatoribus, tetigit quidem varias hujus mei Operis materias in Libro *de Planctu Eccleſiæ*, in quo inferiores Status Eccleſiæ perſtrinxit acriter, ſe autem, ſuasque de Papa opiniones meritò plangendas fecit. Idem ferè dicendum de Cardinalis Bellarmini libello, quem inſcripſit *Gemitus Columbæ*.

(5) „ Sed inquis, durum eſt de Prælatis talia ſentire. Reſpondeo: Utinam ipſi, agnito errore, talia de ſe ſentirent. Nam cum beato Auguſtino de Civit. Dei Lib. XIV. cap. 14. audeo dicere: *Superbis eſt utile, cadere in aliquod apertum, manifeſtum peccatum, ut ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim ſibi Petrus diſplicuit, quando flevit, quam quum ſibi placuit, quando præſumpſit. Hinc ait Propheta: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum, Domine, qui ſibi placuerunt quærendo ſuum.* “ Ita Mauritius de Praga inclytus Theologus in Conſilio de Eccleſiaſtico ſtatu in Synodo Conſtantienſi emendando anno 1417. Patribus dato, quod ex MSto Auguſtæ Bibliothecæ Vindobonenſis edidit Hermannus von der Hardt *Act. Concil. Conſtant. Tom. I. Part. 17. pag.* 861.

(6) Porro inſtas: Talia, etiamſi vera ſint, propalare, probroſum eſt, & grave ſcandalum parit, conformiter ad illud S. Auguſtini Epiſt. CXIX. ad Januarium cap. 19. *Etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda liberius improbare non audeo.* His reſpondemus ſecundùm regulam ab eodem ſancto Doctore alibi traditam: Non ideo quod aliqui præpoſterè ſcandalizentur, ac quædam alio quam proferuntur ſenſu atque intentione accipiant,

piant, à promovendo vero communique bono abſtinendum eſt, ad quod ampleĉtendum prudentiores non indiſpoſiti eſſe rationabiliter creduntur.

[7] Si jam quæras remedium ſanandis deplorandis his malis efficax, dabimus illud promptum & aptum ex S. Caroli Borromæi Oratione habita in Concilio primo Mediolanenſi circa medium, ubi: *Morum diſciplinam facilè reſtituemus, ſi qua ratione, quibuſve factis primum conſtituta diuque conſervata eſt, eandem nos in reſtituenda adhibebimus.*

§. XV.

Adverſus modernos abuſus Eccleſia ſemper in Generalibus Conciliis reclamavit, & eorum reformationem ſtudiosè quæſivit,

Sed per Romanam Curiam ab optimo propoſito nunquam non impedita fuit.

Vix firmum pedem Romæ fixerant Diſciplinares corruptelæ, cum Eccleſia per os Virorum eruditorum & ſanĉtorum, tum in Conciliis, tum extra ea, adverſus illas reclamaret, idque agere nunquam ceſſaret. Jam ante ſex Sæcula hoc præſtitit per organum Divi BERNARDI: dum hic apud Eugenium Papam, ſuum quondam ſpiritualem filium, amarè quereretur: (1) de Appellationibus ad Romanam Curiam: (2) de diſpenſationibus ſine cauſa: (3) de Privilegiis & exemptionibus Regularibus in præjudicium juris Ordinariorum: (4) de Captura auri & argenti ex rebus ſacris, cui Romæ ſtudetur. Hic non repetimus quæ circa tria priora ex his objeĉtis ſanĉtus Pater deplorat, monet, hortatur, quia alibi illius eò pertinentia verbo referimus. Circa quartum ſpecialius ſuos ſenſus una cum voto generalis reformationis exprimit in Epiſtola CCXXXVIII. anno 1145. ad Eugenium Papam ſcripta: *Quis*, inquit, *mihi det antequam moriar, videre Eccleſiam Dei ſicut in diebus anti-*

quis

quis: quando Apoſtoli laxabant retia ad capturam, non in capturam, argenti vel auri, ſed in capturam animarum? Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es Sedem! Pecunia inquit, tua tecum ſit in perditionem. O vox tonitrui! ô vox magnificentiæ & virtutis! ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Hoc vehementer exſpectat, & omnino expetit à te mater tua; hoc filii matris tuæ, puſilli cum majoribus deſiderant. Ardentibus votis, nomine *Matris* & *Filiorum*, id eſt Eccleſiæ, prolatis, hoc ad Eugenium terribile monitum addit Bernardus: *Confortare igitur & eſto robuſtus . . . . . In omnibus operibus tuis memento te eſſe hominem, & timor ejus, qui aufert ſpiritum principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti! Ipſi te prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant &c.* Non ceſſavit vir Sanctus (qui os Eccleſiæ ſui ævi verè dici poteſt) hortari populos, Clerum, Epiſcopos, Pontifices, quoad vixit de malis Eccleſiæ gemens ac dolens; ſed maximus morientis dolor fuit, non vidiſſe illum, quem tam ardenter deſideravit, & Eugenio paulo ante defuncto, toto pontificatus ſui tempore prædicavit, beatum Eccleſiæ ſtatum. Quod optavit ſed non vidit Bernardus, hoc infiniti poſt eum alii, etiam in Conciliis Patres optarunt, voluerunt, ſed non viderunt; neque hodie adhuc tot viris probis, qui id ferventiſſimis votis expetunt, videre conceditur.

Act. 5. v. 20.

Verum hæc mala, atque neglecta eorum remedia, nemo imputet Eccleſiæ. Hæc nunquam non opere probavit quod de ipſa S. AUGUSTINUS prædicat: ſcilicet *Eccleſia Dei quæ ſunt contra bonam fidem, VEL BONAM VITAM, nec approbat, NEC TACET, nec facit.* Loquitur utique Eccleſia per medium magnorum virorum, quorum actiones & ſcripta publicè & communiter laudantur; ſed immediatius apertiuſque loquitur in *Conciliis*, maximè *Generalibus*. In his ergo quoties poſteriori bus ſæculis congregata fuit, non omiſit levare vocem ſuam, pravitates, illas præſertim, quæ in *Regimen Univerſi* irrepſerunt, inſectando, earumque reformationem totis viribus flagitan-

tando. Hoc potiſſimum præſtitit in Conciliis *Viennenſi*, *Piſano*, *Conſtantienſi*, *Baſileenſi* & *Tridentino*.

Quæ conſolatio pro afflicta Chriſti Sponſa, vel uno Sæculo XV. [quod fortè inter reliqua fuit corruptiſſimum] tria habuiſſe Concilia Generalia, in quibus per organum Epiſcoporum ac Doctorum, ſuo Spiritu animatorum, illa ſuos planctus, gemitus, atque deſiderio liberè edidit! Non diſſimulabantur in ſacris his cœtibus mala: & multum abfuit, ut tenebræ vocarentur lux, aut incurvaretur regula potius quam ut agnoſceretur prævaricatio. Verum executioni optimi propoſiti, & laboris pro Reformatione egregiè ſuſcepti, ſemper obſtitere rationes politicæ Curiæ Romanæ. Quibus id artibus ſtudiiſque effectum fuerit, nobis aperient genuinæ Hiſtoriæ & Acta memoratorum Conciliorum. Inde (1) documentum ſument poſteri, quibus deinceps mediis ad frangenda hæc ſtudia utendum ſit: (2) ſolatium Catholici, quod Sponſa Chriſti ſemper manſerit ſine ruga, quippe cujus facies per privatorum malitiam defigurari non poteſt: (3) terrorem illi, qui per hæc Studia in regnum Chriſti invexerunt eum malorum cumulum, ſub quo illud etiamnum gemit.

(1) CLEMENS V. generale *CONCILIUM*, anno 1311. & ſequenti *VIENNÆ* Allobrogum varios ob fines, ſpeciatim etiam *ad reſtaurationem Diſciplinæ* celebratum, indicens, voluit, ut ſinguli Archiepiſcopi & Epiſcopi ad illud conferrent memoriale eorum, quæ quiſque pro bono Eccleſiæ ſtatuenda judicaret. Præſtitere id nonnulli Præſules fideliter & cordatè, non omittendo abuſus Romanæ Curiæ, univerſam Eccleſiam affligentes, & Conciliari medio ac reformatione apprimè agentes. Egregia hanc in rem Guillelmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi, nec non alterius Antiſtitis, cujus nomen hactenus incompertum eſt, monita alibi ſummatim referimus. Verum cum Synodus de his judicium & proviſionem ſummo Pontifici permitteret ac reſervaret, optima conſilia effectu deſtituta fuere. Refert Continuator Guilielmi Nangi in Spicilegio d'Acheriano

Tom.

Tom. XI. pag. *646.* quod *etſi de aliquibus ſtatum vel reformationem univerſalis Eccleſiæ tangentibus* Patres *aliqua prolocuta fuerint , & eorum ordinatio , ſeu proviſio , ſeu deciſio à Prælatis & aliis quorum intererat , priuſquam Concilium ſolveretur , & inſtanter & pluries à Papa Clemente peteretur , de quibus etiam ipſe Papa [ut dixerunt aliqui] Decretales quaſdam , præterea conſtitutiones edidit & ſtatuta ; nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata , ſed penitus judicio Apoſtolico liberè fuerunt reſervata , & ad plenum dimiſſa .* Sæpius iteratæ illæ Patrum inſtantiæ hoc equidem effecerunt , ut Pontifex ſoluto Concilio quædam ediceret & decerneret adverſus mundanos Monachorum mores ; de Vita & honeſtate Clericorum ; circa adminiſtrationem Hoſpitalium, juriſdictionem Collegii Cardinalium ſede vacante , circa Feſtum SS. Sacramenti &c. Sed his graviora , Eccleſiæ Diſciplinam tangentia , ùt ut ab Epiſcopis propoſita , a Clemente Papa prætermiſſa fuerunt. Talia ſunt , Abuſus diſpenſationum in quacunque materia , ſignanter circa pluralitatem beneficiorum , & ſuper defectu ætatis providendorum ; Collationes , reſervationes & exſpectativæ beneficiorum Romæ in præjudicium Ordinariorum dari ſolitæ , ſubinde etiam indignis ; multifariæ Litium ad Romanam Curiam diverſis ſub prætextibus attractiones cum detrimento Eccleſiarum, neglectæ in Eccleſiis Reſidentiæ propter exceſſivum Curialiſtarum numerum , abuſus Exemptionum & frequentia litium inde ortarum , quas Ordinarii cum Exemptis Romæ ſuſtinere coguntur ; multiplicatæ involationes in jura Epiſcoporum , & horum in Romana Curia contemptus ; denique univerſalis ferè in eadem neglectus Sacrorum Canonum , & erectum in illa ex adverſo Simoniæ ſolium : De his , inquam , in Decretis Synodi & ſubſecutis Decretalibus Clementis Papæ altum ſilentium , neque ulla circa hæc ſæcuta emendatio , quanquam ab Epiſcopis probè fuiſſent monita .

(2) *CONCILII PISANI* anno 1409. celebrati (quod pro legitimo & *Univerſali* agnoverunt Eccleſiæ Galliæ , Angliæ,

Luſitaniæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ & aliæ Septentrionis, quin & maxima Italiæ pars cum ipſa Roma, ac denique mille in Conſtantienſi Synodo congregati Patres) hujus inquam Concilii Seſſione XVI., die 10. Junii habita, omnes & ſinguli Cardinales, antequam conclave pro electione novi Pontificis ingrederentur, ſolemniter proteſtati ſunt, eum, qui eligendus eſſet, inchoatum Generale Concilium continuaturum, uſque dum *Reformatio in Capite & membris*, quà Eccleſia mirum quantum indigebat, perfecta & contummata eſſet. ALEXANDER V. 26. ejuſdem menſis electus, idem promiſſum die 1. Julii renovavit, volens ut ex numero Patrum cujusvis Nationis deputarentur viri probi & docti, qui una cum ſelectis Cardinalibus manum operi actu admoverent.

Hoc ſpiritu cum reliquis actus Cancellarius Gerſon egregiam ad novum Pontificem de Reformatione Eccleſiæ in plena Synodo orationem habuit in hæc verba ex Act. Apoſt. cap. I. v. 6. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael*, quæ exſtat Opp. Gerſon. Tom. II. a pag. 131. ad 141. In ea hæc, inter reliqua, arguit Gerſo: *Monachos paupertatem profeſſos ad Prælaturas niſibus ſummis aſpirare, & ad Commendas currere. Apoſtolicas aures ab iis aſſiduè pulſari, quatenus nova privilegia valeant extorquere.* Quoſdam Clericos *novennis beneficiis non ſaturari*, & *tamdiu novos hiatus pandere quamdiu vivant. Videas*, inquit, *ferè omnes ſummis importunitatibus in* Leges *irruere, dum nunc petunt gratiam obtinendorum ſimul incompatibilium; nunc in abſentia* poſſe *fructus colligere; nunc* ad *Ordines non compelli, & mille alia rectis legibus vetita. Vix*, ait, *aliquod beneficium infra Prælaturas confertur, quin ipſum, uni Pontifex, alteri verò Legatus aliquis, item Ordinarius alteri conferat. Quid eſt hoc aliud quam litium materiam exhibere?* Pontificem deinde ſic hortatur: *Contra leges rectè latas, quantalibet, importunitate petentium fatigeris, nunquam diſpenſabis, niſi aut neceſſitas urgeat, aut*

com-

communis provocet utilitas: alioquin fuerit potius crudelis diſſipatio, quam juſta diſpenſatio. Cavebis diſpenſationem ipſam lege communiorem facere, ne turpe ſit, ſi regulam ſua vincat exceptio. Denique ſubjungit: *Si hæc feceris ad quæ te ſuſcepti officii debitum aſtringit, tum ſchiſmatum avulſis radicibus pax ipſa Chriſtiana ſibi terrarum orbem denuo vindicabit. Et in hoc poſitum eſt unicum pacis ſtabile fundamentum, ſine quo ſi quis ædificare voluerit, nihilo plus agit, quam ſi det operam, ut gravia tecta parietibus arundineis ſuperimponat. Morum corruptio fuit prima cauſa mali; quare morum correctio erit prima cauſa boni &c.*

Poſt hæc ſperari potuiſſet, futurum ut in hoc Concilio meditata, promiſſa, & tam neceſſaria Reformatio ſuſciperetur & perficeretnr. Fuit etiam Seſſ. XXIV. habita die 7. Auguſti publicatum Papale Decretum de celebrandis per Metropolitanos Provincialibus Synodis, & habendis per Monachos regularibus Capitulis. Verum ipſa generalis *Reformatio in Capite & in membris*, quæ poſt depoſitionem duorum Antipaparum, & electionem unius veri Pontificis, prima Neo-electi in congregata apud ipſum univerſali Synodo cura eſſe debuiſſet, in eadem Seſſione XXIV. ab Alexandro ad aliud futurum Generale Concilium, id eſt, ad Kalendas Græcas, (uti eventus docuit) remiſſa eſt.

Objectioni, quæ adverſus legalitatem & univerſalitatem hujus Concilii à defectu Pontificiæ & ordinariæ convocationis opponi poſſet, in laudata Oratione pag. 135. ſic occurrit Gerſonius: " Unde convocatio Concilii tam
" mira? Unde prius diſcordantium inaudita conſenſio?
" Unde tot Præſulum ac præſapientum concurſus tam ce-
" ler? Non à Deo certè diſſenſionis ſed pacis. Non vo-
" cavit Papa: fuit Conventiculum. O ridenda & irratio-
" nalis nimium ratio. Neque verò ad quatuor illa Con-
" cilia, quæ in Actibus Apoſtolicis deſcribuntur, Petrus
" vocaſſe memoratur. Neque Synodus Nicena juſſu Sil-
" veſtri, ſed Conſtantini conveniſſe legitur. Ad quintum

Eee 2 Uni-

„ Univerſale Patrum Concilium contra Theodorum Neſto-
„ rii diſcipulum, nemine convocante ſe ſe certatim Patres
„ exhortati ſunt. Fuere ergo conventicula? Cave dixeris.
„ Coluntur à Gregorio tanquam Evangelia. Quid ſi
„ ſchiſma dubios reddit Chriſtianos, quem duorum pro
„ Papa colant? Quid ſi (quod perrarum eſt) Summus
„ Pontifex labatur in hæreſim, ut legimus Liberium Ar-
„ rianæ pravitati ſubſcripſiſſe; Marcellinum idolis ſacrificaſ-
„ ſe? Quid ſi intolerandis oneribus Chriſtianitatem grava-
„ ret? An adverſus tantos morbos ullam relinquis mede-
„ lam? Relinquo inquies. Credo ſanè: nam imperfe-
„ ctam nimium Eccleſiaſticam politiam aſtrueres, nec à
„ Deo, cujus perfecta ſunt opera, ſalubriter inſtitutam,
„ quod credere nefas eſt, ſi quis in eam morbus poſſet ir-
„ ruere, contra quem nulla poſſet adhiberi medicina; ſed
„ tamen nulla memoratis caſibus relinquitur, ſi non ali-
„ quando ſine Papæ vocatione convenire poſſit Eccleſia.

(3) In *CONCILIO* Generali *CONSTANTIENSI* poſt reunionem trium Obedientiarum, & depoſitionem Petri de Luna, duo adhuc perficienda ſupererant, ſcilicet *Reformatio Eccleſiæ in Capite & membris* atque *Electio ſummi Pontificis*. Circa primum illud magnumque objectum proſtant in Actis hujus Concilii præſtantiſſimorum virorum, Nicolai de Clemangiis, Joannis Gerſon, Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, Franciſci de Zabarellis Cardinalis Florentini, Bernardi Baptizati, Pilei Archiep. Genuenſis, Stephani & Mauritii de Praga, atque aliorum monita & commentarii ampliſſimi de Abuſibus omnium Ordinum Eccleſiaſticorum. Nihil notatu dignius eſt, quam mirus ille magnorum ſanctorumque virorum, qui Sæculo XV. floruere, concentus in repræſentandis & deplorandis Eccleſiæ malis, detegendiſque originibus & cauſis corruptionum in Clerum, maximè Romanum, introductarum. Omnium itaque Patrum Concilii Conſtantienſis una vox erat, Reformationem eſſe neceſſariam; de eo ſolum contendebatur, an præmittenda eſſet Pontificis electio: an verò inchoandum à nego-

tio

tio Reformationis. Pro hoc ultimo ſtabat Imperator Sigiſmundus cum Germanis & Anglis , impulſis juſto metu , ne præmiſſa Pontificis electione , neceſſarium illud Reformationis negotium à Romanis *pro more* eluderetur . Pro altera parte ſtabant Cardinales cum Italis , Gallis & Hiſpanis . Ceſſere tandem , licet ægrè , primi, ea lege, ut cauſa Reformationis tractaretur mox poſt electionem , adhuc ante coronationem Papæ . Vid. Hermanni von der Hardt Acta Concilii Conſtantienſis *Tom. IV. pag.* 1417. *ſeq. pag.* 1432. 1449. *&c.*

Electus 11. Novembr. an. 1417. MARTINUS V. paucis poſt ſuam coronationem diebus , inito cum Præſidibus Nationum conſilio , *Collegium Reformatorium* inſtituit , conſiſtens in ſex Cardinalibus & quibuſdam deputatis Nationum . Verùm multum abfuit , ut hoc Collegium exſpectationi univerſalis Synodi ſatisfaceret . Primi fuere Germani , qui de ejus inertia quererentur , menſe Januarii an. 1418 ſua pro Reformatione deſideria Martino Papæ exhibentes novo ſcripto , quod Hermannus von der Hardt *Tom. I. pag.* 999. *ſeqq.* edidit . Galli quoque , nunc prudentiores, moræque pertæſi , atque ad ſeriam Reformationem aſpirantes , Cæſarem obſecratum venere , ut Papam ea de re interpellaret atque urgeret . Deniqne Hiſpani directè ac obliquè novo Papæ ad promiſſam Reformationem proſequendam calcaria in Concilio addere minimè prætermiſerunt . Idem *Tom. IV. pag.* 1503. His ſtimulis agitatus Pontifex die 21. Martii ejuſdem anni in Seſſione generali XLIII. quædam de reformatione Eccleſiæ ſtatuta promulgavit, edita *eod. Tom. IV. pag.* 1533. *ſeqq.* , ſed penitus inſufficientia .

Poſt hæc die 22. Aprilis Seſſione XLV. & ultima non ſine turbine Concilium ſolvit Pontifex . " Interim ardentiſſime optabat & ſperabat Cæſar *Reformationem* , prout „ nuper convenerat, per novum Papam *in Capite & Curia Romana* primum perfici, deinde per eundem Nationumque deputatos reformationem quoque *Eccleſiaſtici*

Cor-

„ *Corporis Clerive inferioris*, digne inſtitui atque abſolvi. „ Verumtamen ſpe ſua fruſtratus Cæſar optimus. Ex „ quo enim quomodocunque de Reformatione Curiæ Ro- „ manæ per Martinum erat actum, ut ex ſuperioribus li- „ quet, reliquum à Cæſare quæſitum negotium ſubitò ab- „ ruptum. Conſtantia namque abire inſtituit Martinus, „ *brevemque*, ne qua retineretur datà mora, *itineris ſui* „ *terminum*, proximam diem lunæ fixit, eumque publicè „ omnibus innoteſcere voluit. Quo cognito Cæſar non „ parum commotus, cum Papa *de differendo abitu* egit ...... „ Verum diſſuaſit rem Martino Cardinalis quiſpiam. Quem „ & audivit Papa, etſi antea Crdinali fuiſſet infenſus. „ Sententia igitur ſtetit. “ Ita ex Windekio, univerſæ hujus rei teſte, in Hiſtoria Sigiſmundi MSta Hermannus von der Hardt *l. cit. pag.* 1580. Add. Lenfani *Hiſt. du Concile de Conſtance Tom. II. pag.* 231. 233. 254. Sic nec MARTINUS V. nec (uti mox videbimus) ejus ſucceſſor EUGENIUS IV. probroſum nomen oſorum juſtæ reformationis, quo ſe coram omnibus populis in pluribus Univerſalibus Conventibus onerabant, nequidquam veriti, ſatis comprobarunt, Romanam Curiam nunquam majorem monſtrare zelum, quam dum de impedienda reformatione agitur. Eà occaſione rectè dixit Ill. Boſſuetus in Defenſione Declar. Cleri Gall. Lib. IX. cap. 18. *Eluſa reformatio non probat Synodi auctoritatem infirmam, ſed hominum animos fuiſſe omninò perverſos.*

Porro inter Seſſionem XLII. & XLIII., octavo ſcilicet Kal. Martii ejuſd anni 1418., MARTINUS V. edidit Bullam adverſus ſectatores Wiclefi & Huſſi, in qua mandat, ut qui de his hæreſibus ſuſpectus eſt, interrogetur & juret, *ſe credere quod quodlibet Concilium generale, & quod SACRUM CONCILIUM CONSTANTIENSE, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, approbavit & approbat . . . . . & quod condemnavit & condemnet, quod idem ſacrum Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans, condemnat eſſe FIDEI VEL BONIS MORIBUS contra-*

trarium, apud von der Hardt Tom. IV. pag. 1527. Unde rectè concludit Jeſuita Berthier Hiſt. de l'Egliſe Gallicane Tom. XVI. pag. 126. decreta Conſtantienſis Concilii à Martino Papa in eadem ipſa ſynodo *generatim* probari & laudari, non ſolum in materia *Fidei*, ſed *Morum* etiam, tanquam emanata à Corpore *Univerſalem Eccleſiam repræſentante*.

(4) Poſtquam *CONCILII BASILEENSIS* Seſſione II. die 15. Febr. an. 1434 decretum declaratumque fuiſſet, *Sacram Baſileenſem Synodum, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Conciliis generalibus decernentibus, & auctoritate Apoſtolica interveniente, fuiſſe debitè legitimeque ac ritè initiatam*: per ipſam verò Concilii formam, perque agendi modum & ordinem Patres demonſtrarent, ſeriò ſe acturos eſſe quod agere juſſi erant, ſcilicet *Reformationem in Capite & in membris*, EUGENIUS IV. medicos hos corrupti Eccleſiæ Status metuens, bis diſſolvere Concilium tentavit. Hoc ſtatim moliri cœpit ſub ſpecie *Translationis*, quam favore Græcorum ſe Occidentalibus conjungere volentium, ſe poſt annum & dimidium Bononiæ ſuſcepturum prætendebat: " Quaſi ſtatim Baſileæ non poſſet tot exoptata votis „ reformatio fieri, ac tum, ſi res poſceret, nova Synodus „ revocari Bononiam, " inquit Boſſuetus in *Defenſione Declarationis Cleri Gallicani Lib. X. cap.* 1. addens: " Sed „ Eugenio Græcis quoquo modo opus erat, ut conſiliis „ ſuis aliquem colorem obtenderet. " Proſequitur tum Illuſtriſſimus: " Grave viſum eſt Patribus reformationem „ eliſam toties, & in longum ire ſpem Orbis, Synodum- „ que Baſileenſem, duorum generalium Conciliorum, „ duorum Pontificum, ipſiuſque adeo Eugenii IV. aucto- „ ritate, tanta ſolemnitate, tanta Orbis Chriſtiani exſpe- „ ctatione inchoatam, in ipſis initiis ab ipſo Eugenio re- „ pente diſſolvi.

Itaque Patres hiſce machinationibus conſtantiſſimè obſiſtebant, atque per Conſtantienſia non modò decreta, verum

rum etiam aliis rationibus oſtendebant Concilium Pontifice ſuperius eſſe. Ediderunt ergo Seſſ. III. decretum adverſus attentatam diſſolutionem ſeu tranſlationem, quam irritam declarant. Pridem etenim (ut *l. cit.* obſervat Boſſuetus) plerique ſuſpicabantur, MARTINUM V. & EUGENIUM IV. abhorrere à Conciliis celebrandis, ac Reformationis opus cunctanter & diſſimulanter agreſſos; quare Patres ægrè ad Concilia veniebant, quæ Pontificibus inviſa, ac ſtatim re infectà ſolvenda eſſe crederent: Ipſe certè Eugenius Juliano Cardinali, ſuo ad Baſileenſe Concilium Legato, ſuccenſebat, quod res Concilii citius optato proceſſiſſent. Cum verò ſolvendi Concilii miſſa eſt facultas, Julianus pro eo ac debuit ad Pontificem ſcripſit: In Concilio Orbis Chriſtiani ſpem eſſe unicam, nec ſe facilè potuiſſe adduci, ut crederet tantam rem à Pontifice diſſimulanter aut negligenter actam, ſibi quidem decretum, non exercere diſſimulatoris officium, cum de correctione Cleri nulla alia ſpes ſupereſſet.

Dum interim nequidquam impedientibus Romanorum moliminibus, per integras viginti Seſſiones Concilium in negotiis pertractandis ad ductum Synodi Conſtantienſis imperterritè procederet, adeo, ut Seſſione XXI. etiam *Annatæ* ſub pœnis in Jure adverſus Simoniacos Statutis damnarentur (conveniebat enim, ùt ea occaſione rectè monuit Concilii Præſes Cardinalis Julianus, à Synodo provideri, ut juxta Apoſtoli ſententiam Romani *à ſpecie mali abſtinerent*) atque hoc quidem eo tempore, quo Concilium vel ex eorum etiam, qui ei plurimum adverſantur, ſententia, generale eſſet: miſit Eugenius ad Synodum peculiares Legatos, qui de aliquot Decretis, præſertim de Annatis (quod Romanis graviſſimum videbatur) quererentur; ſed perititit in ſententia Synodus.

Quare his aliiſque commotus EUGENIUS, Legatos miſit toto orbe terrarum, ſuo ſacrique Collegii Cardinalium nomine de Synodo conqueſturos, cum Commonitorio ſeu ſecre-

ſecreto mandato, quod Odoricus Raynaldus in *Continuat. Annal. Baron. ad an.* 1436. expreſſit, cujus hæc, inter cætera, verba ſunt: *Utile præterea foret, ſi ii Nuntii Apoſtolici ſecum portarent ſub bulla aliquam Curiæ Reformationem, quam Regibus & Principibus præſentarent: Hoc enim baculo adverſarii noſtri ſemper nos invadunt & percutiunt, quia dicunt multa in Romana Curia fieri, quæ egent magna reparatione, nec illa tamen corriguntur per illam reformationem, etiamſi uſquequaque plena non foret, modò eſſet aliqua, eorum ora obſtruerentur, qui continuò lacerant & carpunt Romanæ Curiæ famam, nec haberent quid ultra impingerent, redirentque tunc Reges & Principes melius ædificati, & proni magis ad condeſcendendum petitionibus Domini noſtri Papæ & ſacri Collegii, deterrerenturque qui auctoritatem Apoſtolicæ Sedis ſub hoc prætextu perſequuntur*. En, quam ſerius & ſincerus Romanis fuerit ad reformationem animus. Apparuit ille deinde amplius in translata *FERRARIAM* & *FLORENTIAM* Synodo, in qua de Reformatione ne muſſitarunt quidem. *Hæc, qui legent*, inquit magnus ille Meldenſium Epiſcopus cit. lib. X. cap. 6. *ne adverſus ſacroſanctam poteſtatem trahant, neque hominum peccata Sedi imputent: ſed divina judicia contremiſcant, totque reformationes impias, ſequente ſæculo ex inferis proditas, neglectæ Reformationis ultrices cogitent*.

Juſtiſſima hac criſi punctus Cardinalis Orſus *Tract. de Rom. Pontificis in Synodos Œcumenicas poteſtate Part. II. pag.* 398. voluit ejus odium in Patres Baſileenſes detorquere: " Quandoquidem, inquit, Boſſuetius Eugenium
„ neglectæ reformationis arguit, monetque nos divina ju-
„ dicia contremiſcere, totque reformationes impias ſe-
„ quente ſæculo ex inferis proditaras, neglectæ reforma-
„ tionis ultrices cogitare; atque adeo optimo Pontifici im-
„ putat, quod occaſionem nefariis hominibus dederit ad
„ Eccleſiam reformationis ſpecie, quantum in ipſis erat,
„ funditus evertendam: alium ex eodem Commonitorio
„ locum ſubjiciam, quo tantorum malorum invidia in

ipſos

„ ipſos Baſileenſes facilè retorquetur. Inde enim, ſi ve-
„ rum fateri volumus, prima mali labes, quod homines
„ temerarii velut Eccleſiæ reformandæ ſtudio, in ſummos
„ Eccleſiæ Principes ora laxare, eorum mores & vitia
„ carpere, legitimam poteſtatem contemnere, jugum ex-
„ cutere, & auctoritatem invadere auſi ſunt. Qua ſemel
„ occupata non ad ædificandam & componendam Chri-
„ ſtianam Rempublicam uſi ſunt, ſed ad eam temerè per-
„ turbandam aut ſi fieri poſſet, & funditus evertendam:
„ *Hoc enim modo*, inquit Eugenius, *in Eccleſiam introdu-
„ ctæ ſunt hæreſes, dum inferiores per contemtum quem-
„ dam, aut de ſuperiorum vita & moribus judices eſſe volunt,
„ aut eis leges, quod minimè poſſunt, imponere ſatagunt.
. . . . Deſinant ergo Romanum Pontificem laceſſere;
„ recognoſcant eum Eccleſiæ Caput; non recedant à doctrina
„ Patrum, quæ ipſi omnes leges ſubjicit &c.* Verum ex
jam dictis evidens eſt (*a*) EUGENIUM imprimis ipſum, deinde ejus tam prædeceſſores, quos jam nominavimus, quam ſucceſſores uſque ad enatas Sæculo XVI. hæreſes omnem declinaſſe Curiæ Romanæ, populos dirè gravantis, reformationem, ut ut ardentiſſimè & cum minis deſideratam: (*b*) Romano Pontifici ſuam uſque ad ea tempora ſtetiſſe auctoritatem, non quidem talem, quam in laudato Commonitorio prætendit Eugenius, eam ſcilicet, quæ *omnes ipſi leges ſubjiciat*, ſed quæ juxta hactenus tradita ſufficiat & apta ſit ad Eccleſiam tranquillè gubernandam, quæque multis ſæculis talis viſa fuit: (*c*) A nemine rerum à quinque aut ſex ſæculis geſtarum gnaro dici poſſe, quod *poſtulata* à Nationibus Reformatio, & in Conciliis toties propoſita, potuerit unquam dare anſam ſchiſmati, aut defectioni à vera Eccleſia, ſed quod eam effectivè dederit conſtanter in- & extra Concilium *negata* Romanæ Curiæ reformatio, & tot gravaminum ſublatio, quam illa ne hodie quidem pro digno ſuſcipit, minus perficit. (*d*) Pax & ſecuritas, quam ſine reformatione prætendebat Eugenius, erat injuſta. Pax & reformatio, quam volebant

Patres

Patres Baſileenſes, erat æqua & Canonica. Pax & libertas, quam deinde Reformatores Sæculi XVI. quæſierunt, erat impia; ſed in rebellione rarò aut nunquam ſtatur intra fines recti.

[5] De impedita à Romanis etiam poſt Baſileenſe Concilium Reformatione plura legi poſſunt in Hermanni von der Hardt Commentatiuncula *de Emendationis Eccleſiaſticæ, à Gerſono deſideratæ, publicis olim fatis in Germania ſub Sigiſmundo, Alberto, Friderico III. & Maximiliano Imperatoribus*, quæ proſtat Actorum Concil. Conſtant. Tom. I. Part. II. à pag. 143 ad 243. Interim tanta ab omnibus reformandæ Eccleſiæ, præſertim Romanæ, neceſſitas agnita fuit, ut ALEXANRO VI., monſtro Pontificis, an. 1505. defuncto, congregati in Conclavi pro eligendo ſucceſſore Cardinales jurejurando ſe ſe obligaverint ad reformandam per eum, qui Pontifex eligendus eſſet, Eccleſiam in Generali Concilio, poſt biennium celebrando. Addita fuit juratæ huic promiſſioni ſtipulatio de ſimili Concilio ſingulis trienniis renovando, uſquedum plenaria Eccleſiæ emendatio ſubſecuta eſſet. Verum tam ab electo novo Pontifice JULIO II. quam ejus ſucceſſori LEONE X. minimè impletum fuit ſolemne hoc promiſſum Deo factum. Hanc Reformationis neceſſitatem, & enatam ex ejus neglectu Eccleſiæ ruinam, Romani tam parum ignorabant, ut in Conſilio de emendanda Eccleſia, quod an. 1536. PAULUS III. à delectis Cardinalibus & Prælatis rogaverat, hi Pontifici apertè dicerent: *abuſibus illis, graviſſimis videlicet morbis, quibus jam pridem Eccleſia Dei laborat, ET PRÆSERTIM HÆC ROMANA CURIA, effectum prope eſt, ut paulatim ac ſenſim ingraveſcentibus peſtiferis his morbis, eam in magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus*. Et paulo poſt: *Eccleſiæ abuſus & graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem ferè ſalutis laboraſſe, vel manaſſe earum rerum famam ad infideles uſque, qui ob hanc præcipuè cauſam Chriſtianam religionem derident, adeo, ut per nos nomen Chriſti blaſ-*

blaſphemetur inter gentes . Verum etiam hæc ſaluberrima monita & conſilia, à domeſticis iiſque fidiſſimis Conſiliariis profecta ne tum quidem, cum hæreſes jam latè graſſarentur, audita ſunt, ſed pleriſque in Senatu Cardinalium Reformationem illam improbantibus, ea ad commodius tempus remiſſa eſt.

(6) Ab hoc tempore prudenter poterat cauſa Religionis pro deſperata haberi. Fuerant jam à longo tempore omnium ora ad petendam Reformationem aperta, tantaque hujus viſa neceſſitas, ut quam plurimi diſpoſiti eſſent ad eam, qualiſcumque demum foret, etiam ſine examine amplectendam. Ad hæc acceſſit communis, pluribus jam ſæculis perdurans ignorantia rerum ſacrarum in Clero & populo His in tenebris, & Cleri corruptione, populis gravi, prætenſis Reformatoribus haud difficile fuit pronas ubique aures invenire. Fuere quidem ad ſiſtendum mali impetum media quædam adhibita, ſed tarda & ſiniſtra: *Siniſtra* imprimis, quia exceſſui reformationis opponebantur non tolerandæ nimietates; *Tarda*: quia dilata per viginti & octo annos adunatio Concilii Tridentini (in cujus prompta convocatione unicum eſſe potuiſſet, ſicut olim in Concilio Nicæno fuit, mali remedium) dedit Reformatoribus tempus & ſpatium perverſas ſuas doctrinas diſſeminandi & implantandi. Zelus Imperatoris, Principum & Epiſcoporum, Concilium totis viribus flagitantium, vix ſuperabilem reſiſtentiam inveniebat ex parte Romanorum, ſuam in Synodo reformationem metuentium; hanc malebant declinare, quam adverſus hæreſes uti remedio, quod cauſæ quotidie magis vulneratæ ſerius applicatum, tandem minus utile futurum, prævideri poterat. Debuiſſet Romana Curia ex aviſamentis Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis ſibi juſtas cautelas ac regulas pro propria emendatione & ſalute ſumere; verum ſtudebant ex contrario ipſimet Pontifices reprimere vocem magnorum virorum, ſpiritu Eccleſiæ animatorum. Has circumſtantias in ſuum commodum deri-

derivarunt infauſti Reformatores, corruptionem *Romanæ Curiæ*, jam ferè omninò profanæ, cum ipſa *Sancta Sede*, & particularem *Eccleſiam Romanam* cum *Eccleſia Univerſali* commiſcentes aut confundentes.

[7] Quem hactenus Curia in omnibus occaſionibus manifeſtavit genium *propriæ* reformationis oſorem, eum illa non minus in *TRIDENTINA SYNODO* ſuſtinuit. De hoc imprimis teſtatur Epiſtola Franciſci Vargas, Caroli V. Imp. pro regno Hiſpaniæ ad Concilium Legati, ſcripta ad Epiſcopum Atrebatenſem Antonium Granvellanum, Cæſaris Adminiſtrum, 26. Novembris an. 1551. quæ erat altera poſt habitam Seſſionem XIV. dies. In ea hæc inter reliqua:
„ Le Légat eſt toujours le même, c'eſt un homme qui a
„ perdu toute honte. Comme il s'apperçoit que nous
„ ſommes timides, il tâche de nous épouvanter, en par-
„ lant avec beaucoup de hauteur &. de fierté. Il traite les
„ Evêques comme des eſclaves. Pour ſe tirer de tout
„ comme il veut, il menace de s'en aller. Le reſte ira de
„ même à l'avenir, & la concluſion du Concile ſera telle
„ que je l'ay toujours dit, à moins que Dieu ne faſſe un
„ miracle pour l'empêcher. Il eſt inutile que ſa Majeſté
„ ſe fatigue davantage à ſolliciter le Pape & ſes Miniſtres.
„ C'eſt vouloir ſe faire entendre à des ſourds, & entre-
„ prendre d'amollir les pierres les plus dures. Tout l'a-
„ vantage qu'on a tiré du Légat depuis les dernieres de-
„ pêches de ſa Majeſté, c'eſt-qu'il eſt devenu encore plus
„ intraitable. Le voilà ſorti de cette (quatorziéme) Seſ-
„ ſion avec une reformation honteuſe, qui ne ſervira qu'à
„ nous rendre la fable & l'objet des railleries du monde.
„ Les hérétiques en ſeront plus hardis à parler & à faire
„ des paſquinades.

„ Je ne puis vous exprimer la douleur que cette con-
„ duite me cauſe. Elle deshonore Dieu, & elle nuit à la
„ reputation de l'Empereur. Les Evêques en ſont fort
„ choqués. Pluſieurs croyent bleſſer leur conſcience, en

gar-

„ gardant ainſi le ſilence, & en laiſſant paſſer tout. Ils
„ ont de la peine à ſe réſoudre à reſter ici plus longtems,
„ & on ne les a retenu que par les plus vives ſollicitations.
„ Je crois que déſormais les inſtances & les prieres ne ſe-
„ ront pas capables de les arrêter, à moins que le Légat
„ ne change de conduite . . . . . . J'inſte ſur la néceſſitè
„ des Synodes Provinciaux, parce que l' expérience nous
„ apprend, qu' il en eſt des Conciles Généraux comme
„ des anciens jeux ſéculaires. On les tien de ſiécle en
„ ſiécle; encore eſt-on quelquefois plus de cent ans ſans
„ en voir un. Et quand cela arrive, on les tient,
„ comme nous voyons maintenant. Le notre ſervira du
„ moins à détromper le Monde. On connoîtra que les
„ artifices des Papes & les grands obſtacles qu' on trouve
„ de leur part, empêchent que ce ne ſoit un moyen pro-
„ pre pour réformer l'Egliſe. Ils ne penſent qu' à ſe
„ rendre maîtres du Concile, & à en tirer de nouveaux
„ avantages. Ils tiennent les Synodes Généraux ſous le
„ joug, & dans une entiere dépendance de leurs volon-
„ tés. Ils font auſſi enſorte qu' on ne puiſſe rétablir les
„ Conciles Provinciaux, que comme il leur plaira, & à
„ condition qu' ils y auront des Préſidens de leur part.
„ C' eſt par-là que la Cour de Rome tiendra tout le corps
„ de l'Egliſe tellement aſſujetti, qu' aucun particulier n'o-
„ ſera ſouffler. On ne corrigera jamais les abus, & per-
„ ſonne n'entreprendra de le propoſer.

„ Telle étoit la prétention du Pape d'aujour d'hui lors
„ qu' il étoit Légat au Concile. S' il avoit preſſé l'aboli-
„ tion des Synodes Provinciaux, comme il avoit déja
„ commencé d'en parler, il en feroit enfin venu à bout. Il
„ avoit déja gagné des Prélats. Un d'entre eux eut la har-
„ dieſſe de dire dans une Congrégation générale, que les
„ anciens Conciles de Tolede s'étoient ſoulevés contre le
„ Siége Apoſtolique, & d'ajouter d'autres choſes ridicu-
„ les. Pluſieurs furent ſcandaliſés de ce qu' on oſoit parler
ainſi

„ ainſi d'un grand nombre de Conciles célébres, qui ont „ été ſi utiles à l'Egliſe de Dieu. On nous écrit, que „ l'Evêque de Fano, qui tint ce diſcours, ſera fait Cardi- „ nal à la primiere promotion. On vit bien qu'il faiſoit „ grand plaiſir aux Légats. Je vous prie, Monſeigneur, „ de répréſenter tout ceci à l'Empereur ....

„ Je reviens à ce que j'ai déja dit. Nous nous don- „ nons beaocoup de peine inutilement. Quand il ſera „ queſtion de régler une choſe à laquelle le Pape & la „ Cour de Rome feront intéreſſés, nous ne gagnerons „ jamais rien: Et ce ſera un grand miracle, ſi nous n'y „ perdons pas beaucoup &c. " Adde Fleury *Continuation de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique Tom. XXX. Lib.* 147. *n.* 85. 86. *&* 87. Ubi memorantur abuſus & gravamina hac occaſione ab Hiſpanis propoſita, ſed in effectu non ſublata: ſcilicet reſervationes beneficiorum, pluralitas eorundem, maximè ſi ſint cum cura; commendæ, uniones ad vitam, exſpectativæ, coadjutoriæ, reſignationes in favorem, aliaque artificia ad fovendam in beneficiis ſucceſſionem; exemptiones à juriſdictione Ordinariorum; Judices conſervatores &c. Oratoris Hiſpani fides, (quantum ad declinationem juſtæ reformationis, de qua hic agimus) eò minus ſuſpecta eſſe poteſt, quod ab Actis Concilii & ejus Hiſtoria nullatenus ſit aliena ejus narratio, ne illa quidem, quam ad guſtum Curiæ edidit Pallavicinus. Hunc vide *Lib. XVIII. cap.* 7. *&* 13. Add. *Lib. XVI. cap.* 11. Item *Lib. XXI. cap.* 8. Ad hunc poſteriorem locum pertinet quod refert Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 655. *n.* 5. " Circa morum emendationem plura in „ hac Seſſione (XXIII.) optata ſunt quàm concluſa. De „ aulæ Romanæ reformatione *plurimi à Patribus* liberè „ ſententiam dixere; & inter alios *Nicolaus Pſaulmeus* Be- „ nedictinus, Epiſcopus Virdunenſis, cum libertate Epi- „ ſcopali diſſereret, *Sebaſtianus Vanzius* Urbevetanus An- „ tiſtes, ad proximos ſibi converſus, imprudenter dixit:

Ni-

„ *Nimium cantat is Gallus* . Quo audito , Petrus *Daneſius*
„ Epiſcopus Vavrenſis appoſitè reſpondit : *Utinam ad hu-*
„ *jus Galli cantum excitaretur Petrus & fleret amarè* ! “
Puncta Reformationis ab Imperatore , ſine fructu , in hoc Concilio propoſita vid. in Martene *Collect. ampliſſ. Tom. VIII. pag.* 1425. In his capitibus , Germanicæ nationis nomine prolatis , primum erat : *Orandum ſummum Pontificem , ut ſe ipſum & Romanam Curiam reformare benignè patiatur* . . . . . . Tertium : *Providendum ne fiant amplius diſpenſationes ſcandaloſæ* . Quartum : *Revocandas omnes exemptiones contra Jura Communia paſſim conceſſas , monaſteriaque omnia ſub ejus Epiſcopi poteſtate conſtituenda, ſub cujus ſunt diœceſi* . Quintum : *Tollendam prorſus pluralitatem beneficiorum* . . . . Sextum : *Epiſcopos omnino ad reſidentiam cogendos , niſi in extrema Eccleſiæ neceſſitate* . . . . Nonum : *Fortaſſis expedire humanarum ſanctionum multitudinem non nihil contrahere , ſuperfluis reſectis , & Prælatos ſuis conſtitutiones æquare obligationibus Juris Divini* . . . . . Ultimò *reverendiſſimos Patres Concilio præſidentes dare operam debere , ne quæſtiones , quæ offendiculoſas parere poſſint contentiones , ut fuit hæc : An reſidentia ſit de Jure Divino , nec ne , aut ſimiles proponantur ; aut quando id vitari non poſſit, non patiantur ſaltem offendi in bilem , nec offerri in fabulam adverſariorum* .

Ut plura alia in hanc rem prætermittam : eorum , quibus Acta hujus Concilii peregrina non ſunt, neminem fugit , Archiepiſcopos Granatenſem & Bragenſem , Epiſcopum Pariſienſem alioſque dolore tantum non confectos fuiſſe ab inſuperabili Romanæ Curiæ adverſus ſaluberrimam Reformationem oppoſitione . Ceſſere quidem tandem illi , ſed unicè ad impediendam Concilii disjunctionem . Non valentes condignam obtinere , maluere Patres modico bono contenti diſcedere in pace, quam relinquere Eccleſiam ſchiſmatis periculo expoſitam .

(8) Æque

(8) Æque mirandum ac dolendum, quòd Romana Curia non ſenſerit infelices ſequelas ſuæ oppoſitionis adversùs ſaluberrimas Diſciplinæ regulas, quas in Eccleſiam introducere Concilia *CONSTANTIENSE* & *BASILEENSE* tanto ſtudio laboràrunt. Quod pondus reddendarum rationum ab iis, qui tot labores & tam pia Studia, à *tribus* Generalibus Synodis pro Reformationis opere & ad *componendam Eccleſiam* ſuſcepta, tantâ conſtantiâ enervârunt, atque ità malum corruptæ Diſciplinæ per ſæcula & ad hunc uſque diem tranſmiſerunt! Eadem Curia, ex præconceptis infundatis principiis, renuit ſe ſubmittere duobus prioribus, in id intentis, ut illam Sacris Canonibus, & per naturale conſequens Eccleſiam inſtituto Chriſti conformem redderent. Illa excuſſo legitimo Eccleſiæ & Conciliorum ſuprematu audentior, poſtremam univerſalem Synodum, *TRIDENTINAM* ſcilicet, ſibi ipſi ſubjugare tentavit. Demum eò res ſuas perduxit, ut Generalium Conciliorum, deinceps habendorum, nec rem nec nomen ſuſtinere valeat. Quæ ex priori attentato poſt memorata bina Concilia Sæculi XV. enata ſint damna, docuit experientia: quæ ex altero (per quod malum Diſciplinæ quaſi obfirmatum eſt) cum tempore evenient, ad divinæ providentiæ arcana pertinet.

(9) Concludimus hunc §phum obſervatione Didaci Payva Luſitani, qui erat unus ex Concilii Tridentini Theologis. Is in Defenſione Tridentinæ fidei. Lib. I. de Conciliorum Generalium auctoritate: *Concilia*, inquit, *in dogmatibus Fidei non poſſunt errare: circa leges ad Eccleſiam componendam latas poſſunt errare & non ſemper ſalubriora ſtatuunt*. Ne verò cui inſignis hujus Theologi fides ſuſpecta habeatur, adjungimus de illo judicium Card. Pallavicini *Hiſt. Concil. Trid. Lib. XXIV. cap.* 10. *n.* 17. ubi „ Hiſpano, „ inquit, Luſitanum aſſociabo, nec minùs doctum, nec „ minoris auctoritatis. Didacus Payva Regis Sebaſtiani „ Theologus, ob ſuorum Operum præſtantiam à nobis „ variis in locis commendatus, in Libro de Generalium

 „ Con-

„ Conciliorum auctoritate , hæc habet &c. “ Atque hæc una ex primariis cauſis eſt , ob quas Generalium Conciliorum placita in materia Diſciplinari particulares Eccleſias ſine receptione non obligant ; uti demonſtravimus *cap. V. §. 2.*

§. XVI.

Quæ de jure Generalium Conciliorum hoc Capite tradita ſunt , ea firmantur & illuſtrantur authoritate Cardinalis Juliani , Pontificii ad Baſileenſe Concilium Legati ac Præſidis .

Dum Patres Concilii Baſileenſis EUGENIUM IV. ad ſe univerſali Synodo jungendum premerent ; proinde ipſe Bullâ Calendis Auguſti an. 1433. datâ , demum poſt Seſſionem XIV. Synodicè declarâſſet ac decreviſſet, *præfatum generale Concilium à tempore inchoationis ſuæ continuatum fuiſſe & eſſe , proſecutionem ſemper habuiſſe & continuari , proſecutionemque habere debere , perinde acſi nulla commutatio , translatio ſeu diſſolutio facta fuiſſet* : advenit quinto Idus Octobris Baſileæ Sigiſmundus Imperator . Eo præſente , præſentibus itidem iis , qui nuper advenerant , Apoſtolicæ Sedis Legatis , Bartholomæo Archiepiſcopo Spalatenſi , Chriſtophoro Cervienſi Epiſcopo , & Nicolao Abbate B. Mariæ in Moniacis ; Cardinalis Julianus, Concilii nomine Pontificis Præſes , coram tota Synodo die 16. ejuſdem menſis & anni elegantem ac prolixam orationem habuit, in qua ex ſententia congregati univerſi nominis Chriſtiani methodo ſimplici & invictâ probat , Concilium legitimè congregatum poteſtatem immediatè habere à Chriſto ; cujus decretis omnes , ne excluſo quidem ſummo Pontifice , teneantur obedire; neque illud à Papa diſſolvi poſſe . Quamvis autem , ait, Conciliorum Decreta tantæ ſint authotitatis, ut cuivis Chriſtiano debeant pro ratione ſufficere ; attamen , quia juxta S. Petri doctrinam parati eſſe debemus omni poſcenti reddere rationem de ea , quæ in nobis eſt , fide : ipſe velit ex multis clariora quædam dicere , ut murmu-

murmurantibus contra Concilium porro non ſit obloquendi locus. De his poſtquam ſolidè Julianus diſſeruiſſet, jam nominatus Spalatenſis Archiep. omnia, quæ ab illo dicta fuerant, paucis repetens, conteſtatuſque imprimis, *ſibi in mandatis datum fuiſſe, ne de authoritate Papæ diſputaret*, in gratiam Eugenii tantùm locutus eſt; ad cujus dicta replicavit Julianus, & Spalatenſis viciſſim duplicavit. Has publicas hinc inde diſceptationes, ac momentoſas actiones, è duobus manuſcriptis, uno Aquicinctenſi, altero regii Collegii Navarræ, edidêre Martene & Durand *Collect. ampliſſ. Tom. VIII. à pag.* 643. E quibus juvat hìc in confirmationem præcedentium decerpere potiora à Card. Juliano pro præcipuâ dignitate Concilii, & ad ſuſtinenda ejus jura, in Synodo allegata. Rubrica Aquicinctenſis MS. hæc eſt: *Diſputatio facta inter Dominos Cardinalem S. Angeli Præſidentem Concilii Baſileenſis, & Archiepiſcopum Spalatenſem Oratorem Domini Eugenii Papæ*. In Codice autem Navarræ talis legitur inſcriptio: *Diſputatio habita per Dominum Legatum cum Ambaſciatoribus Papæ ſuper diſſolutione, an valuerit &c. reportata per Magiſtrum Stephanum de Novaria MCCCCXXXIII. die decima ſexta menſis Octobris*.

Porro Synodalia Juliani afferta ſunt ſequentia: (*a*) „ Cùm „ Generale Concilium ſit adunatio totius Eccleſiæ, facta in vir- „ tute & auctoritate Spiritus Sancti; ſequitur, ibi in repræſen- „ tatione eſſe Eccleſiam ubi eſt Concilium; " per conſequens Concilium eſſe ejuſdem authoritatis, cujus eſt Eccleſia, quæ ſuam immediatè à Deo obtinet poteſtatem. (*b*) „ Claves in per- „ ſona Petri Eccleſiæ datæ ſunt: neque enim Eccleſia propter „ Papam, ſed Papa eſt propter Eccleſiam; & non dicitur. „ *Credo in Papam*, ſed *in Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Pro- „ inde quidquid Papa tanquam miniſteriale Caput Eccleſiæ, & „ ejus jure ac nomine poteſt, hoc multo magis illa, in Spiritu „ Sancto congregata, valebit per ſe ipſam. " Ita profectò: Eccleſia eſt *CHRISTI* Sponſa; quis autem ferat, Miniſtrum ſeu Vicarium *Sponſum* dici, & toto jure Sponſi omnibuſque ejus prærogativis ita gaudere, ut non niſi ab eodem Vicario, & per

 eum,

eum , omne jus omniſque poteſtas Sponſi fluat in Eccleſiam Sponſam , & hanc repræſentans Univerſale Concilium ? Hoc certè repugnat Concilio Conſtantienſi , quod poteſtatem Synodi Generalis immediatè à Deo eſſe declarat . (*c*) „ Aſſeverant SS. „ Patres , Decreta Generalium Conciliorum , tanquam ab uni- „ verſali Eccleſia condita , & à Spiritu Sancto dictata , ſicut ſan- „ cta quatuor Evangelia veneranda ſervandaque eſſe . Addit „ divus Auguſtinus , ſe nec Evangeliis credere , niſi eum ad „ hoc moveret Eccleſiæ , proinde & Univerſalium Conciliorum „ authoritas . " Hoc quidem etiam agnoſcunt qui à nobis diſ- ſentiunt , non ignorantes , talia de conſtitutionibus , quæ à ſolis Rom. Pontificibus emanant , non tradi ; ſed nullum volunt agnoſcere Concilium pro *Generali* , niſi cui Papa præſideat ; his ex mente Card. Juliani ſatisfaciemus infra *num.* 5. & 11. (*d*) „ Concilium Generale ſuperius eſt Pontifice, habens confor- „ miter decreto Concilii Conſtantienſis jus reformandi Eccle- „ ſiam in Capite & membris . " Hoc jus Conciliorum agnoſcit & declarat Conſtantienſe , non tantum *in & pro caſu ſchiſma- tis*, ſed *generatim* , etiam *indubio Papâ exiſtente* atque ab omni- bus agnito ; uti pluribus explanabimus *num.* 6. (*e*) „ Hanc „ poteſtatem Concilia effectivè exercuerunt : & imprimis qui- „ dem Romanum an. 963. deponendo Papam JOANNEM XII." Hujus depoſitionis hiſtoriam præter Luitprandum referunt Continuator Reginonis , Adamus Bremenſis , Sigebertus , & alii bene multi , relati à Pfeffingero in *Vitriario illuſtrato Tom. I. pag.* 316. quorum nullus eſt , qui factum Concilii improbet , aut depoſitionem Joannis iniquam & illicitam eſſe ſcribat ; omnes econtra uno ore Joannem Expapam , & Leonem ei ſuffectum legitimum Pontificem appellant . Primus omnium Baronius Joannis patrocinium ſuſcepiſſe videtur , Synodum illam Roma- nam *Conciliabulum* vocitans . Sed hanc vindicavit Launojus *Lib. IV. Epiſt.* 1. Nobis in præſentiarum ſufficit , Sæculo X. & deinceps communiter in Eccleſia creditum fuiſſe, Romanos Pon- tifices propter impia facta & ſcandaloſam vitam à Conciliis de- poni poſſe . Hoc ſanè creditum fuit INNOCENTIO III. cùm ad Philippum Auguſtum , ab Ingeburge conjuge ſeparari cu- pien-

pientem, Epiſt. 106. Lib. XV. ſcriberet: *Si ſuper hoc abſque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam & mundanam infamiam, forſan Ordinis & Officii nobis periculum immineret &c.* (*f*) „ Eandem po-„ teſtatem & jus exercuit Conſtantienſe Concilium in JOAN-„ NEM XXIII., qui erat verus Papa, " authoritate generalis Concilii Piſani legitimè electus, à quo Conſtantienſis Synodus convocata fuerat; in qua ab iiſdem Patribus, qui eum pro ſolo, vero, ſummo Pontifice agnoverunt, depoſitus eſt. Quinimo ipſe Joannes, & qui poſt eum electus fuit Martinus V, hoc Concilium pro generali habuerunt, & quæ ab ipſo fuerant, etiam tempore unius obedientiæ, circa depoſitionem ejuſdem Joannis XXIII. decreta, approbârunt. Fatentur Romani, Pontificem hæreticum deponi poſſe; imò aſſerunt, eum ex cauſa hæreſeos *ipſo jure* ſuâ dignitate excidiſſe. Verùm imprimis non ſolùm lupus reputatur ille, qui talis eſt ex vitio fidei, ſed etiam qui ex morum incorrigibilitate. Vide textum quoad reliqua valde ſingularem, ne dicam abſurdum, in *Can. VI. Diſt. XL.* Deinde ſi hæreſeos crimen *ipſo jure* privationis pænam inducit, erit hoc indubiè ex Jure Eccleſiaſtico humano: textum enim ad id evincendum in S. Scriptura non habemus; & Petrus etiam abnegato Chriſto adhuc remanſit Apoſtolus. Si autem ſic Lege Eccleſiaſticâ humanâ ſtatutum eſt, ſequitur, eandem Legem, & Eccleſiam ſeu univerſalem Synodum, per quam illa lex lata fuit, ſuperiorem eſſe Pontifice. Nec quantùm ad hoc, refert, an ipſo Jure per Concilium dictato, an Concilii ſententiâ Papa perſtringatur. (*g*) „ Declarat inſuper (ſic pergit Julianus) ea-„ dem S. Synodus *pro hæretico* habendum, qui diceret, Conci-„ lium non poſſe omnia facere *in his*, quæ pertinent *ad genera-„ lem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*. " Hac occaſione adversùs Scheleſtratum, aſſerentem in nonnullis manuſcriptis hujus Concilii & actorum ejus non inveniri verba: *Ad reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris*, & inde concludentem, quaſi à certis Concilii Baſileenſis deputatis anno 1442. ea verba adjecta, atque ita ſenſus Decretorum Conſtantienſium vitiatus eſſet: adversùs inquam hoc commentum venit

nit obſervandum, qualiter Julianus hac ſuâ actione, proinde anno 1433. coram Imperatore, Legatis Pontificiis & Patribus Baſileenſibus ex Seſſ. III, IV. Conſtantienſis Concilii prælegerit, „ *Decretis Generalis Concilii quemlibet*, *ETIAMSI PAPALIS* „ *DIGNITATIS EXISTAT*, *teneri obedire in his quæ pertinent ad* „ *extirpationem hæreſum*, *morum reformationem IN CAPITE &* „ *in membris*. “ Cauſam autem, ob quam in quibuſdam manuſcriptis hujus Concilii Seſſ. IV. inveniantur dicta verba *Reformationis in Capite & in membris*, in aliis non, ritè aperuit Jeſuita Berthier *in Hiſtoria Eccleſiæ Gallic. Tom, XV. pag.* 488. (*h*) „ Idem, firmat Bulla MARTINI V. de 22. Febr. an. 1418. “ in qua pontifex ſuſpectos de hæreſi jubet interrogari, *Utrùm credant*, *quòd quodlibet Concilium generale*, *ET ETIAM CONSTANTIENSE*, *univerſam Eccleſiam repræſentet* &c. Add. inf. num. 4. Porro (*i*) „ Unum Concilium generale poteſt indicere „ aliud ſequens, præfinito tempore celebrandum; & tunc non „ deſideratur ad hoc alia auctoritas aut nova indictio Papæ vel „ cujuſcunque alterius. “ Hoc notoriè fecit Concilium Conſtantienſe &c. (*k*) „ Univerſale Concilium, ritè cœptum, „ à Papa diſſolvi, aut invitis Patribus aliò transferri non poteſt. „ Quomodo enim, inquit, Concilium Papæ aliquid præciperet, ſi huic daretur facultas illud deſtruendi; Et quare, ſi „ Pontifex vellet Eccleſiam congregatam diſſolvere, non poſſet „ hæc ſua jura tueri ſe ſeque defendere? “ Talem diſſolutionem Baſileenſis Synodi ſub ſpecie translationis attentavit Eugenius. De ejus duplicitate ſic queritur Julianus: “ Poteſtne di- „ ci commutatio, ſeu translatio, cùm ipſe terminum proroga- „ verit *per annum cum dimidio*? “ Alibi: „ Dicite, ait, pre- „ cor, poſt Concilium Conſtantienſe, quid fecit Concilium Se- „ nenſe? Quid iſtud Baſileenſe? Certè nihil adhuc: *propter diſ-* „ *ſolutionem*. Si in viridi & in decretis ita novis exiſtentibus, „ prout ſunt, Papa hoc facit, quid faciet hinc ad centum an- „ nos, ſi Concilium cederet, & Papa obtineret? Nihil adhuc „ dicere poſſemus, niſi quòd actum eſſet de Chriſtiana Religio- „ ne; & Principes, qui nunc favent Papæ, eſſent cauſa, quòd „ Papæ eſſent in futuro peſſimi, & nullus eſſet, qui auderet „ eis

„ eis dicere quicquam . (*l*) Supponere aut prætendere , quòd „ ii , qui nomine Papæ Concilio præſident , omnimodam in il- „ lud poteſtatem habeant , repugnat fidei , æquitati & honeſtati . „ (*m*) Fuerunt ſubinde Generalia Concilia legitimè celebrata „ abſque Romano Pontifice . “ Horum quædam exempla *num.*11. recenſebimus . (*n*) „ Dum Papa ſe à Concilio ſeparat , sive „ contrariatur , poteſt Synodus illo abſente aut invito proce- „ dere ; “ nec enim Pontifex Concilium ita in ſua habet po- teſtate , ut ab eo recedens illud concludat , aut reddat deinceps irritum ; utì *eod. num.* 11. probabimus . Convocatio & Præſi- dium Synodale ad Pontificem pertinent tanquam res *officii* , non meri *arbitrii* , unde ſi officio ſuo deſit , non deerunt alii qui il- lud ſuppleant ; parum enim intereſt , nullum aut inutilem habe- re Præſulem . *Cap.* 2. *§.* 1. *X. de Translat. Epiſ.* (*o*) Si eâ occaſione ſchiſma oriatur in Eccleſia , erit illud & tenebit ſe à parte Papæ , non Concilii . „ Sed nec eo caſu reputabitur eſſe „ quæſtio tam de Patrum aut Synodi commodis juribuſve , „ quàm de jure Univerſalis Eccleſiæ ex una , & Romani Ponti- „ ficis ex altera parte . Ita in Baſileenſi Concilio agitur adver- „ sùs Eugenium de auctoritate Eccleſiæ , & de exequendis Con- „ ciliorum , maximè Conſtantienſis , decretis . “ Quo attento , fruſtra à nonnullis Romanarum partium pro aſſerendâ prætensâ Eugeniani acceſſùs ad dictum Concilium inſubſiſtentiâ , allega- tur *exceptio metûs* , nimirum *ſchiſmatis* , quod modis omnibus declinare dicunt Pontificis officium poſtulâſſe . Confer infrà *num.* 11. nec non *cap. IX. §.* 7. (*p*) „ In tali occurrentia Con- „ cilium à Regibus & Principibus juſtè petet , & meritò exſpe- „ ctabit protectionem adversùs Papam refractarium , etiam cum „ ſubtractione obedientiæ . “ Hoc titulo Sigiſmundum Impe- ratorem ita alloquitur Julianus : *Si itaque Serenitas veſtra , & alii Reges & Principes debitum ſuum facere velint , ùt ſpera- mus , omnia bene fient , neque dubium erit de ſchiſmate . Am- plectimini ergo ſacrum Concilium , & illi totis viribus adhærete. Conſervate Eccleſiam & fidem Catholicam , quam certè in magno fluctu videtis . Et licèt ipſe Dominus Eugenius Papa ab Eccleſia ſe ſeparet , vos tamen cum Eccleſia perſeverate ; neque credat*

quiſ-

quiſquam, quòd aliquid fiat aut velit fieri per nos ad vindictam, ſed ſolum omnia fecimus ut reſipiſcat, & Eccleſiam matrem omnium recognoſcat, atque Eccleſiæ monitiones & mandata ſuſcipiat. Si viderit, ſe non habere obedientiam, fortaſſe mutabit animum, tollet ſcandala, & honorabit Eccleſiam matrem ſuam. Si viderit, per vos nimis ſibi faveri, creſcet pertinacia ſua, & vos Eccleſiam offendetis, & eritis cauſa multorum malorum in Eccleſia Dei in futurum, nutrietiſque ſuam ſcandaloſam diſſolutionem. Poſt hæc refert Card. Julianus, (*q*) „ Bullam quan„ dam ab Eugenio Papa pro diſſolutione Concilii ad omnes fi„ deles miſſam, plenam hæreſibus, quam Concilium non poſ„ ſit inexaminatam relinquere. " (*r*) Repetit, qualiter Generalium Conciliorum placita à Romanis Pontificibus ſatis malè obſerventur; quæ res reformatione indigeat: „ Quæ major, „ inquit, deformitas, quàm illa quæ eſt in Capite; & in Capi„ te, quæ major deformitas, quàm nolle ſuſcipere monita ſan„ ctæ Matris Eccleſiæ? " (*s*) Præcedentium Conciliorum eventu doctus, dicit. „ ſe munus Præſidis à duobus Pontificibus „ MARTINO V. & EUGENIO IV. ſibi delatum ægrè ſuſce„ piſſe, dubitans, futurum Baſileæ ſicut factum fuerat Senis; „ & certò, inquit, idem, imò pejus fiebat hìc, niſi fuiſſet iſto„ rum Patrum conſtantia. " Prædicit item, quòd ſi Concilium Papæ cedat, *univerſalem*, eamque adeo neceſſariam Reformationem, quæ ſine *Generali* Concilio perfici non poteſt, minimè ſecuturam; id quod etiam eventus probavit. Antequam in hac diſceptatione ad replicam veniret Julianus, dixit Spalatenſi Archiepiſcopo: *Mallem, Pater reverendiſſime, quod intenderemus reformationi Eccleſiæ Dei, & ſuper hoc mandatum haberetis, quàm veniretis ad luctam diſputationis in præſenti materia: Certè tempora diſputatione non indigent.* Verùm qualiter Eugenii animus ad Reformationem affectus fuerit, vidimus §. præcedente.

[1] Qui ſic coram Imperatore & Eccleſiâ legitimè congregatâ, ac pro hujus defenſione loquebatur JULIANUS tit. S. Angeli Cardinalis, Concilii Præſes, is erat origine Romanus, nomine

nomine atque illuſtri proſapia *Cæſarinus*; vir eloquentia, eruditione, prudentia, & magnanimitate nemini ſuo ævo ſecundus. Primum in academia Patavina Juriſprudentiam docuit; dein Auditoris Rotæ; Protonotarii ac Referendarii officiis in Curia perfunctus eſt. Pontificibus Martino V. & Eugenio IV. nullo non tempore addictiſſimus, illis fidem ſuam probavit in Conciliis, Florentino præſertim, in quo adverſus Græcos præcipuus fuit Catholicæ fidei vindex; in graviſſimis legationibus, quas tam ante, quam poſt Baſileenſe Concilium, eorundem Pontificum nomine ac juſſu obivit in Anglia, Bohemia, Polonia, Germania, ac demum in Pannonia; in quarum poſtrema anno 1444. pro gloria Sanctæ Sedis manibus impiorum militum occubuit. Vid. Eggs *Purpura docta Lib. III. pag.* 101. *ſeq.* L'enfant *Hiſt. du Concile de Basle Tom. I. pag.* 5. 247. 299. 307: 316. 323. 331. *Tom. II. pag.* 2. 5. 128. 165. 170. In Oratione, quam hic recenſemus, dixit inter reliqua Julianus: *Ego, ut multi ſciunt, ſatis laboravi pro ipſo* (Eugenio) *& adhuc laborare vellem, & ponere me in perpetuis carceribus Venetiis aut alibi, ubi ipſe vellet, quod fortaſſe pauci facerent*. Poſt hæc judicet quiſquis æquus rerum arbiter, an talis tantuſque vir inter media hæc obſequia tam averſi potuerit eſſe à S. Sede animi, ut aut vera ejus jura apertè atque invidioſe in Synodo impugnaret, aut ad clanculariam eorundem diminutionem conſentiret in falſificationem Decretorum Conſtantienſium. Add. Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 403.

(2) His inattentis, Juliano & Baſileenſibus Patribus à Romanis objiciebatur, quod in Synodo nonnulla ſtatuiſſent Apoſtolicæ Sedi & Romano Pontifici adverſa. Quibus in ſua dictione Julianus Reſpondet: *Decreta hujus Concilii non eſſe contra Sedem Apoſtolicam, neque contra Eugenium, ſed pro illa, & pro hoc: ſi ipſe bene vellet vivere, ſalutem animæ ſuæ deſiderare, & debitum ſuum facere*. Sanè *privata* Eugenii vita, omnium coævorum teſtimonio, innoxia fuit; non poteſt itaque indirecta hæc inculpatio, in

publico atque tam ſolemni conventu facta, cadere niſi in *illam* à Pontifice *neglecti officii partem*, quam ab eo maximè requirebat Julianus, ſcilicet Reformationem univerſalis Eccleſiæ, præcipuè autem Romanæ Curiæ, quam ille ante ſuſceptum Pontificatum in Conclavi juratò promiſerat, quamque poſt actum ſuæ coronationis, ſe perfecturum, diplomate confirmaverat. Hoc igitur intuitu Eugenius 23. Feb. an. 1447. moriens, in extremis (referente Raynaldo ad dictum annum num. 12.) exclamaſſe cenſendus eſt: *O Gabriel, quantò magis conduxiſſet animæ tuæ ſaluti, ſi nunquam Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuiſſes, ſed in tuo monaſterio religioſam diſciplinam coluiſſes*. Adde infrà num. 9. Væ Curiæ, quæ tales morientibus Principibus ſuis gemitus extorquet.

[3] Eodem ferè tempore Gregorius Corrarius, Venetus, Romanæ Eccleſiæ Protonotarius, in Baſileenſi Synodo coram Imperatore ita locutus eſt: *Secundò dicunt, Nimis circa Sedem Apoſtolicam intentos eſſe hos Patres, cætera minus curare. Scire velim ab his, ſi quiſpiam eorum, ut digni eſſent, omnium membrorum vitio laboraret, priuſne in caput, an fortaſſe in pedes, curam conjiciendam putaret? Si nemo tam delirus, qui non in caput fateatur, cur carpitur hæc Sancta Synodus, ſi, ut ratio atque ordo poſcebat, Capitis imprimis curam habendam cenſet, à quo ſalutem totius corporis neceſſe eſt derivari? Nec tamen reliqua membra neglectui eſſe concedo; cæterum ad illa præcipuè intendi, quibus omiſſis Status Eccleſiæ ſtare non poteſt. Nam quis non videat, quamlibet multa egerimus Decreta, Sanctiones, Leges; nequicquam fieri omnia, niſi Sedes Apoſtolica exequatur?*

Talia quamvis de ſe vera & æquiſſima ſint, Curiæ tamen Romanæ minimè ſapiunt. Hæc ſe ipſam reformare nolens, nec ab Eccleſia (licet illa hujus in Generalibus Conciliis auctoritatem ſupra ſe, una cum Conſtantienſibus Decretis, Baſileæ admiſiſſet) ſe reformari patiens, poſtquam videret Monarchicam ſuam poteſtatem infringi,

Le-

Legatis Præſidibus coactivam juriſdictionem negari, Annatas quaſi ſimoniacas abrogari &c. omnia media ad diſſipandam Synodum adhibuit, dicens, *Tutum non eſſe, nocendi facultatem eis linquere, qui jam nocere moliti fuerant*. Ægro amaram, ſed ſalubrem potionem præbere, anne ei nocere eſt? Hoc quidem Eugenius putavit ſanus; moriens non item.

[4] Dixit inter alia Præſes Concilii Julianus in ſua Diſputatione: *Articulus fidei eſt, credere unam Sanctam Eccleſiam Catholicam; an ergo ipſa ſit ſupra Papam, qui eſt Miniſter ejus, an non, hoc ad fidem pertinet?* Quinimo affirmativa poſterioris propoſitionis ex Decreto Concilii Conſtantienſis *Articulus fidei* eſt. Sic ſanè ſenſit & edixit Cardinalis noſter: *Cum Concilium Conſtantienſe*, inquit ille, *& bulla Martini dicat, quod ſi quis diceret Concilium non poſſe facere omnia in his quæ pertinent ad Reformationem in Capite & membris, & in aliis caſibus expreſſis in Decreto, ESSET HÆRETICUS* Interim nos temperamento utimur, in quo præivit Natalis Alexander *cit. Tom. VIII. pag.* 427, cujus verba hic adſcribimus: " Quamvis ita ſenſerunt Theologi Pariſienſes, ac Viri doctiſſimi, qui Concilio Baſileenſi adfuerunt, & in eo Concilii auctoritatem pro ſua virili propugnarunt; attamen dicere nolumus, uti nec ſentimus, doctrinam de Auctoritate Concilii ſupra Romanum Pontificem eſſe dogma fidei, & oppoſitam opinionem eſſe hæreticam. Parcamus Romanis auribus, parcamus Eccleſiaſticæ Unitati. Cum Romanæ Eccleſiæ Theologis fide conjuncti ſumus, ut communione: Cathedræ S. Petri utrique jungimur: Summi Pontificis Primatum, non *honoris* duntaxat, ſed *poteſtatis* & *auctoritatis*, immediatè à Chriſto ſuper omnes Eccleſias particulares inſtitutum & acceptum, pariter profitemur & colimus: In quæſtionibus nonnullis de Poteſtate Eccleſiaſtica diſſidemus quidem, ut in hac de Concilii poteſtate ſupra Romanum Pontificem, aut Romani Pontificis ſupra Concilium: Sed iſta diſſenſio fidei ſummam

„ non ſpectat ; quamvis ad materiam fidei aliquo ſenſu
„ quæſtiones hujuſmodi pertineant, quia Eccleſiæ & ſummi Pontificis poteſtas, de cujus amplitudine diſputatur,
„ fidei dogmata fundant plurima; quamvis quæcunque circa illam poteſtatem quæſtiones excitantur, fidem per ſe
„ non ſpectent, nec errores omnes, in quos circa illas
„ impingitur, ſint contra fidem . . . . Sic Decreta
„ duo Seſſionis quintæ, de quibus diſſerimus, ad materiam
„ fidei ſpectare dici poſſunt, quia Eccleſiæ & Concilii Generalis legitimè congregati auctoritas, quam declarant, ad
„ objectum fidei noſtræ pertinet, & propoſitiones quædam illis Decretis definitæ, ita pertinent ad fidem, ut
„ oppoſitæ ſint verè hæreticæ. Dogma ſcilicet fidei eſt,
„ quod Concilium Generale univerſam Eccleſiam repræſentet. Dogma fidei eſt ex illo conſequens, quod Concilium Generale in Spiritu Sancto legitimè congregatum
„ errare non poſſit. Dogma fidei eſt, quod Concilii Generalis ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis, ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & Reformationem Eccleſiæ pertinentibus, omnia ejuſdem Eccleſiæ membra
„ parere teneantur. Adeoque Decreta Seſſionis V. ad materiam fidei ratione iſtorum dogmatum pertinent; quamvis propoſitionem de Concilii auctoritate ſupra Papam,
„ ut ipſum puniat ac deponat, ſi ſtatutis ſuis ac mandatis
„ obedire contumaciter contempſerit, eſſe dogma fidei tota Eccleſia non conveniat. Quæ cum ita ſint, MARTINUS V. *Seſſ. XLV.* approbans *omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materiis fidei per ſacrum generale Concilium Conſtantienſe conciliariter*, Decreta etiam
„ quintæ Seſſionis, de quibus diſſerimus, approbavit &
„ confirmavit.

(5) Præter ea, quæ Natalis Alexander hic Chriſtianè refert ad doctrinam Romanorum à formali hæreſi excuſandam, addunt Romanarum partium advocati, auctoritatem Apoſtolicæ Sedis quidem ſubmitti Concilio, non tamen ſeorſim ſumpto, ſed unito ſuo Capiti Romano Pontifici; neque enim

enim, ajunt, Concilium ſine hoc conſiderari poteſt ut *univerſale*, neque ſine eo, tanquam Capite, dici *Eccleſia*. Sed videat quiſquis harum rerum habet prudentiam, num propter hæc & ſimilia Baſileenſium Patrum, per os ſui Præſidis loquentium, ſententia minus firma, proin deſerenda ſit. Baſileenſes ſuſtinentes ſuperioritatem Concilii ſupra Papam, eumque in finem innixi Concilio Conſtantienſi, non ſolum *verbis* Decretorum, ſed & concomitantibus ejuſdem Synodi *actionibus*, vim & ſenſum verborum interpretantibus, uſi ſunt ad probandam auctoritatem Concilii etiam à Papa derelicti, eoque contradicente: *Concilium Conſtantienſe*, inquit Cardinalis Julianus, *declaravit diſceſſum Joannis XXIII. ſcandaloſum, & turbativum univerſalis Status Eccleſiæ; & tamen per talem fugam non diſſolvebatur Concilium Conſtantienſe*. Hinc facilè & apertè intelligitur, quis fuerit ſenſus Concilii, ſua Decreta Seſſionis IV. & V. paulò poſt fugam Joannis Papæ condentis. Sed neque minus verum eſt, Baſileenſem Synodum, Martinum V. & Eugenium IV. Decreta Conſtantienſia acceptaſſe in eo ſenſu, in quo lata ſunt. Si *Eccleſia* nunquam conſiderari poteſt ſine Papa, ergo fruſtra dixit INNOCENTIUS III. Serm. 2. de Conſecrat. Pontif. *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cum de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fidem committitur, poſſim AB ECCLESIA judicari*. Sed de hoc vide ſupra *Lit. f.*

(6) Aſt peccant, inquies Julianus & Patres Baſileenſes, dum ea quæ Conſtantiæ *occaſione dubiorum & ſchiſmaticorum Pontificum* decreta ſunt, ad Papam Eugenium & quemcumque *Pontificem certum* applicant, hoſque poteſtati Concilii ſubjiciunt. Verum quam vanum ſit virorum illorum effugium, vel ex unius Gerſonii operibus in Conſtantienſi Synodo editis evincitur, quippe qui totus in eo eſt, ut auctoritatem Concilii *cujuslibet* in *quemlibet* Papam ſtatuat; pauci autem ſunt, qui ignorant Decreta Conſtantienſia juxta Gerſonii votum condita fuiſſe. Sed & independenter

ab

ab hoc, eam in rem apertum eſt Concilii Decretum. Etenim (1) generale Statutum eſt de quocunque Concilio Generali, nullis terminis circumſcriptum, nulla exceptione limitatum. (2) Non ſolum caſum extirpationis Schiſmatis exprimit, ſed & reformationem Eccleſiæ, tam in Capite quam in membris, & ea quæ tum ad Fidem, tum ad Mores ſpectant. (3) Non tantum hujus Concilii mentionem facit, ſed & cujuſcunque alterius Generalis legitimè congregati. (4) Pœnas ſtatuit generales adverſus eos, qui Concilii generalis Decretis non parerent, cujuſcunque dignitatis tandem ſint. (5) Auctoritatem Concilii in Papam ex eo derivat, quod Eccleſiam Catholicam repræſentet, & errare non poſſit, quæ duo Conciliis omnibus Generalibus conveniunt, quo quo tandem tempore celebrentur. (6) Concilium Joannem XXIII. pro legitimo haud dubiè Pontifice agnoſcebat; ſed hunc Concilio parere vult, & ex ejus nutu abdicare ſe Pontificatu, ac, ni faciat, abdicandum eſſe decernit. Tandem (7) exuit eum Papatu, non ut Papam dubium; nec tantum ut ſchiſmatis fautorem, ſed præmiſſis de ejus vità, tam ante quam poſt adeptum Papatum acta, legalibus informationibus, illum damnavit tanquam *ſimoniacum, bonorum ac jurium ne dum Romanæ, ſed plurium aliarum Eccleſiarum dilapidatorem, malum ſpiritualium bonorum Eccleſiæ adminiſtratorem, vita & moribus ſcandaloſum; in his & aliis malis obduratum, atque incorrigibilem*: quod nec feciſſet Concilium, nec facere potuiſſet, ſi hæc crimina, cum ſchiſmate nil commune habentia, in Papa recognito non crediſiſſet ſui fori eſſe, ſuæque cognitionis. Nihil eſt ergo, quod *ad tempus tantummodo ſchiſmatis, & incerti Pontificis*, Concilii verba detorqueantur. Nec verò quovis alio ex capite Decreti hujus auctoritas nutare poteſt, cum pleno Concilio factum ſit unanimi Patrum conſenſu, re prius per Nationes ſingulas diſcuſſa, & ita definità; cumque poſtea ſimul cum cæteris Conſtantienſis Concilii Decretis à Papa Martino V. ſolemniter approbatum fuerit. De quibus omnibus & ſingulis vide

latius

latius & ſolidè diſſerentem Natalem Alexandrum *cit. Tom. VIII. pag.* 407. *ſeq.* item 413. *ſeqq.* nec non 424. *ſeqq.*

(7) Cum his inattentis Eugenius ſibi & ſuæ Curiæ à Baſileenſi Synodo metuens, ante ſuum ad eam acceſſum allegaret , quædam ab ea fieri , quæ facultatem Conciliorum ſuperarent , repoſuit hac ſua dictione Julianus : *Præſupponit in bulla ſua , nos non potuiſſe facere multa , quæ fecimus : quod ſi toleraretur , nimis eſſet grave pro Eccleſia Dei : Nam faceret dubitari de Conciliis præteritis , & futuris ; quia ſicut unum ruit , aut aliqua ejus pars , ita & aliud .* Ut autem coactivam Conciliorum auctoritatem reſpectu ſummi Pontificis tantò evidentius demonſtraret Cardinalis noſter , verè dixit : *Si Concilium cederet , & Papa* ſe ei ſubtrahere volens *obtineret , actum eſſet de Chriſtiana Religione ; & licet Papæ fierent peſſimi* , ſive in moribus, uti nonnulli paulo poſt fuerunt , ſive in gubernatione Eccleſiæ , graves in ea abuſus (quales §§. 13. & 14. recenſuimus) fovendo , *nullus eſſet , qui auderet*, cum fructu & effectu, *eis dicere quicquam* . Tandemque in eundem ſenſum hæc aptè protulit : *Si hæc & ſimilia diceremus Eccleſiam* (certè congregatam ; diſparata enim in exercitio nihil valet) *facere non poſſe* adverſus Papam talibus criminibus , qualia ex. gr. ea ſunt, quæ paulo antè ex condemnatoria Joannis XXIII. ſententia recenſuimus , *certe ſequeretur , Chriſtum minus ſufficienter providiſſe Eccleſiæ ſuæ ſanctæ* . Non inconveniens huic loco eſt obſervatio clar. P. Benedicti Oberhauſer in *Prælect. Canon. Lib. I. tit.* 33. §. 22. " Magnum „ Eccleſiæ vulnus accidit in Diſciplina , cum auctoritati „ Conciliorum Provincialium Sedes Apoſtolica præſcripſit . „ Quid fiet , ſi energiam Conciliorum Generalium , quo- „ rum in Eccleſia ſaluberrima eſt auctoritas , unius Pon- „ tificis arbitrio ancillari dixerimus ?

(8) His aliiſque à Juliano egregiè prolatis motus, & aliunde juſtè compulſus EUGENIUS , Baſileenſi accedens Synodo poſt decimam quartam ejus Seſſionem (in quarum altera De-

Decreta Seſſ. IV. & V. Concilii Conſtantienſis renovata fuerant] illam *tanquam* à ſuo exordio *generalem*, ſimpliciter & abſolutè acceptaſſe creditus eſt à Patribus Concilii, ab Imperatore & Principibus, ab Univerſitatibus, ab omni demum Rep. Chriſtiana. Hoc inattento, refert Joannes Card. de Turrecremata *Lib. II. de Eccleſia cap.* 100., Eum Juliano, hanc acceptationis bullam in diſputatione, tempore Concilii Florentini habitâ, alleganti repoſuiſſe: *Nos quidem bene progreſſum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incœperat: non tamen approbavimus ejus Decreta*. III. Boſſuetus hujus aſſerti fidem penes Turrecrematam relinquens, judicat ejuſmodi colloquia dictaque nullatenus ſufficientia ad evertenda, aut etiam interpretanda ea, quæ *Synodice* geſta, decreta & approbata ſunt. Cardinalis Orſus *de Rom. Pont. Auctorit. Lib. VI. cap.* 2. regerit, hic non quæri, quid in Concilio decretum, aut approbatum fuerit; ſed *quo ſenſu* ea Pontifex probaverit: nobis autem, inquit, Pontificiæ mentis melior graviorque interpres eſſe non poteſt, quam Pontifex ipſe. Verum & illuſoria Eugenii Exceptio, & inanis Orſi Duplica, juſtis interpretationum regulis manifeſtè adverſantur. Concilio à Papa diviſo, Imperatore Sigiſmundo mediatore, concordiæ ratio talis inita fuit, ut Eugenius inchoatum Baſileenſe Concilium ſuſciperet, atque probaret. Annuit Pontifex. Aſt circa formam decreti ea de re edendi nova inter Eugenium & Patres Baſileenſes difficultas orta eſt: *Volumus*, ajebat in prima ſua perſcriptione Pontifex, & *contentamur*, præfatum Baſileenſe Concilium à tempore inchoationis ſuæ continuatum fuiſſe, & eſſe . . . . Patres his verbis non contenti, poſtularunt, ut ſcriberetur: *Decernimus & declaramus &c.* Horum verborum ampliorem ſenſum, majuſquè robur ſentiens Papa, per aliquot menſes hæſitavit, & per hoc concordiam retardavit; tandem autem conſenſit; atque hoc tenore bullam ſuæ ad Concilium acceſſionis & approbationis expedivit. Concilium Imperator unionis interpres, totus denique mundus, hæc

ac-

acceptationis verba ita intellexit, ut non de *materiali* ſolum Synodi *continuatione*, ſed de *geſtis* etiam, *concluſis* ac *decretis Synodicis* acciperentur. Omni Juri Gentium, bonæ fidei atque honeſtati repugnat tardior illa & privata (ſi vera eſt) Eugenii interpretatio, quæ ex communibus regulis contra eum facienda eſt, qui poſt multos tractatus clarius loqui potuiſſet ac debuiſſet; ſi tamen circa ſenſum aut vim acceptationis Decretorum Baſileenſium, tempore præſtiti ab Eugenio Synodalis conſenſus, aut durante uſque ad Ferrarienſem translationem Synodo, de modo & ſignificatione acceptationis prudens dubium, vel in re tanta ullius doli, ſeu ſiniſtræ interpretationis ſuſpicio ſubeſſe potuit, quod nemo æquum arbitrabitur.

Ridiculum illud de extorto *per metum ſchiſmatis* Pontificis acceſſu ad Synodum, jam exploſimus ſupra *Lit.* O. Applicet hic ſibi Eugenius & quiſcunque ejus ſucceſſor verba Hincmari, quæ retulimus cap. II. §. 10. n. 6. *Quod affectu ambiit, & obtinere non potuit, patientiſſimè, ut eum decuit, toleravit; ne ſcandalum fratribus Conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret*. Adde Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 523. *n:* 41.

(9) Sanè Eugenius ante mortem de his Conciliis, ſignanter *Conſtantienſi* (quod hujus rei caput eſt) aliter ſenſiſſe intelligitur. Cùm anno 1447. ageretur de concordia inter Sedem Apoſtolicam, & Nationem Germanicam; atque ad hanc conciliandam Legàti Pontificii in Francofurtano conventu Oratoribus Cæſaris ac Principum quatuor poſtulata nomine Papæ addixiſſent, quorum alterum, teſte Cochlæo in Hiſt. Huſſit. Lib. IX. hoc erat: *Ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis, & præeminentiæ Generalium Conciliorum, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium* (præſertim *Conſtantienſis* & *Baſileenſis*. Vide Unionem Electorum Imperii de anno 1446. in Mulleri Theatro Comitiorum Tom. I. pag. 278. nec non Gudeni Cod. Diplom.

Mogunt. Tom. IV. pag. 290.) *per tuos*, Eugeni Papa, *Oratores facta, tuis litteris approbetur*. Pontifex habita cum Cardinalibus deliberatione, Nonis Februarii dicti anni, adeoque octodecim ante ſuum deceſſum diebus, literas dedit ad Fridericum Imperatorem, Theodericum Archiepiſcopum Moguntinum & Fridericum Brandeburgicum Electores, quibus quoad hoc poſtulatum reſpondet: *Concilium generale Conſtantienſe, decretum FREQUENS, ac alia ejus decreta, ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, honorem & eminentiam, ſicut & cæteri anteceſſores noſtri, à quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur & veneramur*.

Has litteras edens Odoricus Raynaldus *Annal. Eccl. Tom. XVIII. ad dict. an. n.* 5. " Obſervatione, inquit, „ dignum eſt, Eugenium in litteris non majorem auctoritatem decreto Concilii Conſtantienſis, quod à voce *Frequens* initium ducit, contuliſſe, quam Martinus tribuiſſet; ac profeſſum ſe à prædeceſſorum veſtigiis nolle deflectere. " Ego verò hanc Raynaldi obſervationem viro probo minus dignam judico. Non habuit in animo Natio Germanica exigere à Papa declarationem ſuper qualiquali ſubmiſſione, aut acceptatione unius tantum alteriuſve Decreti Concilii Conſtantienſis, eave ad ſolum caſum Schiſmatis & incerti Pontificis reſtricta; ſed univerſim omnium decretorum hujus, ſicut & quorumcunque aliorum Generalium Conciliorum: *Niſi Eugenius Nationis* Germanicæ *onera tolleret, & auctoritatem Conciliorum, UT CONSTANTIÆ DECLARATA FUERAT, profiteretur, ſe ipſius depoſitionem in Baſilea factam, amplexuros*, inquit Gobellinus in Comment. Pii II. Lib. I. pag. 11. Talibus etiam mediis utitur Deus ad Eccleſiam ſuam, ſubinde disjunctam, in eodem ſpiritu colligandam. Itaque æquiſſimo poſtulato, á Pontificiis Legatis jam conceſſo, Papa ita annuit, ut imprimis agnoſcat auctoritatem & plenum vigorem Decreti *FREQUENS*, quo Pontifex obligatur ad convocandum ſingu-

gulis decenniis Generale Concilium, *ut ſic* (ſunt verba decreti) *per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam exſpectetur*: Deinde etiam *aliorum*, id eſt, reliquorum ejuſdem Conſtantienſis Concilii *decretorum*. Qua autem ratione agnoſcit *poteſtatem, auctoritatem, honorem & eminentiam* omnium Conſtantienſium Decretorum? Eadem *ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia*; & hoc quidem, non ſicut unus MARTINUS V. (qui ſolus inde à Conſtantienſi Synodo Eugenium præceſſerat;) ſed *ſicut cæteri* Pontifices *anteceſſores Concilia generalia ſuſceperunt & venerati ſunt*; qui quà id ratione fecerint videbimus infra num. 12. Non venit Eugenio in mentem dicere aut cogitare, Conſtantienſe Concilium à ſe *pro parte* recipi, *pro parte* repudiari; decretum Seſſionis V. non pro ſe ſuaque perſona, ſed pro futuris caſibus *dubiorum* Pontificum admitti; quod tamen, ſi unquam feriò cogitaſſet, hic debuiſſet declarare & exprimere. Dicant qui volent, Papam nullo pacto, nulla acceptatione, nulla declaratione potuiſſe ſucceſſores ſuos Concilio ſubjicere, aut ſubjectos cum effectu agnoſcere. Qui tam miſerè ratiocinantur, ſupponunt aut verius fingunt ſtatum perpetui in Eccleſia belli, inter Papam ex una, Concilia & Nationes ex altera parte, nulla ratione terminabilis. Quod non unus Papa temerè, ſed multi prudenter agnoverunt, contra eos jus facit. Mirum! in quæ abſurda ſe conjiciant, qui contra tot & tam evidentia argumenta auctoritatem Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis impugnare, aut extantiora eorum Decreta ſiniſtrè interpretari pergunt, nullo vero Eccleſiæ bono, ſed evidenti ejus detrimento.

(10) Hoc ut luculentius appareat, videamus, præeunte iterum Cardinale Juliano, quæ ex illorum ſententia enaſcantur ſcandala. Scandalum eſt, perpetuò diſputare de cauſa, quæ legitima auctoritate, id eſt, communi Eccleſiæ conſenſu, terminata meritò bonaque fide credebatur; & cujus deciſioni nihil opponi poteſt, cui non reſpondeatur, ac

 ſatis-

ſatisfiat convenienti ſoliditate. Qui prudentiores ſunt, ut Galli, tales diſputationes porrò non patiuntur. Scandalum eſt, velle amputare aut tollere finale, atque eo reſpectu unicum, adeoque neceſſarium medium auferendi *maxima*, quia *univerſalia*, Eccleſiæ ſcandala. Scandalum eſt, Eccleſiam Catholicam exponere criſi & deriſioni Hæreticorum: quaſi in illa neſciretur, penes quem, Concilio diſſentiente à Papa, demum ſit Summa Rerum in Civitate Dei, quiſve in ea altero major ſit, ad effectum, ut graviſſimis in occurrentiis, totam Eccleſiam tangentibus, cum plenaria certaque auctoritate ſtatui valeat. Scandalum eſt ſi Pontifex per ſe vel per Legatos ſuos Concilio præſidens, vim coactivam in Patres, ſeu membra Concilii ſibi aſſumens, his liberam legitimamque decidendi, & collegialibus votis definitivè ſtatuendi facultatem abroget; eis eadem, ſecum ſentiendi neceſſitatem imponat; ex pluralitate votorum collegiale concluſum *in rebus Diſciplinæ* facere renuat; & per hoc juſtæ diffidentiæ, atque diſcordiarum ſemina ſpargat. Scandalum eſt, ubi Papa ſub prætextu & ſcuto extravagantium, antiquitati ignoratarum prætenſionem, Synodum ipſam, Synodique præſidium declinans, hoc incertis Capitibus relinquit; atque ita variarum in ipſa Synodo enaſcentium inordinationum cauſa efficitur, ex quibus deinde anſas illius Decreta arrodendi deſumit. Scandalum eſt, ſi Papa, poſtquam Concilium legitimè congregatum, atque illius in ſe & particularem ſuam Romanam Eccleſiam juriſdictionem agnovit, videns illud ad neceſſariam reformationem ſuæ Curiæ, univerſam Eccleſiam gravantis & ſcandalizantis accedere, illud propterea quovis modo diſſipare conetur, & per hoc Eccleſiam periculo ſchiſmatis ipſe exponat, cujus deinde cauſam Synodo contra jus & fas imponit. Scandalum eſt, inter reſuſcitatas diſputationes de ſuperioritate Papæ & Concilii, Sponſam Chriſti lutulento cœno merſam linquere. Scandalum denique eſt, de infallibilitate Generalium Conciliorum quotidie diſſentiendo diſputare, atque illam velle derivare à Pon-

Pontificiæ inerrantiæ privilegio, tam parum firmo; ſicque eam haud tenuiter labefactare, qua vacillante omnia corruent. Omnia hæc ſcandala Julianus hiſce breviter indicaſſe videtur: *Et quia dicitur per nonnullos, quod non eſt ſcandalum natum ex diſſolutione Concilii; certè magnum ſubortum eſt, & adhuc quotidie per eam turbamur; quotidie ſunt ſcandala, quotidie diſſenſiones..... Si non fuiſſet diſſolutio, jam facta eſſet Reformatio &c.* Poſt hæc, qui judicii de vero, æquo & bono capax eſt, ſtatuat de cauſa & facto Patrum Baſileenſium, Decreta Concilii Conſtantienſis plenis votis adoptantium, rite interpretantium, & debitè exequentium; atque ita demum optet inter ſententiam Juliani Cardinalis, & Eugenii Pontificis; attamen optando parcat Catholicæ Unitati.

(11) Dixit Julianus, in Baſileenſi Synodo eſſe *quotidianas diſſenſiones & ſcandala*: Inde Cardinalis Orſus, dum ea Lib. VI. cap. 12. Art. 8. ſingulari opera & exquiſito ſtudio recenſet, ita ſubinfert. " In Pſeudo-Synodo Baſileenſi „ cernere apertiſſimè eſt, quam perniciosa & infeſta Eccle- „ ſiaſticæ paci & unitati ſint Conſtantienſia Seſſionis V. De- „ creta, niſi ad tempus ſchiſmatis & dubiorum Pontificum „ referantur. " Verùm imprimis, quamvis Eugenius ante ſuum acceſſum, ad Baſileenſe Concilium, & poſtea adhuc, plura in eo non jure agi quereretur, nihilominus illud deinde à ſuo initio uſque ad Seſſionem XXIV. pro legitimo & œcumenico agnovit tum alias, tum in Epiſtola, quam ad ſuos in Germania Legatos ſcripſit, datas xi. Cal. Auguſti an. 1446. apud Raynaldum *ad eund. annum n.* 3. Id quod etiam fatetur primarius Romanæ cauſæ patronus Card. Bellarminus *Tr. de Eccleſia Lib. III. cap.* 16. *v. Ad ſextum*. Deinde indagandum eſt, quis primaria harum inordinationum cauſa fuerit. Earum, quæ acciderunt, quamdiu ſtetit Concilium, & Julianus cum eo, dixit publicè hic vir egregius coram Imperatore & univerſa Synodo, fuiſſe *Papam*, Concilium omnibus viis & modis elidere conantem. Propter eos abuſus, qui Concilio *per*

con-

conſenſum majoris partis Patrum, & diſceſſum Juliani Præſidis, jam ſoluto evenerunt, non ſequitur legitimum Conciliorum, maximè Generalium, uſum abrogandum, aut competentem eis, etiam ex jure Divino, auctoritatem minuendam eſſe. Poſſe etiam ſine præſidio Papæ in generalibus Conciliis ordinatè procedi, probarunt Conſtantinopolitanum anni 381., & Conſtantienſe inde à fuga Joannis XXIII. uſque ad electionem Martini V. Quod Rom. Pontifex Synodis Œcumenicis regulariter præſidere debeat, nemo dubitat nec diſputat; quod autem ille propter negatum ſuum præſidium Concilia omnia, utcunque pro rerum & temporum circumſtantiis Eccleſiæ neceſſaria aut utilia noſcantur, perpetuò declinare & impedire valeat; aut in eis, dum legitimè congregata ſunt, Epiſcopos, quod *Spiritus Sanctus conſtituit regere Eccleſiam Dei*, ſuis juribus exuere permittendus ſit, abſque quod adverſus tanta incommoda legitimum in Eccleſia remedium inveniatur, non creditur: Et quod tandem remedium? Illud, quod verbo & facto monſtravit Concilium Œcumenicum Conſtantienſe. Hic iterum clamabit Orſus: *Subeſt novum periculum ſchiſmatis*, vel ex diſſidio inter Papam & Concilium, vel inter duos de Papatu contendentes, depoſito nolente cedere. Equidem væ illi (etiamſi ſummus Pontifex ſit) cujus ſeu pervicacia, ſeu ambitione, tale ſchiſma excitaretur. Quidquid autem eveniat, minus malum erit hujus, quod metuitur, ſchiſmatis, quam graviſſimi illius, quod prædixit Julianus, quod nos inde à tempore Lutheri perdurare ſentimus & videmus, quodque §. præcedente probavimus eſſe fructum impeditæ legitimæ auctoritatis Conciliorum. Plus dico: utriuſque ſchiſmatis, illius de quo nos dolemus, & ejus quod illi timent, eadem cauſa eſt, ſcilicet neglectus Sacrorum Canonum, præſertim Conciliarium.

(12) Quandoquidem hunc §. expoſitioni doctrinæ Cardinalis Juliani de juribus Romani Pontificis reſpectu Generalium Conciliorum deſtinavimus, ſupereſt, ut ex ejus ſententia declaremus, quà ratione Papa ſit Eccleſiæ, etiam in Con-

cilio

cilio congregatæ, Caput, quomodo præcipua ſecundum eandem Eccleſiam auctoritate polleat; Concilia confirmet; & illis nihilominus ſubjectus ſit & inferior. Hunc in finem hic ſubjungimus verba Synodalis reſponſi, quod per os noſtri Cardinalis tertio Nonas Novembris an. 1435. Baſileenſis Synodus dedit Ambroſio Priori Camaldulenſi, & Antonio de Sancto Vito, Eugenii IV. Oratoribus. Ea hæc ſunt: *Si Dominus noſter veram pacem & unitatem inter nos & ipſum fore deſiderat, neceſſe eſt, ut quæ ad juſtitiam ſpectant, primò ipſe præmittat, hoc eſt, ut Eccleſiæ univerſali jus ſuum tribuat. Quod eſt illud Eccleſiæ jus? Quæ ſunt illæ juſtitiæ partes? Non certè aliæ, niſi, cum Eccleſia univerſalis Spiritu Sancto dirigatur, & eam univerſale Concilium repræſentet, ut Decreta Synodalia diligenter & per alios ſuo exemplo & juſſu ſervari faciat. Ita & ſui anteceſſores Sancti Romani Pontifices, quorum vitam in teſtimonium ſanctitatis etiam miraculis illuſtravit Deus, fecerunt; ſumma veneratione univerſalium Conciliorum Canones ſuſcipientes, & per eos inviolabiliter ſervari facientes: Qui ſine magna & urgentiſſima cauſa adverſus ea non diſponebant quidquam, nec ab aliis aliter fieri patiebantur. Inquit etiam B. Damaſus: Abſit à me, ut Sanctorum Patrum Canones abſque inevitabili ratione tranſgrediar unquam: & Magnus ille Gregorius ut ſancta Evangelia Concilia Generalia ſe venerari affirmat: & non ſolum quatuor illa primæva, ſed & omnia, dum illa ratione utitur, quæ omnibus Univerſalibus Conciliis communis eſt. B. quoque Gelaſius, univerſalis Eccleſiæ ſtatuta aſſeverat nullam eſſe Sedem, quam magis exequi oporteat, quam Primam. Non mihi ſatis eſt uſque in craſtinum, ſi ſingulos, tam ſummos Pontifices, quam ſanctos Doctores recenſere pergam, qui ſaluberrimam Conciliorum doctrinam ſuper cæteris aliis efferebant, venerabantur & obſervabant.*

Pergit deinde Julianus: *Nec ſic faciendo quidquam Romani Pontificis auctoritati deperit, aut detrahitur; imò adjicitur & accreſcit. Quidquid enim in ſacris ſtatuitur Con-*

ciliis

ciliis, ſua etiam auctoritate ſtatuitur, quæ ſemper ibi refulget ut prima & præcipua præ omnibus, Caput & Directrix. Et cum aut perſonaliter, aut auctoritativè ſemper in Synodis univerſalibus interſit, ipſeque Eccleſiæ Rector ſit & Paſtor, Decreta Conciliorum etiam ſua & Sedis Apoſtolicæ non immeritò dici poſſunt. Nos enim unum Eccleſiæ corpus ſumus, & ipſe hujus corporis caput ſub Capite Chriſto. Quidquid igitur fit ab hoc corpore Eccleſiaſtico, etiamſi omnia membra in idem concurrant, ſicut in corpore naturali accidit, magis tamen ac præcipuè operatio quævis capiti appropriatur & adſcribitur, ab ipſoque magis quam ab alio corporis membro procedere cenſetur. Itaque non ſecus Synodalia Decreta pro ſuo debito & honore exequi debet, ac per alios ſervari facere, quàm ſi ab ore proprio dictata & promulgata eſſent. Dum enim ipſe præſens eſt, ipſe concludit, ipſe ſtatuit, & ſub nomine ſuo ac perſona omnia decernuntur. Dum abeſt, ſui Præſidentes, qui vice ejus fonguntur, locumque Apoſtolicum tenent, & perſonam Pontificis repræſentant, per ſacrum Concilium deliberata concludunt. Per Concilium autem ſtatuta in nullo derogant ſuæ poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſiſque & perſonis, utilitate vel neceſſitate ſuadente, moderari diſpenſarique poſſit, atque uti ſummi Principis ἐπιείκεια; *quæ ab eo auferri nequit.*

Viden', quomodo decreta Corporis Eccleſiæ a Papa procedant? Tanquam à Capite, à quo omnis operatio corporis magis profluit, quam ab alio quovis *particulari* corporis membro. Qualiter Conciliaria decreta ipſius auctoritate dictentur? Ut Capitis & Directoris; unde *etiam* Pontificis Decreta dici poſſunt. Quà ratione Papa Concilii decreta confirmet? Parendo, & exequendo. Qua auctoritate in eis diſpenſet? Ut ſummus Princeps atque primarius Miniſter Eccleſiæ, & ejus nomine ac vice; ſed perraro & non niſi communi Eccleſiæ utilitate vel neceſſitate id ſuadente. Præſtat hoc Juliani Synodale reſponſum centum Scholaſticorum lucubrationibus, quas ſæpe zelus dictat, ſed non ſecundum ſcientiam Scripturarum & Traditionis diſcretus.

CA-

CAPUT VII.

De Auctoritate Epiſcoporum ex Jure Divino.

§: I.

Chriſtus Epiſcopatum inſtituit, eique propria ipſe jura attribuit, perpetuò illi adhæſura.

Inde colligitur æqualis omnium Epiſcoporum auctoritas.

AUctor ſalutis noſtræ, miſſus à Patre ſuo ad perficiendum opus ejus, ex diſcipulorum turba duodecim elegit, quos *Apoſtolos* nominavit, mittens eos ad prædicationem Evangelii, tanquam teſtes oculatos vitæ, doctrinæ, & reſurrectionis ſuæ. His poſt ſuam reſurrectionem totum illud officium, quod ipſe acceperat à Patre, perficiendum generali mandato commiſit, dicens: *Sicut miſit me vivens Pater, ita ego mitto vos*. Jo. XX. Ad idem nimirum opus perficiendum, quod quidem ipſe Chriſtus à Patre miſſus, tanquam præcipuus, *propria* auctoritate propriaque doctrina hic exiſtens in terris viſibiliter exercuit *circumeundo civitates & caſtella*; ipſi verò tanquam ejus miniſtri auctoritate *delegata*, & doctrina eis tradita, ac infuſa, & experimentali, continuarent; & quod ipſe cœperat, ipſi proſequerentur. Ut autem Apoſtoli poſſent aliquo modo eſſe perpetui in Eccleſia, dedit eis poteſtatem alios eligendi & aſſumendi ad idem opus, ſicut ipſe eos elegerat & aſſumpſerat. Dixit igitur illis: *Ite, docete, prædicate, baptizate*; & *ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos*; cum commiſſione & mandato generali; ut

ſicut ipſe habuit à Patre generale mandatum docendi, inſtruendi, & convertendi mundum ad cognitionem veri Dei, & miniſtros ad hoc neceſſarios congrua auctoritate inſtructos deputandi; ita & ipſi haberent idem officium & mandatum cum eadem poteſtate miniſtros eligendi, ſimili auctoritate munitos; idque continua ſucceſſione uſque ad conſummationem ſæculi. Ex his conſequens eſt, omnes Epiſcopos in ſua inſtitutione, *præveniendo omnem humanam ordinationem*, eſſe in poteſtate & auctoritate gubernandi Eccleſiam æquales, non tantum quoad ea, quæ *Ordinis* ſunt, ſed & quæ *Juriſdictionis*, in quantum hæc ad ſalutem populi & rectum Spirituale Eccleſiæ regimen ſpectant; conſtat etenim, ſucceſſorem in jura ſui prædeceſſoris ſuccedere, niſi oſtendatur, hæc in ſucceſſore legitimè reſtricta eſſe. Hinc S. AMBROSIUS in Pſalmum 38. pag. 858. *Tibi, inquit, claves dabo regni cœlorum, ut ſolvas & liges . . . . Quod Petro dicitur, Apoſtolis dicitur. Non poteſtatem uſurpamus, ſed ſervimus imperio*. Idem Lib. II. de Spiritu Sancto pag. 664. *Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum: nec Paulus, inquam, indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem*. Item S. HIERONYMUS Lib. I adverſus Jovinianum pag. 168. *Super Petrum fundatur Eccleſia; licet id ipſum alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & EX ÆQUO ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen PROPTEREA inter duodecim unus eligitur, UT CAPITE CONSTITUTO SCHISMATIS TOLLATUR OCCASIO* &c. Adde Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag.* 529. *ſeq.*

[1] In ipſam ergo Apoſtolicam auctoritatem Epiſcopi ſuccedunt, ita nimirum, ut quidquid poteſtatis Epiſcopalis, id eſt, ad regimen Eccleſiæ ſpectantis, *Apoſtoli* habuerunt, id ab ipſis in *Epiſcopos* transfuſum ſit. Ea verò, quæ Apoſtolis non ut *Epiſcopis*, ſed ut *Apoſtolis*, ſunt propria, neque debito Eccleſiæ regimini & adminiſtrationi ſunt neceſſaria,

ſaria, niſi fortè ad tempus, in Epiſcopos non tranſierunt; uti ſunt qualitas teſtium immediatorum Reſurrectionis Domini, electio ipſorum ab ipſomet Chriſto facta, plenitudo ſcientiæ, donum linguarum, miraculorum &c.

(2) Omnibus & ſingulis Apoſtolis dictum eſt: *Quidquid ligaveris . . . . quidquid ſolveris . . . . .* Nullus *quoad hoc* altero ſuperior aut major eſt; nullus alterius hac in parte jus & poteſtatem limitare aut reſtringere poteſt, quippe quæ omnibus eadem plenitudine data fuit & independentia. Quoad hanc *ligandi ſolvendique* poteſtatem nihil magis immediatè aut extenſe obtigit Petro, quam Joanni, aut Andreæ. Idem eſt quoad facultatem annuntiandi Evangelium: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes &c.* Quos reliqui Apoſtoli inſtruxerunt & ordinarunt, æque bene inſtructi, miſſi & ordinati erant, ac qui à Petro. Illi eadem auctoritate & independentia loquebantur, quà hic.

(3) Ex eo, quod *omnes Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum ſint*, S. HIERONYMUS in Epiſtola ad Evagrium, relata apud Gratianum *Diſt.* 93. *Can.* 24. æqualitatem Epiſcoporum maximarum & minimarum Civitatum adſtruit, ibi: *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii.* Cui conforme eſt illud S. CYPRIANI apud Gratianum Cauſ. XXIV. Qu. 1. Can. 16. *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis pars in ſolidum tenetur.* Vide ſupra cap. III. §. 1. Hæc Epiſcoporum plena poteſtas, ſeu ut Synodus Toletana octava loquitur, *Epiſcopalis Eminentiæ divina auctoritas*, ſeptem ad minus ſæculis manſiſſe videtur; ſcilicet uſque ad irruptionem falſarum Decretalium.

(4) Non conſtat, quod S. Petrus cuivis Apoſtolo certam nationem aut populum, prædicatione ſua convertendum, aſſignaverit. Hæc aſſignatio aut planè non fiebat, quocunque eorum hac in parte motum ſeu dictamen Spiritus

Sancti ſequente, aut eadem collegiali Apoſtolorum conſenſu definita. Fuere quidem jam inter Apoſtolos & Chriſti diſcipulos nonnulli certæ Eccleſiæ alligati; attamen hæc adſcriptio nullam inter Apoſtolos eſſentialem differentiam induxit, uti nec inter Epiſcopos de eorum auctoritate & miſſione ad gubernandam Eccleſiam quidquam diminuit. Neque impedit eadem Epiſcoporum ad certum populum adſcriptio, quominus iidem vocati cenſeantur ad impendendam omnibus fidelibus paſtoralem curam, dum id neceſſitas aut ſalus populi exegit. Vid. *cit. cap, III.* §. 1.

(5) Itaque Epiſcopi in adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum nihil *Jure divino* recognoſcunt reſervatum Papæ. Secus eſt de iis, quæ *Canones* & *Obſervantia* ex particularibus cauſis ſummæ Sedi ſpeciatim reſervarunt, quæque inter hujus Sedis privilegia, maximè *Patriarchalia*, numerata ſunt, juxta illud Concilii Chalcedonenſis: *Sedi ſenioris Romæ, quod Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt*. Vid. cap. III. §. 5. n. 1.

(6) Verè ſcripſit Petrus Collet. *Inſtitut. Theol. Tom. II. Tract. de Eccleſia Quæſt.* 5. *p. m.* 585. " S. GREGORIUS M.
„ Epiſt. 43. Epiſcopi *Univerſalis* nomen tanquam profa-
„ num, ſuperbum, ſacrilegum rejecit, non tantum à
„ *Conſtantinopolitano*, ſed etiam à *Romano* Epiſcopo juxta
„ illum ſenſum, quaſi unus foret in orbe Chriſtiano Epi-
„ ſcopus, à quo ſuam cæteri mutuarentur auctoritatem:
„ qui profectò ſenſus abſurdus eſt. Omnes enim Epiſco-
„ pi *pro Chriſto legatione funguntur*; omnes ſunt *à Spi-*
„ *ritu Sancto poſiti regere Eccleſiam Dei*; omnibus dictum
„ à Chriſto *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeri-*
„ *tis peccata &c.* Ad hunc ſenſum reſpexiſſe S. GREGO-
„ RIUM demonſtrant hæc ipſius verba Epiſt. 18. ad Joan-
„ nem Conſtantinopolitanum: *Qui indignum te eſſe fate-*
„ *baris, ut Epiſcopus dici debuiſſes: ad hoc quandoque per-*
„ *ductus es, ut DESPECTIS FRATRIBUS, Epiſcopus ap-*
„ *petas SOLUS vocari*. Et intrà rationem reddit, cur
„ nullus Romanus Pontifex ſibi tilulum *Univerſalis* Epi-
ſcopi

„ ſcopi aſſumpſerit: *Ne*, inquit, *ſi ſibi in Pontificatus gra-* „ *du gloriam ſingularitatis arriperet*, *hanc omnibus Fratri-* „ *bus denegaſſe videretur*. " Verba S. Gregorii dedimus *cap. II.* §. 11. *n.* 3.

(7) Dum ad ſæculum uſque nonum Epiſcopi etiam *Fratris* titulo Romanos Pontifices compellaſſent; hi nomen illud ſibi hactenus cum reliquis Epiſcopis commune, nunc faſtidire incipientes, *Patris* titulum cum excluſione fraternitatis prætendunt. GREGORIUS IV. in Epiſt. ad Epiſcopos Regni Francorum, *Romano*, inquit, *Pontifici ſcribentes contrariis eum in præfatione nominibus adpellaſtis, FRATREM videlicet & PAPAM*, *dum congruentius eſſet*, *ſolam ei paternam reverentiam exhibere*. Biblioth. Patrum maximæ *Tom. XIV. pag.* 315.

(8) Equidem turba Canoniſtarum, in utramque partem diſputare adſueta, dum Quæſtionem proponit: An juriſdictio Epiſcopalis *immediatè* à Deo ſit, an *mediate*? quædam pro utraque ſententia argumenta, multoſque hinc inde ſtantes pugiles producit; ſed non agunt omnes, præſertim Regulares (quorum ſingulare hac in Quæſtione commodum verſatur) apertè ſatis, ſincerè & diſtinctè. E pluribus Romanarum partium Fautoribus hìc pro exemplo damus unum ex celebrioribus, ſcilicet Franciſcum Schmalzgrueber, qui *Decretal. Lib. I, Tit.* 31. *num.* 26. pro *mediata* proceſſione juriſdictionis Epiſcopalis ſe reſolvens, *eod. num.* ℣. *Sed tenenda eſt*, ait, *poteſtatem juriſdictionis*, *quam habent Epiſcopi*, *iiſdem dari immediatè ab ECCLESIA ſeu ROMANO PONTIFICE*. Verum hic minimè confundendus erat *Pontifex* cum *Eccleſia*. Utique ab *Eccleſia* (penes quam omnem ſacram poteſtatem reſidere probavimus *cap. I.* §. *6*) juriſdictio in ſingulos Prælatos, à ſummo ad infimum uſque, pro ſua portione dimanat; aſt *Rom. Pontifex* hujus aſſignationis ſeu traditionis merum inſtrumentum eſt, idque à ſex ſolum vel ſeptem ſæculis; antè enim Epiſcopos nec per eum creatos, nec confirmatos fuiſſe, omnibus notum eſt.

§. II.

§. II.

Quæſtio de immediatà aut mediata Epiſcoporum auctoritate, in Concilio Tridentino propoſita, nec tamen apertè definita fuit.

Argumenta, quæ in utramque partem propoſita fuerunt, recenſentur & ponderantur.

Ipſa Tridentina Synodus Seſſ. XXIII. de Ordine cap. 4. aſſerit. *Epiſcopos in locum Apoſtolorum ſucceſſiſſe*. Qui ergo negat, Epiſcoporum auctoritatem *immediatè* à Deo eſſe, debet etiam ſuſtinere, ſuam Apoſtolis auctoritatem, non fuiſſe conceſſam *proximè à Chriſto*, ſed *à Petro*. Imò ſi *ideo* Pontifex cenſetur Primatum ſuum eique cohærentia jura *immediatè* habere à Deo, *quia eſt ſucceſſor Petri*; quidni Epiſcopi etiam ſuam inde auctoritatem proximè trahent, cum æque ſint ſucceſſores Apoſtolorum? Fuit hæc quæſtio magnorum in memorato Concilio cauſa motuum, quorum hiſtoriam in compendio dabimus ex Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſ. XII. n.* 3. " " In privatis, inquit, Theologorum & generalibus Patrum cœtibus, diu, multum, acriterque diſceptatum fuit: *An Epiſcopi Jure Divino in Eccleſia ſint inſtituti? Quo jure ſuis Eccleſiis reſidere teneantur?* Epiſcoporum inſtitutionem ac reſidentiam juris eſſe divini, Hiſpani, Gallique Præſules propugnabant. Itali pro contraria ſententia tanquam pro aris & focis certabant, Romani Pontificis auctoritatem imminui *falſo* arbitrati, niſi Epiſcopi ſacram poteſtatem ac juriſdictionem ab Apoſtolica Sede precariò obtineant, ſintque, *non Chriſti* ſed *ſummi Pontificis* Vicarii: veritique, ne ſummus Pontifex diſpenſare de reſidentia non poſſet, ſi Juris Divini definiretur. Theologos inter *Petrus Soto* Dominicanus inſtitutionem ac reſidentiam Epiſcoporum Juris eſſe Divini, ad obitum & uſque defendit, ac lethali ægritudine Tridenti decumbens, gravem ac luculentam ad *Pium IV.* ſcripſit Epiſtolam. *Didacus Lainius* Soc. Jeſu ſupremus Moderator

„ rator , inſtitutionem Epiſcoporum non eſſe Juris Divini, prolixa Diſſertatione aggreſſus eſt , cujus ſummam exhibet Pallavicinus *Lib. XVIII. cap.* 15. . . . . Dum agente Cardinali Lotharingo , pluribus vicibus reconcinnati Canones , ſeptimus & octavus , ſub ea promulgati ſunt forma, qua nunc habentur; ſepoſita ſcilicet illa quæſtione, de qua variabant Catholicorum ſententiæ , An Epiſcoporum auctoritas & juriſdictio Juris eſſet Divini , Hæreticorum errores dumtaxat damnati ſunt, aſſerentium , *Epiſcopos non eſſe Presbiteris ſuperiores* : &, *Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos ac veros Epiſcopos , ſed figmentum humanum.* In explicatione verò Catholicæ doctrinæ ſacra Synodus declaravit : *Epiſcopos , qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere , & poſitos , ſicut Apoſtolus ait , à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei &c.* De reſidentia verò viſum eſt ſanctæ Synodo definiendum non eſſe , quo jure ad eam Paſtores tenerentur , propterea quod complures anſam inde arripuiſſent damnandi res antea geſtas, & juſtam abſentiam Epiſcoporum, ut ſcripſit Cardinalis *Lotharingus* in literis ad *Britonem* Secretarium ſuum cum Romano Pontifice communicandis . Sic porrò incipit Decretum : *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt , oves ſuas agnoſcere &c.*. His verbis conceptum Decretum eſt , quibus veritati , Conciliique exiſtimationi conſultum eſſet .. Ubique enim jam conclamabatur, *Patres jam non poſſe ferre jus Divinum* , *ſed nequidem audire* (inquit Cardinalis Lotharingus ad Britonem Secretarium ſuum , & rerum ſuarum in Romana Curia Procuratorem) additque : *quod quantum ſcandalum afferre poſſit his noſtris calamitoſis temporibus , quis non audit ? Hic via in hæreſi ſua confirmantur Hæretici , qui nos ajunt reliquiſſe mandata Dei propter traditiones hominum , qui de oppreſſo per nos verbo Dei perpetuò conqueruntur : ſcandalizantur Catholici , qui hoc ne verum ſit , nunc maximè verebuntur . Itaque ut illi calumniæ obviaremus , & puſillos non ſcandalizaremus , deputati ad reformandum Decretum de Ordine , cenſuimus incipiendum De-*

cre-

„ *cretum à divino mandato, ut ex eo functiones nobis injunctæ*
„ *elicerentur, & abſtineremus poſtea ab expreſſione ea, quæ ab*
„ *aliquibus expoſcebatur, ut diceremus, reſidentiam eſſe ex Jure*
„ *divino*. Haud plures quam ſex aut ſeptem in dicendis ſen-
„ tentiis ita exorbitaſſe teſtatur, ut dicerent, Epiſcopos jure
„ tantum poſitivo & Canonicis conſtitutionibus ad reſidentiam
„ obligari. " Adde ſupra *cap. I.* §. 8.

(1) Juvat hic paucis repetere potiora ex iis, quæ de Divina inſtitutione Juris & Auctoritatis Epiſcopalis in Tridentino à Patribus in utramque partem diſputata fuere. *Pro affirmativa* quidem (*a*) dixit Joannes Fonſeca Theologus Archiepiſcopi Granatenſis: Si credatur Papa eſſe inſtitutus à Chriſto Jeſu, quia dixit Petro Matthæi XVI. v. 19 *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & Joannis XXI. v. 15. *Paſce agnos meos*: credi non minus debet, à Chriſto æque conſtitutos eſſe Epiſcopos, cum omnibus Apoſtolis diceret Matth. XVIII. v. 18. & Joannis XX. v. 23. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo &c.* Item Marci XVI. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Denique Joannis XX. v. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Proinde ſi Papa ſuccedit in jus Divini Petri, Epiſcopi pariter ſuccedunt in jus Divinum Apoſtolorum. His addidit Fonſeca textum Act. Apoſt. cap. XX. v. 28. *Poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quibus denique ſubjunxit: ex eo, quod Epiſcopi creentur per Papam, æque parum ſequi, illos ſuam à Chriſto inſtitutionem non habere, quam quod ſuam ſummus Pontifex obtineat à Cardinalibus, à quibus eligitur. (*b*) Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopus Braccarenſis, vir verè ſanctus, ſuſtinuit, poteſtatem Epiſcopis in ordinatione traditam nulla humana auctoritate tolli poſſe: Hanc non ſolum complecti ea, quæ ſunt *Ordinis*, ſed & quæ *Juriſdictionis*, ex quo illis, dum conſecrantur, grex aſſignetur conducendus & paſcendus; ipſis quinimò *Titularibus*

Epi-

Epiſcopis Urbem aſſignari, manifeſto argumento, Epiſcopatum ſine populo, & juriſdictione in eum, non ſubſiſtere. Cui accedit, quod in traditione pedi adhibeatur formula: *Accipe baculum Paſtoralis officii &c.* ſcilicet in ſignum poteſtatis corrigendi vitia. In traditione annulli dicitur *Eccleſia eis deſponſari*. Per traditionem Evangelii mittuntur *ad prædicandum populo, eorum curæ commiſſo*. Demum in fine Conſecrationis in Oratione: *Deus omnium fidelium Paſtor & Rector &c.* (quæ deinceps in miſſali Romano Pontifici appropriata eſt) dicitur, dirigendo verba ad Deum, quod *voluerit, ut hic Epiſcopus Eccleſiæ præſit*. Addidit Braccarenſis Antiſtes, Innocentium III. in *cap. 2. X. de Translat. Epiſc.* dicere, quod matrimonium Spirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam ſit vinculum à Deo inſtitutum, nulla humana poteſtate rumpendum. (*c*) Nec minus Segovienſis Epiſcopus ſuſtinuit, inde ab Apoſtolorum tempore Epiſcopis juriſdictionem ſemper ab Eccleſia aſſignatam fuiſſe; hanc traditionem Apoſtolicæ eſſe originis. Conſtare inſuper ex Eccleſiaſtica Hiſtoria & Patribus, quod Epiſcopi inter ſe communicaverint de iis, quæ in ſuis reſpectivè Eccleſiis agerentur, in ordine ad obtinendam Fratrum ſuorum approbationem; idem & a ſummis Pontificibus obſervatum intuitu eorum, quæ Romæ fierent; ſolitos etiam Patriarchas mittere ad Epiſcopos circulares litteras, quibus de ſua eos ordinatione & fidei profeſſione certiores facerent; eodem quoque more Romanos Pontifices uſos eſſe reſpectu reliquorum Antiſtitum. (*d*) Fortius idem thema urſit Georgius Ziſchowid Senienſis Præſul, cui mirum videbatur, moveri quæſtionem, an Epiſcopi à Chriſto inſtituti ſint, & ab eo juriſdictionem ſacram obtinuerint: Si eorum, ajebat, auctoritas non veniat à Deo, neque illa Conciliorum inde poterit derivari, hæc quippe aliud non ſunt, quam Conventus & Decreta Epiſcoporum. Si humana ſolum *ſingulis* tribuatur auctoritas, *collectorum* non futuram humana majorem. Deluſum ergo hactenus eſſe Chriſtianum orbem, quando Ge-

nerale Concilium ei propoſitum fuit privilegio inerrantiæ munitum, tanquam certum remedium finiendarum controverſiarum fidei. Se jam quinque menſibus Tridenti ſubſiſtere, in ea perſuaſione, peræque huic Synodo applicandum eſſe, atque Hjeroſolymitanæ ab Apoſtolis congregatæ, illud Act. Apoſt. XV. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*. Regeſſit quidem ad hoc in Concilio Didacus Lainez, ea verba primæ Synodi *narrativè* ſolum referri, non *diſpoſitivè*; deinde ad id, quod à quavis Univerſali Synodo exſpectatur, ſufficere, ut ſua Epiſcopis à Pontifice conferatur auctoritas; ea ratione Synodi definitiones non agnoſci legitimas, niſi quatenus probantur Pontifici, cui Spiritus Sancti aſſiſtit. At in hac ſuppoſitione manebit verum Concilii auctoritatem non eſſe aliam, quam unius Romani Pontificis; quod teſte Senienſi Epiſcopo neque ſibi perſuadebat, neque à ſacro Tridentino conventu exſpectabat Chriſtianus orbis, de mente Pontificis circa controverſas eo tempore quæſtiones fidei jam antè ſatis informatus. Et ſi inepta Lainii obſervatio in mox citatum locum ex Actis Apoſtolorum attendatur, parum nobis proderunt exempla Apoſtolorum ad formandos Epiſcoporum mores, & illorum Geſta ad figendum originarium Statum & formam ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, hiſque neglectis, paſcemur ſophiſticis diſtinctiunculis.

(2) Ampliſſima Oratio, quam eadem de materia die 20. Octobris 1562. in contrarium habuit mox laudatus Jeſuitarum Præſes Generalis, ad ſequentia Capita reducitur: Romanum Pontificem, tanquam generalem Dei Vicarium, Petro ſucceſſiſſe in univerſalitate ſacræ poteſtatis, quam ille minoribus Præſulibus, prout Eccleſiæ judicaverit expedire, diſtribuit: Voluiſſe quidem Deum, ut Epiſcopis traderetur certa portio Eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſicut & vult alia multa, de quibus tamen immediatè non diſponit: Etiam in Scriptura enumerari dotes ſervi boni, neque tamen inde confici, ſervum quemque ab hero ipſo conſtituendum eſſe: Epiſcopis poteſtatem *juriſdictionis* non infundi per conſecra-

crationem, ſed per ſimplicem collationem, quæ cuivis Clerico, imò laico communicari valeat: Illos quidem eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, ſed in poteſtate *conſecrandi* tantum: Verba Chriſti *Paſce oves meas* dicta quidem fuiſſe cunctis Apoſtolis, attamen non in omnibus, ſed in uno Petro, a quo, quia integrum gregem paſcere per ſe ipſum non poterat, reliqui Apoſtoli huic operi admovendi erant: Poſitos quidem eſſe à Spiritu Sancto Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei, ſed mediatè, uti conſtituuntur Magiſtratus laici: In Romano Pontifice juriſdictionem eſſe immutabilem; in Epiſcopis eam variari, & per Papam reſtringi, non quidem ex & pro mero hujus arbitrio, ſed ex prudenti cauſa &c. Verum quid hoc eſt aliud, quam illud thema, quod in quæſtione vertitur, ſæpe variatis phraſibus multiplicatiſque verbis proferre, & in fine nec minimum probaſſe. Hi, me quidem judice, ſunt fructus *ſpinoſæ, ſenticoſæ, frigidæ, jejunæ ac infelicis illius tum Philoſophiæ, tum Theologiæ*, quæ teſtibus actis Concilii Trevirenſis anni 1548. *in ſcholis recepta*, fuit una ex cauſis hæreſum Sæculo XVI. in Eccleſia enatarum.

(3) Memoravimus ſuprà ex Natali Alexandro, & aliunde ex actis Concilii Tridentini notum eſt, Epiſcopos Italiæ (quorum 187. in eodem Concilio ſedebant, cum Synodus univerſim ex 265. Epiſcopis coaleſceret) tanquam pro aris & focis dimicaſſe, ne Concilium Tridentinum definiret, Epiſcoporum Inſtitutionem & Reſidentiam eſſe Juris Divini. Secretum motivum hujus Italicæ concertationis, quæ bilem tam juſtê movit egregio Cardinali Lotharingo, inſinuat Jo. Petrus Gibert *Corp. Jur. Can. in Prolegom. Part. I. Tit.* 20. *Sect. 6. p.* 172. nempe: " Cupiunt illi, ambiuntque officia Curiæ Romanæ, perinde ac Epiſcopatus, voluntque illa cumulatim poſſidere. Volunt quoque Cardinalatum, Legationes, Nuntiaturas conjungere cum Epiſcopatibus. Porrò, exoptata adipiſci nequeunt, niſi Pontifex eos pro beneplacito ſuo diſpenſare poſſit a reſi-

„ dentia : ſecus conſcientiæ ſtimulis urgerentur, quia ſibi „ conſcii non ſunt aliquam neceſſitatem, aut evidentem „ Eccleſiæ utilitatem, ſemper requirere ejuſmodi diſpen- „ ſationes; & quamvis exiguam habeant cognitionem di- „ gnitatis Juris Divini, nequeunt ignorare, non licere „ Pontifici ab eo diſpenſare pro arbitrio ſuo : credentes „ autem Pontificem eſſe Juris Eccleſiaſtici poſitivi Domi- „ num, parum curant ſecum diſpenſari abſque ulla Cano- „ nica cauſa; ſed ipſis ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficit, „ ut Pontifex eos diſpenſare velit, ſive ex mera indulgen- „ tia, ſive ex alio humano quovis motivo.

(4) Finaliter & verè dicit idem clar. Gibert, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ non promiſiſſe, fore, ut omnes veritates revelatas *ſimul* ipſi detegeret, ſed *ſucceſſivè*, prout ipſe volet. Eccleſiæ Hiſtoria nos compellit, ut ſic intelligamus, & exponamus hunc locum : *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæ dixero vobis*. Confer ſuprà cap. VI. §. 8. n. 15.

§. III.

Refutatur Fagnanus, omnem juriſdictionem à Papa in Epiſcopos dimanare ſuſtinens.

Epiſcopalia jura in aliorum diœceſibus exercendi facultas Romano Pontifici non competit,

Fagnanus *ad cap.* 1. *X. de Offic. Jud. ord. n.* 50. favore juriſdictionis à Papa in Epiſcopos defluentis ſic ratiocinatur : “ In „ textu ſacro Act. XX. *Attendite vobis & univerſo gregi, in* „ *quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos regere* ECCLESIAM „ *Dei* : aut verbum illud *Eccleſiam* volumus intelligere de Eccleſia „ *univerſali* reſpectu *ſingulorum* Epiſcoporum, ita, ut quili- „ bet Epiſcopus ſit poſitus à Spiritu Sancto ad regendam Eccle- ſiam

„ ſiam univerſalem . Et hoc eſt erroneum , quia hæc poteſtas „ data eſt ſoli Petro Apoſtolorum Principi , & Romanis Pontificibus illius ſucceſſoribus ; alioquin tot eſſent Papæ, quot „ Epiſcopi , contra unitatem Eccleſiæ , & Catholicam veritatem . Aut volumus intelligere prædictam auctoritatem de „ *ſingularibus* Eccleſiis , ita , ut quilibet Epiſcopus poſitus ſit à „ Spiritu Sancto ad regendam ſuam Eccleſiam particularem , & ita „ concurrant omnes collectivè ad regimen univerſalis Eccleſiæ : „ & hoc ſimiliter eſt falſum , quia Chriſtus populos Apoſtolis „ non diviſit, & multò minus Epiſcopis illorum ſucceſſoribus, „ ſed dixit omnibus & ſingulis : *Docete omnes gentes* , Marci „ ult. & *prædicate Evangelium omni creaturæ*, Matth. ult. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram , erunt ligata & in cœlo* , „ Matth. 18. *& quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis* . „ Joan. 20. Ergo non eſt noſtrum fingere hanc limitationem , „ & diviſionem juriſdictionis fuiſſe factam immediatè à Chriſto. „ cum ex Evangelio haberi non poſſit . Supereſt ergo, ut Apoſtolis & aliis Epiſcopis Eccleſiæ, & ſubditis , & conſequenter „ juriſdictio præfinita fuerit *immediatè* primum à Petro , & deinde à ſummis Pontificibus, ejus ſucceſſoribus . Atque ita „ Epiſcopi conſtituti ſunt à Spiritu Sancto ad regimen Eccleſiæ „ *mediante juriſdictione* , quæ ſingulis tribuitur & præfinitur „ ab Eccleſia Romana.

Nos adverſum hæc probamus ſupra *cap. III.* §. 1. unum eumque indiviſum à Chriſto inſtitutum eſſe Epiſcopatum, quem omnes Apoſtoli , & poſt eos Epiſcopi , tenuerunt *in ſolidum* . Hanc doctrinam , quam accuratiſſimi Theologi & Canoniſtæ ſequuntur , egregiè firmant relati per Fagnanum Sacræ Scripturæ textus . Diviſis poſtea diœceſibus (quod ſub Apoſtolis fieri cœptum ; de his enim jam legitur, quod fundarint Eccleſias particulares , eaſque creatis à ſe Epiſcopis commendarint ; exemplum habemus in Apoſtolo Paulo *ad Titum I.*) manſit quidem *ſolidaria* illa primorum Eccleſiæ Paſtorum ſollicitudo & obligatio , ſed ſine præjudicio jurium cuique Epiſcopo in ſuo diſtrictu , id eſt dioeceſi , privativè attributorum . *Singulis Paſtori-*

bus

bus, ait S. CYPRIANUS, *portio gregis fuit adſcripta*, *quam regat unuſquiſque & gubernet*. Fuit hæc diſciplina confuſioni tollendæ viſa adeo neceſſaria, ut Eccleſia variis Canonibus eam ſtibilierit, ac frequenter ſevereque Epiſcopis interdixerit in aliena diœceſi quidquam agere vel ordinare. Plures antiquos Canones in hanc rem profert Gratianus *Cauſ. IX. Quæſt. 2.* Pertinet hæc prohibitio peræque ad Romanos Pontifices, quibus in aliorum Epiſcoporum diæceſibus nullam immediatam *Epiſcopalem* juriſdictionem competere tot argumentis hoc Opere probamus. Dixi *Epiſcopalem* juriſdictionem: Cauta ſiquidem diſcretione ſecernendum eſt *jus Epiſcopale* Romani Pontificis ab ejus *Primatu*: illud par eſt juri cæterorum Epiſcoporum, & iiſdemmet limitibus circumſcriptum: hic per ſe non importat jus, functiones Epiſcopales ordinarias in alienis diœceſibus exercendi. Vid. *tot. cap. II.*

(1) INNOCENTIUS I. PP. Epiſtola ad Victricium Archiepiſcopum Rothomagenſem *cap.* 7. hanc regulam ut inviolabilem ſtatuit: *Ut de aliena Eccleſia Clericum ordinare nullus uſurpet, niſi ejus Epiſcopi precibus exoratus concedere voluerit*. Et S. LEO Epiſt. XII. cap. 9. *Alienum Clericum invito Epiſcopo illius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi fortè ex placito charitatis id inter cedentem accipientemque conveniat*. His adde Concilium Nicænum *Can* 16. Sardicenſe *Can.* 19. Codicem Can. Eccl. Afric. *C.* 54. Et ſi *majoribus Sedibus* hac in parte aliquid ſpeciale permiſſum eſt, id eis omnibus commune evaſit, nec Romanæ tribuit particulare jus aliorum Epiſcoporum diœceſes invadendi, eorumque jura ordinaria præripiendi.

(2) S. GREGORIUS M. titulum *Epiſcopi univerſalis Eccleſiæ* ideo potiſſimum damnat, quia illi, qui eum ſibi arrogat, videtur tribuere jus & juriſdictionem per omnes diœceſes: *Si unus Univerſalis eſt*, inquit Lib. IX. Epiſt. 68. nov. edit. *reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis*. Item Lib. IX. Epiſt. 22. vet. edit *Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccle-*

Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, *confundatur*. Conf. cap. II. §. 11. n. 3. 4. & cap. VII. §. 1. n. 6.

(3) Concilium *SALEGUNSTADIENSE* habitum ſub Benedicto VIII. anno 1022. *cap.* 18. declarat: *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à ſuis Sacerdotibus accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata; ſancto viſum eſt Concilio, ut talis indulgentia illis non proſit, ſed prius juxta modum debiti pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam & litteras ad Apoſtolicum ex iiſdem rebus deferendas accipiant*. Quid, mutato hodie per falſas Decretales, quæ ſummo Pontifici abſolutam poteſtatem in univerſam Eccleſiam tribuunt, Jure Eccleſiaſtico, diceret Romana Curia, ſi his conceptum verbis Canonem particularis Synodus conderet?

(4) Eandem diſciplinam & Concilii Salegunſtadienſis diſpoſitionem probat Synodus *LEMOVICENSIS* anni 1034., in qua *de Pontifice Romano injuſtè abſolvente excommunicatos ab Epiſcopis, iſtiuſmodi fuit in Synodo querela propoſita*, inquit Baronius ad d. an. Num. XIX. Sed factum excuſavit Benedictus IX. ibid. Num XX. his verbis: *Quod neſcienter egi, Frater chariſſime, non mea, ſed tua eſt culpa: Scis enim, quia quicunque de Univerſa Dei Eccleſia, quæ eſt in toto orbe terrarum, ad me cauſa remedii recurrit, impoſſibile eſt mihi ejus curam negligere, dicente Domino ad beatum ſpecialiter Petrum, PETRE PASCE OVES MEAS. Quo ergo modo poterit Sedes Apoſtolica ejicere aliquem de medela, niſi rationabili cauſa? Debueras certè mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus, ut eam ego omnimodè abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus Conſacerdotibus meis, ubique terrarum, adjutorem me & conſolatorem potius eſſe, quam*

quam contradictorem ; abſit enim ſchiſma à me & Coepiſcopis meis . Itaque illam pœnitentiam & abſolutionem , quam tuo excommunicato ignoranter dederam , & ille fraudulenter accepit , irritam facio & caſſam , & de ea nihil aliud ſperet , quam maledictionem , qua ſatisfacta tu ipſe abſolves . Eadem Acta num. XXII. aliud ſimile exemplum produnt in quodam diœceſano Epiſcopi Engoliſmenſis , qui pari obreptione litteras abſolutionis Roma retulerat; ibi : *Epiſcopus intelligens fraudem, ait homini : Verſa vice quod ego poſtulare debueram ab Apoſtolico , Apoſtolicus poſtulat à me : Non credere poſſum hoc mandatum ab eo extortum , & hoc tibi nihil utile eſt : & donec à me, vel hujus Sedis Archidiacono , me jubente , accipias pœnitentiam , permane in excommunicatione . Et ejecit eum foras de Eccleſia .* Poſt hæc Patres Concilii Lemovicenſis ſic ſtatuunt ac declarant num. XXIII. *Et dixerunt Epiſcopi : Hoc ab ipſis Apoſtolicis Romanis & cæteris Patribus tantum teneamus , ut parochiano ſuo Epiſcopus ſi pœnitentiam imponit ,* NB. *eumque Papæ dirigit , ut judicet , utrum ſit an non pœnitentia dignus pro tali reatu , poteſt eam confirmare auctoritas Papæ , aut levigare, aut aut ſuper adjicere . Judicium enim totius Eccleſiæ maximè in Apoſtolica Romana Sede conſtat . Item ſi Epiſcopus parochianum ſuum cum litteris vel teſtibus Apoſtolicis ad pœnitentiam accipiendam direxerit , ut multoties pro graviſſimis fieri ſolet reatibus , in quibus Epiſcopi ad dignam hæſitant pœnitentiam imponendam : hic talis licenter à Papa remedium ſumere poteſt :* NB. *Nam inconſulto Epiſcopo ſuo ab Apoſtolico pœnitentiam & abſolutionem nemini accipere licet .*

(5) Fulco Comes Andegavenſis ædificato an. 1050. in diœceſi Turonenſi monaſterio , obtinuit à Romano Pontifice, ut ejus eccleſia à Petro S. R. E. Cardinale , tanquam delegato Apoſtolico , conſecraretur : *Quod audientes* , inquit Glaber Rodulphus Hiſt. Lib. II. cap. 4. in Collectione Franciſci Ducheſne Script. Hiſt. Franc. Tom. IV. pag. 15. *Galliarum quique Præſules , præſumtionem ſacrilegam* co-

cognoverunt ex cœca cupiditate proceſſiſſe . . . . Univerſi etiam pariter deteſtantes ; quoniam nimirum indecens videbatur, ut is, qui Apoſtolicam regebat Sedem, Apoſtolicum primitus ac Canonicum tranſgrediebatur tenorem. Cum inſuper multiplici ſit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quiſpiam Epiſcoporum in alterius diœceſi iſtud præſumat exercere, niſi Præſule, cujus fuerit, compellente, ſeu permittente . . . . . . Licet namque Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis, cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet tranſgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unuſquiſque orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex ac ſponſus propriæ Sedis uniformiter ſpeciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi diœceſi. De Glabro Baronius hæc ex genio Romanæ Curiæ ſcribit ad an. 996. num. 25. " Sicut in recenſenda hiſtoria fidelis ,, eſt, ita in eo valde hallucinatus erravit, dum nihil vult ,, in aliena diœceſi poſſe præſumere Romanum Pontificem ,, plus, quam cæteros Epiſcopos, quibus certis limitibus ,, eſt definita diœceſis; & extra ipſam nihil penitus agere ,, poſſe exiſtimavit. " Verum non loquitur hic Glaber ex ſuo privato ſenſu, ſed hiſtoricè refert illud, quod quorumlibet *Epiſcoporum Galliæ* tunc *commune* prodebatur judicium, quæque fuit receptæ obſervantia diſciplinæ; & eſt, vel ipſo agnoſcente Baronio, Glaber in recenſenda hiſtoria fidelis. Cardinalis Bona in Notitia Auctorum in fronte libri de divina Pſalmodia pag. 41. Glabrum vocat *Hiſtoriarum ſui temporis accuratiſſimum Scriptorem*.

(6) Natio Gallica, antiquæ diſciplinæ pro merito tenax, nunquam patitur, ut ordinario Epiſcoporum juri à Pontificibus horumve Legatis præjudicium inferatur, aut impedimentum ponatur per exercitium *immediatæ* juriſdictionis in illorum diœceſibus. Dignè id expreſſit Advocatus generalis Talonus die 15. Maii an. 1647. in Actione ſua concernente Decretum Inquiſitionis Romanæ ubi : " La ſeconde choſe, que nous avons remarquée, eſt le Mande-

„ ment où Certification de M. le Nonce, imprimé au pied
„ de cette bulle, dans lequel il ſe qualifie Nonce auprès de
„ la perſonne du Roi dans tout le Royaume de France,
„ termes inſolites & extraordinaires, parce que le Nonce
„ faiſant en France fonction d'Ambaſſadeur, & n'en pou-
„ vant faire d'autre, il n' a point d'emploi, que proche
„ la perſonne du Roi, & n'en a aucun autre dans ce Roy-
„ aume . . . . La troiſiéme eſt, en ce qu' il dit,
„ que l'original de ce decret eſt demeuré dans lès archi-
„ ves de ſa Nonciature; la quelle maniere de parler ne con-
„ vient pas à nos mœurs, par ce que le Nonce du Pape
„ n'a point en France de greffe, ni d'archives, ni que
„ l'Ambaſſadeur des autres Princes, ni que l'Ambaſſadeur
„ du Roi n'en a point lors qu' il eſt à Rome. En der-
„ nier lieu il ajoute, que cette bulle ſera envoyée aux Eve-
„ ques & Archeveques de ſa Nonciature, comme ſi la
„ qualité de Nonce avoit aucun territoire certain & limité:
„ & d'autant que cette maniere de parler eſt une entrepri-
„ ſe nouvelle, nous eſtimons, qu' il eſt neceſſaire d'y pour-
„ voir. " Sunt hæc principia Eccleſiæ Gallicanæ; ſed ſervata ex ſincera antiquitate & Sacris Canonibus, adverſus abuſus, qui in regno Franciæ introduci volebant, & alibi, ubi in his & ſimilibus remiſſius agitur, effectivè introducti ſunt, & nunc remedio reſtitutorio indigent.

(7) Equidem THEOTMARUS Archiepiſcopus Salisburgenſis, & cum eo alii Bavariæ Epiſcopi, in Epiſtolà edita in Metropoli Salisburgenſi *Tom. I. pag.* 5. 6. JOANNEM Papam IX. *non unius urbis, ſed totius orbis* Epiſcopum vocant, ſe verò ipſos inſcribunt, ***humillimos Paternitatis veſtræ filios.*** Aſt notant doctiſſimi Auctores Hiſtoriæ Litterariæ Galliæ *Tom. VI. pag.* 98. primas has eſſe vices, quibus talis loquendi formula, eouſque inuſitata, in Epiſtolis Epiſcoporum ad Papam occurrat. Similiter HERIVEUS Remenſis Archiepiſcopus in ſententia anno 900. contra Fulconis prædeceſſoris ſui occiſores in præſentia aliorum Epiſcoporum lata apud Duchene ***Script. Hiſt. Franc. Tom. II. pag.*** 585. dicit,

dicit, ſe homicidas illos excommunicare *auctoritate Epiſcopis per B. Petrum Principem Apoſtolorum divinitus collata*; obſervant iidem eruditiſſimi Auctores *cit. Tom. VI. pag.* 186. nullam ſimilem expreſſionem è penna cujuſquam Epiſcopi profluentem à ſe ad ea uſque tempora notatam fuiſſe. Hi ſcilicet erant primi fructus Iſidorianarum Epiſtolarum.

(8) Concilium *ANSANUM* anni 1025. in dioeceſi Lugdunenſi, compoſitum Epiſcopis provinciarum Lugdunenſis, Viennenſis, & Tarantaſienſis; *Dum multa de Eccleſiaſticis cauſis & de communi Populi utilitate ibidem tractarent, ſurgens ſupradictus Gauslenus Epiſcopus* Matiſconenſis *in medio proclamavit, ſe conqueri de Burchardo Viennenſi Archiepiſcopo, qui ſine licentia & aſſenſu ſuo, contra Canonum Statuta, ordinationes de Monachis fecerat in Epiſcopatu ſuo, ſcilicet in Cluniacenſi Cœnobio. Ad quæ idem Archiepiſcopus reſpondens: Dominum Odilonem Abbatem, qui præſens aderat, illarum ordinationum adduxit auctorem in defenſorem. Itaque Dominus Odilo cum ſuis Monachis ſurgens, oſtendit Privilegium quod habeat à Romana Eccleſia, quod eis talem libertatem tribuebat, ut nulli, in cujus territorio degebant, nec alicui aliquatenus ſubjacerent Epiſcopo, ſed quemcunque vellent, adirent, vel de qualibet regione adducerent Epiſcopum, qui faceret ordinationes vel conſecrationes in eorum Monaſterio. Relegentes ergo ſancti Chalcedonenſis & plurimorum autenticorum Conciliorum ſententias, quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem Abbates & Monachi proprio debeat Epiſcopo ſubjici, & ne Epiſcopus in paræcia alterius audeant ordinationes vel conſecrationes abſque licentia ipſius Epiſcopi facere, decreverunt chartam non eſſe ratam, quæ Canonicis non ſolum non concordaret, ſed etiam contrairet ſententiis. Adjudicaverunt quoque Dominum Abbatem non poſſe exiſtere Archiepiſcopo legitimum auctorem Canonicæ defenſionis. Unde prædictus Archiepiſcopus ratione convictus, petens veniam à Gausleno Epiſcopo, loco ſatisfactionis firmavit & per quales ipſe voluit fidejuſſores, ut unoquoque anno, quamdiu ambo viverent, tempore quadra-*

drageſimæ ſufficientiam olei de olivis ad conficiendum Chriſma ipſi perſolveret ſine negligentia .

(9) Doctrinam , quà ſuſtinetur , quod Epiſcopi juriſdictionem omnem à Papa mutuentur , Boſſuetius *in Defenſione Declarationis Cleri Gall. Lib. XIII. cap.* 11. meritò vocat *Commentum* , quod priſcis ſæculis inauditum , decimo tertio ſæculo invehi cœpit in Theologiam , poſtquam ſcilicet Philoſophicis ratiocinationibus , iiſque peſſimis , agere, quàm Patres conſulere plerumque maluerunt .

§. IV.

Omnium beneficiorum collatio originario ac genuino Jure ad Epiſcopos pertinet .

Seriùs , & variis modis atque titulis , plerumque in ignorantia veri Juris Eccleſiaſtici fundatis , beneficiorum proviſiones ad Romanam Sedem devolutæ ſunt .

Equidem inconvenientiis inde natis per varia Concordata modus aliquis poſitus fuit , ſed non ſatis firmus .

Quamdiu beneficia à ſacra *Ordinatione* ſejuncta non fuere, ipſaque Ordinum collatio vice Collationis beneficiorum eſſet, uti ſaltem uſque ad XI. Sæculum fuiſſe noſcitur , omnis beneficiorum Collatio ad Epiſcopum pertinuit . Erectis verò beneficiorum titulis, nec non horum Collatione ſenſim ab ipſa Ordinatione ſejuncta , ratio, quæ Epiſcopum antè conſtituerat ordinarium Ordinationis Miniſtrum , eique *Ordinandorum* detulit electionem , etiam ſuadet, *Beneficiandorum* optionem Epiſcopo primariò deferendam eſſe , & quaſi Jure deberi . Itaque hoc jus Epiſcoporum in Sacris Canonibus fundatum , ipſique miniſterio Epiſcopali connaturale & congenitum eſt . Obſervavit id inter cæteros Franciſcus Duarenus *de Sacris Miniſteriis Lib. III. cap.* 1. ubi quærens, quam in conferendis beneficiis poteſtatem ha-

habeat Romanus Pontifex, reſpondet, " eum priſcis tempo-
„ ribus nullum jus, nullamque poteſtatem Ordinandorum Sa-
„ cerdotum aut Clericorum extra propriam dioeceſin ſibi vin-
„ dicaſſe.

Ex quo ulterius concludit: " Cum ergò Romanus Pon-
„ tifex ſecundum *antiquos Canones* in alienis Eccleſiis neminem
„ ordinare, id eſt, ad miniſterium Eccleſiæ promovere poſſit,
„ ſatis perſpicuum eſt ex his, quæ ſecundi Libri cap. 3. dixi-
„ mus, Eccleſiaſtica beneficia totius orbis ab eo conferri non
„ poſſe; quin vetuſtiores ſanctioreſque Urbis Romanæ Epiſco-
„ pi, Sede Eccleſiaque propria contenti, reliquis Epiſcopis
„ Eccleſiarum ſibi commiſſarum liberam adminiſtrationem reli-
„ querint, quaſi *Urbis* magis, quam *Orbis* Epiſcopi. " Genui-
no huic & nativo Epiſcoporum juri grave vulnus inflictum fuit per Mandata, Exſpectativas, & Reſervationes Apoſtolicas, quæ ſunt ſequioris ævi partus. Adeò autem ille abuſus invaluit, ut Clemens Papa IV. in *cap. 2. de Præbendis in 6.* non dubitaverit aſſerere; *omnium* beneficiorum Eccleſiaſticorum plenariam diſpoſitionem ad Romanum Pontificem pertinere.

(1) *MANDATORUM* Apoſtolicorum *de providendo* & *Exſpectativarum* initia ad Sæculum XII. communiter referunt Canoniſtæ. Obſervat autem inter alios Gonzalez *de Reg. VIII. Cancellar. Gloſſa 1. Proem. n. 25.* nullam horum Mandatorum in Decreto Gratiani fieri mentionem.

(2) Notat Molinæus ad Regulam Cancellariæ de Infirmis reſignantibus *num. 172.* " quod *PRÆVENTIONES* primum
„ uſurpatæ ſint de vacantibus in *Curia Romana*, non jure
„ *reſervationis*, ſed *præventionis*; & hoc plauſibiliter ab
„ Ordinariis toleratum ad vitandam diuturnam vacationem
„ Eccleſiis damnoſam & eo quod vacatio in loco remoto
„ non poterat niſi tardè ad notitiam Ordinariorum perve-
„ nire. Tum initio Pontifices Romani non ſolebant per-
„ ſonis, ſed Eccleſiis providere, nulla perſonarum acce-
„ ptione habita. Poſtquam autem (pergit hic Auctor) at-
„ tentarunt etiam vacantia *in partibus* jure *Præventionis* con-
„ ferre, tum cœperunt vacantia in Curia ſibi jure *Reſerva-*
„ *tionis* præſumere &c.

(3)

[3] Gradatim tamen proceſſum: De Alexandro III. legitur in prima Appendice ad ejus Litteras *Epiſt*. 43. quod ab Abbate S. Remigii pro certo Clerico præbendam petierit, addito tamen: *rogantes attentius, monentes atque MANDANTES quatenus eidem Clerico liberaliter provideatis*. Eadem pene forma idem Papa *Epiſt*. 7. pro alio quoque Clerico eidem Abbati ſcripſerat. Fuere autem hæc mandata ad beneficia tam *vacatura*, quam actu *vacantia*.

(4) Cum verò ſimilibus *Mandatis* non ſemper obedirent ordinarii Collatores; [exſtat hujus renitentiæ inſigne exemplum apud Matthæum Paris ad annum 1253 de Roberto Lincolnienſi Epiſcopo) additæ ſunt *Monitoriæ*, & tandem *Executoriæ*. Harum litterarum *monitoriarum*, *præceptoriarum*, & *executoriarum* frequens occurrit mentio in Decretalibus, præſertim Innocentii III. & Honorii III. ſingnater in *cap*. 30. 37. 38. & 40. *X. de Reſcriptis*. Et hinc mos invaluit, hodieque obſervatus, ut in Litteris adjungatur executor, ſi Epiſcopus nollet conferre beneficium.

(5) Mandata de providendo dabant locum *RESERVATIONIBUS Specialibus*: hæ *generalibus*: utræque poſt medium Sæculum XIII. producebant *PRÆVENTIONES*. Scilicet facilè perſuadebatur Pontificibus, ſi ſibi jus eſſet *mandandi* Collatoribus, ut primò vacaturum beneficium certis ad id nominatis Clericis conferant, non minus ſibi competere facultatem propriæ ſuæ collationi primò vacaturum beneficium *reſervandi*. Et quandoquidem non eſſet potius jus reſervandi unius beneficii, quam alterius, cogitabant, eodem jure, quo ſibi reſervabant collationem unius, poſſe & reſervari collationem duorum, trium, quatuor &c.

Hiſtoriæ Papalium reſervationum ingens lumen affundunt Gravamina Eccleſiæ Gallicanæ INNOCENTIO IV. Pontifici à Ludovico IX. Rege tranſmiſſa, quæ ex Additamentis manuſcriptis Matthæi Paris, in Bibliotheca Cottoniana ſervatis, Eduardus Braun depromſit, ſuoque *ad Ortuinum Gratium Appendici* inſeruit *pag*. 238. Sic autem ibi

ibi : *Dicturus* , ait regius Legatus , *quod injunctum eſt mihi à Domino Rege Franciæ , veniam peto : imprimis ſupplicans, ut non habeatur reſpectus ad perſonam loquentis, ſed potius ad perſonam & auctoritatem illius , qui me miſit & venire fecit invitum . Dominus Rex jam dudum moleſtè ſuſtinuit gravamina , quæ inferuntur Eccleſiæ Gallicanæ , & per conſequens ſibi & Regno . . . . . Sciatis igitur quod ipſe ſuper gravaminibus iſtis , quæ poſita ſunt hic , ... movetur multum & miratur . Mirantur etiam & moventur Barones & omnes regni Proceres & Magnates , non ſolum quod hæc fiunt , ſed quod Dominus Rex ſuſtinet , quod hæc fiant : imò , quia ipſe , ut verbis eorum utar , ita permittit deſtrui regnum , ſicut ſui dixerunt ei nuper in colloquio apud Rontilarem congregato : nec ſolum moventur ſuper his Dominus Rex & Magnates , ſed etiam generaliter omne regnum motum eſt, & turbatum , uſque adeo, quod devotio illa , quam ſolebant habere ad Eccleſiam Romanam , jam quaſi penitus extincta , & non ſolum extincta , ſed converſa in odium vehemens & rancorem vehementem* . Pergit inde Legatus ad onera & tributa , eccleſiis Regni impoſita , eaque latè admodum perſequitur, additis ſingulorum Legatorum Papalium nominibus . Subjungit dein , quæ magis ad præſentem rem faciunt : *Item* , inquit , *gravantur Eccleſiæ in collatione beneficiorum & præbendarum multarum . Nam in qualibet Eccleſia , etiam in illis Eccleſiis , quæ ſunt ſpeciales Eccleſiæ Domini Regis , utpote in Eccleſia S. Martini Turonenſis , & quibuſdam aliis , contuliſtis multas præbendas , & etiam non vacantes : & non ſolum præbendas , ſed etiam perſonatus vacaturos ; quod omnibus videtur mirabile , cum nec ſic factum fuerit uſque modò , nec videatur juri vel rationi conſonum , quod ſic fiat . . . . . Certè non multum tempus elapſum eſt , ex quo Dominus Papa* ALEXANDER (III) *perſecutionis cogente incommodo , venit in Franciam, confugiens ad ſubſidium inclytæ recordationis Regis Philippi, à quo benignè ſuſceptus eſt , & ſtetit ibi diu , & fortè vivunt aliqui qui viderunt eum . Ipſe tamen in nullo gravavit*

vit Eccleſiam Gallicanam , ut nec unam ſolam præbendam aut aliud beneficium ipſe Papa dederit ibi : Sed nec aliquis prædeceſſor ſuus , nec multi etiam de ſucceſſoribus , dederunt in ſua auctoritate beneficium aliquod uſque ad tempus Domini INNOCENTII III. *qui primus aſſumſit ſibi jus iſtud : in tempore ſuo revera dedit multas præbendas , & ſimiliter poſt ipſum Dominus* HONORIUS III. *& Dominus* GREGORIUS IX. *ſimili modo fecerunt : ſed omnes prædeceſſores veſtri , ut publicè dicitur, non dederunt tot beneficia, quot vos ſolus dediſtis iſto modico tempore , quo rexiſtis Eccleſiam veſtram. Et ſi ſucceſſor veſter in tantum excederet vos in hoc, ſicut exceſſiſtis prædeceſſores veſtros , certè ipſe conferret omnia beneficia ; & ſic non reſtabit aliud conſilium indigenis noſtris , niſi fugere aut fugare .* Adduntur alia plura ; denique ſubjungitur : *Sed fortè dixerit aliquis mihi : Iſti ſummi Pontifices , de quibus mentionem feciſtis , poteſtatem habuerunt conferendi præbendas & faciendi omnia , quæ nunc fiunt, ſed non fecerunt, quia noluerunt . Reſpondeo , Domine , poſſetis & vos , ſicut & ipſi potuerunt ; dum tamen non faciatis , ſicut nec illi fecerunt* . Quæ hi Pontifices ſuis reſervationibus & collationibus egerunt in *Gallia* , eadem & in *Germania Angliaque* præſtitiſſe probantur [7].

[6] Hæc methodus , hæc principia Sæculo XIII. ab INNOCENTIO III. GREGORIO IX. & INNOCENTIO IV. adoptata , ad nihil tendebant aliud , quam ad ſtabiliendum abſolutum jus ſummi Pontificis in collatione *omnium* beneficiorum . Nimirum Pontifices unius ſæculi uſu jam adſueti pro ſuo beneplacito diſponendi de beneficiis , mediantibus mandatis de providendo , facilè concludebant , ſupremæ ſuæ in Eccleſia dignitati adhærere jus diſponendi de omnibus beneficiis . Primus , uti diximus , hanc Eccleſiæ ſummoperè perniciosam conſequentiam deduxit , aut ſaltem ut irrefragabilem propoſuit CLEMENS IV. qui ſummam Sedem anno 1262. conſcendit .

(7)

(7) Hoc principio ſemel ſtabilito, ſub Bonifacio VIII., qui triginta poſt Clementem IV. annis ſedit, pro jure decernebatur in *cap.* 31. *de Præbendis in 6.* Papam, ejuſque Legatum in collatione beneficiorum poſſe prævenire Collatorem ordinarium; ſicque dubium ſit, quis primis contulerit, tunc proviſum Apoſtolicum præferendum eſſe, *propter conferentis ampliorem prærogativam*.

(8) Qualiter antiquus & juſtus ordo providendi dignitatibus & beneficiis auctis ſucceſſivè & multiplicatis reſervationibus everſus fuerit, hiſce tradit Gerſonius *Tract. de Reformatione Eccleſiæ cap. XXIII.* " Per univerſalem Eccleſiam „ in diverſis generalibus Conciliis certæ poteſtates diſpen„ ſandi certa beneficia ſunt Papæ collatæ, ac faciendi alia; „ Reliqua verò beneficia diſpoſitioni Ordinariorum ſunt „ commiſſa. Ut quod Patriarchæ & Cardinales per Pa„ pam inſtituerentur, Primates verò per Patriarchas, Ar„ chiepiſcopi per Primates, Epiſcopi per Archiepiſcopos „ Abbates verò & reliquæ dignitates per Ordinarios . . „ . . . . . . Creſcente poſtea intolerabili pompa, ava„ ritia & ambitione Romanorum, incœperunt modicum „ beneficia reſervare. Et quia nullus eorum malitiis, *pro„ pter defectum Conciliorum*, reſtitit, ſucceſſivè omnia „ mundi beneficia reſervarunt, rapina manifeſta Epiſco„ pos & Ordinarios ſuis poteſtatibus & auctoritatibus & „ conſuetudinibus & juribus ſine cauſa privando: Imme„ mores illius, quod non debeat inde procedere injuria„ rum occaſio, unde jura naſcuntur . . . . . . Ideo „ dico, quod ſecundum Deum & rectam conſcientiam, „ ex quo Papa cum ſuis Cardinalibus tranſgrediuntur ter„ minos rationis & juſtitiæ, quos ſtatuerunt patres noſtri, „ fingentes auctoritates & poteſtates ſibi collatas fuiſſe à „ Chriſto, quas nunquam legimus in Evangelio, exceden„ tes etiam limites Conciliorum generalium, & uſurpan„ tes ſibi tales poteſtates, quas per mille annos nunquam „ Papæ auſi ſunt facere vel attentare, qui, vel ſaltem „ multi, fuerunt meliores, ſanctiores & digniores Pon-

 tifi-

„ tificibus hujus temporis : Quod inquam tales reſervatio-
„ nes ſint rapinæ manifeſtæ , & conſuetudines ad omne
„ malum inductivæ . Nec talium eſt capax Papalis aucto-
„ ritas , niſi univerſalis Eccleſia ita diſponat .

(9) Inſignibus his inconvenientiis, falſo principio nixis, equidem per Concordata, à diverſis Nationibus cum Romana Curia inita, utcunque modus fuit poſitus; aſt non infrequentes Nationum, præſertim Germanicæ, ſunt querelæ, iisdem Pactis publicis per Romanos contraveniri; quin Pontifices ſe eis non teneri aſſerunt. Vidi certè Breve BENEDICTI XIV. ad Capitulum Cathedrale Leodienſe de anno 1741., quo ſummus hic Pontifex apertè ſuſtinuit, ſupremam ſuam in Eccleſia poteſtatem per ea non alligari. Adde infra §. *fin. cap. VIII.* Pertinet utique ad Primatum *generalis inſpectio* & *ſuperintendentia*, ut beneficia ritè, dignè, & dignis conferantur, à quocunque demum fiat collatio; ſed inde non ſequitur, collationes ipſas Pontifici quà Primati tranſcribendas eſſe; repugnaret id potius utilitati Eccleſiæ, quam eam ſuſtineret. Paroemia vel in ipſa Curia recepta eſt: *Papa providet perſonis, Ordinarii autem Eccleſiis.*

(10) Non defuere quidem tituli ſeu prætextus, quibus odium his reſervationibus volebat abſtergi: In Extravagante *Ad regimen* BENEDICTUS XII. aſſerit, ſe ideo has reſervationes facere, ut *Eccleſiis* provideatur de idoneis & aptioribus perſonis. In *cap.* 16. *X. de Præbendis*. INNOCENTIUS III. ut pauperibus Clericis, à ſuis Epiſcopis ſine ſufficienti beneficio ordinatis, de honeſta ſuſtentatione provideatur. Verum quis neſcit, merita & qualitates promovendorum ad beneficia & dignitates vacantium Eccleſiarum Epiſcopis facilius quàm Romano Pontifici, innoteſcere? agnoſcunt id Pontifices ipſi per ſuas proviſiones, quæ fiunt in forma *Dignum*. Et quid ex altera parte æquius & rationabilius, quam ut beneficia & bona Eccleſiaſtica cujuſque particularis Eccleſiæ, tum ex intentione fundato-

rum

rum, tum ex mente Canonum, primariò relicta & inſtituta cenſeantur, ut miniſtris ac pauperibus ſingularum reſpectivè Eccleſiarum conſulatur? Quid juſtius, quam ut Epiſcopis & ordinariis Collatoribus, per fundatores aut ſacros Canones deſignatis, horum diſtributio ſeu diſpenſatio ſervetur integra, utpote quibus propriorum Clericorum aut paupertas aut merita propius innoteſcunt? Unde minimè mirandum, non ceſſaſſe Epiſcoporum aliorumque Prælatorum, quin & Principum, querelas adverſus has reſervationes; imò toties, quoties ſe ad id obtulit occaſio, earum abolitionem ac reformationem poſtulatam eſſe; eaſque etiamnum ab omnibus tanquam odioſas & malas reputari.

(11) „ Non omnis propterea reſervatio Papæ deneganda.
„ Servetur modus, tollatur abuſus, aurea in omnibus ſer-
„ vetur mediocritas. Non autem ex eo reſervatio eſt ap-
„ probanda, *quod Papa dominus ſit omnium beneficiorum*,
„ quod principium Romanorum falſum eſt; ſed ut ſerve-
„ tur vinculum, & debita nationum obedientia; parum
„ enim exteræ nationes Pontificem curarent, niſi gratias
„ quaſdam ab ipſo poſſent exſpectare." Ita Barthelius in *Annot. ad Jus Can. Lib. III. Tit.* 5. §. 2. *Quæſt.* 1. *pag.* 207.

§. V.

Indagatur in originem Annatarum.

Earundem illegalitas, tam quoad ſubſtantiam, quam in modo, oſtenditur.

Poſtquam Romani ſibi his mediis attribuiſſent *Collationem* plerorumque per Chriſtianum orbem beneficiorum; & aliis quoque viis, quas ſupra *cap. IV.* §. 3. aperuimus, jus confirmandi omnes proviſiones de dignitatibus & beneficiis, quæ *Conſiſtorialia* nunc dicuntur, obtinuiſſent; cœperunt etiam cogitare de

Fructibus beneficiorum acquirendis ; tandemque rem eo perduxerunt, ut unius anni reditus illis ſolverentur, aut pro eis certa pecuniæ ſumma ; neque ante hujus realem præſtationem à Præfectis Cancellariæ extraderentur bullæ collationis, proviſionis, confirmationis &c. Diu diſputatum fuit, & adhuc quæritur, an & qualiter hæ Annatæ *à vitio ſimoniæ* excuſari valeant ? Quidquid ſit : illud certum eſt, eas novum onus eſſe, infirmo nixum fundamento, tali ſcilicet, quod aliam ſupponit naturam Romani Pontificatus, quam huic ex Jure Divino, & vigore ſacrorum, id eſt, genuinorum Canonum reverà ineſſe, hoc Opere demonſtravimus. Confer interim Hermanni von der Hardt *Acta Concilii Conſtantien. Tom. I. Part.* 4. *pag.* 150. *& ſeqq.*

[1] Annatarum originem alii attribuunt JOANNI XXII. in *Extravagante* 11. *de Præbendis*. Alii BONIFACIO IX. qui teſte Theodorico Niem, relato à Raynaldo *ad annum* 1392. *num.* 5. primus fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium ſuæ Cameræ reſervavit. Elegantem de Annatis Diſſertationem compoſuit, & Tomo XV. Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ præfixit Guilhelmus Franciſcus Berthier Jeſuita, in qua Annatarum natales deducit à CLEMENTE V., qui teſtibus Matthæo Weſtmonaſterienſi & Walſinghamo, à ſollicitationibus Epiſcoporum Angliæ, annatam beneficiorum ſuæ diœceſis pro ſe à Romana Sede frequenter petentium, occaſionem nactus, tandem anno 1305. cogitavit & dixit : *Poteſt ſibi ſuperior appropriare commodum, quid poſtulat inferior* : ſicque ſibimet ipſi eaſdem annatas addixit, retinuitque ; cujus deinde exemplum alii Pontifices ſecuti ſunt. Plura & egregia de Annatarum origine congeſſit Pfeffinger ad Vitriarii Corpus Juris Pub. *Tom. I. pag.* 1405. *ſeqq.* Perinde eſt, a quo Pontifice Sæculo XIV. eæ primum inventæ fuerint ; illud certum, quod forma, quæ in illarum exactione & ſolutione hodie ſervatur, primum à Bonifacio IX. inducta ſit. Vid. Fagnanum ad *cap. Præterea X. Ne Prælati vices ſuas num.* 10.

(2)

(2) Nemo in ea, qua hodie hæ res, & limites Pontificiæ auctoritatis, luce ſunt, ad originem Annatarum reſpiciens, credet, Romanos Præſules, ſine exceſſu propriæ Eccleſiaſticæ poteſtatis, & læſione temporalium jurium Imperii, ſibi beneficialium redituum annatas ſic primitus adſcribere potuiſſe. Quod plauſibilius favore earundem hactenus productum eſt, & proferri valet: Scilicet, Papæ ſubveniendum eſſe ab inferioribus Eccleſiis: ad id reſpondit in Concilio Conſtantienſi Natio Gallica *Art.* 17. " Quod
„ quilibet Epiſcopatus certos ſuos habet reditus pro dota-
„ tione & ſuſtentatione ſua, ſive Epiſcopi, ſicut habet Epi-
„ ſcopus Romanus, quæ ſuffecere & ſufficere poſſunt,
„ cum induſtria, & alia, quæ ordinariè ſuperveniunt: nam
„ Apoſtolus ex induſtria quærebat ſibi victum, ne, qui-
„ bus miniſtrabat, eſſet nimium oneroſus. Et ſanè, ſi non
„ ſufficiant reditus Epiſcopi Romani de præſenti, primum
„ habet requirere ſubſidium à Clero ſuæ Civitatis & Dioe-
„ ceſis, deinde ſuæ Provinciæ, & per modum ſubſidii cha-
„ eitativi temporalis, & non perpetui cenſus: & poſtmo-
„ dum ab aliis Eccleſiis immediatè ſubditis poteſt ſubſidium
„ benignè implorare (cauſa neceſſaria ſuppoſita, ex-
„ preſſaque, & vera) honeſtè non poſſunt denegare *ad*
„ *tempus*.

(3) Ad objectionem petitam à praxi inferiorum Prælatorum & Canonicorum, exigentium temporalia ab admittendis ad poſſeſſionem beneficiorum, vel ad Statum Regularem, reſpondet Gerſonius in Tractatu de Simonia, qui habetur Operum ejus *Tom. II. edit. ult. pag.* 648. " Quod valde
„ multa, proh dolor! ſint & facta ſunt, habentia malam
„ ſpeciem turpis quæſtus; ſicut & alia vitia regnare vide-
„ mus paſſim apud homines; virtutes autem raro: prop-
„ terea dicit lex antiqua: *Non ſequeris multitudinem ad*
„ *faciendum malum*. Exod. 23. 2. hæc enim eſt argumen-
„ tatio peſſima: multitudo facit hoc, igitur eſt licitum;
„ quoniam oppoſitum conſequentis frequenter, & quaſi
„ ſemper, ſtat cum antecedente.

(4)

(4) Sed nec illa objectio à Gallis in Synodo Conſtantienſi intacta remanſit, quæ ex conſenſu eorum, quibus in Romana Curia providetur, deſumi poſſet. Etenim, ajunt, ſemper intervenit coactio; ex quo litteræ proviſionis Romæ non expediantur, aut relaxentur, niſi prius ſoluta taxa, in libris Cameræ Apoſtolicæ deſcripta. Proinde quamdiu Romanis agnoſcitur vel permittitur jus proviſionum & expeditionum, ceſſat in proviſis libertas ſolvendi, tollitur conſenſus, & impeditur omnis præſcriptio.

(5) Concilium Baſileenſe Annatarum exactionem prohibuit, ea tamen lege, ut *congruum* aliunde *ſubſidium* Romano Pontifici ſubminiſtraretur. Si omnia, præſertim quoad proviſiones beneficiorum & eccleſiaſticarum dignitatum, redirent ad normam & ſtatum ſacrorum Canonum, ſublatis iis, quæ ſequius, in diſciplinaribus meritò exoſum ævum, obſtetricante ignorantia & ſuperſtitione, adjecit, & in deterius mutavit, non indigeret Curia tot Officialibus, proinde facilius his, de quibus agimus, *ſubſidiis* carere poſſet ac deberet. Georgius Vicelius (qui judice Chriſtophoro Browero S. J. inter propugnatores Eccleſiæ Catholicæ non eſt poſtremus) in Elencho abuſuum, juſſu Ferdinandi I. & Maximiani II. Imp. conſcripto, *Viæ*, ejus *regiæ* ſubjuncto, *pag.* 359. *ſeqq. edit. an.* 1659. *Diſpiciatur*, ait, *num expediat Chriſtianiſmo tantam alere Curiam, cujus pars maxima ad nihil vacat aliud, niſi ut emulgeat Epiſcopatus, exſugat Abbatias, deglubat Prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos . . . . Breviter aurum & argentum, quod Petro non erat, emungat ab omni natione, & hoc ad delicias ſæculi abutatur. Hæcne Apoſtoliea? Hæcne boni exempli? &c.*

(6) Cum in Concordatis regni Galliæ Annatæ non habeant fundamentum, hinc Legatis ab Henrico II. Rege anno 1547. ad Concilium Tridentinum miſſis mandatum fuit, quatenus Patribus inſinuarent, Papæ nullum ad illas in regno Francorum jus eſſe. Idem anno 1579. Parlamentum Pariſien-

riſienſe in ſuis ad Henricum III. remonſtrationibus obſervavit . Jeſuita Berthier *l. cit. pag. XXXII. & ſeq.* refert, Annatas ex univerſo Galliæ regno annuatim non importare ultra ducenta millia librarum ; addens , propter hanc ſummam non adeo exceſſivam , aliaſque conſiderationes , tum Religionis , tum Status , hactenus motos fuiſſe Reges ad non impediendam præſtationem Annatarum , citra ſuam auctoritatem impoſitarum . Adde Nationis Galliæ in Concilio Conſtantienſi publicam Declarationem de Annatis non ſolvendis , apud Hermannum von der Hardt *Tom. I. Part.* 13. *pag.* 761. *ſeqq.*

(7) Alia regna non tam molliter tractantur . Victorius Siri in Opere , quod inſcripſit *Il Mercurio , ovvero Iſtoria dei correnti tempi . Tom. I. Lib. III. pag.* 619. ſubminiſtrat Demonſtrationem Michaelis Epiſcopi Lamecenſis , Joannis IV. Luſitaniæ Regis ad Urbanum VIII. Papam Legati , qua is ſummo Pontifici exponit , ex ſolo Luſitaniæ regno variorum diplomatum à Romana Curia obtinendorum nomine, aliiſque de cauſis , *quingenta ſcutatorum millia* quotannis Romam deportari ſolere .

(8) Sed nec Germanis magis parcitur ; forte quod Curialiſtæ ſciat, à diviſo horum Imperio non tantum ſibi , quantum à Gallis , metuendum eſſe . Martinus Meyr Cancellarius Moguntinus in Epiſtola ad Aeneam Sylvium , tunc Cardinalem Senenſem , pridie Kal. Septembris anno 1457. exarata , à pluribus edita : *Excogitantur* , inquit , *mille modi , quibus Romana Sedes aurum à nobis, tanquam à barbaris , ſubtili extrahat ingenio : ob quas res natio noſtra quondam inclyta , quæ ſua virtute ſuoque ſanguine Romanum Imperium coemit, fuitque mundi domina ac regina, ad inopiam nunc redacta , ancilla & tributaria facta eſt : & in ſquallore jacens , ſuam fortunam , ſuam pauperiem multos jam annos mœret* . Legitur apud Meiern in Actis Executionis Pacis Norimb. Tom. II. pag. 462: qualiter in hoc Conventu Imperii publico retulit Legatus Moguntinus :

Pon-

„ Pontificem à Trevirenſi Coadjutore petere triginta du-
„ catorum millia pro Pallio; Archiepiſcopum Moguntinum pari modo vexari; bellam hanc eſſe devotionem: utrumque Electoratum ad incitas eſſe redactum, & tantam pecuniæ vim Romam mitti debere, ut ibidem habeant, quod diſſipent. In Italia etiam eſſe Archiepiſcopatus, qui pro Pallio non ſolvunt ultra centum coronatos. Dominus Volmar (Legatus Cæſareus) ſubridebat dicens: ſcribendum Papæ, ſe, niſi Palii taxam remittat, Lutheri ſectam amplexuros. Ille (Legatus Moguntinus) jocum hunc malè verti poſſe, cœteroquin efficaciſſimum id futurum medium ad inſinuandam Romanis moderationem.

(9) Cum in exactione Annatarum toties excederent Romani, multum ea de re conqueſti ſunt Ordines Imperii, atque de iis abrogandis graviter quandoque apud Cæſarem egerunt. Vide *Querelas à Clero Nationis German. contra gravamina & infractiones Concordatorum in dieta Confluentina an.* 1479. §. 7. *ſeq.* apud Leibnitz in *Cod. Jur. Gent. dipl. Part. I. pag.* 439. *ſeq.* & *Remedium contra Gravamina nationis Germanicæ*, quod Maximiliano II. Imp. an 1510. exhibuere Germaniæ Proceres apud Freherum *Script. Rer. Germ. Tom. II. pag.* 678. ubi pluribus urget, grave prorſus eſſe Germaniæ iſtud tributum, quippe auctum ſucceſſu temporis duplicatumque, ac contra jus exactum: melius in uſus publicos erogari, quam aliorſum deferri magnam illam pecuniæ vim, qua bellis contra Turcas gerendis, conſervandæ paci, aliiſque publicis privatiſque neceſſitatibus ſuſtinendis, Germania ipſa indigeat. Quare & rogant Cæſarem, ut de abolendis his aliiſque gravaminibus ſeriò conſilia agat, auctoritatemque ſuam ea de cauſa apud Pontificem interponat. Memoria etiam digna ſunt, quæ in eandem ferè ſententiam diſſerunt Ordines Imperii in Reſponſione Cheregato Nuntio Hadriani VI. Pont. data in Comitiis an 1523. apud Goldaſtum *Conſt. Imp. Tom. I. pag.* 452. ubi inter alia: *Cum autem Ordines ſacri Romani Imperii nihil*

nihil dubitent, beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in ſolutionem Annatarum, ad aliquot annos Sedi Apoſtolicæ ſolvendarum, ea lege ac conditione conſenſiſſe, ut in oppugnationem perfidiſſimi Turcæ & *defenſionem fidei Catholicæ converterentur : ex quo autem numerus annorum, intra quos Annata illa ſolvi debeant, nunc longo intervallo tranſactus ſit, neque Annata illa à Beatitudinis ſuæ prædeceſſoribus Pontificibus Romanis, in hunc uſum, in quem decreta ſunt, converſa ...... Cauſatur inde populus Germanicus, quare Annata ad hoc opus non applicatur : averſaturque alia in ſe ob hanc cauſam gravamina ſuſcipere ..... Quare illuſtriſſimus Princeps Locumtenens aliique Principes & Ordines Romani Imperii vehementer orant, ut beatitudo Pontificis velit hæc & alia paterno affectu conſiderare, & illa Annata, quæ poſt obitum Epiſcoporum aliorumque Prælatorum ſeu Eccleſiaſticorum ad Curiam Romanam ſolvenda fuerint, in futurum non exigere : ſed illa fiſco ſacri Romani Imperii applicanda relinquere, ut eo commodius juſtitia, pax & tranquillitas nationi Germanicæ conſervari, & Reſpublica eò melius per hæc ordinari, poſſintque per Germanicam nationem aliis Chriſtianis potentatibus contra Turcam, communem hoſtem, auxilia & præſidia præſtari : quod aliàs & abſque eo minimè ſperandum erit.* Add. literæ Caroli V. Imp. ad Adrianum VI. Pont. apud Goldaſtum *l. cit. pag.* 447. Vide etiam Pfeffingerum *cit. Tom. I. pag.* 1408. *ſeqq.*

(10) Natalis Alexander, quamvis de cætero Annatas, *titulo ſubſidii charitativi*, in quod Principes & Nationes, partim tacitè, partim eſpreſſe, conſentiunt, à vitiis ſimoniæ & injuſtitiæ liberet, nihilominus *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 581. *Schol.* 2. addit & docet, eas revocandas non eſſe, *QUAMDIU CONCORDATA FIDELITER SERVANTUR*; qua reſervatione *in Theſi* nihil æquum magis eſt ac naturale. Qualiter autem imprimis hæc conditio, ſaltem in Germania, impleatur, videbimus *cap. VIII.* §. 9. Deinde Concordata Germaniæ inclytam hanc Nationem Annatis non gravant *purè* & *ſimpliciter*, ſed adjecta conditione :

Niſi in futuro Concilio de conſenſu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum. Quæ conditio etiam ad *Alternativam menſium* pertinet. Porro hoc Concilium adhuc exſpectatur; & quod judicium de illorum cauſa ferendum, qui ejus convocationem ſtudio declinant, ne hæc aliaque ad normam genuinorum Canonum exigantur?

[11] Hoc ipſo, quo hæc ſcribo, tempore, Epiſcopi Metenſis in Lotharingia, Ludovicus Joſephus de Montmorenci; & Aturenſis in Waſconia, Comes de Rachecour; quamvis uterque jam à biennio ad ſuum Epiſcopatum à Chriſtianiſſimo Rege nominatus, nondum in ſuis diœceſibus reſident; idque non alia cauſa, quam ut interim, & antequam ſuarum Eccleſiarum onera & ſumptus ſuſtinere incipiant, expenſas bullarum Romanarum ex ſuorum Epiſcopatuum fructibus recuperent. Non dubito, quin plures alii tantundem fecerint, eo fine, ne primo ingreſſu debitis obruti, deinceps perpetuò egeant.

[12] Meretur obſervari, & poteſt data occaſione uſum habere quod die 14. Octobris anno 1435. decrevere Patres Concilii Baſileenſis, cum EUGENIUS Papa Hugoni Rothomagenſi Archiepiſcopo propter annatas (quæ ab eodem Concilio ante quadrimeſtre damnatæ & abrogatæ fuerant) Cameræ Apoſtolicæ nondum integrè ſolutas, Pallium negaret. Commiſit ſcilicet Sacroſancta Synodus Amedæo Archiepiſcopo Lugdunenſi, quà Galliarum Primati, tum Baſileæ commoranti, ut pro eo caſu vices Papæ ſupplendo, pallium Hugoni largiretur. Verba diplomatis, quod edidere Martene & Durand *Collect. ampliſſ. Tom. VIII. pag.* 868. notabilia ſunt, nimirum hæc: *Tibi, qui palliatus exiſtis, & Galliarum Primas, cum Patriarchis eamdem formam tenens, nomine differens, ut ſicut illis palliatis ex Lateranenſis Concilii permiſſione ſuos licet Metropolitanos palliare, hac vice ad te ex cauſis prædictis extendentes, committimus & mandamus, quatenus conſtito tibi ſummariè de præmiſſis . . . . . ad ſolutionem reſidu-*

dui Cameræ Apoſtolicæ faciendam, quod auctoritate Univerſalis Eccleſiæ penitus remittimus, decernas eum penitus non teneri ſeu fore obligatum: nec non pallium, inſigne videlicet plenitudinis puntificalis officii, de corpore B. Petri ſumptum, ad honorem Omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis ac B. Petri & Pauli Apoſtolorum, univerſalis nec non Rothomagenſis ſibi commiſſæ Eccleſiarum, ei tradas, ut eo utatur infra Eccleſiam ſuam &c.

§. VI.

Jure divino, & antiquo eccleſiaſtico, nulli caſus ſummo Pontifici reſervantur.

Sed nec Jure veteri ullæ diſpenſationes Sedi Apoſtolicæ ſervatæ noſcuntur.

Quibus modis & viis cœperint reſervationes quorundam graviorum criminum?

Quis ſenſus, & quæ vis declarationis ea de re per Concilium Tridentinum editæ?

Quamdiu in Eccleſia cognitum fixumque fuit, nullum Romano Pontifici eſſe jus & immediatam juriſdictionem in aliorum Epiſcoporum diœceſanos, nihil ſciebatur de caſibus Sanctæ Sedi reſervatis. Notat Thomaſinus de *Diſciplina Eccleſ. Part. IV. Lib. I. cap. 71. n. 1.* pluribus ſæculis penes Epiſcopos fuiſſe plenam ac omnimodam auctoritatem abſolvendi in foro pœnitentiali cujuſcunque & quantumvis enormis ſceleris reos; neque enim iis ſæculis ulla erat reſervatio Papalis in foro pœnitentiali nota. Poſt, tum ex Epiſcoporum conſenſu, tum ex invectas doctrina, quaſi Papæ tantum juris & immediatæ juriſdictioni, in alienos diœceſanos competat, quantum proprio Epiſcopo invaluerunt *Reſervationes Papales*, non ultrà ſubſtituræ, quam quoad perſtabit vigor hujus doctrinæ aut Epiſcoporum conſenſus. Idem de *Diſpenſationibus* pro foro exteriore obſervandum eſt.

Iuvat id exprimere verbis clariſſimi Barthelii *in Addit. ad Jus Can. Lib. I. Tit.* 33. *pag.* 137. " Ubi vel jus ſcriptum vel con-
„ ſuetudinarium non adimit Epiſcopo poteſtatem , illam in re-
„ gula habet . Paucos habemus Canones , in quibus poteſtas
„ illis adempta , ut in diſpenſanda ætate , in impedimentis ma-
„ trimonii nullos habemus , ſed ex mera conſuetudine ſunt re-
„ ſervata . Cum enim ob teneram conſcientiam Epiſcopi in Sæ-
„ culo XII. deſuper ſæpius referrent ad Pontificem , non , quod
„ de ſua poteſtate dubitarent , ſed quod ejus inquirerent conſi-
„ lium , quia magis adhuc inſiſtebant obſervantiæ Canonum,
„ conſuetudine ſibi hæc impedimenta Pontifex reſervavit . Quia
„ tamen in remotis partibus nimis dein ſumptuoſum & difficile
„ erat recurrere Romam , cœperunt Epiſcopi iterum uti ſua po-
„ teſtate , ſi nempe recurſus vel nimis difficilis vel nimis ſum-
„ ptuoſus fieret , vel eſſet periculum in mora . Et hoc caſu Do-
„ ctores dicunt , *ex caſu Papali fieri Epiſcopalem* . De quo
„ obſervandum , in praxi non oportere quemquam eſſe ſcrupu-
„ loſum , ex Papali facere caſum Epiſcopalem , ſi cauſa Cano-
„ nica ſubſit , cum redeat primigenea facultas Epiſcoporum ,
„ quam conſuetudine tantum ſibi Pontifex reſervavit . Ne ergo
„ Epiſcopi paſſim redeant ad ſuam poteſtatem , acceptiſſimam
„ in Germania accipiunt poteſtatem , quam ſingulis quinquen-
„ niis debent repetere , vi cujus diſpenſare poſſunt in caſibus
„ alias jure poſitivo vel conſuetudine reſervatis . Conf. *cap. VI.* §. 1. *n.* 7.

(1) Quæ ſupra §. *III. n.* 4. & 5. ex actis Synodi Lemovicenſis anni 1034. , aliiſque ejuſdem ævi monumentis relata ſunt , ſatis probant , nullum eo tempore adhuc fuiſſe agnitum jus Pontificium fori pœnitentialis in alienos diœceſanos . At non multo poſt cœperunt Epiſcopi nonnullos gravium criminum reos ad Sedem Apoſtolicam mittere ; idque ut vel à Pontifice reconciliarentur , vel ut à Pontifice pœnitentia imponeretur , qua demum peractà ab Epiſcopo abſolvebantur .

(2)

(2) Refert Rogerius Howdenus in Annal. pag. 488. edit. Francof. an. 1601. qualiter *anno gratiæ* 1143., *qui erat annus octavus regni Regis* Stephani, *Rex interfuit Concilio Londoniæ in media Quadrageſima; quo, quia nullus honor vel Clericis vel Eccleſiæ Dei à raptoribus deferebatur, & æque capiebantur & redimebantur Clerici ut Laici; tenuit idem VVintenienſis Epiſcopus, Urbis Romanæ Legatus, Concilium apud Londoniam, Clericis pro tempore neceſſarium, in quo ſancitum eſt, ne qui alicui Clerico violenter manus injecerit, ab alio poſſit abſolvi, quam ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius: Unde Clericis aliquantulum ſerenitatis vix tandem illuxit*. Vid. Davidis Wilkins Concilia magnæ Britanniæ Tom. I. pag. 421. Hoc Concilium Matthæus Paris ad præcedentem annum 1142. recenſuit.

(3) Ivo Carnotenſis quendam Nobilem, cui ob mutilationem Religioſi Presbiteri quatuordecim annorum pœnitentiam impoſuerat, ad Pontificem Romanum pro indulgentia obtinenda remittens, hanc causam exprimit Epiſt. 165. *reſervantes itaque hanc indulgentiam Apoſtolicæ moderationi, ad Apoſtolorum eum limina direximus, quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum ſuum diluat, & apud pietatis veſtræ viſcera miſericordiam, quam Deus vobis inſpiraverit, inveniat*.

(4) De S. Laurentio Archiepiſcopo Dublinenſi memorat Scriptor Vitæ ejus apud Baronium Annal. Tom. XII. an. 1179. n. 14. quod *taliter Miniſtrorum Eccleſiæ execrabatur immunditiam, caſtitatis & honeſtatis zelator, tamque eos ad continentiam provocabat, ut omnes tam Subdiaconos, quam Diaconos vel Presbiteros, ſi incontinentiæ convicti eſſent, licet tanquam Archiepiſcopus poſſet, tamen nollet abſolvere, ſed ad Romanam Eccleſiam à ſummo Pontifice abſolvendos deſtinaret; ita, ut quodam tempore (quod dictu mirum eſt) centum & quadraginta Presbiteros, incontinentiæ convictos, Romam miſerit abſolvendos*.

(5)

(5) Quod difficultas obtinendæ abſolutionis apta fuerit ad retrahendum à committendo crimine Sedi Apoſtolicæ reſervato, facilè apparebit, ſi attendatur, qualiter juxta diſciplinam illius temporis, nemo à Pontifice abſolutionem impetraret, niſi ſe *perſonaliter* Sanctiſſimo ſiſteret, & ab eo pœnitentiam acciperet; adeo, ut vel ipſa itineris fatigatio pars pœnitentiæ judicaretur, ab hac itineris moleſtia tantum excuſabantur mulieres, valetudinarii, & ſimiles. Vid. *cap. 6. & 13. X. De ſentent. excom.*

(6) Equidem Concilium Tridentinum Seſſ. XIV. cap. 7. declarat, *Pontifices maximos, pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuiſſe peculiari judicio reſervare*. Verùm (*a*) textus inquit *Potuerunt*, non exprimendo, qualiter potuerint; veroſimilius autem ſic potuerunt, ſic voluerunt, ſicuti effectivè fecerunt, ſcilicet, ut mox innuimus, *conſentientibus Epiſcopis*; ex quo in Pontificis poteſtate non ſit, ſine illorum participatione & conſenſu limitare poteſtatem, quam ipſi à Chriſto Domino acceperunt. (*b*) Prætermiſſio congruæ explicationis circa hanc rem in ipſo Concilio dedit anſam quibuſdam, nominatim Lovanienſibus & Colonienſibus Theologis, objiciendi, qualiter ex antiquitate probari non poſſit, Pontifici competere jus ſibi abſolutionem quorundam peccatorum propria auctoritate reſervandi. Vid. Frà-Paolo *Hiſt. Conc. Trid. edit. d'Amelot Lib. IV. pag.* 331. Adde Vargas *Lettres pag.* 233: *&* 238. *edit. Amſterd. an.* 1699: (*c*) Tempore Concilii Tridentini necdum erat detecta falſitas Decretalium Iſidori, ſicque adhuc vigebat opinio & doctrina iiſdem conſona, tunc vulgariter recepta, quaſi Papa eſſet *Ordinarius Ordinariorum*, habens concurrentem, imò majorem per omnes diœceſes poteſtatem, quam proprii eorum Epiſcopi. Nunc in hoc *diſciplinari* puncto, & *materia regiminis* Eccleſiaſtici, fortè aliter & explicatius loquerentur Patres, neque modò penitus negligerent prudens illud eruditum monitum Lovanienſium & Colonienſium Theologorum. Vid. ſuprà *cap. V. §. 4. n. 6.*

(7) Dicunt Bellarminus *de Rom. Pont. Lib. IV. cap.* 2. Lacroix *Theol. moral. Lib. VI, Part.* 2. *n.* 1551. & alii Romanarum partium: probabilius Epiſcopos nunc habere juriſdictionem ſuam mediante Papa; alioquin, ajunt, Papa non poſſet ſibi reſervare caſus invitis Epiſcopis. Inſubſiſtentiam primæ harum propoſitionum (quam ſi non dictavit, certè firmavit, ignoratio jurium à nobis *cap. IV, §.* 3. traditorum) demonſtramus toto hoc capite VII., ex quo facilè fluit reſponſio ad ſubſumptum alterius propoſitionis.

§. VII.

Exploſa Cardinalis de Luca ſententia de Romani Pontificis univerſali Ordinariatu.

Corruit privilegium Mendicantium excipiendi Confeſſiones in aliorum diœceſibus.

Referuntur Epiſcoporum adverſus hoc privilegium oppoſitiones.

Cardinalis de Luca in *Relatione Curiæ Romanæ* referens opiniones in eadem Curia receptas, *Diſcurſu II. n.* 37. hoc ponit ſummarium: *Papa eſt Ordinarius Ordinariorum, eoſque prævenire valet*. In contextu autem ſic proſequitur: " Quamvis „ nonnulli Epiſcopi aliique Prælati & Magiſtratus ultra montes, „ quorum aliquibus (ubi etiam *ſchiſmatis* macula objici non valeat, aliqua tamen *proximitas* forte congruere videtur) *antiquas retineant opiniones* ſuper æqualitate eorum poteſtatis in „ propria diœceſi cum Papa, qui non poſſit citra caſus appellationis & recurſus in eorum poteſtatis ac juriſdictionis exer- „ tio ſe ingerere, eoſque impedire, quaſi quod quilibet dicatur Pontifex in propria diœceſi. Attamen eodem themate retento, concluſivè ſcilicet inſinuandi opiniones in Curia tam „ firmas ac receptas: hæc opinio pariter damnata eſt, atque receptum, quod Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum, à

quo

„ quo omnis Epiſcoporum juriſdictio ordinaria immediatè de-
„ ſcendit, concurrere poteſt cum quolibet Ordinario. “ Itaque Eminentiſſimus de Luca Epiſcopos, Prælatos & Magiſtratus *ultra Montes*, qui Papam nolunt agnoſcere Ordinarium Ordinariorum, *ſchiſmati proximos* argui poſſe putat, ſub quibus ſpeciatim Galli comprehenduntur; & tamen fatetur, eos *antiquas retinere opiniones*. Claudius Fleury, vir in Hiſtoria & Diſciplina Eccleſiaſtica verſatiſſimus, *Hiſt. Eccleſ. Lib. LXXXIV. n.* 42. referens in compendio Apologiam, quam S. Thomas pro defenſione Fratrum Mendicantium oppoſuit libello Guillelmi à S. Amore, quaque hanc plenitudinem & univerſalitatem Pontificiæ poteſtatis expreſſit, dicens, *quod Papa habeat immediatam juriſdictionem in omnes Chriſtianos*, monet has opiniones fuiſſe novas: *Ces maximes touchant l'autorité du Pape étoient nouvelles*. Certè ſub initium Sæculi IX. communis fuit opinio, Romanum Pontificem non poſſe Epiſcopalia jura in omnibus diœceſibus exercere; veluti quod poſſet alienos parochianos ſine licentia proprii Epiſcopi abſolvere. Colligitur id, præter ea, quæ *præſenti cap. §§.* 2. 3. *&* 6. fuſius inſinuavimus, ex Capitulari Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis ad ſuos Presbiteros directo anno 821. Poſtquam enim eos monuit, qualiter ſe ipſos & plebem ſibi commiſſam caſtè & juſtè regere, atque in religione divina confirmare debeant, ſubjungit *cap. XVIII.* “ Et hoc
„ omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui devotionis cauſa ad
„ limina beatorum Apoſtolorum pergere cupiant, domi confi-
„ teantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur, quia *à proprio* Epi-
„ ſcopo ſuo aut Sacerdote ligandi aut exſolvendi ſunt, non
„ *ab extraneo*. Ad quæ verba reflectens prælaudatus “ D. Fleury *Lib. XLI. num.* 15. rectè ait: *Ici ſous le nom d' Eveque étranger le Pape eſt manifeſtement compris comme les autres.* Evincitur autem & hoc ex Ahytonis Capitulari, eo tempore fideles proprio Epiſcopo aut Sacerdoti ſua peccata confiteri debuiſſe, nec potuiſſe alieno ſine illius licentia; quæ diſciplina uſque ad Seculum XIII. perduravit. Porro agnoſcit ipſe Card. de Luca *l. cit. Diſc. IV. n.* 10. quod ruente fundamento *univerſalis illius Epiſcopatus*, quem Ultramontani Rom. Pontifici

aſſe-

afferunt, “ non poſſet Papa interdicere Epiſcopis ac Prælatis „ proviſiones beneficiorum, aliaque multa ſibi reſervare, quæ „ inſpecta juriſdictione nativa, & antiquorum Canonum diſpo- „ ſitione, ſunt juris Epiſcopalis.

(1) Habet ſummus Pontifex, *qua Epiſcopus* Romanus particularem diœceſim, in quà Paſtoralia jura exercet per modum cujuslibet Epiſcopi; habet ſua jura *Patriarchalia*, quæ non dant ei facultatem Epiſcopalia exercendi in aliorum diœceſibus, licet intra fines ſui Patriarchatus conſtitutis; habet denique *Papalia*, quæ ei vigore Univerſalis Primatus competunt: Sed nec horum uſu, poſt diviſionem diœceſium, privativo juri cujuſque Epiſcopi, in ſuo diſtricto aſſignato, per concurrens exercitium præjudicari poſſe, toto hoc Opere probavimus, firmantes, Romano Præſuli in poſteriore hac qualitate *præſidium* & *directorium* competere Univerſi, id eſt, *ſollicitudinem omnium Eccleſiarum*, ſed non *immediatam curam & directionem ſingularum ovium*.

(2) Hoc principio per falſas Decretales convulſo, cœperunt Antiſtites Romani dare Fratribus *Mendicantibus* privilegium ſeu facultatem fidelium confeſſiones in alienis diœceſibus excipiendi. Primus, qui ſimile privilegium conceſſit, videtur fuiſſe GREGORIUS IX. cujus bulla, data Anagniæ IV. Kal. Octobris an. 1227. exſtat apud Pariſium ad an. 1246., qua omnibus Prælatis per Angliam conſtitutis mandatur. “ Ut Fratres Prædicatores benignè recipiant, „ & populos ſibi commiſſos ſedulò admoneant, ut ex ore „ ipſorum verbi Dei ſemen devotè ſuſcipiant, *confiteantur*: „ *Cum ipſis* (inquit) *auctoritate noſtra liceat confeſſiones* „ *audire, ac pœnitentias injungere*. “ Vocat id Matthæus Pariſienſis l. cit. *INAUDITUM privilegium, hoc etiam ipſis temporibus novum*.

(3) Non poterat non rei novitas cauſare diſſidia inter Prælatos ac Parochos ex una parte, & Mendicantes ex altera.

De iis, quæ ea de cauſa in Anglia orta ſunt, refert idem Hiſtoricus. Sed nec minores in aliis Chriſtiani orbis partibus in fine ejuſdem Sæculi XIII. deſuper fuiſſe contentiones, intelligimus ex Conſtitutione BONIFACII VIII. quæ incipit *ſuper Cathedram*, relata inter Extravagantes Communes *Tit. de Sepulturis*. Sperabat Bonifacius ſua Conſtitutione gravem hanc periculiſque plenam diſcordiam penitus evellendam; ſed ſpes ſua ipſum fefellit, ſi fidem adhibemus ejus ſucceſſori BENEDICTO XI. in Conſtitutione, quæ incipit *Inter cunctas*, relata inter eaſdem Extravagantes *Tit. de Privilegiis*. Poſteriorem hanc Conſtitutionem iterum caſſavit ejuſdem Benedicti immediatus ſucceſſor CLEMENS V. præfatam à Bonifacio VIII. editam renovans. " Utpote quæ (teſte eodem Clemente) ut pro-„ bavit effectus, nedum pacis ab auctore ſperatæ fructum „ non attulit, quin imò diſcordiæ, pro qua ſedanda pro-„ ceſſerat, fomentum non modicum miniſtravit. " Hæc Clementis V. Conſtitutio proſtat in Clementina *Dudum*, *de Sepulturis*. Sed ne ſic quidem hæc diſſidia & ſcandala ſublata fuere.

(4) Durarunt ea adhuc tempore Concilii Tridentini, ut ex ejus Actis & Hiſtoria intelligitur; è quibus conſtat, plures ex Patribus inſtitiſſe, ut auctoritate Concilii hæc privilegia omnimodè revocarentur, Regularibus ad primævam ſuam inſtitutionem reductis, vigore cujus *non niſi ut auxiliares & ſubſidiarii* Prælatorum ac Paſtorum ordinariorum, in Hierarchicis functionibus, atque ab horum beneplacito dependentes conſiderandi veniunt. Aſt reſtiterunt non ſolum illorum Ordinum Generales, eorumque Patroni, ſed vel maximè Curiales Romani. Nec mirum: ſiquidem hæc privilegia fidelium confeſſiones excipiendi, & eis verbum Dei annuntiandi in Epiſcoporum diœceſibus & Curatorum parochiis, ſine eorum venia, non poſſint inniti niſi *plenitudini poteſtatis Pontificiæ*, ad quam citata Extravagans Bonifacii VIII. nominatim provocat. Non ignorabant autem Pon-

Pontifices, quod Fratres Mendicantes, his privilegiis muniti, eam *plenitudinem Pontificiæ poteſtatis* & juriſdictionis, tanquam ſuorum privilegiorum baſin & fundamentum, eodem, quo ſua privilegia, zelo ſtudioque propugnaturi eſſent.

(5) Quis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vel modicum gnarus, ex his *novitatibus* pro parte Romanorum, *oppoſitionibus* ex parte Corporis Paſtorum, indeque natis *contentionibus* ac *ſcandalis*, non percipit gravem & quaſi ſubſtantialem alterationem in ſacra Hierarchia, quæ inde ab Apoſtolorum inſtituto ſancta & inviolata perduraverat: alterationem, inquam, innixam fundamento, ante falſas Decretales ignorato, cuique denudando uſque ad finem Sæculi XVI. obſtabat defectus & ignoratio ſanæ Criſeos. Quidquid ſit: ipſa rei novitas, tam manifeſtis argumentis evicta, grave præjudicium eſt adverſus Romanorum attentatum ſacro Epiſcoporum juri tam præjudiciale, & hujus baſin, quam interim Regulares tam pro ſuo, quam talia, primis decem ſæculis inaudita privilegia concedentis, commodo, totis viribus ſuſtinent.

(6) Equidem Concilium Tridentinum Seſſ. XXIII. cap. 15. ſtatuit, nullum Presbiterum, *etiam Regularem*, niſi ab Epiſcopo approbatum, poſſe ſæcularium confeſſiones audire. Sed nemo exiſtimet, ſpiritui independentiæ Monachorum vel ſic terminos ſatis firmos poſitos eſſe. Etenim imprimis multi ex Gallis ante Edictum regium anni 1695. Art. XI. ſuſtinebant, ſe hoc Decreto non ligari, ex quo Tridentinum in Gallia quoad dogma ſolum receptum ſit; proinde jus antiquum (ſic vocant jus ſæculi XIII.) apud ſe adhuc vigere. Hoc ſenſu Jeſuitæ, ad prætenſa ſua privilegia Apoſtolica provocantes, annis 1594. 1624. 1644. 1649. 1656. 1668. &c. adverſus Epiſcopos Galliæ concertabant. Alii ſimpliciter prætendunt, cum Navarro, Layman, Palao &c. ſolam præſentationem à Superiore Regulari factam Epiſcopo ſufficere, ſi hæc ſine cauſa non admit-

tatur; neque volunt quidem Epiſcopi hac in parte judicium denegatorium pro legali & ſufficiente agnoſcere. Plures docent, approbationem, ſemel ab Epiſcopo datam, non poſſe ab eo revocari, allegantes hunc in finem Conſtitutionem PII. V. die 6. Auguſti an. 1571. Prætendunt quidem nonnulli Theologi, Pianam hanc conſtitutionem à GREGORIO XIII. primo pontificatus ſui anno abrogatam, & rem ad diſpoſitionem Concilii Tridentini reductam eſſe; verum alii cum Vaſquesio hanc Gregorianam declarationem vel negantes, vel ignorantes, Pianæ firmiter adhærent. Plerique tenent, Tridentino, cum de Confeſſionibus *Sæcularium* tantum loquatur, ſufficienter agnoſci & probari prætenſum jus Regularium excipiendi Confeſſiones *ſuorum*, ſine approbatione Epiſcopi; cum tamen reflectendo ad œconomiam hujus Concilii, à nobis *cap. I.* §. 8. nec non *cap. VI.* §. 8. *n.* 10. ſatis explicatam, etiam à ſtudioſa prætermiſſione vocis *Regularium* nihil definiti horum favore erui valeant. Ex his apparet (*a*) Regulares Tridentinum interpretari juxta ſenſum ſibi magis faventem; amant autem commodam hanc interpretationem etiam in praxi tenere, licèt agatur de valore Sacramenti: (*b*) Facilè eis fuiſſe, dum Pontifices haberent ex Monachorum ordine aſſumptos [quales fuerunt paulo antè nominati *Benedictus XI.* & *Pius V.*] ab his impetrare privilegia Juri communi contraria, & juribus Epiſcoporum adverſa: [*c*] Ea verò omnia inniti fundamento fragili, ſcilicet prætenſæ *Plenitudini poteſtatis*, & *Ordinariatui univerſali*; quibus una cum Jure Iſidoriano ſublatis, tota huic ſuperſtructa moles labitur.

(7) Univerſim plus ſperandum boni, minus metuendum mali & inconvenientiæ, ſi directio animarum permaneat in manibus verorum Paſtorum, juxta ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſtitutorum. Neminem fugit, Eccleſiam inclinari & quieſcere ſuper ſollicitudine & auctoritate *paſtorali* a Jeſu Chriſto fundata; Epiſcopos verò & Parochos, una

cum

cum Presbiteris, qui ſub horum auſpiciis, directione ac nutu in parochiis operantur, ſolos eſſe primævos & ne-neceſſarios Eccleſiæ miniſtros. Porro primitivus ille, & inter omnes *ſolus* immutabilis Eccleſiæ ſtatus, quo omnis animarum directio in eorum, quos jam nominavimus, manibus exiſtit, multò eſt convenientior (*a*) Epiſcopali ſollicitudini, toti ovili debitè intendenti, (*b*) Paſtoribus ſecundi ordinis, de commiſſo ſibi minore grege rationem redditturis, [*c*] Spirituali bono ſingularum ovium, quarum intereſt ſuos noſſe Paſtores, & ab iiſdem noſci.

Quantum ad *Epiſcopos*: horum inſpectio in commiſſos eis greges multò foret facilior, multò luminoſior, multò denique fructuoſior, ſi, ut olim, quiſque Parochus de omnibus ſuis parochianis Epiſcopo ſuo poſſet reſpondere. Inſtructio etiam eſſet uniformior; regulæ morum ac directionis promptius certiuſque executioni traderentur; dum econtra ſuperinducta Regularium miniſteria (qui ſe Parochis ſubmittere plerumque detrectant, minus ſe tanquam horum delegatos gerere, aut illis ſuæ geſtionis rationem reddere volunt) ferè neceſſariam confuſionem inducunt, ordinem Epiſcopalis inſpectionis & directionis invertunt, opinionum in moralibus diverſitatem & haud rarò laxitatem inducunt, & per conſequens regularum Eccleſiaſticarum uniformitatem impediunt.

Fruſtra his in circumſtantiis *Parochis* ad animum revocabitur, ſe de ſingulis ovibus ſuæ curæ commiſſis æterno Paſtori reſponſuros, quando coguntur ſupererogatorium illud Regularium miniſterium à ſuo paſtorali munere auctoritateque quodammodo indipendens agnoſcere; imò nolentes volentes ſe ad horum extraneorum judicium referre; quanquam convenientem ſollicitudinis ac directionis ſpiritum in eis deſiderari haud rarò advertant. Si de his meritò gemunt vigiles & Zeloſi Paſtores, remiſſi ex contrario gaudent, quod faciles, imò facillimos inveniant,

in

in quos maximam ſuæ ſollicitudinis partem erga levem retributionem poſſint derivare, & in otio dies ſuos tranſigere.

Denique ſinguli quique *Fideles* (quidquid in contrarium clamitet præventio) vix poſſunt non ſpirituale pati detrimentum, dum caulam ſui Paſtoris deſerunt, ut ſe committant tranſitoriæ directioni Religioſi poſt breve tempus diſparituri, plenè dependentis ab arbitrio ſui Superioris Regularis, propria juriſdictione carentis, & per genuinas Eccleſiæ conſtitutiones ad regimen animarum non vocati.

Inde juvat pro nunc inferri (1) Miniſterium Regularium in Hierarchicis functionibus nullius veræ & propriè dictæ neceſſitatis eſſe; ſic certè ipſa fide & plurimorum ſæculorum experientia docemur. (2) Idem miniſterium periculoſum fieri, mox atque à ſollicitudine Paſtorali primi & ſecundi ordinis independens eſſe prætenditur. [3] Maximè autem damnoſum evenire, quando ad ſpiritum independentiæ accedit ſpiritus ſingularitatis, fortè ex peregrino Jure aut Theologia aſſumptæ, ſpiritus novitatis, factionis & partium, denique ſpiritus doctrinæ huic illive Ordini Religioſo propriæ, & oppoſitus doctrinæ aliorum Ordinum, ſive in dogmate, ſive in regulis morum aut diſciplina Eccleſiæ. Attamen hæc non impediunt, quominus (4) primi ſecundive ordinis Paſtores unum alterumve Religioſum, pro re nata, circumſtantiarum exigentia, & ſuo arbitrio, in adjumentum ſuæ ſollicitudinis adhibeant; id quod ſine omni periculo & tantò majore cum fructu practicabitur, ſi id, quod paragrapho ſequente proponimus, & cum univerſo Epiſcoporum Collegio optamus, ad effectum deducatur.

§. VIII.

§. VIII.

Per exemptionem Regularium juribus Ordinariorum durum & immeritum vulnus inflictum eſt.

Quid de tollenda hac exemptione in Concilio Tridentino actum fuerit?

Gravia motiva, tam politica, quam eccleſiaſtica, referuntur, harum exemptionum abrogationem adhucdum poſtulantia.

Non minor violatio jurium Epiſcopalium contigit, hodieque ſubſiſtit, in *perſonali* Regularium *exemptione*. Infiniti penè ſunt Canones, etiam Sæculo IX. & ſequentibus editi, quibus uno conſenſu mandant Concilia, ut Monachi obediant Epiſcopis *ſecundum Canonicam auctoritatem*: quà clauſula indubiè antiquos Canones indicatos & renovatos voluere, ac præcipuè Chalcedonenſem quartum, quo Monachi (qui eo uſque laicis adnumerati fuerant) Epiſcopis ſubjecti declarati ſunt. Secundum hanc Canonum uniformem definitionem reſpondit adhuc BONIFACIUS VIII. *cap. 7. de Privilegiis in 6.* Ordinarium circa juriſdictionem in perſonas Regulares ſuæ diœceſis de Jure Communi habere fundatam intentionem. Interim multa particularia Monaſteria per Romanorum Pontificum conceſſiones ordinariæ juriſdictioni ſucceſſivè erepta ſunt; quibus demum acceſſerunt generales exemptiones totius Ordinis *Ciſtercienſis* per Alexandrum III. *Prædicatorum* ac *Minorum* per Innocentium III. & Honorium III. Poſt quos non fuit *Minimis* & *Jeſuitis* difficile, ſimiles favores à Sancta Sede obtinere.

Vix cœperant hæ exemptiones, cum ſimul etiam orirentur Epiſcoporum contra eaſdem querelæ ac gravamina. Ut particularia plura prætermittam, ſub initium Sæculi XIV. in Concilio Viennenſi actum fuiſſe de revocandis exemptionibus, reſtituendoque Epiſcopis vetere & communi jure in religioſas familias, quæ in eorum diæceſibus degerent, referunt Oderi-

cus

cus Raynaldus in *Append. ad an.* 1312. *n.* 24. Claudius Fleury *Hiſt. Eccleſ. Tom. XIX. Liv.* 91. *n.* 53. Fuit ea res etiam agitata in Concilio Tridentino aliquoties, præſertim die 6. Septembris an. 1563. Sed pervicit Pontificia eximentis fortuna ac poteſtas, evenitque etiam hic, quod plerumque alias, ſcilicet, ut in Univerſalis illius Epiſcopatus Romani effectibus & ſequelis invenirentur & agnoſcerentur abuſus atque inordinationes, ſubſiſtente ſemper & intacta manente eorundem effectuum cauſa; ex quo necdum detecta falſitate Iſidorianarum Epiſtolarum, in Decretum Gratiani (quod omnibus pro Jure erat) illapſarum, Tridentinis Patribus vix poſſibile fuerit debellare cum effectu univerſalem illum & abſolutum Epiſcopatum Papæ, quem Romanarum partium clientes omnibus modis politicis ſuſtinere laborabant, quoque ſtabilito, reliqui Epiſcopi de jure ſuo proprio læſo cum fundamento queri non poterant. *Spectabat ad Principis Eccleſiaſtici prudentiam* (inquit hac occaſione Card. Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. Lib. VIII. cap. 17. n. 11.) *illam auctoritatis eminentiam ſartam tectam ſervare; pro eo ac debet quicunque optimus Princeps ſuæ legittimæ juriſdictionis ſatagere.* Non minore attentione digna ſunt verba ejuſdem Cardinalis Lib. XII. cap. 13. n. 8. ubi, *haud inficior*, ait, *unum ex emolumentis, quæ Regularium immunitas ſecum fert, in eo ſitum, quod auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſuſtineat ſecundum inſtitutionem Chriſti, & Eccleſiæ bonum: cum in comperto ſit, omne Monarchiæ regimen, quo ſe illæſum tueatur, opus habere in ſingulis provinciis aliquo prævalido præſidio ejuſmodi ſubditorum, qui Principi, per ſe ac perpetuò illic dominanti, nequaquam ſubjiciantur.* Addit idem cit. Lib. VIII. cap. 17. n. 12. *Nec alio pacto laudati Ordines ſuſtentandæ Lateranenſi Baſilicæ collabenti, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ, opportuni fuiſſent: vaticinium profectò, quod re comprobatum eſt, vel ipſo Nicolao Machiavello fatente.* Ergo ex Ultramontanorum ſententia, per Pallavicinum hic expreſſa. (1) Monarchicum regimen à Chriſto in Eccleſia inſtitutum fuit. (2) Opus eſt omni imperio Monarchico, ut in provinciis habeat præſidia à Principibus ſeu Gubernatoribus provinciarum independentia. [3] Spectat ad reciproca Romani

Solii

Solii, has immunitates largientis, commoda, ut hoc viciſſim à Regularibus ſuſtineatur; (4) ſunt etenim hi eo pacto collabanti Lateranæ Baſilicæ, vel ipſo Machiavello agnoſcente, opportuni. Unde (5) prudentiæ ſummi Pontificis erat, eos ex immediata ſua poteſtate non dimittere. Ad hæc ſingulatim reſpondere, ac denuò monſtrare horum principiorum pugnam cum S. Scriptura & Traditione, nec non uſum decem ſaltem ſæculorum his rationibus politicis contrarium, eſſet diffidere luminibus eorum, qui præſentem opellam noſtram legere non dedignantur. Sufficiet hic generatim notaſſe, quod ad Eugenium III. Papam ſcripſit S. BERNARDUS Lib. III. cap. 4. de Conſideratione: per Regularium exemptiones *perturbari terminos, quos Eccleſiis poſuere Patres, confundi ordinem, mutilari* dioeceſes & *Eccleſias membris, tolli cum læſione juſtitiæ jura Epiſcoporum*.

Cæterum quantum ad Acta Concilii Tridentini, quoad hanc materiam Exemptionum, tam Ordinibus Regularium, quam Capitulis Canonicorum conceſſarum, attinet, ex iis abundè dignoſcitur, revocationi *particularium* privilegiorum ſpeciatim obſtitiſſe, quòd Romani ſuſtinerent, privilegia, per Apoſtolicam Sedem conceſſa, non debere niſi per ipſummet Pontificem revocari. Vide librum, cui titulus *Memoires ſur le Concile de Trente pag.* 578. ubi Orator Regis Chriſtianiſſimi in Notis ad Decreta *Seſſ.* 24. *de Reform.* promulganda, quas ipſe Tridento ſe ſubtrahens, & Venetias de mandato Regis ſecedens, ad Regem tranſmiſit, hæc Capite ſexto, quod erat *de Revocandis exemptionibus Capitulorum*, refert: " Hoc totum Caput de „ abrogandis aut certè moderandis Canonicorum exemptioni- „ bus, ab Hiſpanis Epiſcopis & bonis omnibus vehementer ef- „ flagitatum, ex una tantum cauſa rejectum eſt, quod non pla- „ cuit exemptiones à Romanis Pontificibus Canonicorum Col- „ legiis conceſſas, etſi ex iis maxima incommoda proficiſcantur, „ ab alio, quam à Romano Pontifice tolli aut minui poſſe " Eo magis hæc veroſimilia ſunt, quod & in aliis reformandæ Diſciplinæ capitibus in eodem Concilio à Romanis perſæpe objectum conſtet, ea ad ſolum Papam ſpectare, nec ad illa ab aliis ma-

manum mittendam, uti circa reformationem Curiæ Romanæ, & ſimilia. Hæc inquam obſtacula tollendarum particularium exemptionum; quantum autem ad *Generales* Regularium, leguntur æquiſſimis Epiſcoporum deſideriis ad eas abolendas obſtitiſſe etiam Principum Oratores; quod mirum videri non debet legentibus apud Paulum Sarpium *Hiſt. Conc. Trid. Lib. VII. pag.* 603., qualiter in negotio controverſæ inſtitutionis Epiſcoporum, quam ipſi immediatè à Deo eſſe contendebant, Cardinalis Simoneta apud aulam Regis Hiſpaniæ laboraverit, ut huic perſuaderet, Epiſcopos id intendere, ut abſoluti ſuarum Eccleſiarum domini declarentur; inde ingens Regi & regno obventurum præjudicium. Eodem ſenſu à Warmienſi Cardinali Polono ſcriptum ad P. Caniſium S. J., tunc in aula Imperatoris degentem.

[1] Juvat hic propius ſcrutari, & curatius ponderare momenta Juris, propter quæ, auctore Pallavicino, Epiſcoporum deſideriis de tollendis Regularium exemptionibus in Concilio deferri non debuit. Primam cauſam conceſſæ iiſdem, immunitatis ponit Cardinalis *cit. Lib. VIII. cap.* 17. *n.* 12. in Abbatum virtute, & egregiis ab iiſdem ad Dei gloriam hominumque ſalutem ſuſceptis operibus: " Etenim, ait, ad magna molimina, & in remotis à ſupremo Principe regionibus, opus eſt auctoritate nec finitâ, nec ulli ſubjectâ, cujuſmodi Romani ſuis Imperatoribus concedere conſueverunt. " Videtur Auctor ipſe huic cauſali quodammodo diffidere, cum mox ſubjungat: " Hæc tamen cauſa, prout variant hominum opinamenta, haud planè S. Bernardo probata, ſubveritò, hanc Monachorum appetentiam, ſed à ſui Epiſcopi jure ſubducendi, ex occulta ſuperbiæ lue oriri poſſe. " Verùm præſtat ipſum ea de re audire S. BERNARDUM in Tract. de Moribus & officio Epiſcop. cap. IX. ubi *Miror*, ait, *quoſdam in noſtro Ordine Monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere: & ſub humili (quod pejus eſt) habitu & tonſura tam ſuperbè, ut, cum ne unum qui-*

quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos ſuos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis. Spoliant Eccleſias, ut emancipentur, redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus: ille ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua iſti ut careant, totum ferè ſuum ſuorumque victum impendunt. Quid eſt hoc præſumptionis, o Monachi! Neque enim quia Prælati Monachis, ideo non Monachi: nempè Monachum facit Profeſſio, Prælatum neceſſitas . . . . . . Et infra . . . . . . *Sed non propter me, inquit, facio, ſed quæro Eccleſiæ libertatem. O libertas, omni (ut ita loquar) ſervitute ſervilior! Patienter ab hujuſmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus timeo dentes lupi, quam virgam paſtoris. Certus ſum enim ego Monachus, & Monachorum qualiſcunque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod ſatanæ mox tyrannidi, me ipſum ſubjicio . . . . Stupenda inſania! Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere: & unum ſuper propriam gravor habere cuſtodem . . . . Quid igitur vos, o Monachi, Sacerdotum gravat auctoritas? Metuitis infeſtationem? Sed ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Sæcularem contemnitis? Sed ſæcularior nemo Pilato, cui Dominus aſtitit judicandus &c.* Comparetur poſt hæc Pallavicinus Bernardo. *Ille* dicit, concedi Religioſis immunitates propter ſingularia Abbatum merita, & magna pro bono Eccleſiæ molimina: *Hic* eas ab Abbatibus ſollicitari ex ſpiritu independentiæ. Cui credemus? Quis amborum melius novit hominum Sæculi XII., præſertim Monachorum, ingenia? Quis majore ſinceritate judicavit, & locutus eſt?

(2) Hoc eodem S. Bernardi loco prævenitur alterum Card. Pallavicini ratiocinium, quo *cit. cap.* 17. *n.* 11. ait, "Romanos Pontifices juſtam ſuæ auctoritatis tutelam curaſſe, non armorum vi, arciumque præſidio, ſed induſtria ſanctiſſimorum Cœtuum, & fluxa omnia deſpicientium, atque oculos hominum ad ſe trahentium admirabili-

„ bilitate vitæ , mortalem conditionem tranſgreſſæ : ut „ proinde nemini ſuſpicari liceret , eos unquam conſenſu- „ ros fuiſſe patrocinio tyrannicæ minimeque legitimæ au- „ ctoritatis . " Quod Romani Pontifices induſtria Religioſorum Ordinum ſuæ auctoritatis tutelam curaverint, veriſſimum eſt ; hoc enim ipſo Regulares ſimul curarunt rem ſuam propriam , quæ ſine indefinita Pontificis poteſtate non potuiſſet ſubſiſtere . Quod autem hoc factum fuerit humilitate ac vitæ Sanctitate eorundem Religioſorum , non credidit D. Bernardus , nec alii eidem coætanei viri ſancti & doctiſſimi , quos mox nominabimus . Unde pariter & omnino concidit , quod opinatur Eminentiſſimus Hiſtoriographus , quaſi non poſſet cadere fundata ſuſpicio in Monachos , tot tantiſque virtutibus conſpicuos , dati conſenſus in abuſum Pontificiæ poteſtatis . Sanè hunc abuſum agnovit , & manifeſtè arguit Monachorum ſanctiſſimus , ſæpe laudatus BERNARDUS , dum hac de re ad Eugenium III. Papam Lib. III. cap. 4. de Conſiderat. ſcribit : *Murmur loquor & quærimoniam Eccleſiarum . Truncari ſe clamitant ac diſmembrari . Vel nullæ vel paucæ admodum ſunt , quæ plagam iſtam non doleant, aut non timeant. Quæris quam ? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis . . . . Bonane ſpecies hæc ? Mirum , ſi excuſari queat vel opus . Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis ; ſed juſtitiæ fortè non ita . Facite hoc quia poteſtis ; ſed utrum & debeatis , quæſtio eſt . . . . Quid tam indignum tibi , quam ut totum tenens , non ſis contentus toto , niſi minutias quaſdam atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ univerſitatis , tanquam non ſint tuæ , ſatages , neſcio quomodo , adhuc facere tuas* . Hæc ſcripſit Bernardus, imbutus principiis Epiſcopatus univerſalis & plenitudinis poteſtatis , quæ ex falſis Decretalibus , quæ tunc erant ſanctiſſimæ, biberat : quid dicturus , ſi ſciviſſet, nullum Pontifici competere jus *ordinarium* in diœceſibus Epiſcoporum , & immediatum in horum diœceſanos .

(3)

(3) Porro ſic urget Pallavicinus *cit. cap.* 17. *n.* 11. " Romani Pontifices in ſupremæ hujus auctoritatis pacifica poſſeſſione fuere poſiti : neque enim alioquin hæ immunitates ab ipſis conceſſæ , nec apud Epiſcopos, nec apud Principes ullo fuiſſent in pretio . " Si de quieta poſſeſſione *Sæculi XII.* loquitur Pallavicinus , vel ex mox relatis verbis S. Bernardi erroris convincitur ; eo certè ſæculo non Ciſtercienſium ſolum , ſed & Norbertinorum ac Cartuſienſium cœnobia Epiſcopis ſubjecta fuiſſe conſtat . Quo autem in pretio apud *Epiſcopos* eodem ævo fuerint hæ Regularium exemptiones , comprimis intelligemus ex Petri Bleſenſis Epiſtola 63. nomine RICHARDI Archiepiſcopi *CANTUARIENSIS* ad Alexandr. III. ſcriptâ , in qua ille : *Adverſus Primates & Epiſcopos intumeſcunt Abbates , nec eſt qui majoribus ſuis reverentiam exhibeat & honorem . . . . Quid eſt eximere ab Epiſcoporum juriſdictione Abbates , niſi contumaciam ac rebellionem præcipere , & armare filios in parentes ? . . . . . . Monaſteria enim , quæ hoc beneficium damnatiſſimæ libertatis , ſive Apoſtolica auctoritate , ſive , quod frequentius eſt , bullis adulterinis adepta ſunt , plus inquietudinis , plus inobedientiæ , plus inopiæ incurrerunt ; ideoque & multæ domus , quæ nominatiſſimæ ſunt in ſanctitate & religione , has immunitates aut nunquam habere voluerunt , aut habitas continuò rejecerunt* . Archiepiſcopo Cantuarienſi jungimus Epiſcopum Carnotenſem JOANNEM SARESBERIENSEM , qui Lib. VII. cap 21.. de Nugis Curial. teterrimo ſtylo deſcribit qnoſdam : *Qui ad Eccleſiam Romanam confugiunt , quæ mater pietatis religioni conſuevit providere quietem . Implorant opem ejus , protectionis implorant clypeum , ne cujuſquam poſſint malignitate vexari , & ſe poſſint plenius exhibere , & charitatis exhibere manus , ne decimas dent , Apoſtolico privilegio muniuntur . Procedunt ulterius , & quò ſibi plura impunè liceant , à juriſdictione omnium Eccleſiarum ſe ipſos eximunt , & efficiuntur Romanæ Eccleſiæ filii ſpirituales* . Dein relatis pluribus horum hypocritarum

rum fraudibus & exceſſibus ſubdit hoc notandum : *SI EIS OBLOQUERIS , RELIGIONIS INIMICUS , ET VERITATIS DICERIS IMPUGNATOR* . Qualia defenſoribus veritatis objici nec hodie rarum eſt . Qui plures Epiſcoporum, Conciliorum, aliorumque contradictiones & oppoſitiones noſſe cupit , adeat Zegeri van Eſpen *Repagulum Canonicum adverſus nimiam exemptionum à juriſdictione Epiſcoporum extenſionem* , *in Epilogo Partis II.* , & poſt hæc aliaque , quæ deinceps relaturi ſumus judicet de poſſeſſione Romanorum Pontificum tales exemptiones concedendi , ad quam tam confidenter provocat Pallavicinus , & de pretio , in quo eas fuiſſe contendit .

(4) Interim pergit Eminentiſſimus *cit. cap.* 17. *n.* 12. " Alia „ cauſa univerſales exemptiones *integris Ordinibus* concedendas perſuaſit . Ea fuit, quod hæ familiæ ſub una eademque vitæ diſciplina , ejuſdemque Præſidis moderatione , per cunctas terrarum orbis plagas diſpergendæ erant : adeoque à vario Epiſcoporum judicio arbitrioque regi non poterant ; ſed ſolum à moderatoribus ſupremo ipſorum Præſidi ritè ſubjectis : itidem ac nequeunt plures formæ , nullo inter ſe ordine colligatæ , uni corpori dominari . " Aſt & hic ſibi adverſarium habet Pallavicinus magnum illum Monachorum Patriarcham BERNARDUM , qui quid monaſtico inſtituto conveniat, melius novit , quam quicunque alius . Scribit is ad Eugenium III. Papam cit. cap. 4. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius : nullus eſt enim , niſi quod Monachi etiam diſſolutiores fiant . . . . Non eſt arbor bona faciens fructus tales . . . . quodque magis dolendum inter Eccleſias inimicitias graves , perpeteſque diſcordias . . . . . . Tunc tibi licitum cenſeas ſuis Eccleſias mutilare membris , confundere ordinem , perturbare terminos , quos poſuerunt Patres tui ? Si juſtitiæ eſt ejus cuique ſervare ſuum ; auferre cuiquam ſua , juſto quomodo poterit convenire ?* Sic ad Papam Bernardus, qui ſolus in di-

verſis

verſis & diſſitis diœceſibus 160. ejuſdem Inſtituti monaſteria fundaverat . Anne putabimus , eum aliter cogitaturum & locuturum fuiſſe , ſi illorum inſtituiſſet ſex millia ? Bernardo ſociemus alium , & illo quidem juniorem Monachorum Patrem S. FRANCISCUM . De hoc ſcribit Card. Baronius *ad an. 676. n. 5.* " Ut Monachi ab Epiſcopali „ obedientia hujuſmodi privilegiis ſe ſubtraherent , nec „ gratum fuit S. Franciſco ; ſed Fratris Eliæ , hominis non „ divino Spiritu , ſed carnis prudentia nitentis opus fuit . " Scilicet hic S. Pater (qui in primo Capitulo generali, anno 1219. habito , congregata vidit ultra quinque millia Religioſorum ſui Ordinis, non computatis iis, qui in cœnobiis manſerant) filiis ſuis hoc præceptum teſtamento reliquit : *Præcipio Fratribus univerſis per obedientiam ; quod ubicunque ſint , non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana .* Sic cogitavit Bernardus , ſic Franciſcus : quamvis *ille* habuerit ſui inſtituti plura monaſteria , quam vel Germania , vel Gallia habeat Jeſuitarum (ut unum Ordinem pro exemplo nominem) Collegia : *hic* , antequam è vivis diſcederet, plures ſui Ordinis profeſſos, quam fortè tota Europa numeret Jeſuitas . Quam bellos autem fructus Frater ille Elias , carnis prudentia nixus , & ſua paterni teſtamenti infractione retulerit , refert alius fidelior D. Franciſci filius P. Alvarus Pelagius *Lib. II. de Planctu Eccleſiæ cap. 66.* ubi narrat Fratres Minores " non curan„ tes ſervare voluntatem Patris, quam in teſtamento ſuo „ Fratribus notificaverat, & ſervare mandaverat , & ſic „ fractores teſtamenti , & indigni hæreditate perfectionis „ Evangelicæ , quæ maximè in paupertate & humilitate „ & charitate conſiſtit, à Sede Apoſtolica declarationes & „ privilegia plurima impetraſſe : per quæ à ſancta pauper„ tate & humilitate quaſi omnimodè receſſerunt . Nam „ *eorum privilegia , per quæ nemini ſubſunt , niſi Sedi Apo„ ſtolicæ , eos in ſuperbiam erexerunt , & in contumaciam „ contra omnes Prælatos* . . . . contra quos S. Ber„ nardus : Quanti uſque hodie fœda ſequuntur infeliciaque

„ que veſtigia, imò quam pauci evadunt, quibus libido,
„ dominandi non dominetur. Quæ ſequimini miſeri?
„ Nonne iſte eſt mons, in quem aſcendit Angelus, & fa-
„ ctus eſt Diabolus? Maximè Fratres Minores, qui ma-
„ gis humiles eſſe debent, quam homines de mundo, per
„ regulam & profeſſionem & vocationem ſuam omnibus
„ ſubeſſe debent, maximè dominis Epiſcopis & aliis Præ-
„ latis, & ordinariis locorum Sacerdotibus, & eis hono-
„ rem & reverentiam exhibere: ſicut ipſe Pater in Regu-
„ la & in Teſtamento mandavit . . . . Eorum pri-
„ vilegia faciunt eos contendere tota die . . . . . . Fa-
„ ciunt etiam eos contemnere Prælatos Eccleſiæ: & oc-
„ caſione privilegiorum magis ſunt inſolentes, & magis
„ delinquunt.

(5) Linquamus modò Pallavicinum, ut audiamus ab ejus æmulo F. Paulo Sarpi, quid Tridenti favore exemptionis Regularium, & pro eadem ſervanda, adverſus Epiſcoporum hac in parte deſideria juraque prolatum fuerit. Is *Hiſt. Concil. Trid. Lib. VIII. pag.* 734. *edit. Amelot* ex allegatis Monachorum refert ſequentia: Regularium exemptionem tam eſſe antiquam, ut meritò ad Jus Commune referenda veniat, nec inter Privilegia amplius computari debeat; Epiſcopos, eorumque Canonicos, tunc, cum illis ſubjacerent monaſteria, eam duxiſſe vitam, ut digni fuerint, qui Regularibus præeſſent; hodie ad Epiſcopis ignorari omnem methodum regularis obſervantiæ proinde monaſteriorum regimen ſine formæ regularis ruina eis committi haud poſſe; Demum, ſi in hoc antiqua diſciplina reduci vellet, hanc & in multis aliis revocandam, neque juſtum eſſe, ut Monachi ſubjiciantur Epiſcopis, antequam hi eos mores reſumpſerint, qui deceant magiſtros vitæ regularis. Non ſic ratiocinabantur SS. *Bernardus*, *Norbertus*, *Bruno*, *Franciſcus*; Quæ tam vitioſum habent initium, ordinationi divinæ, & formæ Eccleſiaſticæ à Chriſto inſtitutæ adverſum, nullo temporis lapſu Juris Communis vigorem poterunt obtinere. *Quodcunque adverſus veri-*

tatem

tatem ſapit, *erit hæreſis* (vel error) *etiam vetus conſuetudo*. *Nec hæreſes tam novitas quàm veritas revincit*, inquit Tertullianus de Veland. Virg. cap, 1. Si quæ monaſteriorum ante jam nominatorum Patriarcharum ætatem particularia privilegia obtinuerunt (generales enim Ordinum exemptiones tunc adhuc erant incognitæ) ea vel ab ipſis Epiſcopis, vel à Romanis Pontificibus de Epiſcoporum & Principum conſenſu, concedebantur, & erant tam exiguo numero, ut ordinaria Epiſcoporum juriſdictio vel nullum vel planè exiguum inde caperet detrimentum; itaque nimietate fortè peccabant, ſi qui eas res ad antiquiorem ſtatum, quàm ad normam Sæculi X. vel XI. reduci poſtulabant. Cæterùm egregiè de ſe præſumunt Monachi, ſi ſuis Superioribus Regularibus, & Ordinum Generalibus, qui in Tridentina Synodo erant, plus virtutis fuiſſe autument, quàm Epiſcopis, qui in eodem Generali Concilio ſedebant, & quibuscum illi hâc de materiâ certabant; aut etiam univerſim Ordini Monachorum præ ordine Epiſcoporum. Denique mox laudati vitæ monaſticæ Statores non putârunt, Epiſcopos debere eſſe monachos, ad hoc, ut monaſteriis utiliter præeſſe valeant. Videmus & hodie nonnulla cœnobia Epiſcoporum auctoritate optimè gubernari; poſſent etiam, ubi opus, prudentiores è Monachis vocari ad conſilium hujus partis regiminis Epiſcopalis.

[6] Sunt profectò, præter juſtitiam cauſæ, rationes haud paucæ, tum *politicæ*, tum *Eccleſiaſticæ*, quæ reſtitutionem jurium Epiſcopalium in Regulares ſuadeant. Et quantùm quidem ad illas: poſſunt ampliſſima hæc Religioſorum Ordinum corpora, non ſolùm per diverſas unius regni provincias, ſed per omnes etiam catholicas terras diſperſa, & inter ſe tam arcto vinculo colligata, publico eſſe valde nociva. Quodlibet eorum ſe quaſi ſeparatum populum conſiderat; gloria & accrementa unius invidiam aut ſaltem æmulationem alterius provocant. Inde diviſiones: quæruntur protectiones: habent ſuos ſinguli patro-

nos & adhærentes: itur in partes: ſequuntur demum publici tumultus. Oppoſitiones inter Dominicanos & Auguſtinianos ratione publicationis indulgentiarum excitârunt furorem Lutheri, & denique produxerunt illum malorum abyſſum, in quem Germania, aliaque regna demerſa noſcuntur. Diviſiones internæ, quæ hodie Galliam affligunt, ſi non primariam ſuam originem, ſaltem nutrimentum debent oppoſitioni Clericorum ſæcularium & quorundam Religioſorum Ordinum adversùs Jeſuitas. Verè ſcripſit Jeſuita Davrigny dans ſes *Memoires Chronologiques. Tom. II. ad an.* 1641.*pag.* 145. „ Ce fut alors que prirent „ naiſſance les noms de Janſeniſtes & de Moliniſtes, auſſi „ fameux que le furent autrefois en Italie les noms de Guel-„ phes & de Gobelins, & qu' ont été depuis en France „ ceux de Frondeurs & de Mazarins. " Hæc & ſimilia non evenirent, ſi Monachi Epiſcopis, quique ſuis, eſſent ſubditi; forent illi tunc utique minùs potentes, ſed & viciſſim minùs metuendi, & publico utiliores. Haberet quælibet Religioſa domus ſeparata ſua commoda, ſed omnia referrentur ad commune bonum regni, provinciæ, aut diœceſis, ſicque ſinguli impedirentur, quominùs poſſent ire in turbas & factiones, aptas ad turbandam tranquillitatem publicam. Sic in Concilio Tridentino (in quo, ut ita loquar, agebatur de fortuna rei Chriſtianæ) ſtudebant Epiſcopi bono Eccleſiæ & Imperii, Generales Regularium commodo & Splendori ſuorum Ordinum, Romani ſecuritati ſuæ Monarchiæ.

(7) Duriora equidem ſunt, attamen non à *politicâ* ratione vacua, licèt à viro Proteſtantium ſacris addicto prolata, & certè ſcandalum generantia, proindeque ſanctæ Religionis noſtræ extenſionem & incrementum, pro quo quotidiè Deum deprecamur, impedientia, quæ ſcribit Tubingenſis Univerſitatis Cancellarius Pfaffius libro Gallicè edito ſub rubrica *Demonſtration ſolide de la verité de la Religion proteſtante chap. V. §. 5. pag.* 181. ubi „ Je m' étonne, qu'un „ grand Seigneur puiſſe ſouffrir ces gens-là, qui relevent

„ imme-

„ immediatement du Pape; ce Pontife ayant de cette ma-
„ niere une armée dans tous les païs catholiques, toujours
„ prête à ſuivre ſes ordres, & qui même ont déja aſſaſſiné
„ tant de Princes, à cauſe qu'ils étoient contraires à leur
„ interêt, croyant faire en celà une action ſainte & meri-
„ toire ..

Ut autem, qui id fortè neſciret, intelligat, quæ ſit cujuſque Ordinis Monachorum ſeu Regularium per orbem diſperſorum conſenſio animorum, ad quemcunque finem ſibi (pone etiam *ſecundariò*) propoſitum, ſuoque particulari ſyſtemati convenientem, quoad uſum & applicationem mediorum à voluntate ac directione Miniſtri Generalis, Romanæ Curiæ alligati, *ùt plurimùm* dependentem: dabimus ejus ſpecimen ſeu exemplum in Ordine Jeſuitarum, ex quo de reliquis, licèt fortè non tam *abſolutè* & *monarchicè* gubernatis, haud ægrè feretur judicium. Sic autem Illi in famoſo libro, quem *IMAGO PRIMI SÆCULI SOCIETATIS JESU* inſcripſit Provincia Flandro-Belgica, edito Antverpiæ an. 1640. Prolegom. pag. 33. *Diſperſa quidem ſunt per omnes orbis angulos Societatis membra, tot nationibus regniſque diviſa, quot limitibus tellus: ſed hæc tantummodo ſunt intervalla locorum, non mentium; diſcrimina ſermonis, non pectoris; colorum diſſimilitudo, non morum. In hac familia idem ſentiunt Latinus & Græcus, Luſitanus & Braſilus, Hibernus & Sarmata, Iber & Gallus, Britannus & Belga: atque in tam diſparibus geniis nullum certamen, nulla contentio; nihil in quo ſentias plures eſſe . . . . . Nihil ſua putant intereſſe ubi nati ſint . . . . . . Idem propoſitum, idem tenor vitæ, eadem voti copula colligavit . . . . . . Volvitur & revolvitur hominis unius nutu Societatis univerſæ tanta moles, moveri facilis, difficilis commoveri*. Quem Statum publicum, quem Principem, quam Remp. non reddat attentam ac ſollicitam arctiſſima hæc unio tam potentum Corporum, toto orbe diffuſorum, uno eodemque ſpiritu animatorum, & poli-

tica ratione, etiam exteriore, gubernatorum, occultè & apertè agere valentium, tum ſe ipſis, tum per exteros, quos multis modis, facili negotio, in rem, & cauſam ſuam pertrahunt, potiſſimum verò ſibi religionis titulo vinculoque copulant, quo non datur fortius ad vinciendas hominum mentes animoſque. Patria cujuſque Monachi eſt ejus Ordo: Monarcha Generalis, ejuſve Senatus: ſubeſt dominationi peregrinæ, cujus influentiæ ſtatui publico cujuſque regni ut plurimum noxiæ ſunt, ſubinde etiam funeſtæ.

Quod Parlamentum Pariſienſe in famoſo Arreſto diei *6.* Auguſti 17*6*2. *pag.* 28. *ſeq.* dixit de Jeſuitis, id *in ſenſu accommodo* de omnibus religioſis Ordinibus accipi poteſt; nempe: " La Societé forme un Corps immenſe répandu „ dans touts les Etats ſans en faire réelement partie; ne „ penſant & n'agiſſant que par l'impulſion d'un ſeul homme, Elle marche toujours infalliblement vers ſon but; „ & pour qu' elle puiſſe exercer ſon empire ſur les hommes de tout état, & de toute dignité, Elle s' eſt conſtituée monarchique, & concentrée dans le gouvernement „ & la diſpoſition du ſeul General, auquel elle a attribué „ toute eſpece de pouvoirs utiles à l'avantage & à l'élévation de la ditte Societé; enſorte qu' autant elle ſe procure de membres dans les differentes Nations, autant „ les Souverains perdent de ſujets, qui pretent entre les „ mains d'un Monarque étranger le ſerment de fidelité le „ plus abſolu & le plus illimité &c. " His & ſimilibus rationibus à Procuratoribus Generalibus Parlamentorum in medium propoſitis, Jeſuitæ in libellis ante ſuam condemnationem ubertim editis identidem repoſuerunt: ***Quare potius Jeſuitæ, quam Dominicani, Carmelitæ, Franciſcani &c. quibus eadem objici poſſunt***. Add. infrà cap. IX. §. 8. n. 10.

Quan-

Quantum ex una parte Regnorum Provinciarumque tranquillitati & ſecuritati intereſt hanc Unionem, Eccleſiæ ac Religioni minimè neceſſariam, certo modo diſſolvi, tantum ex contrario Romana Curia laborat, ut eadem omnibus modis ſervetur integra. Sanè modernus Summus Pontifex CLEMENS XIII. maluit eandem Societatem Jeſu è Gallia ejectam videre, quam ad inſtantiam Regis, per ejus Legatum Cardinalem de Rochechouart factam, conſentire, ut Vicarius Generalis Jeſuitarum pro eo regno deputaretur: ne, inquit Sanctiſſimus in Brevi eum in finem 28. Januarii 1762. ad Ludovicum XV. dato, nexus ille *Ordini* (verius *Curiæ*) abſolutè neceſſarius diſſolvatur. Evidens eſt, Papam hic principaliter reſpicere ad conſequentias, ſuo ſyſtemati demum ingenti futuras præjudicio.

Saltem ad depellendum omne quod hac ex parte in Remp. redundare poteſt præjudicium, inſpectione, mediis & cautelis extraordinariis utendum foret: omnis autem ſocietas, omne Collegium, quod ſua propria conſtitutione Principem reddit peculiari modo ſollicitum anxiumve, eò ipſo credi reputarique poteſt tanquam Reipublicæ periculoſum, & vel hac ſola ratione ad fines Juris Communis ablegandum.

(8) Quod autem ſpecialius attinet ad *Eccleſiaſtica* incommoda, ex Regularium exemptione orta, eorum partem licet haurire ex iis, quæ circa reformationem Ordinum Mendicantium anno 1667. in Gallia acta ſunt, quæque referuntur in citati Jeſuitæ Davrigny *Memoires Tom. III. à pag.* 8. *ad* 24. partem referemus verbis Euſtachii du Bellay Epiſcopi Pariſienſis. Is cum Tridenti, infirmitate detentus, Congregationi, in qua Didacus Lainez S. J. eum, quem *cap, I.* §. 8. retulimus, diſcurſum habuit, intereſſe non potuiſſet, re intellecta, in hæc verba prorupit, apud Fra-Paolo *Hiſt. Concil. Trid. Lib. VII. pag.* 597. " Que cette nouvelle „ Theologie changeoit le Roiaume Céleſte, c' eſt à dire

l'Egli-

„ l'Egliſe, qui s'apelle ainſi, en une Tirranie temporelle,
„ pour faire de cette Epouſe de Jeſus Chriſt une ſervante
„ proſtituée aux volontés d'un homme. Que de faire un
„ ſeul Evêque de droit divin, & diſtributeur de toute la
„ puiſſance des autres, c'étoit dire, qu' il n'y avoit qu' un
„ ſeul Evêque, & que les autres étoient des Vicaires, qui
„ pouvoient être démis par cet Evêque. Qu' il vouloit
„ exciter tous les Péres à empêcher, que l'autorité Epi-
„ ſcopale, déja ſi ravalée, ne fut entiérement anéantie,
„ pendant que toutes ces Congrégations de Réguliers,
„ qui pulluloient de jour à autre, lui donnoient de ſi ru-
„ des ſecouſſes. Que les Evêques, qui avoient conſervé
„ leur autorité entiére juſqu' en l'an 1050. avoient reçu
„ un grand coup des Ordres de Clugni & de Citeaux, &
„ de quelques autres nés dans le même ſiécle, Rome ayans
„ tiré a ſoi une partie des fonctions eſſentielles aux Evê-
„ ques par les menées de ces Moines. Que les Mandians
„ étant venus aprés, preſque tout l'exercice de l'autorité
„ Epiſcopale leur fut transféré par les conceſſions des Pa-
„ pes. Maintenant diſoit-il, une Compagnie née depuis
„ deux jours, qui au jugement de l'Univerſité de Paris
„ n' eſt ni Séculiére, ni Reguliere, & qui ſemble être ve-
„ nuë, pour faire des nouveautés dans la foi; pour trou-
„ bler le repos de l'Egliſe; & pour renverſer tout l' Etat
„ Monaſtique; eſſaie d'abolir entierement la Juriſdiction
„ Epiſcopale, en la faiſant précaire & d'inſtitution humai-
„ ne, comme pour enchérir ſur tous les attentats de tous
„ les Ordres, qui l'ont précédée. Cet Evêque aiant dit
„ & redit la même choſe à divers Prélats, fut cauſe que
„ beaucoup d'autres, qui n'y penſoient pas, y firent re-
„ flexion." Equidem Card. Pallavicinus *Hiſt. Concil. Trid. Lib. XVIII. cap. 15.* hunc ſermonem à Paulo Sarpio Pariſienſi Epiſcopo affictum venditat, quo Lainium aliena manu diverberet, & in ipſo cunctos Regulares Ordines, maximè *Jeſuitas*. Verùm Pallavicinus nullum probabile

hujus

hujus falſi argumentum ſeu indicium profert. Econtra intelligimus ex Epiſtola Vice-Comitis de 26. Octobris 1562. quod ſibi propoſuerit Epiſcopus Pariſienſis, data opportunitate, reſpondere argumentis Patris Lainez. Querelæ, quas generatim hic fundit Bellaius de everſione ordinis & jurium Epiſcopalium per Regulares, & in horum gratiam, eæ tales ſunt, ut hodieque ferè ex omnium piorum & doctorum Epiſcoporum, ſaltem Cis-alpinorum, ore audiantur. Quod verò de *Jeſuitis* in ſpecie profert (ſive in toto, ſive in parte ſaltem verum, quod hic non diſquiro; licèt prius minus ipſe credam) omnino conforme eſt ejuſdem Præſulis nec non Univerſitatis Pariſienſis votis & conſultationibus, in negotio Receptionis Jeſuitarum in Galliam anno 1554. datis, quæ edita proſtant in Cæſaris du Bulay *Hiſt. Univerſit. Pariſien. Tom. VI. pag.* 570. *ſeq.* Viſconti Epiſcopus Vintimilienſis, negotiorum Pontificiorum in Concilio geſtor

[9] Non ex vano ſcripſit Eraſmus Roterodamus 1. Novembris an. 1519. ad Albertum Brandenburgicum Cardinalem Archiep. Moguntinum Lib. XII. Epiſt. 10. edit. Baſileen. an. 1540. atque ad communes tam *ſacras* quam *civiles* noxas pertinet: *Mundus oneratus eſt tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cum ſint ſatellites Sedis Romanæ, tamen eò potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipſi Romano Pontifici, atque ipſis adeo Regibus ſint formidabiles. His, cum pro ipſis facit Pontifex, plus quam Deus eſt. In his quæ facit adverſus illorum commodum, non plus valet quam ſomnium.*

Exemptio Regularium, omnibus ferè Ordinibus communis, habet pro fundamento Romani Pontificis Monarchiam, & abſolutam poteſtatem in omnes diœceſes, ac jura Epiſcoporum, tanquam ſuorum in ſacro & univerſali regimine prætenſorum Vicariorum; quin & indirectam ſaltem Papæ poteſtatem in Principum jura, ad quæ haud dubiè pertinet conſervatio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ à Deo & Apoſtolis inſtitutæ, per generalem verò exemptionem Regula-

gularium, quam hi contra quoſcunque tuentur, impugnatæ ac everſæ. Si autem œconomia eorundem Ordinum Sacræ hujus Monarchiæ, ſecundum ſenſum Romanæ Curiæ (à qua illa procedit & unicè ſuſtinetur) intellectæ, & ſingularis illius poteſtatis, quæ ſe quibuſcunque Conciliis ſuperiorem gerit, effectus eſt atque emanatio; omnes verò hæ Cauſæ (ſcilicet (*a*) indefinita in ſacris Papæ auctoritas, & ab hoc immediatè ac limitatè in Epiſcopos dimanans poteſtas, (*b*) indirecta ſaltem Pontificis in jura Principum eorumque exercitium impediendi auctoritas, (*c*) ejuſdem ſuperioritas præ Univerſalibus Conciliis] nonnullorum jamtum regnorum & inſignium Eccleſiarum Catholicarum publicis legibus damnatæ ſint, univerſim autem in nulla Procincia aut Rep., quæ ſua ſuorumque commoda intelligit ac curat, tolerari debeant, tanquam pugnantes cum principiis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, juribus ſubditorum utriuſque ſtatus, & tranquillitate regnorum; per ſe manat, effectum cum ſua cauſa eadem in damnatione hærere.

Jurant omnes Monachi in Statuta, privilegia & jura ſuorum reſpectivè Ordinum, & vovent obedientiam his juribus ac ſtatutis conformem. Horum, ut dixi, anima eſt immediata ad Papam ſubmiſſio, & huic reſpondens exemptio à juriſdictione Ordinarii. Sed nec habet quidem per ſe loquendo ſæcularis poteſtas in illegali hoc rerum ſitu & jurium confuſione media ad limitandam hanc obedientiam atque dependentiam, ad quam monachus ſolemni ſe voto adſtrinxit, idonea. Vincula per Religionem contracta eis, qui ſe illis ſubmiſerunt, nunquam videntur capacia temperamenti, ab aliena poteſtate dependentis; ſanctitas ſui principii ſacroſanctos ſemper reddet effectus in oculis & corde eorum, qui hæc vota emiſerunt.

[10] De *internis* nævis, qui in domibus Religioſorum vigent, quique multò facilius certiuſque à vigilantibus Epiſcopis tolli poſſent, pauca ſolum memorabo. In Abbatiis, quæ am-

ampliſſimis fundationibus dotatæ ſunt, exiguntur dotes, apertà ſanè injuſtitia; neque enim bona fides patitur iterum petere quod ſemel acceptum eſt. Attolluntur ædificia nimis ſumptuoſa; menſa, famulatus, curruum & equorum apparatus ſæculi vanitatem ſapiunt. Nutriuntur inteſtina odia & diffidia. Decernuntur incarcerationes perpetuæ, forma proceſſus nequidem in ſubſtantialibus ſervata; accuſatus quandoque non auditur; accuſator & teſtes ei manent ignoti; ſolus Superior, vir nonnunquam animi impotentis ac vehementis, pronuntiat, & ſpreta omni appellatione ſententiam exequitur; eaque omnia tam ſecretò tractantur, ut ne hilum tranſpiret extra clauſtrum. In multis monaſteriis ſolida ſtudia non æſtimantur pro merito, plurimumque abeſt, ut ea juxta normam à Mabillonio præſcriptam inſtituantur, & laudabili huic fini Bibliothecæ accommodentur; unde evenit, ut in iis ſumptu publico nimis multi alantur de numero eorum, quos Paulus J. C. in L. 25. §. 1. ff. de Probat. vocat *viros ſimplicitate gaudentes & deſidiæ deditos*. Numerus Monachorum mendicantium multiplicatur in infinitum; ſicque Reipublicæ auferuntur multa ſubjecta utilia, quibus viciſſim gravatur Eccleſia, tanquam ſervis inutilibus. Certus Monachorum numerus Reip. & Eccleſiæ utilis eſt, nimius utramque gravat. Pro alendis tot mendicantibus excogitantur & practicantur media, ſacra noſtra Religione ejuſque majeſtate indigna. Cum ſpiritus ambitionis etiam Mendicantium cucullis ſe ſe inſinuet, ſic in electionibus Præſidum Provincialium ſchiſmata haud raro cum ſcandalo ſæcularium enaſci videmus. Tale ante tres vel quatuor annos viguit in Carmelitarum Calceatorum Provincia Belgica, quod demum auctoritate & ſeveritate Aulæ Bruxellenſis terminatum eſt. Tale etiam viguit in Provincia Thuringica FF. Recollectorum, per ſeparationem tandem terminatum &c.

(11) Cum in Concilio generali Vienneſi de tollendis Regularium exemptionibus ageretur, harum abuſus manifeſtus

tum monſtrabatur in Ordine *Templariorum*, eadem in Synodo abrogato; cujus corruptio & impietas ſub ſcuto hujus immunitatis nata eſt, adolevit, & ad apicem perducta fuit, nunquam ſubſtitura, aut ſaltem tam univerſalis haud futura, ſi iidem Religioſi Ordinariorum viſitationi & juriſdictioni fuiſſent ſubjecti. Palmari huic argumento aliud non poterat objici, quam falſum illud toties contritum principium: Papam eſſe Eccleſiæ Monarcham, cujuſque Chriſtiani immediatum Paſtorem & proprium Epiſcopum; ipſius tanquam Capitis Eccleſiæ eſſe determinare diœceſes, eas mutare, dividere, & partem ſubſtrahere; denique ad hujus magnitudinem & auctoritatem pertinere, ut per totum orbem habeat à ſe immediatè dependentes. Vid. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Tom. XIX. Liv.* 91. *n.* 53.

(12) Sive his, ſive aliis rationibus motus CALIXTUS III. Pon. Max. teſte Oderico Raynaldo *ad an.* 1471. *n.* 69. concepit litteras, quibus Mendicantium familiæ ad Jus Commune reducerentur; has cum PAULUS II. promulgare meditaretur, Mendicantium Ordinum Magiſtri in eam prorupere temeritatem, ut *provocationis ad Concilium Generale formulam* ederent. Hi ſunt fructus arboris non bonæ, de qua ſcripſit ad Eugenium Papam S. Bernardus ſuprà *num.* 4.

(13) Equidem Patres Concilii Tridentini, facilè agnoſcentes intolerabiles abuſus ſub præſidio harum immunitatum in Eccleſiam illabi poſſe, quibus è longinquo non niſi ſerius & parum efficax remedium adhiberi valeat, providerunt *ad interim* de quali-quali temperamento, radice mali hactenus ſubſiſtente. Referemus illud verbis cl. Barthelii Anteceſſoris Wirceburgenſis in *Annot. ad Jus Canon. Lib. I. Tit.* 29. *pag.* 105. ubi: "Cum per exceſſivas, inquit, iſtas „ exemptiones nimium reſtringeretur auctoritas Epiſcopo- „ rum, vitia ob remotionem locorum, quibus Pontifex „ non poterat inſpicere, impunita manerent, voluerunt „ Epiſcopi iſtas exemptiones omninò tolli & abrogari. In-

te-

„ tererant autem complures etiam Abbates & Generales
„ Ordinum , qui ſuis inſtiterunt privilegiis, utpote quæ
„ non gratuita , ſed remuneratoria affirmabant , ob inſignia
„ in Eccleſiam merita . Quia tamen ipſi agnoverunt Ec-
„ cleſiæ diſciplinam ſic non poſſe ob ſæcularium exemptio-
„ nes ſubſiſtere , in pluribus caſibus delegata eſt ipſo jure
„ Epiſcopis juriſdictio , & ſic via media eſt complorata,
„ ita ut non titulo ordinario , ſed tanquam Apoſtolicæ
„ Sedis delegati illam poſſint exercere . Quia tamen hæc
„ juriſdictio non eſt *attributoria novæ* poteſtatis, ſed *exci-*
„ *tatoria* reſtrictæ & *ſopitæ juriſdictionis* , hinc ſecus ac
„ aliæ delegationes, eſt latiſſimæ interpretationis . . . . . .
„ In Gallia Epiſcopi non attendunt formulas delegationis,
„ & nominetenus tantum ſunt delegati , re ipſa jure ordi-
„ nario exercent juriſdictionem ; ab ipſis enim non ad Pon-
„ tificem , ſed ad Archiepiſcopum fit appellatio &c." Re-
„ ctè vocavit Barthelius *ſopitam juriſdictionem* ; quanquam
enim ea Epiſcopis divinitus collata ſit, delituit tamen & preſſa gemebat ſub fæce falſarum Decretalium . Nunc cum Epiſcopalia jura ſua in luce collocata diſpiciantur, malum jam olim agnitum radicitus tollendum, & negotium à Tridentino *inchoatum* perficiendum eſſet ; maximè quod cuivis ratione utenti in oculos animumque occurrat , privilegia, utcunque meritis, dari non poſſe cum præjudicio tertii , præſertim ordinis Epiſcopalis, quo nemo hactenus in Eccleſia plus meritus eſt, neque deinceps amplius mereri poterit .

(14) In hoc præternaturali & violento rerum ſitu evenit haud rarò , quod Epiſcopi ex Paſtoralis officii debito teneantur reprimere Monachorum attentata adverſus legitimam auctoritatem illis à Jeſu Chriſto commiſſam ; his tum in more eſt arrodere juſtiſſima Epiſcoporum ordinata , tanquam detrahentia ſuis privilegiis, quæ putant attingi non poſſe ſine invaſione ſupremorum jurium Primæ Sedis , & quadam adverſus hanc rebellionis ſpecie . Neminem fugit , quod & quantum ſit pondus auctoritatis Regularium in Ro-

mana Curia, in qua cum per Generales ſuorum Ordinum ſemper reſideant, parum eis difficile accidit ſummorum Pontificum religionem circumvenire; quemadmodum id ſæpius eveniſſe, ipſimet Pontifices queſti fuerunt. Hinc nova diſſidia, novæ remoræ, nova ſcandala. Igitur tollatur radix hujus & tot aliorum malorum, quæ præſenti Capite indicavimus; fiet hoc reſtitutione Juris veri, remoto falſo.

(15) Necdum dimittimus Card. Pallavicinum, ejuſque principia, placitis Machiavelli, ut ipſe fatetur, conformia, à nobis paulo antè recitata. Qualiter Romani Pontifices *in tutandis Canonibus* ſuam olim explicuerint poteſtatem, & per hoc Eccleſiarum præſidium, aſſiſtentiam atque favorem meriti fuerint, tradidimus *cap. II. §.* 7. Qua id ratione præſtiterint poſt introducta falſa Monarchiæ univerſalis principia, refert Boſſuetius in Defenſ. Declar. Cleri Gall., *Tom. II. pag.* 411. " Non jam ferè tutandis Canonibus „ ſed exemptionibus, diſpenſationibus, reſervationibus, de„ nique extraordinariis arbitrariiſque mandatis & imperiis „ eminere cœpit auctoritas; cum Papa longè poſitus, tot „ Capitula, tot Monaſteria, de quibus ne cogitare quidem „ vacat, immediatè regenda ſuſcepit; proprios arcet Epi„ ſcopos, atque ab iis ſuum quoque Clerum avellit; cum „ Epiſcopalem juriſdictionem in *Monachos* atque *Mulieres* „ effundit, atque effuſam tutatur; cum denique Romana „ Curia Epiſcopos veluti adverſos habere, *in tot exemptis* „ *præſidium ac firmamentum ponere voluiſſe viſa eſt*. " Deus immortalis! quam varius & diſcors aſpectus regiminis priſtini & ſacri à Chriſto inſtituti, à novo illo, mundano, & politico. Addit Ill. Meldenſis: " Certò ſtatuimus, nun„ quam Eccleſiæ Catholicæ, nunquam Sedi Apoſtolicæ „ ſuam dignitatem conſtituram, niſi defenſis Canonibus, „ adſcitiſque Epiſcopis, quos ipſe Chriſtus adjutores dede„ rit. " Conf. *cap. III. §.* 10. *n.* 3.

§. IX.

§. IX.

Quod Epiſcopi Cardinalibus ſerius fuerint poſtpoſiti, non debet, neque poteſt præjudicare illorum ordini, ex Divina inſtitutione in Eccleſia abſolutè primo.

Antiqui Patres, quotquot Eccleſiaſticam Hierarchiam deſcripſerunt, Epiſcopos, Presbiteros & Diaconos commemorant, non Cardinales. Hos imitatur Concilium Tridentinum Seſſ. XXIII. Can. 6. ubi: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbiteris & Miniſtris, Anathema ſit*. Nulla ibi mentio Cardinalium: adeoque ordinatione divina non ſunt inſtituti, eo ſenſu quo Epiſcopi, neque ex inſtitutione Chriſti Epiſcopis ſunt ſuperiores. Qua autem ratione his tandem fuerint prælati, referemus verbis Bellarmini, cujus teſtimonium ſufficiet ad probandum & demonſtrandum qualiter hac in parte antiqua diſciplina, inſtituto Chriſti conformis, fuerit everſa. Sic autem ille *Lib. I. de Clericis. cap.* 16 *Opp. Tom. II. col.* 279. *edit. Col.*
„ Fateor tamen olim Epiſcopos quoſcunque prælatos fuiſſe „ Cardinalibus non Epiſcopis, imò etiam Cardinalatum gra„ dum fuiſſe ad Epiſcopatum, ut Onophrius rectè docet in „ Libro de Cardinalibus, & apertiſſimè colligitur ex Libro I. „ cap. 7. Vitæ S. Gregorii. Poſtea tamen mutatus eſt ordo, „ & cœpti ſunt Cardinales Epiſcopis anteponi, & Epiſcopatus „ gradus eſſe ad Cardinalatum; cujus mutationis duplex ratio „ aſſignari poteſt. Una, quod ad ſolos Cardinales devoluta ſit „ electio ſummi Pontificis: Nam quo tempore Pontifices eligebant „ Imperatores, vel Clerus & Populus, non eſt mirum, ſi „ tanti non fierent Cardinales. At poſtea quam cœperunt ipſi ſoli „ eligere, & etiam ipſi ſoli ut plurimum eligi, non ſine cauſa cœ„ pit dignitas Cardinalitia pluris fieri, quam antea. Altera cauſa eſt, „ quod ſoli Cardinales cœperint adeſſe Summo Pontifici in conſi„ liis: nam antea Cardinales neque ſoli. neque primarii Conſiliarii „ Pontificis erant. Siquidem primis ſexcentis vel octingentis annis „ Summi Pontifices ad graviora negotia Eccleſiæ dijudicanda co-
gebant

„ gebant Concilia Nationalia Epiſcoporum Italiæ ,quibus Con-
„ ciliis intererant quidam Cardinales Presbiteri, ſed primus lo-
„ cus Epiſcoporum erat . Quocirca non erat ratio , cur eo
„ tempore Cardinales Presbiteri Epiſcopis anteponerentur, cum
„ eo tempore non minus, imò magis Pontificem juvarent in
„ Eccleſia univerſali regenda Epiſcopi quam Cardinales . At
„ poſtea creverunt negotia Eccleſiæ Romanæ, præſertim cum
„ acceſſiſſet Principatus temporalis, tempore Pippini & Caroli
„ M. Proinde egebat Summs Pontifex Conſiliariorum ope
„ multò ſæpius quam antea . Neque poterat tam ſæpe convo-
„ care Concilia Epiſcoporum , quam neceſſe erat . Itaque uſu
„ docente , & neceſſitate cogente , his poſtremis annis ſexcen-
„ tis vel ſeptingentis , cœperunt paulatim omitti Concilia Epi-
„ ſcopalia , & res tota redigi ad Senatum Cardinalium . Facta
„ autem legitima hac mutatione Conſilii Pontificis ab Epiſcopis
„ & Cardinalibus ad ſolos Cardinales, mirum eſſe non debet
„ ſi etiam facta eſt mutatio Dignitatum . " Ergo mutatus eſt
ordo à Chriſto inſtitutus, & ut cum Synodo Toletana VIII. loquar , poſtpoſita *Epiſcopalis Eminentiæ divina auctoritas*, quia (1) poſt tempora Caroli M. mutatum eſt jus eligendi Rom. Pontificis : quia (2) poſt Sæculum VIII. multiplicata ſunt negotia ejus Eccleſiaſtica ; quia (3) per acceſſionem ampliſſimi dominii temporalis admodum aucta fuerunt negotia temporalia Romanæ Curiæ ; quia (4) hæ rationes ſuaſerunt loco Epiſcoporum exterorum ad Conſilium & Miniſterium advocare Presbiteros & Diaconos Romanos . Verum ad primum : An Ordo Hierarchicus , ad formam genuini regiminis Eccleſiaſtici à Chriſto adaptatus , atque optimo ſucceſſu multis ſæculis ſervatus, ea ratione alterandus fuerit , quod ex inſtituto merè humano jus eligendi Epiſcopum Urbis Romæ à Clero & populo ad ejuſdem particularis Eccleſiæ Presbiteros & Diaconos translatum ſit , aliorum eſto judicium . Ad ſecundum fateor, poſt Sæculum VIII. inſigniter auctam eſſe in Romana Curia molem negotiorum Eccleſiaſticorum , idque propter aſſumptam à falſis Decretalibus formam ſtatus Monarchici in Eccleſia ; ſed de eo quæritur, an hæc infinitorum negotiorum & cauſarum ad eandem Curiam attractio,

&

& tot Miniſtrorum ad eorum geſtionem deputatio bona ſit, & Eccleſiæ proficua ? Nos de eo dubitavimus ſupra §. 5. *n.* 5. Ante tempora Caroli M. Eccleſia his carebat, & optimo ſucceſſu. Ad tertium Cura temporalium non deberet mutare Statum Eccleſiaſticum , ſed ne in hunc quidem influere ; quanquam id revera eveniſſe , & adhuc dum evenire , cum aliis obſervaverimus & doluerimus *cap. III.* §. 10. Ad quartum in regimine Univerſalis Eccleſiæ Chriſtus ſummo Pontifici Epiſcopos adjunxit non ſolum ut Conſiliarios , ſed ut Comminiſtros & Cooperatores . Papæ liberum eſt quoſcunque ſibi Conſiliarios & Miniſtros aſſumere , ſed ſine præjudicio eorum , quos Chriſtus jam antè in hoc officio , & primario quidem , inſtituerat . Hujus inſtituti memoriam Romana Sedes in eo ſaltem hucuſque ſervat , quod ex Stylo Curiæ Papa Epiſcopos *Fratres* nominet , Cardinales *Filios* .

(1) Cardinales Presbiteri & Diaconi olim erant urbis Romæ Parochialibus Eccleſiis præfecti , & Chriſtianam ibidem plebem regentes . In Concilio Romano anni 993. ſub *Joanne XV.* & Claromontano an. 1095. ſub *Urbano II.* poſt Epiſcopos ſubſcripſerunt . *Nicolao I.* ſedente illorum dignitas extolli cœpit . Sub *Alexandro III.* accepit incrementum . Sub *Innocentio IV.* ſeſſionis honorem ſupra Epiſcopos obtinuerunt . Sub *Bonifacio VIII.* æquales Principibus declarati ſunt . Hæc, & quæ ſequuntur, refero , non eo fine , ut Cardinalitia dignitas à ſuo , quem nunc obtinet , quemque Eccleſia [licet fortè ex principiis, quæ impugnamus] ei agnovit , gradu deturbetur , atque ad primævum ſtatum reducatur ; ſed ut propria cujuſque rei conditio & natura cognoſcatur , & per hoc quædam evitentur aut emendentur indignitates .

(2) Nicolaus de Clemangiis Tractatu *de Corrupto Eccleſiæ Statu cap. XIII.* (edit Hermanni von der Hardt cap. XIII.) de Cardinalium ſtatu hæc memorat . " Ex ſortis infirmæ cle„ ricatu in hanc elationem cum Sedis Apoſtolicæ pom„ patus incremento pervenerunt . Quippe quibus id olim

erat

„ erat negotii, ut efferendis mortuis ſepulturæque man-
„ dandis inſervirent. Nunc verò phylacteria ſua in tan-
„ tum dilataverunt, ut non modò Epiſcopos, quos *Epi-
„ ſcopellos* ſolent paſſim vocare, ſed Patriarchas, Prima-
„ tes, ſed Archipræſules velut infra ſe poſitos deſpiciant;
„ imò ſe jam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſi-
„ nant, quin etiam Reges ipſos æquiparare contendant.
„ . . . . . Et *cap. ſeq.* Quantæ illud aviditatis eſt, quod
„ tantam multitudinem beneficiorum invicem repugnan-
„ tium tenent! Quod Monachi ſimul & Canonici ſunt,
„ Regulares & Seculares! Quod ſub eodem habitu, omnium
„ Religionum, ordinum, profeſſionum, jura, gradus &
„ officia, beneficiaque poſſident! Non quidem duo vel
„ tria, decem vel viginti, ſed centena & ducentena, &
„ interdum uſque ad quadringentena, vel quingenta, aut
„ his amplius: Nec parva, vel tenuia, ſed omnium pin-
„ guiſſima & optima." Dubito, an quod de immenſo omnigenorum beneficiorum à Cardinalibus obtineri & poſſideri ſolitorum numero queritur Nicolaus de Clemangis, hodie emendatum ſit. Sanè vidi Romæ anno 1725. omnia per obitum Cardinalis Franciſci de Aquaviva vacantia beneficia à Benedicto XIII. Pont. Max. defuncti nepoti, tunc Abbati, poſt etiam Cardinali, Trajano de Aquaviva ſimul & ſemel conferri; erant autem numero *Centum & undecim*.

(3) Legitur in Vita Bartholomæi de Martyribus Archiepiſcopi Bracarenſis, viri Apoſtolico ævo digniſſimi, *Lib. II. cap.* 22. qualiter is menſe Septembri anni 1563. ex urbe & à Concilio Tridentino Romam profectus, ibidem videns in Congregatione coram Pontifice habita Cardinales ſedentes & tectos, Epiſcopos verò ætate, doctrina ac virtute venerandos per plures horas nudato capite ſtantes, ſoluto conventu Papam allocutus interrogaverit, qua id conſcientia ferat, quando certum ſit, Cardinalitiam dignitatem *humani*, Epiſcopalem econtra *divini* inſtituti, atque Epiſcopos Romani Pontificis *fratres* eſſe. Cumque Papa repo-

repoſuiſſet , hunc uſum jam à longo tempore vigere , regeſſit Bartholomæus, pellendum à Curia tantum abuſum, quippe qui damnatum à Principe Apoſtolorum *Dominatum in Clero* ſaperet . His & ſimilibus argumentis victus & perſuaſus Pontifex, altera die Epiſcopis ſedes in Congregationibus aſſignavit, ajens, à Bracarenſi Archiepiſcopo ſibi veritatem dictam eſſe : commiſerationem mereri ſummos Pontifices, ſicut plerosque Magnates, quod ii, qui eos proximant, majorem plerumque ſuorum commodorum, quam juſtitiæ & veritatis habeant rationem . Ampliſſimas ex hoc conſtituto PIUS IV. laudes retulit, ſed nec minores ejuſdem conſilii promotor Bartholomæus, de quo in Epiſcoporum corona dixit Cardinalis Alexandrinus poſtea ſub nomine PII V. Pontifex maximus . *Honores Sanctorum Bartholomæo poſt obitum negari non poſſe, qui vivus tantum feciſſet miraculum.*

§. X.

Qua via Epiſcopi in jura ſua redire queant, oſtendit Cancellarius Gerſon.

Atque hæc hactenus de Epiſcopali auctoritate, adverſus primævum & divinum ſuum inſtitutum variis modis depreſſa . Media, quibus ea legitimo ſuo vigori & nativis juribus reddi valeat, ſuggerit Gerſo *Tract. de Statibus Eccleſiaſticis . Tit. de Statu Prælatorum . Conſiderat. IX. Tom. II. col. 533. nov. edit.* nempe : " Status Epiſcopalis, ſi nimis arctetur in ſuis juribus
„ eſſentialibus quoad reſtrictionem uſus vel exercitii, paſſim
„ communiter per Papam, abſque utilitate majori Eccleſiæ,
„ ſive hoc eſſet in exemptionibus ſubditorum ab eo, ſive in re-
„ ſervatione caſuum in foro pœnitentiæ, ſeu in reſtrictione ſti-
„ pendiorum temporalium, ſeu in reſervatione beneficiorum
„ Eccleſiaſticorum ſub eo, ſeu per inductionem oneroſam Pri-
„ vilegiatorum ſe invito, aut in immoderata exactione ſtipen-
„ diorum, aut modis ſimilibus . Ille, inquam, Status Epiſco-
palis

„ palis poſſet rationabiliter deferre querelam, nedum ad Pa-
„ pam, & Generale Concilium, quod eſt convenientiſſimum
„ medium, ſed ad Principes orthodoxos, implorando juvamen
„ opportunum. " Sed de his mediis nos agemus diſtinctius *cap. IX.* Quibus unum illud hic juvat pro Epiſcopis addere, quod ad Senatum dixit Romanus Orator, ſcilicet: *Vos oro obteſtorque, Judices, ut in ſententiis ferendis, quidquid ſentietis, id audeatis.*

(1) *Numquid non grave Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus poteſt exiſtere, quod ipſos oporteat ſe opponere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum Caput noſcitur & Magiſtra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare aſſiduè, vel recedere juri ſuo?* inquit JOANNES XXII. Extravagante de Verb. Signif. cap. 3. Hæc alternativa Epiſcopis hic offertur: vel *aſſidue litigare* cum Romana Eccleſia: vel *juri ſuo cedere*. Hoc poſterius Epiſcopi non poſſunt ſine prævaricatione, ergo prius, utcunque *grave*, amplectendum eſt. Ubi autem & qualiter pro recuperatione & defenſione jurium Epiſcopalium litigandum, jam dixit Gerſon.

(2) Verum Deo, cui nihil impoſſibile eſt, facile foret, mortalium animis æquum ingerere medium inter dura illa hujus alternativæ extrema, illudque per ſuam gratiam efficax reddere. Hoc medium Romanis ferè perſuaſum putaremus, ſi ii ſeriò cogitarent, & identidem præ oculis haberent quod legitur in Decreto Gratiani Diſt. XCIX. Can. 5. *Epiſcopis ſubtrahitur, quod Romano Pontifici, plus, quam ratio exigit, præbetur.* Attamen extraordinaria deberet eſſe hæc gratia, cum ipſe S. PIUS V. Pont. Max. tales mutationes inter *miracula* numeraverit. Vid. *§. præced. in fin.*

CA-

CAPUT VIII.

De Libertate Eccleſiæ, ejuſque Reſtaurandæ Jure & cauſis.

§. I.

Cauſa primaria lapſus Diſciplinæ, & alteratæ formæ Eccleſiaſticæ, ſunt fictæ Decretales Iſidori.

Quæ uſque ad noviora tempora Actis publicis normam dederunt.

COnſidero Papam *ut Caput Eccleſiæ*; non *ut Monarcham*, penes quem jus & auctoritas per ſe univerſam Eccleſiam & ſingula ejus membra regendi, & pro exercitio ſacri hujus imperii Epiſcopis partem ſuæ poteſtatis pro arbitrio communicandi tollendique reſideat. Si in hoc erro, fateor me ſcripſiſſe totam errorum congeriem; ſi non erro, credo me dixiſſe veritates, naturaliter & neceſſariò cohærentes, aptaſque ad reſtituendam nativam illam Eccleſiæ formam & diſciplinam, quam omnino convulſit infelix illa Monarchiæ ſacræ idea, per falſas Iſidori Decretales in Chriſtianum orbem invecta.

Primitivam Eccleſiæ diſciplinam, per octo ut minus ſæcula in Eccleſia conſervatam, ſub præſidio confictarum Decretalium collapſam, quin & abolitam fuiſſe, poſt plures alios oſtendit Claudius Fleury *Diſc. III. in Hiſt. Eccleſ. n. 2. & ſeq.* addens,

addens, ea ratione in Eccleſia Greca, ſive Orientali, etiamnum hodie avitam diſciplinam magis quam in Latina ſervatam. Idem obſervant Auctores Hiſtoriæ Litterariæ Gall. Tom. 4. pag. 28. qui Iſidori Collectionem vocant *Opus tenebrarum, quod deinde ſerviit non ſolum obſcurandæ, ſed & penitus ævertendæ omni ſcientiæ Juris Canonici*. Qualis à Chriſto inſtituta & per plura ſæcula probè cuſtodita fuerit ſacri regiminis forma, ſtudioſe expoſuimus *cap. I. & ſeqq.* Qualis ex contrario in Iſidorianis Epiſtolis Chriſtiano orbi adoptanda propoſita ſit, ipſiſmet Iſidori verbis oſtendimus *cap. III. §. 9.* Si jam quæratur primo an non ſaltem excuſandum factum Iſidori; ſecundo an effectus falſi ab ipſo commiſſi adhucdum in Eccleſia perduret; tertio an effectus ille bonus, vel malus ſit? reſpondebimus ſucceſſivè in utramque partem, & imprimis quidem pro Iſidoro verbis Chriſtiani Lupi *in Notis ad Can. 3. Dictatus Gregorii VII. Opp. omn. Tom. V. pag. 175. edit. Venet.* "In Gallia tunc (Sæ„ culo VIII.) ac Germania per Francos, in Hiſpania per Sa„ racenos, in Italia ac Illirico per Longobardos & Græcos „ admodum vexata ac depreſſa erat Apoſtolicæ Sedis maie„ ſtas, & omnis Eccleſiaſtica juriſdictio: ideoque ad iſtas ſub„ levandas neſcio quis *pius fidelis FINXIT* ſub antiquorum „ Romanorum Pontificum nomine Decretales iſtas Epiſto„ las, quas paſſim vocamus *Collectionem Iſidori Mercatoris*." Sed quis feret, talem confictorem, qui Canones fingit, eorundemmet, quos nominat, Pontificum ſenſui uſuique directè oppoſitos, & ſanctiſſimam horum diſciplinam evertentes, *pium fidelem* vocari, quem juſtiore titulo Natalis Alexander *maleferiatum impoſtorem*, Steph. Baluzius *nebulonem impudentiſſimum* appellavit. Digna profectò eſt animadverſio in hunc Lupi locum cujuſdam Eruditi apud Zegerum van Eſpen *Commentar. in Canones pag. 485. edit. Colon. an. 1755.* "Egregia eſt planè pietas „ & fidelitas ſanctiſſimis Romanæ Apoſtolicæ Sedis Epiſcopis, „ & generoſiſſimis Chriſtianæ Religionis Martyribus, ſpurios lit„ terarum ad totius Eccleſiæ regimen ſpectantium fœtus ſuppo„ nere; primorum & præſtantiſſimorum Conciliorum genera„ lium ſtatuta convellere; Juri veteri Eccleſiaſtico abolendo,

ac

„ ac dominatui Monarchico in Chriſtianam Rempublicam inve-
„ hendo certiſſima fundamenta ponere; Evangelicam, à Chri-
„ ſto inſtitutam & ab Apoſtolis obſervatam diſciplinam eradi-
„ care; ima ſummis permiſcere, & omnia ſuſque deque verte-
„ re. Quantumvis enim ſpuriarum Decretalium fabula viris
„ eruditis omnibus jam exploratò detecta ſit, non tamen prop-
„ terea abolitæ novæ ſunt Decretales Pontificum, quæ ex ve-
„ teribus illis adulterinis traxere originem; & quæ in jure di-
„ cendo, ſacerdotiis diſtribuendis, diſpenſationibus elargien-
„ dis, indulgentiis concedendis, demum in tota ferè guber-
„ natione Eccleſiæ, putridis his Pſeudo-Iſidorianis tibicinibus,
„ velut ſua baſi præcipua innituntur." Adde ſupra *cap. III.* *§. 9. n.* 11. Vel ſola horum comparatio cum calva falſarii exculpatione, quam Chriſtianus Lupus proponit, quaque plauſibilior hactenus inventa non eſt, ſufficit ad figendum judicium de juſtitia cauſæ, quam tractamus, deque ejus perdurante ſtatu.

(1) In Capitulis, quæ anno 785. Hadrianus Papa Ingilramno Metenſi Epiſcopo *Romæ* tradidit, aut ab hoc ſibi ibidem tradita recepit, multa jamtum, obſervante id Antonio Auguſtino, ex ſubdititiis Anacleti, Evariſti, Alexandri, Teleſphori, Hygini, Pii, Aniceti, Euleutherii, Caliſti, Fabiani &c. Epiſtolis deſumpta conſpiciuntur. Conſtat inſuper ex Hincmari Remenſis Opuſculo adverſus Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum *cap.* 24. *Opp. Tom. II. pag.* 476. eam, de qua hic agimus, Collectionem Iſidori *Mercatoris* à Riculpho Moguntinenſi Archiepiſcopo ex Hiſpania Moguntiam allatam, & in alias regiones divulgatam eſſe, idque, uti apparet, circa finen Sæculi VIII., Riculphus enim anno 787. Lullo in cathedra Moguntina ſucceſſit. Quam diu ante ea tempora notæ fuerint Iſidorianæ Decretales, hactenus latet; quando interim certis indiciis conſtat, eas poſt annum 744. compoſitas eſſe; & *Romæ* quidem, ut gravis fert ſuſpicio. Caſparus Barthel Univerſitatis Wirceburgenſis Procancellarius in Annotationibus ad Jus Canonicum Lud. Engel in Proem. Quæſt. 1, pag.

pag. 3. obſervat, Iſidorianum Codicem, *urgente vehementiſſimè Nicolao I.* à tota Eccleſia, in Germania, adnitente potiſſimum Reginulpho (Riculpho) Archiep. Mog. receptum eſſe.

(2) Sæculo IX. ad eaſdem Decretales provocavit NICOLAUS I. Papa *Epiſt.* 47. ad Epiſcopos Galliæ in cauſa Rothardi Epiſcopi Sueſſionenſis. In Concilio Remenſi anni 992. Epiſcopi Galliæ falſas Anacleti, Julii, Damaſi, & aliorum Pontificum Epiſtolas expendunt in cauſa Arnulphi Remenſis, ac ſi in genuinorum Canonum cenſus receptæ eſſent, inquit P. de Marca *de C. S. & I. Lib. III. cap. 6. n. 2.* Quinimo, quotquot eodem & ſequentibus ſæculis celebrata fuere Concilia, falſis teſtimoniis & monumentis in Iſidoriana Collectione contentis uſa ſunt.

(3) Nec aliter fecere Canonum Collectores, Regino Prumienſis, & Burchardus Wormatienſis Sæculo IX., Ivo Carotenſis Sæculo XI. Ipſe demum Sæculo XII. GRATIANUS, cujus Decretum deſumptis ex Iſidoriana officina mercibus plenum eſt. Sed in eo Gratianus ſuos anteceſſores hac in ſparta vicit, quod genuinos Canones & dicta Patrum cum fragmentis falſarum aut contortarum Decretalium conciliare ſtudens, conciliandi rationem à veris Canonum & Patrum ſententiis prorſus diſſonam, imò illis evidenter contrariam, atque omnem in eis expreſſam Eccleſiæ diſciplinam evertentem ſæpius impendere coactus fuerit: quæ ejus Decreto inſerta, quaſi pro Jure, etiam antiquitus uſitato, deinde recepta ſunt. Præſertim cum hoc Decretum publicè cœpiſſet in ſcholis prælegi, & commentariis Doctorum illuſtrari: unde naturaliter evenit, ut plerorumque animi his doctrinis imbuerentur.

(4) His acceſſit, quod vix quibuſdam de ſinceritate & veritate harum Decretalium dubitantibus, ex una parte ſummi Pontifices earundem auctoritatem urgerent: ex altera Epiſcopi (ii maximè, qui ſe Metropolitanorum & Provincialium Conciliorum juriſdictioni ſubtrahere volebant) eis

fre-

frequenter uterentur tanquam ſinceris & pretioſis antiquitatis monumentis; ita, ut uno quaſi conſenſu Clerus populuſque tantis nominibus priſtinorum Pontificum & Martyrum cedentes, earum auctoritatem, & diſciplinam in his contentam, reciperent. Ita reapſe evenit quod ſcripſit Stephanus Baluzius in Præfatione ad Antonii Auguſtini de correctione Gratiani Dialogorum libros: " Antiquo Juri, quod per ſeptingentos & amplius annos
„ valuerat, ſucceſſit *Jus Novum* ex ſuppoſititiis ſanctiſſimorum Romanæ urbis Epiſcoporum Epiſtolis ab impudentiſſimo illo nebulone Pſeudo-Iſidoro prolatis
„ compactum.

(5) Cum in Synodo Tridentina decretum eſſet, ut libri ad officium divinum ſpectantes reviderentur & corrigerentur; cœptum quoque eſt cogitari de emendando Decreto Gratiani; ex quo indecorum videretur, quod opus primam Corporis Juris Canonici partem conſtituens, atque eo nomine pro adipiſcenda Diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia in academiis publicè prælegi, neque minus in judiciis pro deciſione cauſarum forenſium allegari ſolitum, tot craſſis erroribus & apocryphis textibus refertum circumferretur. Hanc provinciam PIUS IV. & PIUS V. quibuſdam viris in Romana Curia commiſerunt. Tandem ſub GREGORIO XIII. hoc opus abſolutum eſt. Quid hac opera præſtitum fuerit, exprimitur ab ipſiſmet Correctoribus in Præfatione; nimirum: " Ea diligentià illud
„ factum eſt, ut jam magnam partem ſuum cuique tributum ſit, quæ Synodorum generalium, quæ Summorum
„ Pontificum, quæ provincialium Conciliorum, quæ Patrum decreta ac ſententiæ, atque inter hæc, quæ ſanctæ Romanæ ſedi probata ſint, quæ minimè, vix quiſquam errare, atque incerta pro certis ſequi, certa verò pro incertis ſuſpecta habere poſthac queat. Quod
„ ad citationes Auctorum pertinet, ubi error evidens erat
„ . . . . . . ſublatis falſis inſcriptionibus veræ reſtitutæ
„ ſunt. " In horum ſequelam laudatus Papa Gregorius

Brevi

Brevi ſuo Apoſtolico de 1. Julii an. 1580. ita ſanxit : *Nos oportunè providere volentes, ut hoc Jus Canonicum ſic expurgatum ad omnes ubique Chriſti fideles ſartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere, vel immutare, aut invertere, nullave interpretamenta adjungere; ſed prout in hac noſtra urbe Roma nunc preſſum fuit, ſemper & perpetuò integrum & incorruptum conſervetur. Motu proprio &c.* His inattentis, omnibus notum eſt, ex tot & tantis ſuppoſititiis Epiſtolis decretalibus primorum Sanctorum Pontificum, Eccleſiaſticam Monarchiam fundantibus, ne unam ſublatam, aut cujuſvis earum inſcriptionem emendatam eſſe ; cum tamen (ut alia prætermittam) Antonius Contius J. C. ſub medium Sæculi XVI. eorundem falſorum bonam partem jam publico typo denuntiaſſet. Unde evenit, ut ea, ſub præſidio Pontificiæ auctoritatis, in ſcholis & foro dominatum gerere pergerent, & perpetuò perrectura eſſent, niſi Eruditi [quorum luminibus hæcce non officiunt] ſua laudabili arte tantis malis remedium pararent.

§. II.

Fraus Iſidori facilem Romæ acceſſum invenit.

Sed neque ab initio potuit, neque etiamnum valet ejus Curiæ patrocinari.

Ante falſas Decretales Pontificia auctoritas ægrè intra ſuos fines continebatur, ſic ferente humanæ conditione infirmitatis, quæ à magna ſublimitate ſæpe augetur, & ſuperiori poteſtati plerumque incitamenta addit ad ſe ſe altius efferendum cum depreſſione inferiorum. Eo jam ævo inventi ſunt, qui Romanam Sedem de ſtudio augendæ poteſtatis ſuæ incuſarent. Sæculo IV, *Liberius* Papa in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, in Petri Couſtantii Collectione Epiſtolarum RR. Pontificum col. 425. religioſè pronuntiat : *Nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita perfeci ; ſecutus morem ordi-*

ordinemque Majorum nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minus paſſus ſum. Talium augmentorum haud pauca, ſive attentata, ſive in effectum redacta, hoc ipſo Tractatu exhibemus, ex Sæculo II. in *Victore* cap. IX. §. 7. n. 2. Sæculo III. in *Stephano* cap. VI. §. 9. Sæculo V. in *Innocentio I.* cap. V. §. 2. n. 2. in *Bonifacio I.* ſeu potius *Zoſimo* cap. V. §. 5. n. 5. in *Cæleſtino* cap. I. §. 8. n. 5. nec non c. 5. §. 5. n. 5. in *Leone M.* cap. IV. §. 11. n. 2. item cap. V. §. 4. n. 3. lit. d. in *Gelaſio* cap. V. §. 7. n. 1. Sæculo VI. in *Gregorio M.* cap. V. §. 4. n. 9.

Neque hic quidem ſiſtebatur, ſed habebant præterea Romani tum modo aures delicatas, ita ut ægrè audirent eos, qui bona licet mente, de abuſu ſeu exceſſu poteſtatis loquebantur. Sic legitur in Epiſtola Auxiliarii Præfecti urbis Romæ ad S. Hilarium Arelatenſem in Vita ejuſdem S. Hilarii per S. Honoratum Maſſilienſem cap. 17. Opp. S. Leonis M. Tom. I. pag. 370. edit. Lugdun. an. 1700. *Impatienter ferunt homines, ſi ſic loquamur, quomodo nobis conſcii ſumus. Aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur*. Quid itaque mirum, ſi homines ſive ambitioſi, ſive avari, ſive ſuperſtitioſi, falſorum documentorum adinventione & eſformatione his Eccleſiaſticæ auctoritatis exceſſibus colorem quæſierunt, & ad multò majora ſuſcipienda viam præpararunt? *Prima dominandi ſpes in arduo: ubi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia & miniſtros*, inquit Tacitus Annal. Lib. IV. cap. 7. Obſervant eruditi, quod omnes ſpuri textus pro Romano Pontifice, nullus in gratiam Ordinis Epiſcopalis fabricatus fuerit; unde facilè colligitur, quid falſarius intenderit. Abſit tamen, ut hujuſmodi corruptelarum vel artifices vel participes fuiſſe putem ipſos Summos Pontifices. Nihil tale ab iis tentatum eſſe, plenè perſuadeor; palponum omne iſtud opus eſt.

(1) Ignoratur, inquit Gibert *Corp. Juris Canon. Prolegom. Part. prior. Tit. XXIV. cap. 9. Sect. I. pag.* 258., principium tantæ fraudis; ambitio-ne, an avaritia, an ſpurius zelus, propoſitum injecerint, auctoritatem primi Eccleſiæ Prælati ſupra ruinam poteſtatis cæterorum ad faſtigium

evehendi, eum conſtituendo fontem & dominum omnis juriſdictionis ſpiritualis, ita, ut ceteri, non niſi quantum ipſis ab illo concedi placuit, habeant, atque in ea conceſſione ille ſibi jus reſtringendæ, cum libuiſſet, partis uniuſcujuſque reſervavit: omnes Epiſcopi ſint tantum coadjutores & vicarii Papæ: ſolus à Deo ſit inſtitutus, ille cæteros inſtituerit: ſit in Eccleſia, quod ſupremi Principes in Regno, cujus magiſtratus eam tantum habent auctoritatem, quam Princeps iis impertitur, illamque ita exercent, ut à Principe, cum ei libuerit, reſtringi poſſit.

(2) Pergit deinde Gibertus: Ignoramus inquam, utrum illa tria vitia hoc propoſitum pepererint. Verùm non latet, illud eſſe ſceleſtiſſimum, auctorique ſuo magnum impoſuiſſe pondus reddendæ Deo rationis. Mendacium ſive facto, ſive verbo proferatur, ſemper eſſentiali veritati diſplicet, & Juſtitia ſubſtantialis abominatur iniquitatem, quæ alienis ſpoliis aliquem exornat; omnemque reconciliationis viam claudit omni, qui damnum illatum, quantum in ſe eſt, non reſarcit; *non* enim *dimittitur peccatum*, *niſi reſtituatur ablatum*. Quod extenditur ad eos, quibus fraus profuit, niſi perſona læſa jus ſuum *cum notitia* & *libertate* repudiet.

[3] Dum hæc ſcribo, videor mihi hinc Catholicorum nonnullos ſubmurmurantes audire, illinc ſectarios utraque applaudentes manu: quaſi Pontifices Romanos, maximè S. LEONEM M. mali ambitus alienique juris imminuti notare videamur. Utriſque ſatisfaciam unius Caſauboni verbis, cui non aſſentiri nec Acatholici audeant, nec debeant hac in re Catholici. Sic igitur vir doctiſſimus, utinam & Catholicus, Exercitatione XV. ad Annales Eccleſiaſticos Card. Baronii: " Non ignoramus, quantus hic LEO „ fuerit ſinceræ fidei defenſor, & pro recta fide, quantos „ labores ſuſtinuerit, quamque Eccleſiæ Dei utiles. Ne- „ que verò dubium mihi eſt tantum illud ſtudium, quod „ videmus ab eo adhibitum, ut Sedes Romana in majus ex-

„ extenderetur , à bono principio fuiſſe profectum , & ad
„ finem optimum ſpectaſſe . Vaſtabant illa ætate Eccle-
„ ſias perditiſſimi hæretici , qui magnas quotidie ſtrages ,
„ ut apri vineam ingreſſi , edebant : neque erat qui pro-
„ greſſibus eorum ſe ſe opponerent , qui quidem cauſam
„ bonam poſſet adjuvare , præter Romanum Epiſcopum .
„ Nemo autem peritus rerum Eccleſiæ ignorat , opera Ro-
„ manorum Pontificum per multa ſæcula Deum eſſe uſum
„ in conſervanda ſartatecta fidei doctrina . Hoc intelligens
„ Leo Magnus, & quotidiana experientia edoctus , quantum
„ veræ fidei intereſſet , ut paratum illi ſemper eſſet in Sede
„ Romana præſidium firmiſſimum , modis omnibus ut ita
„ eſſet procuravit ; quod quidem minus videri dubium de-
„ bet, quia ſic Eccleſiæ Dei expedire , optimus quiſque
„ tum credebat : & erat ita revera illis temporibus .

§. III.

Non adeo falſæ Decretales genuina Eccleſiæ jura obſcuraverunt , quin ſubinde perrumperet veritas , præſertim tempore Concilii Viennenſis & Conſtantienſis .

Quamvis autem Romanæ Curiæ ſub præſidio Iſidori & Gratiani ſucceſſerit, jura ſua Primatialia & Patriarchalia in quandam *Monarchiæ* Eccleſiaſticæ ſpeciem proferre, non tamen eapropter exiſtimandum , quaſi doctrina *de vero Statu Eccleſiæ* , de finibus Pontificiæ poteſtatis , & de Eccleſiæ atque hanc repræſentantis Univerſalis Concilii ſuperioritate , & jure Papam ejuſque decreta tam circa fidem , quam diſciplinam corrigendi, penitus fuiſſet extincta . Vidimus ſupra *cap. VI. §.* 1. quæ fuerit tempore Concilii Conſtantienſis , id eſt , in denſiſſima illa nebula , quam falſæ Decretales mundo obduxerant , ſententia Patrum ex Chriſtiano orbe congregatorum circa formam & Statum Eccleſiæ, quam ſanè non in ipſa demum urbe Conſtantienſi hauſerant, ſed ex ſcriptis Patrum & actis Conciliorum [è quibus Iſidorus ejuſque ſequaces veritatem eradere non poterant] acceptam ,

è ſuis reſpectivè diœceſibus ad Synodum attulerunt; maximè Galli. Fuerat etenim, uti rectè obſervat Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſ. IV. §. 7. p. m.* 407. quæſtio de auctoritate Concilii ſupra Romanum Pontificem ab annis quadraginta, quibus ſchiſma Eccleſiam jamtum dividebat, examinata per orbem, & diſcuſſa Pariſiis, Avenione. Romæ, Piſis in Concilio generali, quinque annis ante Conſtantienſe celebrato. Itaque quanquam in commune non noſcerentur exactè fines Pontificiæ poteſtatis, per vim fictitiorum documentorum nimium protenſi, non ignorabatur tamen à prudentioribus, eam Eccleſiæ & Synodo generali eſſe ſubordinatam; ad hanc pertinere illius uſum pro bono communi dirigere; & quæ aliæ ex hoc principio naſcuntur in regimine eccleſiaſtico ſequelæ, quas paſſim hoc Tractatu expoſuimus. Nunc, cum ex una parte Hiſtoria Eccleſiaſtica & Conciliaris Diſciplina in plena ſua luce ſunt, ex altera verò Iſidorianarum Epiſtolarum falſitas jam à ſæculo & ultra in omnium oculis verſatur, ſupereſt, ut penitus depellantur præjudicia, ut tandem falſum cedat vero, ſicut in *cauſa*, ita & in *effectu*.

(1) Vix ſubdititia illa primorum Pontificum decreta eruperant, cum inattentis etiam obſcurorum illorum ſæculorum tenebris, viri litterarum gloria eminentiores, ſcilicet Sæculo IX. Hincmarus Remenſis, Sæculo X. Arnoldus II. Epiſcopus Aurelianenſis, eodem Sæculo Gerbertus, poſtea ſub nomine Sylveſtri II. Romanus Pontifex, eorum pugnam cum genuino Jure ſacro adverterent; Vid. Hiſtoire Literaire de France *Tom. V. pag.* 590. *Tom. VI. pag* 526. 596. *&* 607. Sed impedivit ignorantia artis Criticæ, quominus in hac pugna vinceret veritas, multis ſæculis per falſum preſſa, non ita tamen depreſſa, quin illius flammulæ, tanquam ignis lucentis, identidem erumperent.

(2) Ad intelligendum quæ ante Concilium *CONSTANTIENSE* & in eodem fuerit ſententia Patrum de Jure & Statu Eccleſiæ, juvat hic (abſtrahendo ab authenticitate & legalitate Decretorum Seſſionis IV. & V. de qua egimus, cap. VI.) legere, quæ Cancellarius Gerſon duabus diſtin-

ctis

ctis Orationibus, poſt binas illas ſeſſiones in plena Synodo habitis, nemine reclamante expoſuit. Primus ſermo dictus die 21. Julii an. 1415. inſcribitur *pro Viagio Regis Romanorum*. *Tom. II. Opp. Gerſon. edit. Antverp. pag. 275.* ubi: " Prima lex ſive directio liberans iter noſtrum à „ primo ſcandalo, quæ data eſt in ſeſſione publica quinto Sexto.
„ Aprilis anni præſentis: *Concilium generale poteſtatem à* „ *Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcunque ſtatus* „ *vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in* „ *his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis,* „ *ac generalem Reformationem Eccleſiæ Dei in Capite &* „ *in membris*. Conſcribenda prorſus eſſe mihi videtur in „ eminentioribus locis, vel inſculpenda per omnes Eccle- „ ſias ſaluberrima hæc determinatio, lex, vel regula, tan- „ quam directio fundamentalis, & velut infallibilis, ad- „ verſus monſtruoſum horrendumque offendiculum, quod „ hactenus poſitum erat per multos de Eccleſia in itinere „ mandatorum Dei, determinantes ex textibus Gloſſæ, „ non ad regulam Evangelicam & æternam acceptis, Pa- „ pam non eſſe ſubjectum Generali Concilio, neque ju- „ dicari poſſe per ipſum: quod præterea Generale Con- „ cilium totum ab ipſo robur immediatè ſumebat; nec „ poterat ſine eo, caſu quocunque, vel convocari, vel „ ſtabiliri: quod nemo poterat ei dicere, cur ita facis? „ quoniam ſolutus erat legibus, & ſupra Jus. Et ita de „ plurimis, per quæ blanda, fallax, & ſubdola adulatio „ fovebat libidinem dominandi, & in tyrannidem Eccle- „ ſiæ deſtructricem Papatum, ſeu ejus uſum convertebat, „ ita, ut pateret via reductionis ſeu pacis. Scripſit ſuper „ hoc onere vel ſcandalo reverendiſſimus Pater Dominus „ Cardinalis Cameracenſis, Præceptor meus inclytus, du- „ dum, & nuper, antequam fieret hæc conſtitutio, re- „ putans eſſe perniciosiſſimum ſic aſſerere, ſicut & de „ multis dictis per quoſdam innitente ſuis Juribus poſiti- „ vis annotavit. Nunc ex quo lex poſita eſt, nec jam „ licet dubitare, probationes omittamus. Sola hæc pro-

batio

„ batio ſufficeret : *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſi-*
„ *cut ethnicus & publicanus . Matth. XVIII.* 17. Igitur [*a*] contrariam ſententiam Gerſonius publicè proclamat *monſtruoſum horrendumque offendiculum*, quod [*b*] fallax & ſubdola adulatio ad libidinem dominandi fovebat, (*c*) Poſitum illud erat per *multos* de Eccleſia Dei ; certè non per *omnes*. [*d*] Inter alios Cardinalis Cameracenſis, Gerſonis Magiſter illud *dudum* confutaverat : (*e*) Quod in fine de illis, qui *juribus ſuis poſitivis* innituntur, obſervat Orator, haud dubiè de Decreto Gratiani, & Canonibus, qui in eo Papæ indefinitam poteſtatem tribuunt, intelligendum eſt. (*f*) Ante locutus erat de *libidine dominandi, Eccleſiæ deſtructrice, quæ non relinqueret viam reductioni ſeu paci*. Hæc æque, imò melius conveniunt tempori Concilii Tridentini, & tum recens enatis Hæreticis, de quorum reductione tum agebatur, & adhuc cogitandum eſt.

(3) Altera Gerſonis Oratio Conſtantiæ habita fuit in feſto S. Antonio Abbatis anno 1417. In ea ſic vir celeberrimus ad rem noſtram *cit. Tom. II. pag.* 355. “ Deciſio clariſſi-
„ ma ſolidiſſimaque facta eſt per hoc Sacrum Concili-
„ um, cui non licet obniti, nec ipſam in argumenta de-
„ ducere ; quoniam diſpoſitionum, & argumentationum,
„ & evaſionum frivolarum nullus unquam eſſet finis, ſed
„ caſus aſſiduus in errores abſurdos, inſanos, & impios.
„ Verè & graviter Eccleſiaſtes intonuit : *Quia citò non pro-*
„ *fertur contra malos ſententia, filii hominum abſque ullo*
„ *timore perpetrant mala. Eccleſ. VIII.* 11. Nunquid
„ non ideò ſacræ hujus Synodi Conſtantienſis impugnan-
„ tur judicia, quæ ſic habent : *Primò declarat, quod*
„ *ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Generale Con-*
„ *cilium faciens, & Eccleſiam Catholicam militantem re-*
„ *præſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui*
„ *quilibet cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Pa-*
„ *palis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fi-*
„ *dem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, ac generalem*
refor-

„ *reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*,
„ Item declarat, *quod quicunque, cujuſcunque ſtatus, vel*
„ *dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatu-*
„ *tis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus ſanctæ Sy-*
„ *nodi, & cujuſcunque alterius Concilii Generalis legitimè*
„ *congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus fa-*
„ *ctis, vel faciendis obedire pertinaciter contempſerit, niſi*
„ *reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè*
„ *puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia, ſi opus fuerit,*
„ *recurrendo*. Huic veritati fundatæ ſupra petram Sacræ
„ Scripturæ quiſquis à propoſito detrahit cadit in hære-
„ ſim jam damnatam, quam nullus unquam Theologus,
„ maximè Pariſienſis, & ſanctus aſſeruit. Vidi nuper
„ Sanctum Thomam, & Bonaventuram, hic reliquorum
„ libros non habeo; dant ſupremam & plenam ſummo
„ Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam; rectè procul dubio:
„ Sed hoc faciunt in comparatione ad fideles *ſingulos*,
„ & particulares Eccleſias. Dum etiam comparatio fa-
„ cienda fuiſſet ad auctoritatem Eccleſiæ *Synodaliter con-*
„ *gregatæ*, ſubjeciſſent Papam, & uſum poteſtatis ſuæ
„ eidem Eccleſiæ, tanquam Matri ſuæ, cujus Legem di-
„ mitti non debere tradit ſapiens &c. " Si nullus Theo-
logus *ſanctus*, ſi nullus *Pariſienſis*, unquam tenuit ſen-
tentiam decretis Synodi Conſtantienſis contrariam, non
poteſt dici, uſurpatione amplioris dominatus unquam
fuiſſe obſcuratam veram Eccleſiæ doctrinam, quam toto
hoc Opere ſuſtinemus.

(4) *Gloſa & Doctores in hac materia ante Concilium Conſtan-
tienſe ſæpe vacillabant; modò unum, modò aliud dicebant;
& ſcholaſticè diſputantes, non ſe firmabant. Propterea ad
amputandum curioſas & contentioſas verborum concertatio-
nes, Eccleſia univerſalis, magiſtra omnium, Conſtantiæ
congregata definivit hunc paſſum*. Ita Epiſt. Synod. Conc.
Baſil. Tom. XIII. Concil. Labb. pag. 693.

(5)

(5) Clemens Papa V. Concilium generale *VIENNENSE* ad diem 1. Octobris an. 1311. indicens, deſideravit, ut ſinguli Epiſcopi ad illud conferrent Memoriale eorum, quæ pro bono Eccleſiæ in eadem Synodo conveniret ordinare. Duo horum Commentariorum ad nos pervenere: unus cujuſdam Epiſcopi Galliæ, quem ex Vaticanis manuſcriptis edidit Raynaldus in *Continuat. Annal. ad ann.* 1311. *n.* 55. *& ſeqq.* Alter Guilielmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi, quem inſcripſit *de Modo generalis Concilii celebrandi*, editus primum Lugduni anno 1531. ſtudio Joannis Chriſpini, & deinde ſæpius. In primo horum Conſiliorum monentur ſequentia: (*a*) Improbantur reſervationes & exſpectativæ beneficiorum. (*b*) Damnantur diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum, nec non ætate beneficiandorum. (*c*) Carpitur neglectus reſidentiæ in dignitatibus & beneficiis eorum, qui Romanæ Curiæ adſcripti ſunt. (*d*) Exemptiones ſæcularium & regularium inter manifeſtos abuſus reputantur. (*e*) Suadetur reformatio Eccleſiæ in Capite & membris ad normam antiquorum Canonum.

(6) Multò amplior in ſuo monito eſt Durandus: Scilicet (*a*) ſuſtinet, Epiſcoporum poteſtatem immediatè à Deo eſſe. (*b*) Papam pluribus modis illorum juriſdictionem invadere, per viam appellationum, proviſiones beneficiorum vacantium & non vacantium &c. (*c*) Variis ſub prætextibus Romam trahi cauſas electionum Epiſcopalium; unde Eccleſiæ pluribus ſæpe annis legitimo Paſtore deſtituuntur. (*d*) Exemptiones tolli debere; quæ quamvis fortè ab initio laudabiles fuerint, attamen propter ſuam generalitatem deinde factæ ſunt pernicioſæ, ex quo invertant ſubordinationem à Patribus in Eccleſia ſtabilitam. (*e*) Suum Conciliis provincialibus vigorem & auctoritatem reſtituendum eſſe. (*f*) A Summis Pontificibus veteres Canones abrogari non poſſe, neque legem univerſalem Eccleſiæ condi

niſi

niſi in Concilio Oecumenico, quod ſingulis decenniis convocandum eſſet. (*g*) Loqui contra Canones eſſe ſpeciem blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, qui eos inſpiravit. (*h*] Prioratus Conventuales & beneficia Regularia non eſſe commendanda Sæcularibus [*i*] Diſpenſationes ad legitimum ordinem reduci debere, nec concedi niſi ob majus Eccleſiæ bonum; his omnibus per Synodos Generales adhiberi modum, utque Eccleſia Romana *non omnia ad ſe traheret*, *ne omnia perderet*, poſtulat. (*k*) Generatim deſiderat magnam Romanæ Curiæ reformationem, *à Concilio* faciendam. (*l*) Queritur de Simonia, quæ in eadem Curia exercetur diviſo ejus pretio inter Papam, & Prælatos, ſub nomine jurium expeditionis Litterarum, taxæ Curſorum, & aliorum Officiatorum. (*m*) Denique dolet ſcientias & diſciplinas Eccleſiaſticas propter informem tradendi methodum, dialecticas ſubtilitates, gloſſarum differentias, & contrarietates, ac neglectum textùs originalis, tam malè tractari, ut non tantùm parum utiles, ſed & infidelibus, quando cum eis de religione conferendum eſt, ferè ludibrio ſint ac contemptui. Remedium, ait, huic poſteriori malo aptum eſſe, ſi per ſelectos cujuſque Facultatis Doctores ſuccincti Tractatus componantur, atque auctoritate publicâ approbentur; ex quibus quiſque obligationes, & officia ſua facilè addiſcat &c.

(7) Eadem erant ſuſpiria, & vota Patrum Conſtantienſium & Baſileenſium, iiſdemmet principiis innixa, in quibus Patres Concilii Viennenſis fundabantur; quamvis utriſque mala ſtudia Iſidoriana peræque incognita eſſent. Et quid hodie, detecto falſo, deſideramus amplius? iniquus igitur merito habeatur, & in Eccleſiam Dei ſummè injurius, qui ſancta hæc deſideria damnaverit.

§. IV.

Eccleſia Romana ex ſuppoſititiis Decretalibus maxima commoda percepit.

Quibus, veritate nunc detectâ, ſalvo jure gaudere non poteſt.

Scio, quòd Romani aſſerant, ſe Iſidorianis illis documentis (quorum falſitas ad nauſeam demonſtrata, & ab ipſiſmet hodie agnita eſt] ad ſuſtinendas ſuas prætenſiones non indigere, ex quo illimitata ſua jura etiam per legitima inſtrumenta ſufficienter ſtabilita inveniantur. Verùm, cùm exiſtimemus, à nobis ſatis ſuperque probatum eſſe, Romanos Pontifices illis privilegiis, quæ eiſdem per Decretales Iſidori tribuuntur, ante Sæculum VIII. gaviſos non eſſe: atque ii, qui de his prærogativis deditâ operâ egerunt, aut earum juſtitiam aliis perſuadere conati ſunt, plerumque ſpuria illa inſtrumenta, antequam eorum ſuppoſitio innoteſceret, laudârint, nec adhuc alia idonea, & ad intentum finem ſufficientia proferre poſſint, quibus abundè reſponderi & ſatisfieri non valeat, ſicuti à nobis reâpſe ſatisfactum putamus: Sic acta ſuper his privilegiis poſt Sæculum octavum conſcripta, auctoritatem, quâ primitus caruerunt, ex *Uſu* aut *Confirmatione*, ſive à ſubſequentibus Romanis *Pontificibus*, ſive à *Conciliis*, etiam *Generalibus*, accipere minimè potuerunt; quamdiu enim incognita fuit ſuppoſitio, nullam ſubſequens uſus auctoritatem tribuere valuit. Qui ſe his Canonibus ſubmisêre, id propter reverentiam ſanctorum Pontificum, & Martyrum fecerunt, quorum plures ipſoſmet Apoſtolos eorumque diſcipulos viderant, quorumque nomina falſis illis Decretalibus prætexebantur; aliud facturi, ſi fraudem, ejuſque principia & iniquitatem, ac præjudicium, ſibi & Eccleſiæ per eam illatum, cognoviſſent. Si uſus ille poſt detectam fraudem inchoatus ſolummodò eſſet, aut tempore memoriam hominum excedente poſt fraudis notitiam perſeveràſſet, requireretur adhuc, ut partes

læſæ

læſæ facultatem, & libertatem habuerint, jus ſuum perſequendi & recuperandi.

(1) Latuit Iſidori Mercatoris dolus [quem meritò *fœdam impoſturam* nuncupavit Natalis Alexander (*Hiſt. Eccleſ. Tom. III. pag.* 219.) ferè uſque ad finem Sæculi XVI. , quo demum falſum plene detectum eſt , & unanimi deinceps calculo repudiatum a viris doctiſſimis, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Conciliari diſciplinæ inſolitam uſque ad id tempus operam navârunt, ſcilicet Baronio, Bellarmino, Petronio, Contio, Antonio Auguſtino, Sirmondo, Ducæo, Petavio, Marcâ, Labæo, & aliis.

[2) Papebrochius in Propilæo menſis Maji ſive *Conatu Chronico--Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum*, loquens *ſub Nicolao I.* de fictis Decretalibus, & earum auctoritate per Gratianum promotâ, & à ſummis Pontificibus probatâ, ait, „ hos quidem nihil approbâſſe *à fide* aut *moribus* „ *Eccleſiæ* abhorrens, in eo tamen, quod *facti* erat, & *hi*„*ſtoriæ*, omninò errâſſe, ſed citra culpam. Quis enim „ (addit.] à Romanis Pontificibus, in quanticunque mo„ menti negotio, majorem exigat diſtinctioremque rerum „ præteritarum ſcientiam, quàm ſui cujuſque ferebant „ tempora? Aut cur debuerunt illi dubitare *de factis*, de „ quibus tunc nemo dubitabat? „ Quod hìc *de Fide* memorat Papebrochius, verum teneo; quod *de Moribus Eccleſiæ* addit, peræque conſtat reſpectu illorum temporum, quibus hi Pontifices, ſpurios Iſidori partus, qui jam adoleverant, laudantes, & ſollicitè enutrientes, vixêre. Plus dico: Pontifices auctoritatem ſuam taliter firmatam videntes, ut nemo ei contradicere præſumeret, ſe ad eam modis omnibus tuendam in conſcientia obligatos credidiſſe. Quòd denique eos in *Hiſtoria* erraſſe affirmet, itidem ingenuè monet Papebrochius, qui hic Hiſtorici, & Critici vices agit: ſed patietur á Juriſconſulto addi, illos non minùs erraſſe in *Jure* & Diſciplinâ Eccleſiaſticâ. Si autem propter errorem communem excuſari mereantur Pontifi-

 ces,

ces, non poterit tamen error ille, jam agnitus, ampliùs pro Jure allegari.

(3) Defenſores ſyſtematis Iſidoriani vel ex eo capite Auctori ſuo gratiam, aut excuſationem ſaltem, conciliari poſſe putant, quòd compoſitæ ab eo Decretales Pontificum, Patrum, & Imperatorum poſterioris ævi, ſcilicet Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Theodoſii, Juſtiniani, laciniis refertæ appareant, conſequenter ſaltem ex horum nomine auctoritatem obtineant. Verùm imprimis tam male has lacinias conſuit Iſidorus, ut in ſuis fontibus diverſum planè ſenſum teneant. *Neque intra hos limites ſtetit injuria. Vera cum falſis permiſcuiſſe non contentus, vera ipſa, quod gravioris flagitii eſt, partim interpolando, partim augendo minuendove fœdavit*, inquit Petrus Couſtant in Præfat. ad Epiſtolas Rom. Pontificum pag. 125. Deinde quæ ſæculis quarto, quinto vel ſexto Romanis Pontificibus ab Eccleſia tacitè, aut à Conciliis expreſſe in reverentiam Primæ Sedis (Vid. ſuprà *Cap. III. n. 5. §. 1.*) attributa ſunt (uti de Appellationibus ex ordinatione Concilii Sardicenſis ſuo loco memoravimus, quod hìc pro exemplo repetimus) ea aliam planè vim habent, ſi ponantur in ore Sixti II. Papæ, qui integro ante Sardicenſem Synodum Sæculo floruit, & tunc quidem aptum pro monarchico Eccleſiæ ſtatu, atque huic adhærente nativo Appellationum jure, argumentum conſtituerent; quando à contrario ex mente & verbis Sardicenſium Patrum novum aliquod, privilegiis ſummæ ſedis adjectum, inducitur, quod huic per ſe, & primæva inſtitutione non competebat.

(4) Quæ præter confictas ab Iſidoro integras Decretales, primis ſanctiſſimis Pontificibus adſcriptas, ſtatum Eccleſiæ alterantes, atque à *Gratiano* adoptatas, aliæ noxæ, eundem in finem, quanquam fortè minori dolo, conſpirantes, in hujus *Decretum* [quod deinde Chriſtiano orbi pro cynoſura fuit] illapſæ ſunt, eas partim recenſet Antonius Auguſtinus *Lib. I. Dial. 1. de Emendatione Gratiani*. Nempe :

„ Sæpe

„ Sæpe erratum eſſe video in nominibus hominum , Urbi-
„ um , Provinciarum , Conciliorum, & aliarum rerum . Sæ-
„ pe falſæ ſunt inſcriptiones , & quæ Conciliorum ſunt ,
„ Pontificum eſſe dicuntur . Ex hoc genere ſunt illa , quæ
„ ex Concilio Martini Papæ & Adriani Papæ ſumpta eſſe
„ feruntur , quæ vel Martino Bracarenſi & Græcis Con-
„ ciliis , vel Engelramo Epiſcopo , vel Adriano ad Engel-
„ ramum inſcribi debuerunt . Multa Gregorii , Ambroſii ,
„ Auguſtini , vel Hieronymi verba eſſe dicuntur , quæ aut
„ nuſpiam extant , aut aliena ſunt . Illa quoque ipſa , quæ
„ inſcriptiones habent veras , non rectè referuntur . Sæ-
„ pe enim contrarias ſententias referri ſcimus , ſæpe valde
„ præciſas . Jam verò quæ ex Græcis fontibus manant ,
„ ex variis interpretationibus afferuntur , quaſi ſint aliorum
„ ſcriptorum ; ac ſæpe aliud Græcè quàm latinè ſigni-
„ ficant . &c. „ Quanquam autem per emendationem Gratiani , auctoritate GREGORII XIII. PP. procuratam , horum vitiorum plura [certè non omnia] in poſteriori-bus editionibus ſublata , aut ſaltem indicata ſint ; nihilominus eorundem effectus , in ſubſecutos *Decretalium* libros delapſus , perſtitit , perſiſtitque in eo conſiſtens , quòd Præſules , & populi , horum erroneorum titulorum , textuum & ſententiarum auctoritate deluſi , circa Eccleſiæ jura , & ſtatum in tranſverſum acti fuerint .

(5) Laudatus Papebrochius *cit. Propilæo pag.* 4. *n.* 15. verè dicit , „ multas Epiſtolas , Pontificum falsò inſcriptas no-
„ minibus , diu illuſiſſe credulitati Chriſtiani Orbis , ipſiſ-
„ que Eccleſiaſtici Juris Compilatoribus , quin etiam Ni-
„ colao I. ejuſque deinceps ſucceſſoribus , nec non *Con-
„ ciliis* tam *GENERALIBUS* , quàm *particularibus* . „ Unde concludimus , ne ipſum quidem Tridentinum Concilium , pro ſuſtinendo in Eccleſia monarchico ſtatu [ſi fortè in quoquam huic favere videretur) ejuſque ſequelis , allegari poſſe , Quare nemo dubitet . Tridentina placita *quoad hoc* à ſubſecuturis Generalibus Synodis emendari poſſe . Aptè ad hoc propoſitum S. AUGUSTINUS Lib. II. Cap.

3. de

3. de Baptiſm. contra Donatiſt. *Quis neſciat, ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere, IPSAQUE PLENARIA SÆPE PRIORA POSTERIORIBUS EMENDARI? cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat.*

(6) Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. III. Diſſert.* 21. *in Sæculum I. Art.* 1. *pag.* 214. „ Ante Annum Domini 830. „ (veriùs 785.] nulla Decretalium, quæ Pontificibus Siricii Deceſſoribus adſcriptæ ſunt, memoria, nulla penitus fama fuit. Porro tot Sæculorum ſilentium, junctum inviciſſimis rationibus, quæ illarum Epiſtolarum ſuppoſitionem demonſtrant, poſteriorum temporum teſtimoniis anteponendum eſt: ſi enim poſteriora Concilia „ jus habent corrigendi priora, *cum aliquo exprimento* „ *rerum aperitur quod clauſum erat, & innoteſcit quod* „ *latebat*, ut S. Auguſtinus ait, non mirum, quòd Concilia, & eruditos Auctores, qui poſt octavum Sæculum „ floruerunt, viri hujus Sæculi doctiſſimi emendent in rebus Criticis, quarum media ætas rudis erat: maximè „ cum illa mediæ ætatis Concilia illique Auctores, terminos ſibi à Patribus conſtitutos hac in re tranſgreſſi fuerint, Decretales octo prioribus ſæculis ignotas laudando, „ nec recentem nothorum fœtuum animadvertendo natalem.

§. V.

Non proſunt hâc in parte Romanis præſcriptio, ceſſio, poſſeſſio, conſuetudo &c.

Si [quod abundè probâſſe exiſtimamus) auctor ſalutis noſtræ & Eccleſiæ fundator huic ſacro cœtui formam regiminis præſcripſit à Monarchia alienam, abuſus adversùs divinum illud inſtitutum introducti nunquam poterunt fundare aut efficere legitimam præſcriptionem; non enim præſcribitur contra voluntatem

tatem Dei, & ordinata Salvatoris noſtri. Minùs, quæ feriùs acta ſunt, immutare valent veritatem primi inſtituti; ſiquidem nemo mortalium ſibi arroget præſcriptionem juris, aliis falſa principia proponendi & perſuadendi. Sed nec ceſſione aut cujuſvis temporis poſſeſſione jurium paſtoralium Epiſcopatui adhærentium detruncationes legitimari queunt. Itaque agnitio veri Juris Eccleſiaſtici, per falſas Decretales corrupti, & favorabiles circumſtantiæ ſemper Eccleſiæ primævam libertatem ſuaque jura reddere valent, ſine minimo ſanctæ Religionis noſtræ præjudicio, quinimo cum certo ejus accremento. Si enim ignorantia, & exceſſus ſuperſtitionis obfuit, quominus obſcurata per aliquot ſæcula noſceretur veritas, & juſti Eccleſiaſticæ poteſtatis limites: nihil impedit, quominus quæ errore aliove vitio malè inducta ſunt, nunc cognitâ veritate reſtituantur in legitimum ſtatum. Ex contrario, talis rei Eccleſiaſticæ reſtitutio, & primævæ diſciplinæ in hoc ſubſtantiali puncto reſtauratio, Eccleſiam redderet conformiorem ſpiritui Evangelii, noſque perfectioni primorum ſæculorum tantò magis propinquaret, quantò ampliùs ab hac perfectione & ab humili ſpiritu Apoſtolorum, præcipuè verò Capitis ac Domini noſtri *JESU* Chriſti, removit ignorantia juris ſacri, nec non Hiſtoriæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, poſteriore hoc ævo à viris Catholicis tanto cum fructu excultæ. Hanc ſi otioſam relinquimus, reſpectu ejus in terminis nudæ ſpeculutionis ſubſiſtentes, nunquam verò acquiſitas ſolidas notitias in uſum, & praxin deducentes, comparabimur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit autem ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Perſpicite itaque in legem perfectam libertatis, & permanete in ea, non auditores obligioſi facti, ſed factores operis. *Jacobi Epiſt. Cathol. Cap.* 1.

(1) Tali *Conſuetudini* vim juris negat ipſa naturalis ratio, & ſpiritus Canonum. Pro *ſanâ ratione* adferemus teſtimonium Demoſthenis apud Aulum Gellium *Noct. Attic. Lib.X. Cap.* 19. ubi: *Verùm ne dicas, ſic actum ſæpenumero: ſed hoc fieri ſic decere. Non enim ſi quid aliquando contra leges*

actum

actum jam eſt, tuque id ſecutus es, propterea jure queas evadere, quinimò eò magis iccirco in te debeat ſtatui. Ut enim ſi priùs in aliquem foret animadverſum, tu minimà id ſcriberes, ita ſi ipſe in præſentia punieris, nequaquam deinceps alius ſcribet. Quantùm ad mentem *Canonum* attinet, videndum *Cap.* 3., *& Cap. fin. X. de Conſuet.* nec non *Cap.* 1. *eod. Tit. in Sexto*, quibus declaratur, quòd *Conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis, nullius ſit momenti*; imò quòd *non tam Conſuetudo, quàm corruptela cenſenda ſit, quæ ſacris eſt Canonibus inimica*. Hi certè Canones nulli Conſuetudini aptiùs applicabuntur, quàm ei, quæ adverſùs inſtitutum Chriſti, & Patrum poſt multa demum ſæcula in Eccleſia prodiit, matre (ut nihil ampliùs dicam) ignorantiâ, nutrice ſuperſtitione. Interim *Aulæ Romanæ ſufficit, quòd tranquillâ jam diu utatur conſuetudine, quâ Canones ſolummodo elidat*, inquit Franciſcus de Vargas Regis Hiſpaniæ ad Concilium Tridentinum Legatus, ſuprà *Cap. VI.* §. 12. Verùm hæc conſuetudo introducta fuit eo modo, & tantundem valet, quantum illa, de qua memorat GREGORIUS M. Lib. IX. Epiſt. 115. nempe: *Si pravæ rei aditus, antequam diu pateſcat, non clauditur, uſu fit latior: & erit conſuetudine licitum, quod ratione conſtat eſſe prohibitum.*

(2) Multò minùs ex tali conſuetudine ſibi Romana Curia *Privilegium* adſciſcere valet. Appoſitè in hanc rem ſcripſit ad Hincmarum Remenſem NICOLAUS I. Papa Diſt. VIII. Can. 3. *Mala conſuetudo, quæ non minùs quàm pernitioſa corruptela vitanda eſt, niſi citiùs radicitùs evellatur, in PRIVILEGIORUM JUS ab improbis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumptiones non celerrimè compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more PERPETUO celebrari.*

(3] Toties agnoverunt, & declarârunt ſummi Pontifices, Privilegia Eccleſiarum, Patrum Auctoritate inſtituta, *nullâ poſſe novitate convelli* aut mutari; jura Epiſcoporum, & Metro-

Metropolitanorum , ſecundùm Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos , & totius mundi reverentiâ conſecratos, *intemerata eſſe debere* : ita ut à regulis præſtitutis nullâ aut *negligentiâ* aut *præſumptione* diſcedant ; Romanum Pontificem ſibimet ipſi injuriam facere, ſi Fratrum , & Conſacerdotum ſuorum jura *infringat* , aut *perturbet* ; Ei permittendam non eſſe licentiam *recedendi ab Eccleſiæ juribus*, poſteaquam hæc intercedentium documentorum auctoritate fuerint firmata . *Cauſa XXV. Quæſt.* 2. *Can.* 2. 3. 5. 10. 21. Quid igitur ſupereſt , quàm ut nunc cognitis Eccleſiarum juribus , Sanctorum Patrum & Conciliorum auctoritate non tam inſtitutis , quàm agnitis , & firmatis , atque intercedentium tot publicorum documentorum vi roboratis , & poſterorum memoriæ traditis , ea , nequidquam obſtante unorum *negligentiâ* , aliorum *præſumptione* , in juſtum ordinem reponantur .

(4) Quod Chriſtus *Matthæi cap. XVIII. v.* 18. dixit Apoſtolis, & in horum perſona Epiſcopis , *QUÆCUNQUE alligaveritis ſuper terram , erunt ligata & in cœlo : & QUÆCUNQUE ſolveritis ſuper terram , erunt ſoluta & in cœlo* , id , quemadmodum , & cæteræ omnes veritates Evangelii , à nemine deſtrui , nec juriſdictio Epiſcopis hoc titulo attributa , ſeu præſcriptionis , ſeu aliâ quacunque viâ , eis abrogari poterit . *Cœlum & terra tranſibunt ; verba autem mea non præteribunt* , inquit idem Salvator noſter *Matth. XXIV. v.* 35. Scilicet poteſtas ligandi atque ſolvendi à Chriſto Epiſcopis data eſt, non propter privatum eorum commodum , ſed ad ſervitium & ſalutem fidelium eorum curæ creditorum . Itaque gregi fidelium , & ſaluti animarum nocetur neglectu atque abdicatione jurium Epiſcopalium , aut partis eorundem : tum propter cauſarum , & negotiorum Eccleſiaſticorum retardatam expeditionem , tum propter infinitos ſumptus , ut alia hic prætermittam . At contra voluntatem , & mandatum Chriſti , contra Evangelium , contra Jus Gentium , denique contra commoda publica Chriſtiani orbis non præſcribitur .

(5) Non prætermittendum hic quod ſcripſit, quamvis aſperiore calamo, quem noſtrum facere non volumus, Cancellarius Gerſon *Tract. de Reform. Eccleſiæ in Concilio Univerſali Cap. XVII.* in Actis Concilii Conſtantien. *Tom. I Part. V. pag.* 709. „ Quia nullus Prælatorum illo tempo. „ re, quo reſervationes & beneficiorum taxationes ſunt fa- „ ctæ, reclamavit ſeu contradixit, aut propter impoten- „ tiam, aut ignorantiam, aut utilitatem propriam: ideo „ jam quaſi per centum annos [quia tam diu duraverunt) „ dicunt Papa, & Cardinales, prædictas reſervationes jam „ in vim ſanctiſſimi Juris & Canonis tranſmiſiſſe & præ- „ ſcripſiſſe, nec poſſe Generale Concilium eas immutare. „ Quod falſum eſt. Imò exſurgant Prælati Eccleſiæ, offe- „ rentes Deo Sacrificium juſtitiæ, & has rapinas, furta & „ latrocinia Romanæ Curiæ dignentur penitùs amovere. „ Quia non poſſunt in detrimentum & damnum Univerſa- „ lis Eccleſiæ ſtare, aut præſcribi: cùm ſint contra natu- „ ram propriam corporis myſtici Eccleſiæ, & contra om- „ nem ordinem juſtitiæ, & decrementum omnium bonorum „ ſpiritualium Eccleſiæ.

§. VI.

Quæ ex nimietate religionis obſcuris ſæculis Pontificiæ auctoritati adjecta fuerunt, nunc cognito genuino Jure Publico Eccleſiaſtico, in juſtum ordinem redigenda ſunt.

Principia, quibus Eccleſiaſtica libertas innititur, in Jure Naturali, certiſſimis JESU Chriſti oraculis, & conſtanti uſu primorum ſæculorum fundata ſunt. Interim ignorantia, ſimplicitas & ſuperſtitio potuerunt eis nubem obducere, & reâpſe obduxerunt. Cùm auctoritas Papæ in religione fundata ſit, nemo mirabitur, quòd ignorantia & fanatiſmus debito legitimoque reſpectui cultum ſuperſtitioſum addiderint; atque ita *Ambitioni*

tioni immolata ſit libertas, dum credebatur ſacrificari *Religioni*. Ea nimirum eſt conditionis humanæ indoles, ut ſe intra juſtos terminos ægrè contineat. Quod circa cultum imaginum fecit populus, ut eum ultra condignum proveheret, idem quoque egit circa reverentiam debitam ſummo Pontifici. Superſtitioſus nunquam putat ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, eò quòd hujus neſciat fines; ſemper ſcrupulis angitur, ſicque tranquillitatem quærit plerumque in exceſſu. Ne in magna quidem illa rerum ſacrarum luce, qua hodie vivimus, orbis Chriſtiano-Catholicus ſua adhuc præjudicia deſerere potens eſt; quaſi cum tremore & incertitudine ſuſtinet jura libertatis, utcunque firma & certa. Principes, populi, Epiſcopi, omnes eandem viam errârunt, & quaſi certatim damnaverunt ac perſecuti ſunt eos, qui eorum hâc in parte errores diſſipare, & nebulam ab oculis depellere ſtudebant. Schiſmatis, & erroris objecta crimina; excommunicationis minæ & fulmina (mala utique metuenda) terruerunt omnes; ardens deſiderium ea declinandi pleriſque ne permittebat quidem examinare, & dignoſcere, juſtùſne fuerit horum malorum metus, an vanus.

(1) Audivi aliquando Oratorem graviter pro Monarchia Romani Pontificis detonantem, & inter reliqua hoc maximè argumentum urgentem: Nullâ poſſe ratione comprehendi, qualiter huic Monarchiæ (ſi ea in verbo Dei fundata non eſſet) omnes Reges terræ ſubjici potuerint ſine magna armorum vi, de qua altum in omni Hiſtoria ſilentium. Sed ignoravit vir bonus, majorem vim eſſe ſuperſtitionis, quàm fortiſſimorum armorum, & exercituum.

(2) Vidimus Pontifices uſurpantes varias partes juris Epiſcopalis, & in præjudicium Juris *Publici* ſibi inde facientes jus *privatum*. Si niteremur Jus illud Publicum in integrum reſtituere; ſi Epiſcopi excuterent durum illud jugum, quod eorum prædeceſſores permiſerunt humeris ſuis imponi, ſi rumperent catenas, quibus alligata fuit plenitudo poteſtatis eorum miniſterio, & caracteri propria; ſi nollent admittere reſervationes caſuum, quas Papa ſibi attribuit;

buit; ſi tanquam nulla haberentur privilegia Regularibus in præjudicium jurisdictionis Ordinariæ attributa; ſi redirent in poſſeſſionem concedendi diſpenſationes, quas Romana Curia ſibi ſeriùs reſervavit, quibuſque ſatis malè utitur; ſtatuendi de Reſignationibus, Permutationibus, Unionibus, & Diviſionibus beneficiorum, Erectionibus novorum Epiſcopatuum, Confirmationibus electionum, aliorumque ſimilium jurium Epiſcopatui ex primævâ inſtitutione annexorum, de cætero Romanæ Eccleſiæ relinquerent jura vigilantiæ, inſpectionis, & certo modo id eſt, juxta terminos Sardicenſium Canonum, jus ſupremæ inſtantiæ &c. ex qua parte foret ſchiſma, aut, quod in idem recidit, injuſtitia, ſi eâ occaſione ſe Papa ſepararet ab Epiſcopis?

[3) Miramur hodie vanos terrores, & ſimplicitatem Patrum noſtrorum. Captum noſtrum ferè ſuperat, quomodo Romanis Pontificibus potuerit in animum venire, de coronis, regnis & provinciis diſponere; & vix attendimus ad alias hactenus perdurantes, neque magis fundatas ejuſdem Curiæ prætenſiones. Si Reges & Imperatores perexiſſent tam eſſe creduli, quàm multo tempore fuerunt, atque multi Epiſcopi reſpectu jurium ſuo Ordini annexorum adhuc ſunt, Epiſcopus Romæ hodie ſolus foret in orbe Chriſtiano Monarcha, & caſtellum S. Angeli non ſufficeret ſervando auro, quod ex omnibus mundi partibus illò conflueret.

§. VII.

Exceſſiva poteſtas, quâ Rom. Pontifex poſt falſas Decretales uti cœpit, quâque hodiedum fruitur, Eccleſiæ valde noxia eſt.

Eadem reunioni Eccleſiarum impedimentum ponit.

Ultramontani cultum ſuperſtitioſum Papæ reddentes, ei, ſive ut privatis ſuis commodis ſtudeant, ſive errore, & preju-

diciis

diciis abrepti , tribuunt prærogativas, quas *JESUS* Chriſtus & ſancta ejus Eccleſia illi non dederunt . Salus Eccleſiæ & Regnorum , imò , ipſiuſmet Religionis & Veritatis , juſtum nobis debent eſſe motivum ad repellendas novas illas doctrinas , pro exaltatione Sedis Romanæ & aliarum depreſſione , inventas ; attamen ſine diminutione reverentiæ eidem primæ Sedi cœteroquin debitæ . Fortè veritas Proteſtantibus monſtrata ſine fuco & exceſſu , eis perſuadebit , ut poteſtatem , quam hactenus ùt exorbitantem , & ab inſtituto Chriſti alienam , averſantur, intra legitimos fines reductam , tanquam Eccleſiæ perutilem , imò neceſſariam agnoſcant & revereantur . Fortè , imò indubiè , eâdem poteſtate , nullius jam imperii patiente , intra ſuos cancellos incluſâ , ceſſabunt abuſus & corruptelæ jam per ſæcula , bonis omnibus fruſtra reclamantibus , in Eccleſia vigentes, & cum eâdem poteſtate tam arctè conjuncti , quos *Cap. VI.* *§.* 13. , *&* 14. enumeravimus . Non eſt hic prætermittenda, neque contemnenda obſervatio Richerii in Hiſt. Concil. Lib. IV. P. II. Cap. 5. *§.* 1. ubi *dum* , inquit , *apud me perpendo Arrianiſmum , & Monotheletiſmum , in quo de ſolâ doctrina , non de ſanandis moribus Eccleſiæ , certabatur , trecentos circiter Annos continuaſſe : valde quidem reformidare incipio , ne Lutheri , & Calvini hæreſes , quæ potiſſimùm EX REGIMINIS ECCLESIASTICI CORUPTELA , & MORUM BONORUM TABE , originem , & incrementa hauriunt , multò longiùs latiuſque pervadant .*

(1) Cœcus & malignus zelus fautorum Romanæ Curiæ ingenuos aſſertores Ecclaſiaſticæ Libertatis confundit cum inimicis Sanctæ Sedis , & Primatûs S. Petri . Populo , ſive per ignorantiam , ſive per inertiam , legitimæ diſcuſſionis incapaci , talis comparationis juſtitia facilè perſuadetur ; ſicque ſine diſcretione omnia Papæ dantur , vel eâ ratione , quòd Hæretici legitimam debitamque portionem ei negent : non attendentes , quòd ità faveatur uſurpationibus , quodque revera auferantur Principibus & Epiſcopis , quin & ipſi Eccleſiæ , vera , & legitima jura , eis à Chriſto Domino attributa .

(2) In-

(2) Inter querelas Proteſtantium adverſùs Papam negari non poteſt, aliquas fuiſſe juſtas & fundatas. Hoc agnovit Concilium Tridentinum per reformationem, quam in Eccleſiam introduxit occaſione novarum hæreſum. Sed nec illi eo reſpectu Hæretici dici debent, quamvis de cætero meritò culpandi veniant, quòd debitos honores, & prerogativas Capiti negent, utendo etiam odioſis comparationibus, & immoderatis adverſùs illud exclamationibus.

(3) Fatentur *Proteſtantes*, fatales illas ſciſſiones ſæculi XVI. in Eccleſia nunquam orituras fuiſſe, ſi Romani Pontifices ſtetiſſent intra fines legitimi Primatùs. Lenfant *Preſervatif contre la reunion avec le Siége de Rome. Tom. IV. Lettre 5. pag.* 213. Idem agnoſcunt *Catholici*. Vid. Cap. VI. §. 13.

[4] Declarant Proteſtantes, quòd ſi de perfectâ ſe inter, & Catholicos quoad omnes fidei Articulos concordiâ conveniretur, ſola autem Romani Pontificis Monarchia, & exorbitans illius poteſtas (in cujus *æqua* diminutione illi omnem, quæ ſupereſt, futuræ concordiæ ſpem ponunt. Schilter *de Libert. Eccleſ. German. Lib. VII. Cap.* 14. §. 22.) pertinaciter ſuſtineri vellet, perpetuum inde reunioni futurum obſtaculum, neque unquam ſibi jus vivendi extra immeritum illud jugum auferri poſſe. Vid. Academiæ Gottingenſis *Ephemerides Anni* 1758. *die* 30. *Martii pag.* 364. Item *Anni* 1759. *die* 22. *Martii pag.* 307. Adde Gibert *Corp. Jur. Can. in prolegom. Part. I. Tit.* 20. *Sect.* 2. *Prop.* 1. *pag.* 158. cujus verba partim dedimus ſuprà Cap. I. §. 8. num. 11.

(5] Notum eſt, in provinciis fœderati Belgii, & Catholicis (quorum numerus tantus eſt, ut unam tertiam omnium inhabitantium conſtituant) omnem viam ad publica munia per ſanctiones Statuum præcluſam eſſe. Fundamentum harum Sanctionum Potentiſſimorum Ordinum intelligimus ex Baſnage *Deſcription du Gouvernement des Provinces Unies chap.* 39. & *Remarques* du Chevalier Temple *chap.* 5. ſcilicet, quia Catholici recognoſcentes exterum in ſpiritualibus

libus *Monarcham*, cujus auctoritas ſaltem per indirectum etiam in temporalia Reipublicæ influeret, minùs videbantur apti ad conſilia Statûs, cujus ſummum principium eſt, à nullo alio dependere; quæ certè conſideratio ſeu exceptio non potuiſſet habere locum reſpectu formæ Eccleſiæ Catholicæ, qualis illa multis ſæculis feliciter floruit. Non ignoramus plura alia, & poſteriora eorundem Generalium Ordinem edicta Catholicis gravia, eidem fundamento innixa, quibus extenſio ſanctæ Religionis noſtræ in dictis provinciis difficilis redditur. Vid. Ottonis *Notitia Rerumpublicarum*. *Cap. VI.* §. 29.

(6) Si hæc vera ſunt, ſicuti ea eſſe à nemine Hiſtoriarum, Actorum, & negotiorum publicorum gnaro negari poteſt, per neceſſariam ſequelam agnoſcendum erit, unum Iſidorum Mercatorem plus mali intuliſſe Eccleſiæ, quàm Hæreſiarchas ſimul omnes; doctrinam de monarchico Eccleſiæ Statu non tantùm perpetuum reunioni Eccleſiarum futurum impedimentum, pro qua quotidie in Sacrificio Miſſæ & aliis precibus publicis divinam miſericordiam deprecamur; ſed & ſi non cauſam, ſaltem occaſionem fuiſſe infinitorum illorum malorum, quæ tot per Europam regna, & provincias à duobus ſæculis, & ultrà, ob animorum circa rem ſacram diſſidia, deſolàrunt, & in futurum afflictura ſunt.

(7) Multum laboraverunt diverſi Pontifices pro tollendo Græcano ſchiſmate, & reuniendâ Eccleſia Orientali cum Occidentali, præſertim INNOCENTIUS III. poſt expugnatam ab Occidentalibus Conſtantinopolim, GREGORIUS X. in Lugdunenſi II. & EUGENIUS IV. in Florentino Concilio; ſed ſemper recaſus Grecorum ſupervenit. Si cauſa fundamentalis inſpiciatur, ea non eſt, quòd nullum Romani Pontificis Primatum agnoverint, ſed quòd *non talem*, qualem voluiſſent Itali: ſic, ut eis, tanquam Eccleſiæ Monarchis, eodem modo Orientales Eccleſiæ ſubjacerent, quo Occidentales Romano Pontifici ùt ſuo Patriarchæ ſubeſſe pridem

pridem conſueverant; finaliter, quòd Romani ſuperioritatem prætenderent *ultra Canones*. Docent hæc nos, talem interpretationem nunquam, dum ſtabit orbis, ab omnibus Chriſtianis, *ſaltem cum perſeverantia*, fore acceptandam. Vid. Petri de Alliaco Card. Cameracenſis Canones Reformationis Eccleſiæ in Concil. Conſtantien. Cap. II. apud von der Hardt *Tom. I. Part.* 8. *pag.* 416 Siccine autem omnes in futurum Romani Pontifices in æternum abjicient; quæ â prædeceſſoribus tam glorioſè ſuſcepta ſunt reunionis conſilia? Adde *Cap. V.* §. 4. *num.* 5. nec non *Cap. VI.* §. 7. *num.* 8.

(8) Rubeus Recentiorum Deciſionum Rotalium *Part. IX. in Annotat. ad Deciſ.* 217. *num.* 167. *& ſeqq.* hæc obſervat: „Papa eſt ille magnus Atlas, ut ſuper ſuis humeris habeat „orbem univerſum, & ſic tam Catholicos, Hæreticos, „Schiſmaticos, Infideles &c. Nam id perbellè declarat „mellifluus Bernardus Sanctus Lib. III. Cap. 1. de Conſiderat. ad Eugen. Papam, ubi applicat ad Romanum „Pontificem dictum illud Pauli Apoſtoli ad Rom. 1. ibi: „*Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum*. Sed quæ major inſipientia eſt, quàm illa infidelitatis? igitur inquit: „*Si te agnoſcis ſapientibus, & inſipientibus debitorem, curandum ſummopere eſt, ut, qui non ſapiunt, ſapiant, „& qui ſapiunt, non deſipiant, & qui deſipuere reſipiſcant*. „Itaque notandum venit, dum dicitur, curandum tibi eſt, „*ut qui non ſapiunt, ſapiant*: ecce pondus magnum infidelium; *& qui ſapiunt, non deſipiant*: ecce pondus, „& quidem non leve, Chriſtianorum Catholicorum; *& „qui deſipuere reſipiſcant*: ecce pondus hæreticorum." Hæc cura triplex non implebitur, quàmdiu Papa non dimittet principium *ſuæ Monarchiæ politico ſacræ*.

(9) Ponderentur doctrinæ practicæ Romanorum, quarum fidelem recenſum dedimus *Cap. III.* §. 11., & judicet quiſque harum rerum intelligens eſt ac prudens, an non huc applicari debeat quod de ſimilibus tractans ſcripſit celeberrimus Gerſon Tract. de Reformatione Eccleſiæ in Concilio

Univerſali cap, XXIV. ſcilicet : *Quis unquam audivit vel legit , olim per Petrum aut ejus ſucceſſores in papatu intra mille annos aut ultra fuiſſe talia attentata ? Quæ ſi quandoque tunc facta fuiſſent & cognita , nemo ad fidem Catholicam propterea , niſi omnino reprobus , converti veriſimiliter potuiſſet .*

(10) Conſiderentur inſuper abuſus , quos recenſuimus *cap. VI.* §. 13, , quique ſuum in jam memoratis doctrinis practicis inveniunt præſidium ac fomentum & expendatur , num perverſe ſenſerit laudatus Cardinalis de Alliaco, dum Tractatu *de Neceſſitate reformationis Eccleſiæ in Capite & in membris cap. XXIX.* in Actis Concilii Conſtantienſis Hermanni von der Hardt Tom. I. Part. VII. pag. 308. ita ſcribit : *Expediret , ut hæreſes iſtæ* (Huſſitica, Waldenſium Wicleviſtarum &c.) *& auctores earum de Bohemia & Moravia eradicarentur omni modo . Sed non video , quod illud unquam bono modo fieri poſſit , niſi prædicta Romana Curia prius ad ipſos veteres mores & conſuetudines laudabiles reducatur ; quia lege cavetur , quod à Capite edenda ſit ratio.* Non erat opus infinita perſpicacia ad ita judicandum, nec prophetico ſpiritu ad prævidendam hæreſum durationem quoad Capitis languor perduraverit . His addendum quod idem doctiſſimus Cardinalis graviſſima Oratione medio Quadrageſimæ anni 1417. in Conſtantienſi Synodo habita dixit cit. Part. VII. pag. 405. ſcilicet : *Speramus equidem veram Unionem non abſque reformatione , ſperamus veram Reformationem non abſque unione ; una quippe ſine altera eſſe nequit , dicente Pſalmiſta , Juſtitia & Pax ſe oſculatæ ſunt . Hæ duæ , teſte Auguſtino , ſorores ſunt , & ſe ſe inſeparabiliter comitantur . Si ergo Unionis pacem quærimus , Reformationis juſtitiam proſequamur .*

(11) Huc quoque pertinet quod ad Cardinalem Julianum Concilii Baſileenſis Præſidem anno 1437. graviſſime ſcripſit , & probante id eventu vaticinatus eſt Andreas Epiſcopus Magorenſis Hiſpanus, libro , quem inſcripſit *Guber-*

naculum Conciliorum . *Part. III. pag.* 181. in citatis Actis Concilii Conſtantienſis . Ubi : " Non nobis ſit mirandum , ſi Eccleſia iſta ſanctiſſima , ſi fides Chriſti veriſſima , ſi obedientia Romanæ Eccleſiæ devotiſſima , pro qua Chriſtus Jeſus ſanguinem ſuum fudit , & quam ſui ſanguinis pretio comparavit , pro majori parte *uſque ad diem judicii* ſit perdita, & jam quaſi oblivioni data in partibus illis Perſiæ , Mediæ , Arabiæ , Africæ , Mauritaniæ, Turciæ , Tartariæ , Meſopotamiæ , Cappadociæ , Phrygiæ , Pamphiliæ , Elamitiæ , Æthiopiæ , Græciæ , Indiæ , Judeæ , Ægypti , Aſiæ & terræ ſanctæ, & quaſi in tribus partibus mundi : In quibus primò quam in Europa fuit prædicatio Chriſti fructuoſa , & Lex Evangelica promulgata , & Eccleſia Chriſti exaltata . . . . . . Illa fides Chriſti , illa obedientia Romanæ Eccleſiæ , quæ in quibuſdam parvulis angulis terræ & orbis , ſcilicet in quinque nationibus , *Italiæ* , *Franciæ* , *Teutoniæ* , *Hiſpaniæ* , & *Angliæ* remanſit concluſa, adhuc omni die paulatim perdetur . . . . Et timendum eſt , quod ante diem judicii , & in brevi , *niſi ſuper eam fiat reformatio* & reparatio , deſoletur & foras mittatur , & ab hominibus conculcetur . . . . Adhuc dicam unum, de quo multum doleo in toto corde meo , videlicet : ſi aliqui in iſta Eccleſia & in iſta S. Petri navicula volunt habere zelum legis Dei , & volunt eſſe firmi in fide Chriſti , & navigare in navi S. Petri , ſuis prædicationibus , ſuis doctrinis , ſuis reformationibus , & conſiliis ſuis , meritis propriis , operationibus juſtis , ac ſuarum virtutum executionibus & ſtudiis ſuis , tales *à multis Prælatis ſuperioribus & Dominis iſtius Apoſtolicæ Sedis iſtius Eccleſiæ Romanæ* turbantur , ſuppeditantur , deſpiciuntur & confunduntur , ac non curantur , non promoventur ad remigandum cum ſuis ſcientiis , cum ſuis doctrinis , cum ſuis operibus bonis in hac S. Petri nave , ſed foras à beneficiis , à promotionibus à regimine & gubernationibus iſtius navis ſicut mali , ſicut igna-

„ ignavi, ſicut inſcii, ſicut ſtulti abjiciuntur. " Hoc accidit Prælatis Galliæ ſecundi ordinis, celebri Declarationi Cleri Gallicani an. 1682. ſubſcribentibus, quorum pluribus, poſtquam per Regem ad Epiſcopatus nominati eſſent, INNOCENTIUS Papa XI. bullas negavit; quæ res denique appellationi ad futurum Concilium, per Procuratorem Regium nomine regni interpoſitæ, occaſionem dedit.

(12) Pergit deinde Andreas Magorenſis *pag.* 185. "Pro iſtarum ergo clavium debita & ſancta executione, pro Ecclesiæ Sanctæ Dei reformatione *tam in membris quam in* „ *Capite*, pro fidei Chriſtianæ extenſione & ampliatione, „ pro Eccleſiæ Apoſtolicæ & Romanæ exaltatione & veneratione, pro hæreſum & errorum infidelium exſtirpatione, pro ſchiſmaticorum & rebellium Chriſtianorum reductione & converſione . . . . tam realia, tam ſalutifera, tam opportuna & tam neceſſaria ſunt „ his temporibus generalia Concilia, attentis Eccleſiæ caſu „ & ruina, qualiter non fuerunt tam neceſſaria ab origine „ naſcentis & primitivæ Eccleſiæ. Et ideo ex quo ſunt „ tam neceſſaria, deberent nunc frequentiſſimè celebrari „ . . . . Quia omni die quaſi diſpenſatur *per Dominos Romanæ Eccleſiæ* cum ſtatutis in generali factis Concilio, nec ſervatur aliqua ejus conſtitutio, & nemo eſt, „ qui Concilii ſtatuta exequatur & defendat. Et dicunt „ cum ſuſpiriis & gemitibus patres & fratres Chriſtiani: „ O diſcipuli & ſervi Jeſu Chriſti clamemus in cœlum, „ Pro deſideratiſſimo generali Baſileenſi Concilio, & quocunque fiendo alio, jurato & promiſſo per totam univerſalem Eccleſiam in Synodo generali Conſtantienſi de „ anno Domini MCCCCXVI., & cum magnis laboribus „ & expenſis Baſileæ per triennium elapſum, de anno Domini MCCCCXXXIV. nunc de præſenti celebrato & „ celebrando: Et miſerebitur noſtri Deus Jeſus Chriſtus, „ ut non permittat tranſire & diſſolvi hoc ſacrum Baſileenſe Concilium abſque reformatione *Eccleſiæ Apoſtolicæ in membris & in Capite*. Quia ſi abſque reforma-

„ tione diſſolvatur, tum certè ſperatur, quod Sancta Ro-
„ mana Eccleſia & Apoſtolica, cum ea, quæ erat uſque
„ nunc domina gentium, & princeps provinciarum, ſpo-
„ liabitur ſuis ornamentis & poſſeſſionibus temporalibus,
„ & Clerus & Apoſtolica Eccleſia privabitur ſuis bonis &
„ privilegiis, ac libertatibus; & erit ſub ſervitute peccati
„ ac tributo cenſus & nummi, & turbabitur, ac nimium
„ fluctuabit Petri navicula, quæ in ſe Judam & Simonem
„ recepit, qui generalibus Conciliis contradicunt, & ea
„ diſſolvere ſatagunt, & ne fiant impoſterum, impediunt.“
Sed hæc poſteriora proprius pertinent ad materiam, quam tractavimus *cap. VI. §.* 12.

(13) Abſit tamen, ut hiſce arma porrigamus Proteſtantibus, eorumque ab Eccleſia Catholica ſeceſſum probare aut excuſare velle videamur. Dicunt illi, lege divina mandari, ne ſint ſocii & propugnatores injuſtæ ſævitiæ, Reponet eis Auguſtinus, ſcindendæ unionis nullam dari juſtam excuſationem. Sed audiant Marcum Antonium de Dominis, quem de præventione ſeu affectu erga Sedem Romanam non poſſunt habere ſuſpectum. Ita autem ille *Lib. VII. de Rep. Eccleſ. cap.* 10. *§.* 189. *& ſeq.* Eſto, ſit Antichriſtus ille verus (hoc infami titulo nonnulli Proteſtantium Summum Pontificem impudenter deſignant) ab ipſo ſolo cavendum eſt, ne quis ei, *quatenus Antichriſtus eſt*, ſe ſubjiciat: Ab illis tamen Eccleſiis velle abhorrere, diſcedere, & ſe ſeparare, quæ ſub illo ſuppreſſæ gemunt, quamdiu hæ integram Chriſti fidem ſervant & retinent, eſt profectò ſchiſma indignum & reprehenſibile.

(14) Si ſic ſua ex parte Acatholici peccant nimietate, non propterea probandus noſtratium indiſcretus zelus, ſeu, ut vocant, *Pietas*. In omnibus præcipuè ſectanda *Veritas*. Ut enim nihil à fide demi, ita nihil addi fidei debet, reique animarum ſunt, qui plus ſive ab Hæreticis, ſive à Catholicis poſtulant, quam communi omnium veraque fide requiratur. Neque minus abſurdum eſt aliam fidem in

in Eccleſia aut in ſcholis docere, aliam contra Hæreticos propugnare. Vera pietas non cœco affectu, ſed majorum auctoritate ac Traditionis regula ducitur; quæ ab his aberrant finibus, ſine more modoque creſcunt, veramque pietatem falſis & alienis ex arbitraria pietate ſuperſtructis obſcurant & offuſcant.

[15] Licet conatus præſtantiſſimorum Theologorum, Catholicorum ex una, Proteſtantium ex altera parte, pro conciliatione ſententiarum, nondum, produxerint omnem deſideratum fructum, attamen ii non fuere omnino vani; ex quo inter illos jamtum conveniat de variis quæſtionibus, quæ inter reliquas ſchiſmati dederunt anſam. Tales ſunt illæ de Juſtificatione, de libero arbitrio, de bonis Operibus, de Merito, aliæque. Ut quid igitur deſperemus de componendis reliquis; dummodo primarium hujus compoſitionis obſtaculum ſeu offendiculum præprimis tollatur?

§. VIII.

Quod Galli ex libertatibus Eccleſiaſticis ſervaverunt, in id redire aliis gentibus fas eſt.

Cunctis notum eſt, & Romanos omnium minimè latet, Eccleſiam Gallicanam reſpectu Summæ Sedis frui certis, ut vocant, *Libertatibus*, quibus aliæ Eccleſiæ Catholicæ hactenus non gaudent. Sed & de eo inter eruditos convenit, eaſdem libertates non niti ſpeciali aliqua conceſſione; verum eſſe portiones priſtinæ & univerſalis libertatis ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in qua Galli firmius ſtetere adverſus novitates & inſultus aulæ Romanæ. Sic docent J. C. & Canoniſtæ Franci ad unum omnes. Ex multis nominamus paucos: de Marca *Concord. Sac. & Imp. Lib. III. cap.* 1. *n.* 8. Boſſuet *Defenſ. Declarat. Cleri Gallicani lib. XI. cap.* 15. Fleury *Inſtit. Jur. Can. Part. III. cap.* 25. Hericourt *de Legibus Eccl. Gall. Lib. I. cap.* 17. §. 4. Add. infrà

cap.

cap. 9. §. 8. *n.* 5. Memoranda ſunt hanc in rem verba celeberrimi Galliæ J. C. Olivierii Patru in *Petri Pithovii Præfat. ad Du Puy Comment. de Libert. Eccleſ. Gall. pag. XXV.* " Les Libertés „ de l' Egliſe Gallicane ſont pour la France un fond & une „ ſource de gloire immortelle, puiſque ces Libertés n'étant en „ effet que l'ancienne liberté de l'Egliſe Univerſelle, c'eſt à di„ re le Droit commun & la Diſcipline des Conciles, il faut, „ que toute la terre avoue, que la France, qui a conſervé cette „ liberté, & qui en la conſervant lui a donnè ſon nom, poſſede „ un avantage incomparable ſur tous les Etats de la terre. En „ effet ſi l'on demande comment la France a pù deffendre „ l'Egliſe contre tant d'ennemis, comment elle a pû conſerver „ cette libertè, que preſque toutes les Nations ont perdue? il „ n'y a qu' une ſeule reſponſe à faire, c'eſt que la France a eu „ plus de *puiſſance* & de *pieté* que toutes les autres Nations. „ Ainſi le nom ſacré de Libertés de l'Egliſe Gallicane eſt un „ titre illuſtre & inconteſtable, qui marque à tout l'Univers, „ que la France eſt l'azile de l'ancienne Egliſe, & que les Rois „ de cette grande Monarchie ſont les juſtes defenſeurs de ſa li„ bertè. C' eſt un honneur pour eux, qui répand ſur leur „ Couronne un éclat plus qu' humain; c' eſt par cette raiſon, „ plûtôt que par toute autre, qu' ils meritent le nom qu' ils por„ tent de Rois trés-chretiens; c' eſt par là qu' ils ſont veritable„ ment les ſucceſſeurs de ces grands Empereurs, à qui toute „ l' Egliſe a rendu des honneur immortels. Car comme les „ premiers Conciles ont èté aſſemblés par la puiſſance de ces „ Empereurs, ces mêmes Conciles ſe ſont conſervés dans leur „ force par la puiſſance de nos Rois. La gloire des uns n'eſt „ pas moindre que celle des autres, puiſque la puiſſance, qui „ conſerve n' eſt pas inferieure è celle, qui produit.

Si tanta aliis populis non fuit potentia, & adverſus exterorum clancularias invaſiones vigilantia, prudentia, & ſagacitas, quanta Gallis; ſi in medio ævi, plerumque ignorantis, aliæ Nationes & Eccleſiæ minus cautæ fuerunt & ſolertes ad ſe opponendum everſionibus Juris Sacri; ſi demum temporum injuriæ

riæ & turbines non permiſerunt obices poni latentibus illis, licèt continuis, Pontificiæ auctoritatis acceſſionibus: non erunt eapropter Germanis aliiſque præcluſa remedia *Recuperandæ*. Agitur de Jure Publico-Sacro-Communi; contra quod nihil proſunt uni, nec obſunt alteri fallaciæ, inſidiæ, ignorantiæ, errores: agitur, inquam, non de rebus privatis & juribus temporalibus (quanquam ne in horum quidem acquiſitione error & ignorantia ſuffragari valeant) ſed de rebus ſacris, unicè inſtitutis ad promovendum cultum divinum & animarum ſalutem.

Probant autem conſervatæ illæ Gallorum libertates ex una, & toleratæ aliarum Eccleſiarum ſervitutes, ex altera parte, eaſdem ſervitutes, & correſpondentem eis dominatum in vero *Jure Canonum* non invenire fundamentum; tanta quippe eſſe debet, & revera eſt, ex *inſtituto divino*, aut *univerſalis Eccleſiæ placito*, Pontificis poteſtas reſpectu unius, quanta reſpectu alterius; neque in hoc ulla natio melioris aut deterioris eſt conditionis altera. *Ad Rom. X. v.* 12. Cæterum quando de Libertatibus ſuis loquuntur Galli, non prætendunt ſe adhuc ab omni indebita ſervitute immunes, id quod vel ex ſolo jure *Præventionis* [quod hactenus, quanquam non ſine murmure, tolerant] apparet.

(1) Stabilito in Eccleſia Statu monarchico, actum erat de Libertatibus *omnium* Eccleſiarum, ſi *Gallicanam* excipias, quæ quodammodo cautior fuit. Reſponſa Pontificum, etiam ad privatorum interrogationes emanata erigebantur in Canones & Leges communes; & paulo poſt, more Regum terræ, rebelles declarabant eos, qui illorum voluntatibus & prætenſionibus ſe ſe opponebant.

(2) Si Principes & populi excuſationem merenter, quod *ignorantes* permiſerint ſe ita captivari, vix eam merebuntur Epiſcopi, in quorum labiis debuiſſet reſidere ſcientia; non debuiſſent hi ignorare, ſe ſicuti Apoſtolorum ſucceſſores, ita jurium & poteſtatis eſſe hæredes. Ut quid ergo paſſi ſunt ſe a Romanis Præſulibus haberi ut ſubditos, & ab his partem gregis ſibi divinitus commiſſi præripi per exemp-

exemptionem plerarumque ædium Religioſarum in ſuis dioeceſibus ſitarum? Quare conſenſerunt, ut Papa in ſignum ſuæ Superioritatis & Majeſtatis ligaret eorum ſubditos, ita ut ne à propriis quidem Epiſcopis ſolvi valeant; dum interim ſimplicibus Presbiteris poteſtatem largitur, qua Epiſcopos exuit? Ut quid toleratum eſt, ut hi, poteſtatis Eccleſiaſticæ à Deo acceptæ Socii, & fidei Con-judices, ita cum plebe confunderentur, ut ab illis, æque & ab hac, Papa *omnimodam obedientiam* exigat, quando reverà in illos non obtinet niſi jus inſpectionis & vigilantiæ, quà eorum Caput, non Monarcha. Interim quod propter bonum commune Eccleſiæ, à Deo *Ordini Epiſcoporum* datum eſt, non potuit cum effectu & ſucceſſorum præjudicio à *ſingulis* dimitti.

(3) Non ignoro equidem, ſic, & rectè, *ſentire* pleroſque Epiſcoporum; ſed non *agunt* conſequenter ad ſua principia. Et parum abeſt, ut Aula Romana per ſuos ſatellites ignoranti plebi perſuadeat, eos, qui ita ſentiunt, *errare in fide*. Cum Dietherus ab Iſenburg Archiep. Moguntinus annatarum ſolutionem detrectans, ad Principes Germaniæ ſcriberet, ut de Natione Germanica ab his aliiſque injuſtis oneribus ſublevanda cogitaretur; dedit ad Decanum & Capitulum Moguntinum PIUS II. Pont. Max. literas, conquerens de Diethero, *qui vellet Sedem Apoſtolicam humiliare, & Imperialem evehere; & quod vera etiam in Papam dicere, eſſet contra juramentum Epiſcoporum*. Schilter de Libert. Eccleſ. Germ. Lib. VII. cap. 2. §. 12.

(4) Si quæratur, quæ & quot ſint Libertates Eccleſiæ? Reſpondent Galli, eas eſſe ſine numero; ex quo conſiſtant in jure indefinito, quod habemus, tuendi & recuperandi noſtram libertatem adverſus novitates, quas Romani inducere nunquam non tentarunt ad infringendum & abolendum Jus Commune & antiquum. Cæterum qui de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ex profeſſo tractant, ad illas com-

communiter referunt (*a*) Jus Epiſcoporum judicandi de cauſis fidei, & (*b*) ſtatuendi in rebus diſciplinæ. (*c*] Ut Epiſcopi non judicentur niſi ab Epiſcopis, & ſecundùm formam Canonicam. (*d*) Quòd Papa non poſſit facere functiones Ordinarii in alienis diœceſibus, niſi de conſenſu Epiſcoporum diœceſanorum. [*e*] Quòd leges & ſtatuta Romanorum Pontificum non obligent, niſi ab Epiſcopis recepta & approbata. (*f*) Ut cauſæ appellationum, ad Apoſtolicam Sedem delatæ, Commiſſariis in partibus delegentur. (*g*) Quòd Papa non poſſit dare privilegia, & exemptiones citra conſenſum Epiſcoporum, & permiſſionem Regis (*h*) Quòd diſpenſationes non poſſit concedere ſine legitima cauſa. (*i*) Quòd non valeat derogare legibus & conſuetudinibus provinciarum, & locorum, aut etiam legitimis privilegiis ac libertatibus particularium Eccleſiarum &c. At hæc omnia, & ſingula non tam eſſe *Eccleſiaſticas Libertates* unius populi, quàm genuini *Juris Communis* (non equidem Iſidoriani, quod Romani amant, & urgent, *placita*, ſuis reſpectivè locis in hoc Tractatu abundè probatum confidimus.

(5) Dum Galli, & qui extra Galliam rectè ſapiunt, cum illis ita ſentiunt & loquuntur de libertatibus univerſalis Eccleſiæ, atque hanc ab indebita ſervitute vindicant, Pontificiam nihilominus majeſtatem in terris maximam, Majorum more, verâ religione ac fide colunt, ſinceroque cultu Sedem Apoſtolicam proſequuntur: quippe quam invictam & immotam, non cœcâ pietate, aut humanis ratiociniis, ſed manifeſtiſſimâ veritate, traditionis robore, genuinorum Canonum auctoritate præſtant. Neque verò volunt (quod Catholici omnes, ipſique ſummi Pontifices meritò perhorreſcunt) Eccleſiæ, tanti Corporis, imbecille eſſe Caput, contrariis argumentis facilè evertendum: ſed firmiſſimum, valentiſſimum Conciliorum auctorem, Præſidem, executorem, Canonum cuſtodem, atque ubi res poſtulat, æquum interpretem, & diſpenſatorem providum; Fidei & Traditionis toto orbe terrarum aſſertorem

 à Chri-

à Chriſto inſtitutum ; denique adverſùs contumaces quoſque, ſive Epiſcopos, ſive alios, nomine contemptæ Eccleſiæ ſuo modo vindicem. Quæ qui in Romano Pontifice, ut à Chriſto profecta, venerantur, nihil quidquam ab ejus Sede metuunt, ſed omnia ad Eccleſiæ pacem ceſſura, Deo auctore confidunt „.

§. IX.

Reductionem genuini Juris Canonici non impediunt Concordata à Romana Sede cum variis Nationibus inita.

Quominùs in univerſa Eccleſia omnia in debitum, & naturalem ſtatum reponantur, nequeunt impedire conventiones, & Concordata cum *particularibus* Nationibus contracta. Extorſere ea temporum injuriæ, & fatalis illa opinio, ubique tunc recepta, quæ ne hodie quidem è Tranſalpinorum animis eradi poteſt, ac ſi tota Eccleſiæ auctoritas penes Romanum Pontificem reſideat, & pro ejus arbitrio in alios dimanet. Omnes hæ conventiones cum Regibus & Nationibus eo ævo initæ ſunt, quo populos tenuit craſſa ignorantia, & ſuperſtitioſa opinio, vel in ipſos Imperatores, Reges, & Principes eſſe Romani Præſulis imperium; quod & hi tunc, quanquam nullo jure, exercebant. Si poſterius hoc imperium, cognitâ ſeriùs veritate, dimitti debuit, & actualiter dimiſſum eſt, quantum ad *temporalia*; quidni cognitis nunc quoad *ſpiritualia* veris terminis Pontificiæ auctoritatis, & jurium Epiſcopalium dimittetur, quod uſurpatum eſt, & firmari voluit per pacta, quibus error, & ignorantia cauſam dederunt, quæque vel ex hoc capite nullam producunt obligationem. Grotius *de J. B. & P. Lib. II. Cap.* 11. §. 6.

(1) Itali quin, & alii Romanæ Curiæ aſſentatores, docent, Pontificem de plenitudine poteſtatis contravenire Concordatis poſſe; eò quòd (*a*) Pontifex poteſtatem diſponendi de beneficiis cæteriſque juribus Eccleſiaſticis à Chriſto Domino immediatè acceperit, quàm proin abdicare, aut alteri communicare non poſſit, quin ſemper penes ſe majorem retineat (*b*] Quomodocunque paciſcatur Papa, maximè cum ſibi ſubdito, ſemper includitur conditio: *Niſi occurrat gra-*

vis

vis cauſa, *ob quam aliud poſtulet commune bonum Eccleſiæ*. (*c*) Colligunt id ipſum ex Concordatorum Germaniæ tenore §. *Item placet*, ubi Pontifex promiſit, ſe confirmaturum electiones Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ſi Canonicæ fuerint, & additâ inſuper clauſulâ. *Niſi rationabili*, *& evidenti cauſâ de digniori*, *& utiliori perſona duxerimus providendum*. (*d*) Licèt eadem Concordata habeant *aliquam ſpeciem pacti*, tamen magis ſunt *privilegium* Papale, uti teſte Nicolarts *ad Concord. Germ. Tit. III. Dub.* 3. §. *6.* comprobavit Rota *in Leodienſi Canonicatu* 15. *Martii* 1610. ex ratione, quòd ſpiritualia ſub contractum propriè dictum, & in commercium non veniant.

(2] Verùm hæc ipſa argumenta vice versâ probant, Concordatis minimè impediri Nationes & Eccleſias, quominùs ad priſtinas ſuas libertates, & jura redire valeant. Epiſcopi, ſicut immediatè à Deo habent curam, & ſpirituale regimen commiſſi ſibi gregis, ita & jus ac poteſtatem conſtituendi Miniſtros pro exercitio ſacrarum functionum & directione animarum; ſi ergo Spiritualia hæc jura propriè ſub contractum non cadunt, nihil magis naturale erit, quàm ut ſublatis pactis, & infundatis reſervationibus, per quas hæ conventiones extortæ fuerunt, colationes beneficiorum, reſpectu Sedis Romanæ, ad Epiſcopos redeant.

(3) Iidem Canoniſtæ, qui juſta relata *Num.* 1. Papæ poteſtatem tribuunt eundi, & agendi contra Concordata, non poſſunt alibi non agnoſcere, Ordinarios habere, adversùs ipſummet Pontificem, intentionem ſuam fundatam in Jure quoad proviſionem omnium beneficiorum ſuæ diœceſis. Vid. Pirhing. *ad Decretales Lib. III. Tit.* 5. *num.* 354. Schmalzgrueber *eod. Tit. num.* 309. *&c.*

(4) De Concordatis Germaniæ, propter frequentes Romanorum traſgreſſiones, penitùs abolendis, haud ſemel in Comitiis Imperii cogitatum eſt. Vid. Moſer *Jus Publ. Germ. Tom.* 1. *Lib. I. cap.* 18. §. 55. ubi Remonſtratio è Comitiis Ratisbonenſibus ad Imperatorem facta, eò tendens; „ Ut Concordata, rebus ſic ſtantibus, & ubi Au-

„ la Romana contra eadem identidem agit, atque eis ſe
„ non obligari prætendit, penitùs tollantur; proin Ger-
„ mana libertas, qualis antè fuit, & in Concilio Baſileenſi
„ ſtabilita eſt, reſtituatur.

(5] Concordata, propter Romanorum in iis ſervandis infidelitatem, Germani tantopere dedignati ſunt, ut mox ab obitu NICOLAI V. PP. Pragmaticæ Sanctionis, ad exemplum Gallorum, condendæ egerint conſilia. Horum meminit Platina in Vita Pii II. *pag. m.* 324. & Mejerus Cancellarius Moguntinus in litteris ad Aeneam Sylvium. 30. Aug. An. 1457. datis, quas exhibet WVolfius *Memorabil. Tom. I. pag.* 853. & multi alii. CALIXTUS III. P. M. ut ab his conſiliis Germanos dimoveret, graves eâ de re ad Imperatorem Fridericum III. litteras dedit, quibus ita ſe excuſat, ut nihilominùs ſuſtineat, *liberrimam eſſe Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, nullisque deberi pactionum vinculis coerceri*. Exſtant hæ litteræ inter Aeneæ Epiſtolas *n.* 369. *p.* 836. *ſeqq. Operum*. Quod eadem in hunc uſque diem principia Romæ perdurent, oſtendimus ſuprà *cap. VII.* §. 4. *n.* 9. Certi autem perpetuique juris eſt, uno contrahentium pactis non ſtante, obligationem diſſolvi, ita quidem, ut nec ducto pœnitentiâ adverſario, alter ad implendas pacti leges cogi poſſit, Pufendorff *de J. N. & G. Lib. V. cap.* 11. §. 9.

§. X.

Libertati Eccleſiaſticæ non tam officiunt Pontifices, quàm Romana Curia.

Abſit, ut quæ hactenus eſpoſuimus tot tantaque Chriſtianæ libertatis impedimenta, ea omnia, & ſingula Romanis Pontificibus imputemus. Poſtquam idea Statûs Monarchici ſpiritum Curiæ infeliciter occupavit, vix aut nullatenus liberum eſt, etiam moderatiſſimis Pontificibus, cogitare, aut ſaltem agere, ſecùs atque à multo tempore Cardinales, Miniſtri, omnes denique Urbis Congregationes, Collegia, & Dicaſteria cogitaverunt, & conſtanter practicaverunt. Papa aliter quam ad ductum Iſidorianarum Decretalium procedens, à ſuis contemptim

tim haberetur; imò tanquam diſſipator privilegiorum, Divino Jure primæ ſedi annexorum, omnes excogitabiles oppoſitiones & contradictiones experturus eſſet. Quæ autem ſint putativa hæc privilegia, pro parte indicavimus *cap. III.* 3. §. 10. *n.* 4. nec non *cap. IV.* §. 7. *n.* 1. Quibus adde quæ de genio, & ſpiritu hujus Curiæ pluribus expoſuimus *cit. cap. III.* §. 10. & 11. Prudentiæ itaque Canonicæ eſt, ut quæ ſequenti Capite proponemus recuperandæ juſtæ Libertatis media, ea in effectu talia ſint, quæ non tam ipſos Summos Pontifices [qui ſæpe optimi ſunt) ad mutandam ſententiam, & actiones ſuas veris Canonibus conformandas moveant, quàm eorum Aulicos ad idipſum revera diſponant, etiam invitos.

(1] Hæc ut Lector faciliùs intelligat & evidentiùs cognoſcat, dabimus exemplum è ſexcentis unum. Cum in Concilio Remenſi Anni 1148. S. Bernardus errores Giliberti Pictavenſis Epiſcopi acriter perſtrinxiſſet, EUGENIUS Papa hoc negotium ſeorſim á Cardinalibus aliiſque, cum divo Bernardo, & ſolius Gallicanæ Eccleſiæ (ad quam propriè proximeque pertinebat de dictis erroribus cognoſcere, & judicare) Patribus Concilioque tractandum duxit. Cauſâ ſic legitimè terminatâ. *Hoc* Pontificis & *Gallicanæ Eccleſiæ factum tam graviter ſacer Cardinalium ſenatus accepit, ut cum magna mentis indignatione Curiam intraret, ac tamquam unum corpus effecti, unâ omnes voce Pontifici ſuo dicerent: Scire debes, quòd a nobis, per quos tamquam per cardines univerſalis Eccleſiæ volvitur axis, ad regimen totius Eccleſiæ promotus, à privato Univerſalis Pater effectus, jam deinceps te non tuum, SED NOSTRUM POTIUS eſſe oportere, nec privatas, & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, ſed omnium utilitati conſulere, Romanæque Curiæ culmen ex officii tui neceſſitudine curare & obſervare debere. Sed quid fecit Abbas tuus* [S. Bernardus) *& cum eo Gallicana Eccleſia? Qua fronte; quo auſu cervicem contra Romanæ ſedis primatum, & apicem erexit? Hæc eſt enim ſola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipſa ſola de Fide Catholica diſcutere habens*

habens , à nullo , etiam abſens , in hoc ſingulari honore præjudicium pati poteſt &c. Ita Otto Friſigenſis de Geſtis Friderici I. Imp. Lib. I. cap. 57.

(2) Hæc Cardinalium ad Eugenium peroratio quibuſdam ſuſpecta videri vult, ex quo ea à nullo coævo , præter Ottonem , tunc longiſſimè à Gallia abſentem, referatur . Verùm inprimis hoc argumentum negativum nullius ponderis eſt ad elidendam fidem tanti viri , qualis notoriè fuit Otto Friſingenſis Epiſcopus, qui poſt expeditionem , quam cum fratre ſuo Conràdo III. Imperatore Anno 1147. in Palæſtinam ſuſceperat, primùm in Germaniam , dein in Galliam (in qua etiam dies ſuos clauſit] redux , quæ hìc ſcripſit , ex certiſſimis documentis haurire potuit . Deinde ſi non Cardinalium , ſed ſua verba Friſingenſis retulit , ea certè accommodavit ad perſpectum ſibi Curiæ ſtylum .

(3] Card. Baronius *Annal. Tom. XII. ad An.* 1148. *n.* 17. memorata ex Ottone referens , „ Planè quot Cardinales, inquit , tot dixeris Paulos , reſiſtentes in faciem Petro , reprehendentes eum , qui connivere his creditus , omninò quidem ipſis reprehenſibilis videbatur , dum definire quid de Fide nullius ſit alterius hominis , quantumlibet vitæ laudabilis , etiamſi dono polleat miraculorum , ùt Sanctus Bernardus erat . „ Sic Paulus in Petrum, Cardinales agunt , quotieſcunque illum circa conſervationem jurium Summæ Sedi *quomodocunque* partorum remiſſiùs agere animadvertunt . Sed an eapropter alterà ex parte tacebunt , & jura *multò firmiora* non afferent ac vindicabunt Concilia , Corpus Epiſcoporum, Nationes ? Non putem Væ autem illi , qui in tali colliſione ſchiſma faceret. Friſingenſis , poſtquam præmiſſa narraverat , hæc addit . *Benedictus per omnia Deus , qui ſic Eccleſiæ Sponſæ ſuæ providit , ut nec vel ſumma membra à capite ſuo diſſiderent ; vel tantus religioſorum , & diſcretarum perſonarum numerus Gallicanæ Eccleſiæ , aliquod judicii pondus à Sede Romana reportans , ſchiſmatis non parvi occaſio eſſet .* Adde cap. ſeqq. §. 7.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

MEDIIS RECUPERANDÆ LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ.

§. I.

Semper invigilandum, & cautè attendendum ad omnes Romanæ Curiæ paſſus, vero Juri Sacro contrarios, & ſingularum Eccleſiarum juribus præjudiciales.

Ipſa, ut hoc faciamus, nos monet Religio.

Cùm inde ab ævo Caroli M. Romani Præſules facti fuerint Domini & Principes temporales, ſic ab eo quoque tempore de augenda ſua poteſtate & auctoritate nunquam non cogitârunt. Quid non poteſtatis & juriſdictionis in regna & imperia prætenderint & exercuerint, inutile eſt hìc referre. Quod ſupremum dominium omnium bonorum Eccleſiaſticorum affectent, aut ſaltem affectârint, vel ex ſola *Annatarum* impoſitione & perceptione intelligitur. Impedire quominus prætenſis his juribus utantur, anne eſſet lædere legitima eorum jura? aut ex contrario hæc eis permittere, an non eſſet culpabiliter negligere, quod nobiſmet ipſis, & Eccleſiis noſtris debemus? Cùm itaque Romana Curia identidem occupetur, & omni excogitabili ſtudio laboret, ut auctoritatem ſuam, quomodolibet partam, tueatur & augeat, noſtrum eſt pari contentione eniti, ut recuperemus antiquas noſtras poſſeſſiones, & libertates, advocatâ honeſtiſſimum hunc in finem Religione ipsâ, quæ facilè præſidium nobis hac in parte præſtabit, modò ex juſtis regulis, & ſincerâ fortu-

fortunatiſſimorum Eccleſiæ ſæculorum Diſciplinâ legitimam poteſtatem Primæ Sedis cognoſcamus, & ab ea ſeparemus, quidquid ignorantia, & ejus filia ſuperſtitio, nec non ratio politica turbulentorum ſæculorum, adjecit adverſum inſtitutioni Chriſti & libertati, quâ ſalvâ religione, & in hac fundato *rationabili* obſequio, omnes fruimur.

(1) Eorum, quorum dignitas læſa, & per elationem unius adeo depreſſa fuit, videre eſt, an non honor & conſcientia eos obligent, ad congrua quævis media adhibenda, quibus Ordini Epiſcopali priſtinum decus, & Canonica independentia reſtituatur.

(2) Ad conſervanda jura noſtra & probas conſuetudines non poſſumus eſſe nimis attenti ad omnia reſcripta Romanæ Curiæ. Supponi poteſt & debet, hanc ejuſve Miniſtros ſuis ſemper inſtare principiis, eaſdem ſemper nutrire prætenſiones, & pro ſua dexteritate nunquam non in id intendere, ut redigantur in uſum. *Unum* inquit PIUS Papa II. ad Carolum VII. Galliæ Regem Epiſt. 374. *à te petimus, cariſſime fili, ut doctoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas*. Pontifici recta monenti parendum eſt.

(3) Civilis prudentiæ præceptum eſt quod Ariſtoteles *V. Polit.* 8., ſuggerit; ſcilicet: *In Rebuſp. bene temperatis, ut quicquam oportet attendi, ne quid contra legem fiat: ac maximè cavere puſillum. Fallit enim, quæ furtim irrepit tranſgreſſio, quemadmodum rem familiarem minuti ſumtus crebrò facti. Fallit enim ſumtus, quia non totus ſimul fit*. Hoc præceptum politicum Romani curatiùs ſervant quàm multi alii. Ex pluribus exemplis, quæ ad manum ſunt, referam unum. In quadam diœceſi Germaniæ viget Statutum Synodale, ne quis ad majores Ordines admittatur, niſi integro biennio Theologiæ aut Juri Canonico in ſtudio publico vacaverit. Junior quidam Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ, poſt negatam ab Ordinario diſpenſationem ſuper hoc ſtatuto, recurrit Romam, ubi à

Summo

Summo Pontifice Benedicto XIV, eam haud difficulter obtinet. Brevi hoc diſpenſatorio, tanquam diſciplinam diœceſeos evertente, ab Epiſcopo non admiſſo, res ab impetratore Canonico iterum Romam defertur. Aula Romana in hac cauſa, licet privata, & apparenter levi, non ferens prætenſum contemptum poteſtatis diſpenſandi in legibus diœceſanis, & ne ex particulari hac cauſa ſupremis & majeſtaticis ſuis juribus præjudicium generetur, hocce negotium in cauſam Status convertit. Emanant è Secretaria ſtatus litteræ ad Epiſcopum graviter adhortatoriæ, ut ſupremam hac in parte Pontificiam auctoritatem revereatur, diſpenſatum ad SS. Ordines ſine mora admittendo. Epiſcopus, qui ſe propter hanc cauſam cum Pontifice committere nolebat, reſpondit, non *ſtudii* ſolum, ſed quam maximè *morum* defectum obſtare diſpenſato, quominus ad Subdiaconatum admittatur; atque ita ex poſteriore hoc capite, tranſmiſſis etiam Romam documentis abunde demonſtrato, negotium demum quievit. Sic Romani minuta obſervant, ne quo in puncto eorum poſſeſſionibus præjudicetur; & recte quidem, ſi ad regulas Politices attendamus, atque imitando nobis exemplo. Verum hoc inter ipſorum cauſam & illam Ordinariorum intereſt, quod ſublatis aliquando, ſi Superis placet, una ſpongia Juriſprudentiæ Sacræ nævis, horum jura, omnia & ſingula, nulla contraria poſſeſſione obſtante, una vice reviviſcant, & reſtituantur in ſtatum priſtinum.

§. II.

Primum adverſus abuſum Eccleſiaſticæ poteſtatis remedium eſt in apta inſtructione populi.

Primum itaque & efficaciſſimum medium adverſos hos abuſus conſiſtit in inſtructione populi circa veros fines ſuorum officiorum; circa genuinam originem & legitimas prærogativas Romani Primatus; circa reverentiam, quam ipſa Summa Sedes

 debet

debet antiquis Cononibus. Sed, quod maximum eſt, Paſtores ipſos, & cujuſcumque Reip. ſeu Status Primores, præprimis inſtructos eſſe oportet circa antiquam Eccleſiæ Diſciplinam, ejuſque Hierarchiam; circa jura Epiſcoporum. Horum maximè intereſt, ea noſſe ex fundo, & intimè perſuaderi, quod in omnia jura Apoſtolorum ſucceſſerint. Non poſſunt itaque nimium multiplicari libri, de his materiis *ſolidè* & ſine invidia conſcripti.

(1) Obſtupeſcimus, cum videmus tot abuſus & confuſiones ortas ex craſſa illa ignorantia, qua præcedentia ſæcula, ad poſtremum uſque [quo demum Iſidoriana Collectio falſi plenè convicta, Conciliaris diſciplina è tenebris erepta, & Hiſtoria Eccleſiaſtica ritè exculta fuit) obducta jacuerunt; atque inde percipimus, quantum interſit, Artem Criticam & Hiſtoriam Sacram generoſe & prudenter excoli.

[2] Si tranquillitas & ſalus populorum, ſi pax in Eccleſia, & puritas morum, tam arcto vinculo colligatæ ſunt cum cultura humanarum ſcientiarum, non poterunt Principes nimio zelo protegere ſcientias, harumque cultores. Cumque ſcientiæ fortiſſimum ſint repagulum adverſus ſuperſtitionem & fanatiſmum, Reip. & Eccleſiæ adeo exitialem, verè Eruditi debebunt cenſeri *nati defenſores* Sacerdotii & Imperii.

(3) Legimus in Hiſtoria ſuperioris ſæculi, plures viros egregiè doctos proboſque propter defenſa jura Regni & Epiſcopatus à ſatellitibus Romanæ Curiæ haud levia incommoda toleraſſe, neque tamen eam, quam exſpectare debebant, à Principibus protectionem ſenſiſſe. Fortè id ea ratione evenit, quod fines utriuſque poteſtatis & variarum ſpecierum Eccleſiaſticæ juriſdictionis adhuc minus expediti cognitique eſſent. Qui glaciem frangunt, plerumque periculo non vacant.

(4) Mirum eſt, quod extra Italiam tam facilè permittantur impreſſio & diſtractio librorum, quibus exorbitantes Romanorum

norum prætenſiones divulgantur & parum-doctis perſuadentur ; dum econtra Itali tam prompti ſunt in configendis libris, qui eorum Syſtemati adverſantur . Sed prudentiores his condemnationibus non plus terrentur , quam neceſſe ſit . Quæ propter hæreſim aut hæreſeos periculum Romæ damnantur, juſtum eſt , ut à probis omnibus devitentur ; quorum econtra librorum lectio *propter politicas Curiæ rationes* interdicitur , ibi certè locum habet communis & ſana Canoniſtarum doctrina , quod leges Romæ latæ alibi non obligent, niſi *debitè* promulgatæ .

(5) Non ignoratur, qualiter negotia in Congregatione *Indicis* Romæ gerantur , ubi pro arbitrio quatuor vel quinque Regularium omnia diſponuntur . In Regulis à Confectoribus Indicis expurgatorii obſervandis hæc ſeptimo loco præſcribitur : *Expungendæ ſunt etiam propoſitiones , quæ ſunt contra Libertatem , immunitatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam* . Cum autem jura , quibus paſſim Principes ſupremi utuntur in materiis Eccleſiaſticis, à Curialibus Romanis reputentur contraria immunitati & juriſdictioni Eccleſiaſticæ, non mirum , ſi libros & ſcripta , in quibus hæc jura Principibus aſſeruntur , in Indicem librorum prohibitorum relata videamus . Interim obſervat , poſt Laymannum & Gobatum , Ignatius Heyegg *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſt. p.* 433. Indicem Librorum toties reimpreſſum , & in immenſum ſæpius auctum , non eſſe in Germania receptum , quantum ad libros , qui à Catholicis non ſuſpectis ſunt compoſiti , etiamſi quædam contineant moribus fidelium non ſatis conformia .

(6) Quod de Hiſpania memorat Salgado *de Supplicat. ad Sanctiſſ. cap. XXXIII. n.* 144. ad omnium Principum jura pertinet : ſcilicet „ quod aſſiduè practicari videmus circa „ libros Catholicorum Auctorum horum regnorum (Hi„ ſpaniæ) tractantes , & fundantes Regis noſtri juriſdictio„ nem , aut regalias , maximè in rebus Eccleſiaſticis ſibi „ competentes , qui ob id ſolùm ſolent integraliter in Ro-

„ mana Curia prohiberi & vetari , & ad hoc Brevia Apo-
„ ſtolica tranſmitti ad Inquiſitorem ſupremum Hiſpaniæ
„ publicanda . Rex autem noſter omni conatu , cultu ta-
„ men reverenti, huic violentiæ , ſuis juribus Regalibus &
„ ſibi ipſi illatæ , occurrit , agnoſcens hanc prohibitionem
„ duntaxat tendere ad infringenda ſua jura , nec non in
„ grave & intolerabile præjudicium ſuum, ac proinde im-
„ pediens talis Brevis executionem , ad evitanda ſcandala
„ penes ſe illud retinet . Adde infra §. 8. *n*. 13.

(7) Nimis notum eſt, quòd Theologi Romanæ Curiæ quaſdam ſibi adoptaverint opiniones , quas ab omnibus quaſi pro Catholicis veritatibus haberi vellent; licèt ſciant , eas à plurimis Theologis , imò integris Eccleſiis impugnari . Vide ſuprà *cap. V.* §. 3. *n*. 7. Sed cùm aſſerere non audeant , errorem eſſe oppoſitum ſentire , hoc medium impendunt, ad ſuas opiniones ſtabiliendas , & Theologos à propugnandis contrariis deterrendos , ut prohibeant libros , in quibus oppoſitæ ſententiæ ſtabiliuntur , idque ſub comminatione cenſurarum ; quibus multi deterrentur , ne ſibi & ſcriptis ſuis apud pleroſque ultramontanis opinionibus imbutos præjudicium contrahant .

[8] Si quis in apertum contemptum Primæ Sedis Libros conſcribit & divulget , meritò ejus Opera configuntur ; ſecùs ſi ſerio veritatis affectu calamum arripiat . *Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis . Si ergo inimicus inſultat , ferendus eſt : amicus autem , ſi docet , audiendus* , inquit S. Auguſtinus Lib. II. de Trinit. Proëm. Tom. VIII. pag. 772. Romani Pontificis quàm maximè intereſt , veritatem à viris cordatis , maximè *exteris* , doceri , quam , fato omnibus Magnatibus communi , à *domeſticis* ſeriùs , aut nunquam intelliget . Sufficit ejus Sedi propria ac genuina ſublimitas , & nativus decor , qui fuco & mendaciis defiguratur .

(9) Dum Papa librum cenſurat , ejus judicium cum reverentia accipiendum eſt ; ſed propterea Eccleſiarum Prælati oculos

los aureſque occludere, atque omnem de motivo talis Romanæ cenſuræ cognitionem abjicere minimè tenentur. Ita cùm BENEDICTUS Papa II. quædam Capita Scriptorum S. Juliani Archiepiſcopi Toletani improbaret, Concilium XV. Toletanum anni 688. eadem orthodoxa eſſe ſuſtinuit & probavit auctoritate S. Scripturæ & SS. Patrum, apud Harduinum *Collect. Concil. Tom. III. col.* 1761. *ſeqq.* Quibus gravibus momentis Benedicti ſucceſſor acquievit. Idem evenit EUGENIO IV. ratione quarundam propoſitionum Toſtati, dein Epiſcopi Abulenſis, quæ Pontifici videbantur hæreticæ. Adde *cap. II.* §. 8. & *hoc cap.* §. 8. *n.* 13.

(10) Quo jure creditur Primæ Sedi fas eſſe ſua *vera* jura tueri per cenſuras publicorum Scriptorum illis adverſantium, eodem jure Epiſcopis competit facultas in ſuis reſpectivè dioeceſibus prohibendi lectionem & uſum librorum venditantium principia, queis *genuina* jura Epiſcopalia evertuntur. Neque minùs pertinet ad majeſtatica Principum jura, proſcribere libros, publicis regni aut provinciæ, vel privatis ſubditorum juribus apertè infeſtos. Gallia hac in parte, ratione Scriptorum ex Italia adventantium, aut hujus Gentis principia circa res ſacras & prætenſa Romanæ Curiæ jura ſubditis Regis inſinuare conantium, ferè cæteris regnis vigilantior eſt, Advocatis generalibus, quin & Epiſcopis, eatenus officium ſuum ſedulò interponentibus. Notiſſimum eſt, qualiter hac noſtrâ ætate plures Epiſcopi Galliæ Lectiones officii S. Gregorii VII. Papæ, à BENEDICTO XIII. Breviario Romano inſertas, per quas ſummo Pontifici jus in temporalia Regum aſſeritur, editis luculentiſſimis litteris Paſtoralibus, quaſi certatim damnaverint. Hæc exempla ſi aliæ gentes imitarentur & frequenter uſurparent, fortè Romani redderentur circumſpectiores in libris ex ſola ratione politica configendis. Videant interim harum rerum curioſi & prudentes, an non libri, quos *cap. III.* §. 11. recenſuimus, ſint de eorum numero, qui juſtiore titulo cenſuram ab Epiſcopis & Principibus mereantur.

(11) Car-

[11] Cardinalis de Luca in *Relatione Curiæ Romanæ Diſc. XIX. n. 15.* rectè monet, in prohibitione librorum, quò magis fieri poteſt, parcè ac circumſpectè procedendum eſſe, ne facilitas & frequentia vilipendium cauſet, aliaque producat inconvenientia, quæ in Eccleſiaſticis cenſuris Canones atque Concilia vitanda docent ac monent. Sed prudenti monito ſæpe morem non gerunt Conſultores. Addit equidem vir Eminentiſſimus *n.* 14. Congregationis Indicis officium non ſolùm pertinere ad fidem & mores, ſed ad illa etiam quæ *Eccleſiaſticam poteſtatem* ac *libertatem* concernunt: quoniam, ait, iſta ſunt hæreſum vel ſchiſmatum ſemina, radices aut præparationes; unde prudentis medici eſt his malis occurrere. Præter ea, quæ hanc in rem monuimus ſuprà *n.* 5. hìc modò addimus, deplorando loco futuram rem Catholicam, ſi ei nævi, quos *cap. III.* §. 11. nec non *cap. VI.* §. 13. & 14. indicavimus, deberent, ſeu vellent referri ad Eccleſiaſticas libertates; aut ſi noxa foret illos ſcriptis inculpare, ſpe obtinendæ emendationis conformiter ad ſenſum Patrum ac Conciliorum.

(12) Multis libris in Indicem Romanum relatis tutò applicabitur quod ad Georgium Caſſandrum, Imperatorum Ferdinandi I. & Maximiliani II. Conſiliarium, anno 1565. ſcripſit Andreas Maſius Doctor Lovanienſis in Epiſtolis vel à Belgis vel ad Belgas ſcriptis, anno 1617. Lugduni editis, *pag.* 264. nempe: „ Quòd nomen tuum in catalogum „ illum invidioſum ſit per malevolorum hominum artes „ relatum, eò mihi dolet magis, quò te id graviùs ferre „ animadverto; quanquam apud eos, qui res ipſas judi- „ cant, tibi illud tuiſque ſcriptis infamiæ futurum non „ eſt. Quis enim neſcit, ùt nullo cum judicio, ita ma- „ ximâ cum invidiâ Indicem illum comportatum & con- „ ſutum? Quis (*certorum Religioſorum*) importunam im- „ pudentiam, & conjunctas cum hac virtute mirificas ad „ quævis eccleſiaſtica munera obrependi artes ignorat? „ . . . . “ Tradit Card. de Luca *cit. Diſc. XIX. n.* 20. Conſul-

Conſultores in remunerationem laboris, in Congregatione Indicis poſiti, recipere Epiſcopatus vel Religionis munera, pro eorum qualitate ac temporum oportunitate. Pergit deide Maſius: " Et quis ſcit mi Caſſander, num du„ ctu divinæ providentiæ in famoſum illum album ſis re„ latus, quo lubentius tua ſcripta legantur, adverſus quo„ rum protervas parumque religioſas novitates illa impri„ mis elucubraſti. Ego certè, ut nunc tuæ ſunt res, non „ ſatis diſpicio, melius ne, an pejus tibi & tuis ſcriptis „ conſuluerint homines maligni. Exiſtimat Reccus, bene „ te facturum, ſi apud Cæſarem atque Pontificem que„ rare . . . . . " Mihi verò res tanti non videtur, &c. Porro cujus vitæ, cujus eruditionis, cujus denique religionis vir fuerit Caſſander, quo denique in pretio habita ejus ſcripta, intelligimus ex Bibliothecarii Sorbonici Lavocat Dictionario Hiſtorico, anno 1755. Pariſiis edito, *Tom. I. pag.* 205. Scilicet: " George Caſſander, l' un des plus „ grands hommes de ſon ſiécle, naquit à Bruges, ou ſe„ lon d'autres dans l'isle de Caſſand, en 1515. Il ſçavoit „ les langues, les Belles-lettres, le Droit & la Theolo„ gie. Jamais écrivain ne fit paroitre plus de zéle pour „ concilier les eſprits touchant les controverſes des Reli„ gion, plus de moderation dans ſes écrits, plus de dou„ ceur & de proibité dans ſes mœurs, de deſintéreſſement „ dans ſa conduite. Il fut conſtamment attaché à la foi „ Catholique, & mourut le 3. Février 1566.

(13) Verè dixit Maſius, hanc condemnationem Caſſandro ejuſque ſcriptis *infamiæ non futuram*; ſi enim omnis talis damnatio bonorum & doctorum virorum famam læderet vel minueret, in hoc diminutæ famæ caſu invenirentur quatuor Cardinales, & quinque alii Præſules, qui an. 1536. juſſu & ſub auſpiciis PAULI III. Pont. max. celebre illud Conſilium de Emendanda Eccleſia conſcripſerunt: ipſum enim hoc Conſilium, non verò explicationes eidem ſive à Sturmio ſive ab aliis additas, deinde à PAULO IV.

[quan-

(quanquam ipſe ſub nomine *Cardinalis Theatini* fuiſſet unus de hujus Conſilii auctoribus & ſubſcriptoribus) damnatum eſſe, adverſus Em. Angelum Mariam Quirinum in Epiſtola ad eundem Cardinalem 15. Sept. an. 1747 ſcripta, & anno ſequenti Tiguri impreſſa, invictè probat vir clar. Georgius Schelhornius, civitatis Memmingenſis Bibliòthecarius.

§. III.

Alterum remedium ponitur in Concilio Generali libero.

Galli, dum de mediis tollendarum difficultatum, quæ ſunt inter Nationem & Romanam Curiam, tractant, inter cætera proponunt viam amicabilis conferentiæ cum Papa ejuſve Legatis; facit id nominatim Petrus du Pux in *Commentar. de Libert. Eccleſ. Gall. cap. LXXVI.* Nos cum non agamus de gravaminibus unius Populi, ſed Univerſalis Eccleſiæ, ſaltem Occidentalis omnium verò Nationum Eccleſiæ & poteſtates per ſuos reſpectivè Epiſcopos, Prælatos & Legatos vix aliter quam in Concilio convenire queant; ſic loco propoſiti per Gallos remedii, potius convocatio Concilii Univerſalis ſuadenda, urgenda, & apprehendenda erit. Sed ut in Generali Synodo hac de re cum fructu & effectu agi valeat, deſideramus tale Concilium, cujus partes & dotes deſcripſimus *cap. VI.*, ſcilicet, ut Papa illud congregare recuſante, poſſint nihilominus & debeat convocari & adunari ab aliis, uti diximus *eodem cap. VI.* §. 3. Deinde, ut ſit liberum, & Pontifex ſe ejuſdem deciſionibus agnoſcat ſubjectum, *ibid.* §. 1. 5. *&* 6. De Appellationibus ad tale Concilium, in certis caſibus, & in hoc maximè, ubi de ipſo Papa judicando agitur, legitimis & licitis, egimus ejuſdem Capitis §. 10. *&* 11. Tali generali Synodo ſaltem opus erit ad determinanda ea, de quibus quæri poſſet, an legitimo uſu & conceſſione Epiſcoporum ac Principium Romanæ ſedi acquiſita dici debeant: quorſum pertinent translationes & erectiones novorum Epiſcopatuum, fortè etiam jus abſolvendi & di-

diſpenſandi in caſibus, & ſimilia; quæ enim manifeſtè abuſiva ſunt, ea etiam citra Univerſale Concilium emendari poſſe, mox dicemus.

(1) Omnibus notus eſt horror ille, Pontificibus & eorum Curialibus inde à Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi injectus adverſus quævis Concilia generalia, idque propter unicum metum reformationis. Juvat hic pauca referre de geſtis circa hanc rem, & mediis compulſivis, quibus ad reſumendam univerſalem Synodum Gallia uſa fuit durante illo decennio, quo ab anno 1552. uſque ad annum 1562. abruptum manſerat Tridentinum Concilium.

(2) Refert imprimis Thuanus *Hiſt. Tom. I. Lib. XXV. pag. 762. edit. an. 1626.* qualiter in conventu Fontis-Bellaquei anno 1560. propoſuerit: " Joannes Monlucius Epiſcopus „ Valentinus, vir eloquens . . . . . Concilium generale „ ad diſſenſiones hujuſmodi componendas à Patribus ſem- „ per uſurpatum, neque verò ſe videre, qui Pontificis „ conſcientia vel ad horæ momentum quieſcere poſſit, qui „ tot animas quotidie perire videat, quas ab ipſo procul „ dubio Deus tandem ſit repoſciturus. Quod ſi Conci- „ lium *Generale* obtineri non poſſit, tum Regem quod ſui „ officii ſit, facturum, & Caroli M. & Ludovici pii exem- „ plo Concilium *Nationale* coacturum.

(3) Pergit deinde Thuanus *ead. pag. 762.* " Poſt eum Vien- „ nenſis [Archiepiſcopus, Carolus Marillacus] longio- „ re & acriore oratione uſus . . . . . . per licentiam & „ corruptos omnium Ordinum mores eo rem deductam, „ ut citra periculum eo loco, quo ſint, diutius conſiſtere „ non poſſint. Quod ad religionem ſpectat, probare qui- „ dem remedium, quod ab Oecumenico Concilio peti- „ tur: ſed illud hujuſmodi eſſe, ut hodie potius optari, „ quam ſperari debeat, ob difficultates jam antè perſpe- „ ctas, & quæ in tali negotio exoriri amant. Neminem „ non ſcire, quantos labores Carolus V. in Concilio pro-

„ curando ſuſceperit, & quibus ludificationibus uſi ſint
„ Pontifices, ut eum ſpe laudabili, quam animo pius Prin-
„ ceps conceperat, fruſtrarentur. Morbum item, cui re-
„ medium quæratur, adeo auctum eſſe, ut minimè expe-
„ ctandum ſit, dum medicus è longinquo accerſatur, ma-
„ gna adventus incertitudine. Igitur ad Nationale Con-
„ cilium recurrendum eſſe, quod Rex publicis litteris pol-
„ licitus ſit, & propter neceſſitates & anguſtias, in quas
„ Eccleſia Paſtorum negligentia conjecta ſit, amplius dif-
„ ferri non poſſit. Nec verò id ab Eccleſiæ inſtituto,
„ aut à regni hujus conſuetudine alienum eſſe: quippe
„ cum ex ſacris Decretis conſtet, ſingulis quinquenniis
„ Concilia cogi moris fuiſſe, & à Clodoveo ad Caroli M.
„ tempora, & inde uſque ad Carolum VII. ſemper in Gal-
„ lia Concilia celebrata ſint, modò in univerſo regno, mo-
„ dò in parte, aliquando in ſingulis provinciis. Itaque
„ quando malum urgeat, nequaquam amplius cunctandum,
„ nullamve impedimentorum, quæ à Pontifice afferantur,
„ habendam rationem.

(4) Excitarunt hæc de congreganda Nationali Synodo con-
ſilia & minæ Summum Pontificem, ut de renovanda Uni-
verſali Synodo, ſi non feriò cogitaret, ſaltem deliberare
ſimularet. Sic enim proſequitur Thuanus *cit. Lib. XXV.*
pag. 791. " Jam fama in Italia percrebuerat de Hoſpita-
„ lii ſermone in Conciſtorio Regis habito, quò poſt men-
„ tionem œcumenicæ Synodi factam, Epiſcopos omnes,
„ ut ſe compararent hortatus, Nationalis Concilii ſpem
„ fecerat, ſine dilatione in Gallia celebrandi, ſi œcume-
„ nicum à Pontifice quam primum impetrari non poſſet.
„ Ad quæ Pontifex, cum affectata ſemper mora anxiè
„ reſponderet, ut crebras Oratorum noſtrorum expoſtula-
„ tiones facilius eluderet, venturum ſe Bononiam pro-
„ pediem dicebat, atque in itinere cum Coſimo, pruden-
„ tiſſimo & amiciſſimo ſibi Principe ac gentili, ea de re
„ acturum pollicebatur.

(5)Per-

(5) Pervicit autem tandem metus Nationalis Concilii, & Pontificem movit ad reaſſumendum Generale, de quo ità idem Thuanus *Tom. II. Lib. XXVIII. pag.* 40. " His „ litteris, gallica libertate, & tempore maximè ſuſpecto, „ quo de Concilio Nationali apud nos habendo fama paſ- „ ſim increbuerat, ſcriptis, immane quantum commotus „ eſt Pontifex: quod tamen ab illo pro tempore diſſimu- „ latum, in cauſa fuiſſe creditur, ut de Concilio œcume- „ nico, cujus ſpem magis excitaverat, quam fidem præ- „ ſtare decreverat, ſeriò cogitare cœperit. " Adde ſu-prà *cap. VI. §. 7. & 12.*

§. IV.

Tertium medium in Conciliis Nationalibus quærendum eſt.

Quemadmodum Concilia Nationalia, ſeriò propoſita, hactenus fuerunt, & relativè ad perdurantia Aulæ Romanæ politica principia impoſterum probabiliter erunt efficax motivum ad obtinendam à Summo Pontifice convocationem Generalis Concilii; ita & eædem Nationales Synodi per ſe ſunt medium per quam idoneum reducendi omnia ad tramites & normam Sacrorum Canonum. Haud levis erit opus ponderis ad generalem Eccleſiæ reformationem pervenire; quippe quæ obtineri non poteſt niſi de plurimorum conſenſu, ad quem aliquorum animi variis de cauſis minus diſpoſiti eſſe conſueverunt. At in tanta difficultate, tamque remota ſpe obtinendæ per medium Œcumenicæ Synodi communis reformationis, particularium regnorum Eccleſiis nimis foret grave, interim in & ſub antiquis ſuis abuſibus gemere & languere; juſta itaque eſt his in circumſtantiis, & multò facilior erit reformatio unius Status vel Regni. Sint Princeps, regni Primates, Prælati, ſufficienter inſtructi in vera Diſciplina & genuinis Legibus Eccleſiæ; ſit ille animo forti, & ad bonum ordinem inclinato: Stabunt ab illius partibus Epiſcopi & Sacerdotes eruditi ac boni, ambitioſos & rebelles continebit Principis auctoritas. In hac diſpoſitione cogatur Nationalis Synodus; eruditis ſcriptis exponantur antiqui

Eccleſiæ uſus & Canones; relinquatur & reſtituatur Romæ, quod ei legitimè debetur, ſed recipiantur uſurpata; fiant aptæ Conſtitutiones ad impediendum ne Roma decretis talis Concilii Nationalis contravenire, neave evertere valeat, & confectum erit negotium. Conventus Biturigis in Gallia anno 1438. habitus in quo Pragmatica ſanctio erecta eſt, juſtum talis Synodi exemplar præbet.

(1) In ſæculis ignorantiæ, cum non eſſet, qui reſiſteret prætenſionibus & molimінibus Romanorum Pontificum, hi Legatos ex Italia in Galliam, Germaniam, aliaque regna mittebant, qui Nationalibus Synodis præſiderent. Ceſſavit hæc diſciplina, ex quo compertum fuit, Ultramontanorum molitionibus modum ponendum, & ad hoc obtinendum Nationalium Præſulum Conventum eſſe medium cæteris opportunius. Tales Nationales Conventus à Regibus Galliæ, quoties id è re viſum, coactos fuiſſe adverſus Cenſores ſuos egregie probavit Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag.* 198. *ſeq. edit. Paris*. In his res ad priorem ſtatum reſtituta eſt, cum unus ex Epiſcopis regni Synodo præſideret.

(2) Epiſcoporum eſt in tali Synodo ſub Regis auſpiciis examinare & ordinare puncta Eccleſiæ convenientia *relativè ad ſtatum regni*. Dum inter ſe diſſiderent Ludovicus XII. Rex Galliæ, & Julius II. Papa, viſum illi fuit anno 1510. Turonis convocare Epiſcopos regni, horumque diſquiſitioni & judicio relinquere gravamina, quæ à Romana Curia Rex ſibi inferri querebatur. Sub Carolo VI. in tali Conventu ſubſtractio ab obedientia Papæ, *alias agniti*, decreta eſt. Vid. Berthier *Continuat. de l' Hiſtoire de l'Egliſe Gallicane Tom. XV. pag. 5. ſeqq. & pag.* 260.

(3) Si Papa juſtis talis Synodi decretis ſe ſe opponens, in ejus invidiam cum regno ſchiſma faceret, & à ſua illud communione propterea repelleret: cum ipſius, non Regis & Epiſcoporum regni, juſtè procedentium, facto & cul-

culpa hoc accideret, *extra ordinem, ad tempus*, de Capite Nationali huic Eccleſiæ providendum eſſet, ſcilicet eo modo, quem anno 1408. in Gallia obſervatum ſcribit Berthier. *l. cit. p.* 261. ubi: " Cependant, il falloit pourvoir „ au gouvernement de l'Egliſe Gallicane, durant la ſou- „ ſtraction de l'obedience, & l'on eut recours, comme „ on avoit fait dix ans auparavant à l'Aſſemblée du Cler- „ gé, qu' on regardoit en ces rencontres, comme le ſou- „ verain Tribunal Eccléſiaſtique de la Nation. " Ipſe (quod fortè mireris) Andreas Duvallius, Pontificiæ auctoritatis, cum exceſſu, celebris defenſor *Tract. de ſuprema Rom. Pontificis poteſtate Part. I. Quæſt. 2. & Part. IV. Quæſt.* 11. tradit, Benedicto XIII. *meritò denegatam obedientiam*, non modò quod ſchiſmaticus eſſet, *ſed quod de Eccleſiaſticis beneficiis, contra jus faſque in detrimentum Eccleſiæ ſtatuere præſumeret*. De Hiſpania memorat Thuanus Hiſt. Lib. I. p. 11. ad annum 1524. *Cæſar* (Carolus V) *ut injuriam ſibi à Clemente VII. illatam ulciſceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet, exemplo ab Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem AD TEMPUS conſervari*.

[4] Expoſuimus *cap. III. §.* 11. intolerabiles abuſus prætenſæ Monarchiæ Romanæ, duriſſimaſque conſequentias, quæ ex ſacri hujus deſpotiſmi principiis in diſciplinam Eccleſiaſticam, in particulares Eccleſias, & in privatos defluunt. Cum his ſequelis non tantum integræ nationes & populi inſigniter graventur, ſed & ipſa univerſalis Eccleſia ac ſancta Religio noſtra ſub iiſdem miſerè gemat: ſupereſt, ut à viris prudentibus, doctis & piis deliberetur, & in nationalibus Synodis ſtatuatur, an non (poſtquam molliora exhauſta ſunt) remedium *temporariæ* ſubtractionis, quod alias in communibus Eccleſiæ neceſſitatibus cum fructu uſurpatum eſt, etiam ad tollenda hæc mala utiliter adhiberi queat. Conf. *Cap. VI. §. 3. n. 5. 6.*

(5) In

(5) In conventu Epiſcoporum , occaſione juris Regaliæ , & nonnullorum Brevium Apoſtolicorum , de quibuſdam cauſis eccleſiaſticis in præjudicium Juriſdictionis Ordinariæ emanatorum, anno 1681. Pariſiis habito, ex tribus Archiepiſcopis & totidem Epiſcopis ad referendum deputatis , primus, Remenſis ſcilicet, ſuum & Collegarum votum ita concluſit : " Qu' on pouvoit écrire une lettre au Pape, dans
„ laquelle on prendroit la liberté de lui repreſenter , que
„ la matiere de la Regalie ne meritoit pas que ſa Sainteté
„ portat les choſes ſi avant ; que la chaleur qui paroiſſoit
„ dans ſes Brefs addreſsés aux Religieuſes de Charonne,
„ & au Chapitre de Pamiers, on avoit troublé l'ordre de
„ la Juriſdiction , & violé le droit , tant des Ordinaires,
„ que des Metropolitains ; qu' on s' étoit élevé au deſſus
„ des Conſtitutions Canoniques, & que ces entrepriſes
„ ſur les regles les plus ſaintes étoient capables ſelon la
„ penſée de Saint Leon *Ep. 62.* d'affoiblir l'union que
„ les Egliſes de France doivent inviolablement conſerver
„ avec le Saint Siége : mais que comme il ſe pourroit fai-
„ re que ſa Sainteté trompée par ceux qui l'avoient ſurpriſe
„ juſqu' alors, regarderoit moins ces juſtes remontrances,
„ comme la voix de toute l'Egliſe de France , que com-
„ me l'effet des impreſſions de la Cour & d'une baſſe
„ flatterie , il falloit demander au Roi un *Concile National*,
„ ou du moins une Aſſemblée génerale de tout le Cler-
„ gé , ainſi qu' il s'étoit pratiqué ſous Philippe I. Philippe
„ le Bel , Charles VI. Charles VII. & Louis XII. à fin
„ que l'Egliſe de France repreſentée par les Deputés put
„ diſcuter les matieres, élever la voix, ſe faire entendre,
„ prendre des reſolutions propres à engager Rome à fai-
„ re attention à ſes plaintes : que cette reſolution ne
„ pouvoit manquer d'attirer la benediction de Dieu &
„ l'approbation des hommes ; qu' elle pourroit meme ſe-
„ lon la penſée d'un Ancien ſervir d'exemple à leurs ſuc-
„ ceſſeurs; *& quod hodie exemplis tuemur , inter exempla*
„ *erit .* " Votum referentium, Commiſſariorum unanimi Epi-

Epiſcoporum calculo probatum receptumque fuit. Vid. Davrigny *Memoires Chronologiques Tom. III. pag.* 189. *ſeq.* Porro Epiſtolæ LEONIS M. olim 62. hodie 92. ad Maximum Antiochenum anno 453. ſcriptæ, quam in ſuo & correferentium voto laudavit Remenſis Præſul, verba hæc ſunt: *Dignum eſt, te Apoſtolicæ ſedis in hac ſollicitudine eſſe conſortem* (Monuerat Leo Maximum, ut hæreticæ pravitati Sacerdotali auctoritate reſiſteret, & de profectu Eccleſiarum Romam ſæpe referret) *& ad augendam fiduciam privilegia tertia* [al. *tertiæ Sedis*] *agnoſcere, quæ in nullo cujuſquam ambitione minuentur: quia tanta apud me eſt Nicænorum Canonum reverentia, ut ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua novitate violari. Etſi enim diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen jura permanent Sedium: quibus etſi poſſint æmuli perturbationem aliquam fortaſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem &c.* Rectè ſane S. LEO *Æmulum* & *perturbationem inferentem* vocat, quicunque (ſi vel ipſe etiam Papa foret) aliarum *ſedium jura dignitatemque minuere*, *Canonum & SS. Patrum conſtituta* quibus memorata ſedium jura firmantur, *aliqua novitate violare* præſumeret; multum verò abeſſe, ut is illorum, quorum jura ita invadit, *fiduciam* ſibi conciliet, minus *augeat*.

Sed nec minus prudenter in prælaudato voto Remenſis Archiepiſcopus: Particularibus Eccleſiis omni ſtudio quærendam & ſervandam unionem cum Sancta Sede: Nihilò tamen minus eorum, qui jura Ordinariorum & Metropolitanorum invadere, ordinem ſacræ Juriſdictionis invertere aut turbare, Canonicis Conſtitutionibus contraire præſumunt, conatibus obviandum: Si verò qui talia moliuntur, Primæ ſedis auctoritate ſe ſe muniant, & poſtquam religionem Sanctiſſimi pro privatis ſuis commodis jamtum circumvenerunt, acceſſum etiam ad aures atque *Cor* Summi Pontificis occludant, & per hoc memoratam unionem inter Caput & membra debilitent; tùm quærendos om-

omnes poſſibiles aditus ad Pontificium Solium, remotis quibuſvis impedimentis, ut veritas tantò certius penetret & locum inveniat: Inter has autem vias convenientiorem futuram illam *Nationalis Synodi*, quæ vocem ſuam ita elevet, ut non poſſit non Romæ, in ſecretiori etiam Pontificis ſeceſſu, audiri. Tantum autem abeſt, ut Summus Pontifex malè hæc vertere poſſit, ut vel ex contrario ſentire debeat, ea profluere *ex ſincero ſtudio ſervandi Nexus Caput inter & Membra*, quem ſi hæc minus ſollicitè & reverenter curarent, alios faciliores nec minus legitimos modos depellendorum abuſuum haberent.

§. V.

Hæc multò commodius expediuntur in regno Monarchico.

In aliis Romana Curia facilius diviſiones excitat.

Quandoque Principes ſæculares propter propria ſua commoda exorbitantes Romanorum prætenſiones tolerant, imò ſuſtinent.

Longè commodius certiuſque hæc tractantur & definiuntur in regno, cujus forma Monarchica, qualis eſt Galliæ. Germaniæ Syſtema publicum communibus Eccleſiaſticis commodis promovendis multò minus idoneum eſt. Non competit illud Imperatori in Epiſcopos Germaniæ imperium, eademque poteſtas, quæ Regi Galliæ in ſuos. Sed neque eædem rationes publicæ, eademque commoda ſingularum provinciarum Germaniæ; quæ licet certis nexibus ſocialitatis aliiſque cohæreant, ſeparatis tamen ut plurimum legibus moribuſque reguntur. Præterea ſingularis eſt nexus plurium Germaniæ Epiſcoporum cum ſuis Capitulis Cathedralibus, cujus vinculum ſunt Capitulationes, toties prohibitæ, & ſemper ſubſtitutæ. Egent Archiepiſcopi & Epiſcopi gratia Romanæ Curiæ ad obtinenda brevia eligibilitatis, aliaque indulta; quærunt Canonici Cathedralium ejuſdem favores pro obtinendis beneficiis, pro habendis

diſpen-

diſpenſationibus ſuper eorum pluralitate, aliiſque gratiis. Interim ſi fortunatior hac in parte Gallia exemplo præiret, & Imperator (qui & ſuum, eumque haud levem, quamvis indirectum, in res Epiſcoporum & Capitulorum Germaniæ habet influxum, præſertim in electionibus, quibus Auguſtiſſimus potenter præſidet) eo fervore has res ſacras in diætis publicis proponeret & urgeret, qua Eccleſiaſtica negotia in communibus Germaniæ conventibus tractavit Carolus V. Imp., imò majore fide, & ſemotis omnibus rationibus politicis, quæ huic Imperatori vulgo tribuuntur; ſperari poſſet, futurum, ut & Germania, toties ſua credulitate & Italorum machinationibus deluſa ac preſſa, priſtinam libertatem recuperet. Verum ad hunc finem obtinendum, oporteret privata ſingulorum commoda ſeponi, ne & hic eveniat quod dixit Livius: *Privata commoda ſemper offecere officientque rebus publicis*. Habemus autem & experientià compertum, à Sæcularibus quandoque Poteſtatibus, propter ſua ſtudia & compendia, exorbitantes Romanorum prætenſiones ſuſtineri.

(1) Quoties in Germania de recuperanda libertate adverſus Romanam Curiam actum eſt, hujus ſtudium fuit, tum rationibus politicis *Imperatoris* animum ad ſe inclinare, tum *Epiſcoporum* & *Principum* dividere conſilia ac commoda. Utriuſque methodi addemus exemplum e ſæculo XV., quod perfectè exprimit genium Curiæ, in hunc uſque diem perdurantem. (*a*) Legitur apud Gobellinum in Commentariis de Geſtis Pii II. Lib. I. pag. 25. *Qualiter mortuo* [Nicolao V. Papa] *fuerint non pauci, qui Cæſari ſuaſerint, nunc tempus eſſe coercendi Apoſtolicam Sedem, ne tantum in Germania poſſet: Conventiones, quæ cum Eugenio factæ fuerant, diminutas eſſe, nec prius obediendum Romano Pontifici, quam ea concederet, quæ Natio Germanica optaret, ancillam illam videri, libertatem aliquando mereri* . . . . . . *Contra Æneas* (Sylvius) *non eſſe è re Cæſaris, ajebat, Romani Pontificis auctoritatem reprimere, ut populi gratia iniretur, quæ ſui natura inconſtantiſſima*

 eſt

eſt . . . . Papam Imperatoris, & Imperatorem Papæ auxilio indigere: ſtultum eſſe illi nocere, cujus exſpectes opem . . . . Mittendam more majorum obedientiam, fæduſque cum novo Præſule honeſtum ineundum, eoque pacto Germanos Imperatori obedituros. Vicit Æeneæ ſententia; atque ipſe miſſus eſt, qui ea perageret, quæ ipſe ſuaſerat. Hæc ad *Imperatorem* pertinent. (*b*) Quod ad *Epiſcopos* & *Principes* attinet, ſic ſcripſit ad Laurentium Rovarella Legatum Apoſtolicum in Germania idem Æneas Sylvius Epiſt. 334. apud Joannem Trithemium *in Hiſt. belli Bavarici Addit. ad an.* 1495. in Freheri Script. Rer. Germ. Tom. II. pag. 371. edit. Struv. *De negotiis Rheni multa referuntur non bona* (nimirum agebatur inter Principes de tollendis gravaminibus Nationis Germanicæ) *propter quæ neceſſarium erit, ut quam primum cum conſilio Imperatoris, & cum litteris tuis ad partes illas te transferas, & labores juxta commiſſionem tibi traditam. Interea bonum eſt, quod cures, ut Imperator ſcribat Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ſimulque Rigenſi, & imprimis Trevirenſi & Saltzburgenſi, ut ſi quærantur ad aliquam conventionem in factis Eccleſiæ, non conſentiant, ſed ad ipſum omnia referant quæ queruntur: & ſuadeat, ut ſi qui ſunt, qui novitates quærant, illis non aſſentiant, quia periculum eſt in mora. Bonum eſt etiam laborare apud Ducem Bavariæ Ludovicum, ut ſcribat Palatino Rheni ſanguineo ſuo, ne ſe implicet conventionibus eorum, qui contra Sedem Apoſtolicam aliquo modo moliuntur: perſuadendo ſibi, quod multò facilius filii Principum promovebuntur per Sedem Apoſtolicam, quam per Capitula & Ordinarios. Et hoc bene cura in auribus Principum inculcare, quia veritas eſt. Vale, & ſcribe ſæpius, quomodo tibi ſuccedat. Dat. Romæ VIII. Cal. Decemb.*

(2) Evenit etiam haud rarò (quod dolendum) ut & ipſæ ſæculares Poteſtates in ſuſtinenda per exceſſum Pontificia auctoritate ſibimet præſidium quærant & inveniant. Dabimus hujus rei quædam exempla recentiora. [*a*] Anno

1740.

1740. obtinuit Rex Galliæ pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, ad interim verò pro ſocero ſuo Stanislao Poloniæ Rege, à Clemente Papa XII. indultum providendi per viam Commendæ omnibus Abbatiis in Ducatibus Lotharingiæ & Barri ſitis, *quarum collatio, proviſio, & alia quævis diſpoſitio AD SEDEM ROMANAM pertinere dignoſcitur*: Sic ſonant verba Indulti. Vacante dein quadam Abbatia Ordinis S. Benedicti Congregationis Bursfeldenſis, quæ ab omnibus retrò ſæculis fuerat electiva, & cujus electionis confirmatio ſemper ad Epiſcopum diœceſanum Germaniæ Principem pertinuit, nullo unquam, quovis modo excogitabili, jure hac in parte per Apoſtolicam Sedem exercito, prætendebant Monachi dictæ Abbatiæ, ſuam Eccleſiam ſub memorato Indulto nulla poſſe ratione comprehendi. Repoſuit econtra & de facto ſuſtinuit Miniſterium Stanislai Poloniæ Regis quà Lotharingiæ Ducis: terras omnes Lotharingicas, quarum plures eò uſque jure Concordati Germanici uſæ fuerant [inter quas eadem Abbatia nominatim reperiebatur) per tractatum Viennenſem anni 1736. quo Lotharingia Galliæ perpetuò ceſſa & unita eſt, ſtatum mutaſſe; ante Concordatum anno 1458. inter Nicolaum Papam V. & Fridericum III. Imp. initum. Papam prætendiſſe collationem *omnium* beneficiorum; huic prætenſioni quidem per Concordatum fuiſſe modum poſitum, verùm ſublato Concordato revixiſſe prætenſionem & jus anterius Summæ Sedis, hocque jus ex ceſſione & translatione nunc inveniri & reſpectivè exerceri per altèfatos Reges Poloniæ & Galliæ. (*b*) Non ſunt incognita Brevia Apoſtolica, recentiora & antiqua, à Regibus ac Principibus obtenta, ad collectandum Clerum, ſive in decima, ſive in alia redituum parte. Iidem Magnates, niſi de ipſorum emolumento ageretur, ne umbram juris in temporalia Eccleſiarum ſuorum regnorum Romano Pontifici concederent; nunc ut propriis commodis velificent, talia indulta petunt, obtinent, & executioni tradunt; ſicque ipſi Romanis anſam

 dant,

dant, ſibi arrogandi & ſuſtinendi jura, quæ cœteroquin nulla ratione ſuſtineri poſſent &c.

(3) Occurrit hic memoriæ obſervatio Stephani Paſquier dans ſes *Recherches de la France Lib. III. chap. 25.* " Depuis que „ le S. Siége eut été transféré en Provence, ce ne fut plus „ qu' un mélange & débauche de toutes choſes; le „ Pape à la verité accordoit au Roi des levées de dé- „ cimes ſur le Clergé, beaucoup plus à l'abondon que „ l'on n'avoit fait auparavant, ſous prétexte de voyages „ imaginaires d'outre mer; & le Roi en contr'échan- „ ge connivoit aux graces exſpectatives, & proviſions „ extraordinaires du Pape ſur les bénéfices, enſemble „ aux exactions qu' il faiſoit deſſus tout les bénéficiers „ pour entretenir ſon état.

§. VI.

Quartum medium haberi poterit in concordi Conſtituto Catholicorum Principum, adhibito pro horum directione Eccleſiaſticorum, maximè Epiſcoporum, conſilio.

Exulcerata mala extraordinaria requirunt media. Tale excogitavit CAROLUS VII. Rex Galliæ, aptum extinguendo diuturno ſchiſmati, quod ipſo & Friderico III. Imp. regnantibus Eccleſiam preſſit; quodque ſibi probatum, Caſparo Schlick Imperatoris Cancellario, inſinuavit Æneas Sylvius Epiſt. 54. hoc tenore: *Vidi quod Reges ſcribunt, ex copiis literarum, nec deſpero, rem bene poſſe conduci, ſi aggredi velimus negotium; omnibus enim, ut vides, diſplicet ſchiſma, omnes abhorrent. Viam autem ſopiendi hoc malum, Carolus Rex Franciæ, niſi fallor, & tutam, & brevem, oſtendit, ut fiat Conventus Principum, vel eorum Oratorum, in communi aliquo loco, ibique una recipiatur concluſio per omnes; ad hoc autem peragendum opus eſſet, rurſus ſcribere cunctis Regibus, Principibuſque, ut Oratores ſuos Argentinam vel Conſtantiam mitterent, pleno mandato*

dato ſuffultos, ad pacem Eccleſiæ pertractandam. Fienda eſſet rurſus expenſa, quæ anno præterito facta eſt vix tricentorum aureorum; paulò plus Conſtantinus in congregatione Nicæni Concilii expoſuit. Hæc via non poſſet impediri; nec Papa, nec Concilium reniti poſſent, tanquam abſque ipſis fieri nequiret; licet enim Principibus ſæcularibus convenire invito Clero; & tamen illic fieri poſſet. Nam ille Papa indubitatus eſſet, cui omnes Principes obedirent. Non video Clericos, quod velint pro iſta vel illa parte martyrium ferre. Omnes hanc fidem habemus, quam noſtri Principes, qui ſi colerent idola, & nos coleremus, & non ſolum Papam, ſed etiam Chriſtum negaremus, ſæculari poteſtate urgente; quia refriguit charitas; & omnis interiit fides. Utcunque ſit, pacem deſideramus, quæ ſive per aliud Concilium, vel per Conventum Principum, detur, nihil pendo; non enim de nomine, ſed de re contendendum eſt. Voca panem, ſi placet, lapidem, & da mihi dum fameſco: non vocetur Concilium; vocetur Conventus, vocetur Conciliabulum, Congregatio, Synagoga, nihil intereſt, dum ſchiſma depellat. Ideo mihi admodum placet, quod Rex Franciæ ſcribit, ejuſque ſententiæ inhærerem; nam videtur Regi noſtro (Imperatori) *permittere hujus Congregationis vocationem.* Quod Principibus Eccleſiæ amantiſſimis (quibus à Conciliis & ab Eccleſia cuſtodia & executio Canonum, verorum utique, non falſorum, demandata eſt) & Æneæ Sylvio, viro (non obſtante, quod in ſua Epiſtola quibuſdam liberioribus expreſſionibus, ut erat homo fervidi ingenii, uſus fuerit) tiara Pontificia digno, aptum viſum fuit extinguendo ſchiſmati, quare non ſit idoneum extirpandæ malæ radici, quæ graviſſimo omnium ſchiſmati, hodieque perduranti, ortum dedit, Juri ſcilicet Iſidoriano, cujus falſitas jam aperta eſt, & reſtituendo anteriori vero? Attamen ne à ſecularibus in executione & applicatione hujus medii erretur, opus eſt, ut Eccleſiaſticorum, præcipuè Epiſcoporum, lumine dirigantur.

(1) Quam opportuna quin & neceſſaria ſit hac in parte Principum auctoritas, maximè ad tollendum ſchiſma, egregiè expreſſit Petrus Regis Abbas montis S. Michaelis apud Bour-

Bourgeois de Chaſtenet in *Hiſt. Conc. Conſtant. pag.* 29. *in Probat.* ubi : " Omnis Catholicus tenetur ad reducendum
„ Eccleſiam ad obedientiam unius Romani Pontificis, ex-
„ tirpando omnia contraria , & removendo impedimen-
„ ta . . . . Dico, quod in ſpeciali Principes ad hoc
„ tenentur . Probatur hoc , quia de præteritis ſchiſmati-
„ bus *non reperitur ſchiſma ſedatum* , *niſi per Principes*,
„ *ut patet ex decurſu Chronicorum* . Item quia dicit Pela-
„ gius Papa timere Principes non debent punire facientes
„ ſchiſmata; & hoc poſſunt Principes auctoritate judiciali
„ vel principali ; nec poſſunt Deo majus ſacrificium offer-
„ re . . . . Quinimo auctoritate propria ſe debent
„ intromittere; & hoc dicit Bonifacius VI. ampliando de-
„ cretum *ſi duo contra fol.* 79. *Diſt. Ad hoc facit. C. ſi*
„ *quis.* 96. cum Gloſſa . Et videtur caſus in *L. ſi quis in*
„ *hoc genus. Cod. de Epiſc. & Cler.* ubi videtur, quod au-
„ ctoritate propria Principes poſſunt paci Eccleſiæ provi-
„ dere, non ſolum ad requiſitionem Eccleſiæ .

(2) Opponent haud dubiè Romani , has res ad ſæcularium Principum auctoritatem minimè pertinere . Sed reſpondebit pro nobis celeberrimus J. C. Duarenus *Lib.* 1. *cap.* 5.
„ Nec me latet, de rebus ſacris ac ſpiritualibs judicium
„ eſſe ipſius Eccleſiæ . . . . Quamvis autem de re-
„ bus ſacris judicium ſit Eccleſiæ ; tamen ubi ſemel con-
„ ſtituta ſunt, ac judicata , Magiſtratus officium eſt Eccleſiæ
„ judicia & decreta tueri & conſervare, ſi id neceſſarium
„ eſſe perſpexerit. Itaque blaſphemias, hæreſes, & omnem
„ impietatem externam punit & vindicat. Sacerdotes item
„ in officio continet Magiſtratus , diſciplinam Eccleſiaſti-
„ cam conſtituit ac reformat , Quorſum enim tot Conſti-
„ tutiones Principum editæ ſunt de officiis Sacerdotum &
„ Diſciplina Eccleſiaſtica, niſi eas executioni mandare poſ-
„ ſint ? Quales permultæ ſunt Romanorum Imperatorum ,
„ & multo plures extant Priucipum Galliæ antiquorum :
„ ex quibus facilè perſpici poteſt, principem leges condere
poſ-

„ poſſe, quibus Epiſcopi cæterique omnes Eccleſiæ Mini-
„ ſtri ad Canonum Eccleſiaſticorum, *veteriſque diſciplinæ*
„ *obſervationem* in regno ac ditione ſua compellantur; eo-
„ que jure atque auctoritate poſt hominum memoriam uſi
„ ferè ſunt Reges noſtri, non tantum in Galliæ ſuæ Epi-
„ ſcopos, ſed *in ipſos etiam Pontifices Romanos*, ſi quid in
„ finibus Galliæ adverſus Canones & Diſciplinam Eccle-
„ ſiaſticam moliri viderentur.

(3) Quod Duarenus docuit, id ex Romanis actu præſtitere optimi Principes *Conſtantinus M. Theodoſius*, *Marcianus*, & maximè *Juſtinianus*, ut de Regibus Galliæ aliiſque hic nihil memorem. Notanda præprimis Juſtiniani Novella 137. ubi: *Si civiles leges, quarum poteſtatem nobis Deus pro ſua in homines benignitate credidit, firmas in omnibus cuſtodiri ad obedientium ſecuritatem ſtudemus, quantò plus ſtudii adhibere debemus circa ſacrorum Canonum & divinarum legum cuſtodiam, quæ ſuper ſalute noſtrarum animarum definitæ ſunt? Qui enim ſacros Canones cuſtodiunt, Domini Dei adjutorio digni ſunt; qui autem eos tranſgrediuntur, ipſi ſemet ipſos judicio reddunt obnoxios. Majori igitur condemnationi ſubjacent ſanctiſſimi Epiſcopi, quibus concreditum & commiſſum eſt Canones inquirere & conſervare, ſi quod eorum prætermiſſum fuerit, indemnatum & impunitum reliquerint. Sanè cum hactenus Canones obſervati non rectè fuerint, diverſas ex eo paſſi ſumus interpellationes contra Clericos & Monachos & quoſdam Epiſcopos, ut qui ſecundum divinos Canones non viverent . . . . . . Dei igitur intelligentes & animo infigentes judicium, ad ſingulorum, quæ nobis delata ſunt, inquiſitionem ſimul & correctionem juſſimus Canonicè procedere. Si enim illa, quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquiſitionem & vindictam manere, quomodo à Sanctis Patribus ſuper omnium hominum ſalute Canonicè ſtatuta deſpici patiemur &c.*

(4) Tentavit equidem Baronius, Annales Eccleſiaſticos, guſtui Curiæ plenè accommodatos, in urbe Roma ſcribens,

Juſti-

Juſtinianum carpere, quaſi non ſine temeritate manum altaribus admovere, & ſacra tangere auſus fuerit; ſed abundè vindicant Imperatorem noſtrum & ſuprema Principum jura in conſervanda Eccleſiaſtica Diſciplina & executione Canonum (*a*) JOANNES PP. II. dum Juſtinianum laudat, quod anno 533. ex judicio Epiſcoporum aliorumque Eccleſiaſticorum legem tulerit pro orthodoxa fide adverſus eos, qui negant Divinitatem Filii, quique ſectantur hæreſes in quatuor Conciliis generalibus damnatas. *Lib.* 7. *& ſeqq. Cod. de ſumma Trinit.* (*b*) JOANNES Papa VIII. qui Epiſt. 163. citat Novellam Juſtiniani ad probandum, quod nemo *niſi ob cauſam probatam* excommunicari debeat. (*c*) Hincmarus Opuſcul. cap. 17. dum leges Juſtiniani *de Epiſcoporum ſine Metropolitani auctoritate profectione* decernentes ab Eccleſia probari aſſerit. [*d*] Ivo Carnotenſis Epiſt. 280. ſcribens, inſtituta Legum Novellarum Juſtiniani *ab Eccleſia Romana commendari & ſervari*. Ut Concilia aliaque hanc in rem vetera monumenta Eccleſiaſtica prætermittam.

(5) " Non decet quempiam, ait Cardinalis de Cuſa *de Concord. Cathol. Lib. III. cap.* 40. dicere ſanctiſſimos Imperatores, qui bono Reipublicæ in Electionibus Epiſcoporum, in collationibus beneficiorum, in obſervatione Religionum multas ſacras Conſtitutiones ediderunt, erraſſe, & ita ſtatuere non potuiſſe. Imò legimus Romanum Pontificem eos rogaſſe, ut Conſtitutiones pro cultu Divino, pro bono publico, etiam contra peccatores de Clero ederent. Et ſi fortè diceretur, quod robur omnium illarum Conſtitutionum ab approbatione Apoſtolicæ aut Synodicæ auctoritatis dependebat; nolo in hoc inſiſtere: licet 86. capitula regularum Eccleſiaſticarum antiquorum Imperatorum legerim & collegerim, quæ hic inſerere ſupervacaneum foret, & multa alia Caroli M. & ipſius ſucceſſorum, in quibus *etiam de Romano Pontifice*, ac aliis omnibus Patriarchis diſpoſitiones, quod de conſecrandis Epiſcopis & aliis capere debeant, inve-

„ inveniuntur, & tamen nunquam reperi aut Papam rogatum ut approbaret, vel etiam, eapropter quia approbatio ejus intervenit, ligaſſe. Legitur bene aliquos „ Romanos Pontifices fateri, ſe illas ordinationes venerari.

(6) Si legamus faſtos Eccleſiarum, Principes ferè ſoli ſemper erant, qui malis Catholicæ rei mederentur. In Nicæno Concilio Epiſcopi, mutuis invicem accuſationibus accenſi, nihil effeciſſent abſque Conſtantino M. accuſationum ineptias ſopprimente. Sine Carolo M. Eccleſiæ, Gallicana & Germanica, per ſolos Epiſcopos nec pacem habuiſſent, nec diſciplinæ bonum. Salubria ordinata Concilii Baſileenſis per Galliam profecerunt, quia Regis pragmatica ſanctio ea roboravit; in Germania econtra vix eſt allegabile, quia Imperator & Status eidem non adſtiterunt. Sine Sigiſmundo Imp. triceps ſchiſma Pontificium non extirpaſſet Concilium Conſtantienſe. Tridentina Synodus manſiſſet inter Platonicas idæas, niſi Carolus V. cum Ferdinando fratre, aliiſque Germaniæ Principibus, denique Rex Galliæ, tantopere urſiſſent generale Concilium. Abſque providis conſtitutionibus Ludovici XIV. Eccleſia Gallicana gemeret ſub eadem Romanarum diſpenſationum confuſione, ſub qua modò languet Diſciplina Eccleſiarum Germaniæ &c.

(7) Huc comprimis referendum quod ſcripſit Gerſonius *Tr. de Reformatione Eccleſiæ cap. XX.* " Si ad paſſagium terreſtre, ad liberationem regni Hieroſolymitani è manibus „ infidelium, tam libenter, potiſſimum temporibus Conradi III. & Friderici I. Henrici VI. ejus filii, dicti Friderici II. Auguſtorum & Regum Siciliæ, atque Ducum „ Sueviæ, undique Reges, Principes, & Domini ſæculares, Epiſcopi, Sacerdotes ac Clerici, contra Saracenos, „ infideles & paganos non abſque graviſſimis corporum „ & rerum ſuarum periculis concurrerunt, fulti ſubſidiis „ multarum indulgentiarum, accincti armis bellicis diverſorum armorum, qui tamen detentores terræ ſanctæ

„ non ſunt Chriſtiani, nec in fide Chriſti nati, imò ſunt
„ ſpatiis terrarum ſatis diſtantes: Quantò magis ipſi Reges
„ & Principes, etiam Eccleſiaſtici Prælati, & alii Chriſti-
„ fideles ad liberationem totius Chriſtianitatis, totius uni-
„ verſalis Eccleſiæ, ad redemtionem patrimonii Crucifixi
„ Chriſti Jeſu, ad unionem Chriſtianorum, tot guerris,
„ tot ſchiſmatibus . . . . ſe deſtruentium & diſcor-
„ dantium, deberent ſe diſponere . . . . Nam
„ contra bonum & utilitatem ac ſanationem univerſalis Ec-
„ cleſiæ nulla jura, nulla decreta, nullam alicujus juſtitiam
„ ſecundum Deum & rectæ ſcientiæ dictamen poſſumus
„ acceptare . . . . Et hoc fecerunt illi antiqui,
„ devoti & probi Imperatores Romani, potiſſimum Ger-
„ mani, & alii Principes ac Prælati, non habentes reſpe-
„ ctum ad quodcunque jus, quod pro ſe poſſet quis Papa
„ allegare: ut univerſalis Eccleſia propter privata commo-
„ da diviſionem non pateretur, nec in decremento ac
„ ſchiſmate eſſet.

(8) Si difficilius videatur Catholicos Principes, vel omnes, vel pleroſque, in rem adeo expetendam adunare, compendioſiorem viam proponit Joannes Schilterus J. C. Argentinenſis, non minore modeſtiæ quam ſolidæ eruditionis laude clarus. Is tractatu de Libertate Eccleſiarum Germaniæ, ſæculo ſuperiore edito, proponit conventum ſaltem inter Germanos & Gallos, quorum hac in re conſentientium exemplum aliæ Nationes facilius ſequentur. Ita autem ille *Lib. VII. Cap.* 14. §. 23. “Deſperavi de aula Ro-
„ mana, & ab ea ſola dependentibus Eccleſiis Italicis. Sed
„ de cæterarum Nationum, Germanicæ præſertim & Gal-
„ licanæ, Eccleſiis ſpem nondum penitus decollaſſe pu-
„ tavi . . . . . Conſtat ex Concilio Conſtantienſi & Ba-
„ ſileenſi, auctoritatem aulæ Romanæ Conciliis ſubjectam
„ tum fuiſſe. Etſi verò iſta contra audentior ivit, conſtat
„ tamen porro etiam in ipſo Concilio Tridentino eandem
„ ſententiam Epiſcopos Hiſpanos adhuc foviſſe. In Gal-
lia

„ lia porro non tantum Senatus Regius ſemper hoc defen-
„ dit, ſed & Sorbona ipſa non amplius diffiteri videtur ....
„ Itaque arbitratus fui, non impoſſibile eſſe, ut Majeſtas
„ Imperatoria reaſſumens conſilia reunionis in Comitiis
„ Auguſtanis anni 1566. ſuſpenſa, atque Rex Galliæ, qui
„ faciem Carolinorum temporum deſiderare videtur, ite-
„ rum aliquod Concilium Francofurtanum aut Baſileenſe
„ convocaret. Non obſcurè tale quid Steph. Baluzius mi-
„ hi viſus eſt innuere in Præfatione Capitularium. Certè
„ hanc animoſitatem, quam Germani & Galli ſuperiori-
„ bus ſæculis habuerunt, cur non, inclinante jam fato, ho-
„ dieque habeant? Et imò ſcopum reuniendi hoc ſchiſma
„ ſine dubio habent, ſpem autem de mera ſubmiſſione,
„ credo, pridem amiſerunt: medium itaque illud præſto
„ ſit, ut Canon Conſtantienſis & Baſileenſis de libertate
„ Eccleſiarum & Conciliorum renovetur &c." Vidimus *cap. VIII. §. 7. n. 11.* Andream Magorenſem in Hiſpania Epiſcopum, tempore Concilii Baſileenſis enumerantem Nationes Catholicas, & harum in toto terrarum orbe quinque ſolum inveniſſe, videlicet *Teutonicam*, *Francicam*, *Italicam*, *Hiſpanicam* & *Anglicam*. Ab eo tempore illarum prima pro dimidia ſui parte, poſtrema defecit tota. Si ergo reliqua Germaniæ pars Catholica in ſanis principiis conveniat cum Gallia, & Hiſpaniæ Epiſcopi (uti omnino confidimus) in ea, qua, illos Schilterus verè dixit fuiſſe ſententia, perſiſtant, confectum reputabimus ſaluberrimum negotium; Itali enim, propter rationes à nobis *cap. I. §. 8. n. 1.* & alibi relatas, hic vix in conſiderationem venire poſſunt, exceptis Venetis, & fortè quibuſdam aliis, qui pari cum illis affectu ad Eccleſiam ejuſque decus & pacem ſentiunt.

§. VII.

Non ſunt hic metuenda cenſurarum fulmina.
Neque ſubeſt ſchiſmatis periculum.
Cautelæ ad ſuſcipiendam & perficiendam generalem reformationem opportunæ ſuppeditantur.

Fortè hæc remedia, ut ut de ſe Canonica, videbuntur nonnullis ſuſpecta, qui Primæ Sedi neceſſariò adhærendum noſcentes, timebunt excommunicationes aliaque fulmina, quibus illa ſuas poſſeſſiones tueri volet. Sed utcunque res ceciderit, erit ſemper & manebit Prima Sedes Centrum unitatis, cui oportebit inviolabiliter inhærere, vel ipſa etiam intereunte Roma, & cuicunque demum loco Eccleſia Primam Sedem affixerit. Verum ab hac Prima Sede apprimè diſtinguenda Curialiſtarum cohors unicè intenta ad efferendum illius ſplendorem, & Pontificum potentiam, ut ſic & in ipſos aliqua hujus ſplendoris & divitiarum portio defluat. Copia eſt & ſemper erit adulatorum, qui nullum non movent lapidem, quo ſancta primi Apoſtolorum humilitas & divitiarum contemptus in mundanum faſtum, in damnabilem quæſtum, & dominatum omnis contradictionis & correctionis impatientem mutetur. Aptè in hanc rem ſcripſit S. LEO Epiſt. LXXX. cap. 5. *Aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes*. Quam diſtinctionem, & in eundem quidem, quem hic proponimus ſenſum, ſub initium Sæculi X. amplexus eſt Auxilius Presbiter *Lib. II. cap.* 35. apud Mabillonium in Analectis pag. 28. edit. fol. Sed nec hæc eo ſenſu dicta velim, quaſi non quærenda, aut omni ſtudio ſervanda ſit communio etiam cum ipſo *Papa ſedente*: eſt illa utique cum hoc habenda, tum ſcilicet, & quam diu Spiritum Sanctæ Sedis & Eccleſiæ ejus ſectatur; viciſſim Eccleſiæ perſonaliter deferendus, imò condemnandus erit, cum à doctrina & genuina Eccleſiæ diſciplina ſe ſe avertit.

(1) Cui de eo vel minimum dubii eſt, quod de copia adulatorum, qui ſæpe Pontificis ſolio circumſtant, diximus, legat celebre illud Conſilium delectorum Cardinalium & Præ-

Prælatorum, quorum votum PAULUS PP. III. pro emendanda Eccleſia requiſivit. In eo ſic illi: *Sanctitas tua prope noverat, principium horum malorum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices tui prædeceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coacervaverunt magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab iis diſcerent, quid facere deberent, ſed eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quod principatum omnem ſequitur adulatio ut umbra corpus, difficillimuſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quod confeſtim prodirent Doctores, qui docerent, Pontificem eſſe dominum omnium beneficiorum: ac ideo cum dominus jure vendat id quod ſuum eſt, neceſſario ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiſcunque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur; ex quo procul dubio efficitur, ut quidquid libeat, etiam liceat. Ex hoc fonte, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus.*

(2) Ne, qui his adulatoribus bono jure ſe ſe objiciunt, leviter & temere pro Schiſmaticis habeantur, juvat illuſtria exempla proferre, vetera & recentiora, quæ huic materiæ ſufficiens lumen affundent. Eccleſiæ Aſianæ, quæ morem circa diem celebrandi Paſchatis diverſum obſervabant à diſciplina, quam eo tempore Romana Eccleſia cum pluribus aliis tenuit, non fuere Schiſmaticæ, tametſi ob retentam & conſtanter propugnatam hanc conſuetudinem tandem VICTOR Papa ſuam eis communionem ſubtraxerit. Siquidem teſte Euſebio *Lib. V. cap.* 24. S. Irenæus aliique Epiſcopi Galliæ, etiamſi eandem cum Eccleſia Romana diſciplinam hac in parte ſervantes, Victoris factum *acriter* reprehenderunt, *Victoremque monuerunt, ut ea potius ſentire vellet, quæ paci charitatique erga proximum congruebant*. *Exſtant etiamnum*, inquit idem Hiſtoricus, *eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perſtringunt*. Manet autem ſua huic argumento vis, etiamſi cum nonnullis ſuſtineas, Victorem, ab Irenæo retentum, uſque ad ultimam

mam excommunicationis lineam adverſus Aſiaticos non proceſſiſſe.

(3) Similiter nec S. Cyprianum, eique conſentientes Africanos, in quæſtione de baptizandis iis, qui apud Hæreticos baptizati erant, neque S. Firmilianum alioſque Orientales ullus veterum *Schiſmatis* inſimulavit, tametſi à STEPHANO Papa vel actu, vel in propoſito ſaltem, communione Romanæ Eccleſiæ eos privatos fuiſſe appareat ex Euſebii *Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. cap.* 5. Memoranda ex contrario ſunt, & in præſenti argumento extra conſpectum minimé ponenda verba jam laudati S. FIRMILIANI ad S. Stephanum Papam apud Cyprianum Epiſt. 75. *Excidiſti te ipſum; noli te fallere. Siquidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qui ſe à communione eccleſiaſticæ Unitatis apoſtatam fecerit.*

(4) Licet Aſiani per Victorem, & Africani cum Orientalibus per Stephanum, à communione Eccleſiæ Romanæ repellerentur, ipſi tamen nequaquam ſe ſeparabant ab aliis Eccleſiis, illis etiam, quæ de hac quæſtione aliter ſentiebant, quæque alium uſum ſequebantur. Imò admodum veroſimile eſt, quod nec omnes illæ Eccleſiæ particulares cum Stephano Pontifice tenentes, ſe ob hanc diverſitatem opinionis & praxeos ab Africanis & Orientalibus Eccleſiis ſeparaverint, ſive communionem ſuam ab his abſtraxerint; uti nec ab Aſiaticis Irenæum alioſque Epiſcopos Gallicanos, in celebratione Paſchatis cum Victore & Eccleſia Romana conſentientes, ſe ſubſtraxiſſe certum eſt. Laudat Cyprianum AUGUSTINUS *de Baptiſmo contra Donatiſtas Lib. IV. cap.* 6. & 8. quod unionem & communionem cum Sancta Sede ſervaverit, etiam tunc, cum deciſioni Stephani Papæ reſiſterent. Vid. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. n.* 32. Tillemont *Memoires Eccleſ. Tom. IV. Tit. S. Cyprian. Art.* 47. Confer quæ ſuprà de hac materia diximus latius *cap. VI.* §. 9.

(5) Si (quod Deus avertat) fiat ſciſſio in Eccleſia, & quæratur num ea ſe teneat ex parte Papæ, an ex parte Epiſco-

po-

porum: recurrendum erit ad principia & exempla, quæ Patres Concilii Baſileenſis propoſuerunt & oppoſuerunt Eugenio Papæ, Concilium ob metum Reformationis diſſolvere molienti, apud Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. Tom. VIII. pag. 512. Scilicet: *Si duo ad certum tempus, vel ad aliquod complendum opus ſocietatem iniiſſent, & alter eorum ante tempus vel operis finem velit ſocietatem dimittere; alter autem uſque ad finem temporis vel operis perdurare, quis horum cenſendus eſt ſocietatis ſciſſor ac diviſor? Si duobus ſervis mandat Dominus, ut in agrum laboratum vadant uſque ad fructuum tempus, & alter in via retrocedit, alius autem in agro laborans uſque ad meſſem perſeveret, quis eorum alter alterum deſerere, & quis Domini mandatis obtemperare dicendus eſt? Et ſi recedens perſeveranti dicat: Recede & tu, ne ſit diviſio inter nos; an debet ille recedere, & potius conſervo quam Domino parere? Nemo eſt tam hebetis ſenſus qui non dijudicet . . . . . . Nunc igitur qui habet oculos videat, quis diviſionem, ſciſſuram, rixam, contentionem, novitatem ac ſcandalum faciat?* Pergunt deinde Patres: falſo ſibi affingi, quod ſummum Pontificem contemnant, declarantes, paratos ſe eſſe ad reverentiam, *S. Petri ſucceſſori* debitam, ipſi exhibendam: *Dummodo à Corpore Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, ſe nolit ſegregare*. Quod ſi fecerit, nunquid tamen & ipſi tacebunt tanquam canes muti non valentes latrare? Nunquid periclitantem Eccleſiam clauſo ore aſpicient? Aut S. Pauli exemplum non ſequentur, *qui reſtitit in faciem Cephæ in eo in quo reprehenſibilis erat?*

(6) Ut omnis de Schiſmate ſiniſtra depellatur idea, audiendus de illo præ multis diſtinctè & accuratè (ſuo tamen modo) diſſerens Cardinalis Cajetanus *in S. Thom. 2. 2. Quæſt. 39. art. 1.* "Nolle pertinaciter obedire Summo Pontifici non „ eſt ſchiſma, ſed nolle ſubeſſe ipſi ut Capiti totius Ec„ cleſiæ eſt ſchiſma . . . . . Adverte diligenter, quod „ recuſare judicium vel præceptum Papæ contingit tripli„ citer: 1. Ex parte rei judicatæ ſeu præceptæ. 2. Ex parte

„ parte perſonæ judicantis. 3. Ex parte ipſius judicis.
„ Si quis enim pertinaciter contemnat ſententiam Papæ,
„ quia non vult exequi quæ mandavit, non eſt ex hoc
„ ſchiſmaticus. Contingit namque & ſæpe nolle exequi
„ præcepta Superioris, retenta tamen recognitione ipſius
„ in Superiorem. Si quis verò perſonam Papæ ſuſpectam
„ rationabiliter habet, & propterea non ſolum præſen-
„ tiam ejus, ſed etiam immediatum judicium recuſat, pa-
„ ratus ad nos ſuſpectos judices ab eodem ſuſcipiendos,
„ nec ſchiſmatis, nec alterius vitii crimen incurrit. Na-
„ turale namque eſt evitare nociva & cavere à periculis.
„ Cum quis autem Papæ præceptum vel judicium ex par-
„ te ſui officii recuſat, non recognoſcens eum ut ſuperio-
„ rem, tunc verè ſchiſmaticus eſt. Inobedientiæ enim
„ quantumcumque pertinax non conſtituit ſchiſma, niſi
„ ſit rebellio ad *officium* Papæ vel Eccleſiæ, ita ut renuat
„ illi ſubeſſe, illumque recognoſcere ut ſuperiorem.

[7] Nemo ignorat gravia illa diſſidia, quæ anno 1606. viguere inter Rempublicam Venetam & Paulum V. Papam, quæque demum in apertum bellum eruperunt. *Quantum in nobis eſt*, inquiebant tum Veneti apud Thuanum Hiſt. Tom. V. Lib. CXXXVII. pag. 1255. *cum Summo Pontifice viam humilitatis & gratioſæ dimiſſionis tentandam eſſe, ut quas per ſe vel per ſuos injuſtas fert ſententias, melius inſtructus revocet & emendet. Sed ſi nihil humilis ſedulitas proderit, arripiendam eſſe virilem & animoſam libertatem . . . . . . Pontificem non ſine peccato eſſe, & poſſe abuti ſua poteſtate, quippe cum circumdatus ſit infirmitate.* Declaravit deinde eadem occaſione Venetæ Reip. ſupremum Decemvirale Conſilium publico ſcripto apud eundem Thuanum pag. 1257. *Rempublicam confidere, ut Deus juſtam cauſam ſuam minimè deſerat, in cujus patrocinio Reſp., quæ alioquin tot inſignibus devotæ ſuæ obedientiæ & meritorum monumentis Sanctam Sedem obſtrictam habeat, libentiſſimè acquieſcat, & non ſolum pleræque in Italia Civitates, quarum ſalus in eadem hac cauſa vertitur, ſed etiam*

etiam extera regna , quæ eodem jure utuntur , periculum commune minimè negligant ; ac poſtremò ſperare , ut Pontifex pro paterna bonitate ſua melius inſtructus & animatus, de rigore aliquid remittat , & cenſuras præcipiti conſilio emiſſas , maturè re perpenſa , tandem revocet . Adde infrà num. 9. & 11. Quis his perpenſis dubitet, Remp. & Senatum Venetum , etiam inter ipſas belli propter cauſam Eccleſiaſticam cum Paulo V. ſuſcepti turbas , quantum in ipſis erat , cum eodem Pontifice comunionem & *debitam legitimamque* obedientiam (non *exorbitantem* , qualem Papa exigebat) ſervare voluiſſe . Et ut paucis multa complectar: Gallica Natio non minus honorabat & honorat Primam Sedem , cum toties reſiſteret Romanorum attentatis , antiquorum Canonum Decretis , & legitimæ libertati adverſantibus . Imò hodie Papa Reges Galliæ , Senatus Belgicos , & Rempublicam Venetam non minus ſinu ſuo complectitur ac colit , licet in plenitudinem poteſtatis , qualem ille prætendit , nullatenus concedant .

(8) Neque in his publicis & juſtis cauſis Romana excommunicatio metuenda eſt . Hæc ut liget, legitima eſſe debet . Scimus, omnem excommunicationem , niſi grave præcedat peccatum , nullam eſſe ; hoc autem ſupponi nec poteſt nec debet in iis, qui de reducenda ſana diſciplina, & moribus inſtituto Chriſti conformibus , *ſeriò* cogitant , huncque in finem apta remedia in medium proponunt , & in uſum redigunt . Si verò per Aulam Romanam res eo deduceretur , ut in apertam ſeditionem prorumperet , foret illud ſchiſma ex parte Curiæ, non eorum , qui *debito cum moderamine* , & per congruas vias , hujus & Eccleſiæ reformationem , ab ipſis etiam generalibus Conciliis ordinatam intendunt . *Conſpirarunt Judæi , ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum , extra Synagogam fieret* , inquit S. Joannes in Evangelio cap. IX. v. 22. Non poterat certè talis excommunicatio lata à Principibus Judæorum (quorum cæteroquin auctoritas legitima erat , & ab ipſomet Chriſto agnita) ligare eos , qui Jeſum Chriſtum confite-

Ffff ban-

bantur. Sanè ſi legitimus Superior ſub excommunicationis pœna mandaret rem injuſtam, aut prohiberet debitam (qualis v. g. eſſet obedire Principi æqua & bona præcipienti) non poſſent per hoc præpediri fideles ab implendis officiis & obligationibus ſuis. " Contemptus clavium „ non ſemper invenitur apud illos, qui nedum non obe- „ diunt ſententiis excommunicationum promulgatis per „ Pontificem vel ſuos; ſed etiam non eſt judicandus apud „ illos qui per poteſtatem ſæcularem adverſus tales ſen- „ tentias tueri ſe procurant. Lex enim naturalis dictat, ut „ vis vi repelli poſſit. Conſtat autem, quod tales ex- „ communicationes non debent dici jus, ſed vis & vio- „ lentia, contra quam fas habet liber homo vel animus „ ſe tueri." Ita Gerſon in *Reſolution. circa materiam Excommunicat. Conſiderat.* 10. *T. II. col.* 423. *edit. noviſſ.*

(9) Commodè hæc expreſſerunt Veneti in cauſa ſuprà memorata apud Thuanum l. cit. pag. 1254. ubi, *ſi quid*, inquiunt, *contra Præſulis, qui manifeſtè ſua abutitur poteſtate, præceptum fiat, eum, qui dum hoc ſcit & cognoſcit, non obedit, non propterea clavium contemptum, qui ad offenſionem vergat, in ſe vel aliis generare, non illum clavium poteſtati inobedientem eſſe, ſed erroneo clavium abuſui; majorem adeo, quantum ad culpam, in Præſule, qui poteſtate ſua abutitur, clavium contemptum eſſe, quam in eo, qui non obedit. Itaque bene de Eccleſia mereri, & honorare illam, qui hujuſmodi Præſuli in faciem reſtiterunt, modò cum moderamine inculpatæ tutelæ; quo modo Paulus reſtitit Petro. Contemptum debere æſtimari ex poteſtate legitima; alioquin Præſules poſſe inducere qualemcunque vellent ſuper alios ſervitutem, ſi ipſorum ſententiis iniquis & erroneis ſemper eſſet obediendum. Proinde illud B. Gregorii, Sententiam Præſulis vel Judicis etiam injuſtam timendam eſſe, egere interpretatione &c.* Deinde pag. ſeq. *Quis non cenſeret poſſe dici Pontifici, cur ita facis? quis non aſſentiat, illi in faciem reſiſtendum? neque inobedientes cenſeri debere, qui contra hujuſmodi iniqua decreta poteſta-*

ſtatem Magiſtratus ſæcularis implorant; nam lege naturali inſtrui omnes ad vim vi repellendam, & homini libero & ingenuo contra talem cenſuram minimè juridicam impunè ſe tueri licere.

(10) Rectè omnino & penè divinè S. AUGUSTINUS Lib. de Vera religione Cap. VI. *Sæpe ſinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam ſuam cum patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quantà ſinceritate caritatis Deo ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus, aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi, etiam eis ipſis, quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. HOS CORONAT IN OCCULTO PATER, IN OCCULTO VIDENS Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt; imò plura ſunt, quam credi poteſt.* Idem ſanctiſſimus Doctor Lib. I. de Bap. contra Donatiſtas cap. 17. *Spirituales autem, ſive ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes, non eunt foras: quia & cum aliqua vel perverſitate, vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam ſi intus permaneant, cum adverſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida unitatis petra fortiſſimo charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet, quod in illo Abrahæ ſacrificio dicitur: Aves autem non diviſit.*

(11) Sed nec aliæ quædam cautelæ in tam delicato negotio prætermittendæ ſunt, quas etiam monuere Veneti l. cit. pag. 1255. ubi *Tenendum*, ajunt, *contemptum clavium, ex eoque quæ ſequuntur, excommunicationem, aut devium à regula errorem, non incurri à Juriſperito ſive Theologo,*

dum juxta conſcientiam ſuam hujuſmodi ſententias timendas non eſſe aut tenendas aſſerit ; præſertim ſi prudenter caveatur , ne propterea puſillis & infirmis offenſionis cauſa præbeatur ; quippe ex iis complures eſſe , qui Pontificem exiſtimant Deum eſſe , omnigenam in cœlo & in terra habentem poteſtatem , eorum ſtultitiam idonea inſtructione depellendam; qui ſi inſtructionem non admittant , illos haberi debere offenſionis non datæ , ſed acceptæ reos , hoc eſt , Phariſaicæ , ex malitia innata prognatæ, non autem offenſionis puſillorum, quæ ex ſimplicitate & ignorantia proficiſcitur . Ea in re ſciſſuras ſummopere vitandas eſſe , quibus contemptus clavium fovetur potius quam tollitur , dum per ſtultitiam vel ignaviam homines ſe mutuo concurſu impediunt , ne communi conſenſu in domo Domini ambulent , aliique abuſibus favent , alii tollere vollunt .

(12) Igitur hac in parte communi conſilio & aſſenſu agendum eſt , adhibita quam maximè ſæculari poteſtate ad obtinendam ejus protectionem ; non æſtimandi , minus quærendi favores Romanæ Curiæ ; animadvertendum in eos , qui illuc aut ad Nuntios Apoſtolicos recurrunt pro obtinendis diſpenſationibus aliiſque facultatibus , quas in generali poteſtate ligandi atque ſolvendi à Chriſto acceperunt Epiſcopi , cum cauſa ſcilicet Canonica , ſine quà neque Papa diſpenſare poteſt ; Vid. *cap. VI. §. 1. n. 7.* Impediendi Regulares (quorum ſingulare commodum propter eorum exemptiones hic verſatur) ab uſu ſuorum privilegiorum , præſertim à facultate abſolvendi Epiſcoporum diœceſanos ; ex quo fundatiſſimus metus interveniat , ne pœnitentium , ad illos turmatim recurrere adſuetorum , conſcientiæ ab eis in traverſum dirigantur . Si ſic Epiſcopi ex compacto & fortiter agerent , reſtituerentur paulatim in uſum ſuæ poteſtatis , quam alligari paſſi ſunt.

(13) Sed ne *Sanctitati* quidem ſimiles oppoſitiones præjudicium ferunt . Non fuit minus Ludovicus IX. Galliæ Rex *ſanctus*, cum ſpretis cenſurarum minis Gregorii PP. IX. bellum pararet adverſus Navarræ Regem . Daniel *Hiſt. de France Tom. IV. pag. 317. edit. nov.* Neque cum recuſaret

ad

ad inſtantiam Innocentii IV. R. P. arma ſumere adverſus excommunicatum Imperatorem Fridericum II. Idem *ibid. pag.* 328. Multò minus dum ejuſdem depoſitionem, à Papa factam, & ab hoc eum in finem interpellatus, noluit approbare. Idem *pag.* 374. Si dicas, juſtè ſe ſe hiſce oppoſuiſſe Ludovicum, ex quo injuſta fuerint quæ voluit Papa, & talia quæ neque ad Summi Pontificis, neque ad ullam aliam auctoritatem eccleſiaſticam pertinent; vera quidem loqueris: attamen eo tempore quo vivebat Ludovicus, & quo Sanctis adſcriptus eſt, æque verum credebatur *Romæ*, quod Papa jus habeat in temporalia Regum, uti vel ex ipſa Friderici Imperatoris depoſitione intelligitur: quam hodie ibidem ſibi perſuaſum habeant, Pontificem eſſe Epiſcopnm univerſalis Eccleſiæ, reliquos Epiſcopos tantum in partem ſollicitudinis ab eo vocatos.

(14) Cæterum nemo negaverit, ſicut in quibuſcunque aliis negotiis publicis, ita quam maximè in his, modum ſervandum eſſe. Hunc modum aptè deſignarunt Ordines regni Gallici anno 1493. Turonibus congregati, in libello ſupplici pro *Anatarum & minutorum ſervitiorum abolitione* Carolo VIII. Regi Chriſtianiſſimo oblato, inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Tit. XX. cap. 25. edito, in quo: *Conteſtantur nihilominus dictorum Trium Ordinum Viri, ſe nolle ab obedientia filiali Sanctiſſimi Patris noſtri diſcedere, quem ut filii Eccleſiæ agnoſcere volunt ceu Vicarium univerſalem Salvatoris & Redemptoris Jeſu Chriſti qui eſt Caput Eccleſiæ. Quia verò non repugnat, ut filius, ſi à parte ſe gravatum ſenſerit, cum timore & reverentia conqueratur apud alterum, qui patrem admoneat: dictorum Trium Ordinum Viri, qui ſe à ſuo Domino & Patre ſpirituali plurimum gravatos ſentiunt, querimoniam ſuam deferunt ad Regem, ſupremum noſtrum in temporalibus Patrem, Protectorem & Defenſorem, contra omnes qui ipſis moleſti eſſe vellent in eorum juribus & libertatibus, contra & in detrimentum Sanctorum Decretorum, & Conciliorum. Et ideo ſupplicant Regi ſupremo noſtro Domino, & filio Eccleſiæ, ut dignetur per ſuos Oratores obedientiam exhibere filialem dicto Sanctiſſimo Patri; jubere*

ut

ut ipſi Regni egeſtas exponatur, & magna ſignificentur impedimenta, qua ab obitu Caroli VII. Regis juribus & libertatibus dictarum Eccleſiarum Franciæ & Delphinatus appoſita ſunt à nonnullis, qui Reſervationes & Proviſiones in fraudem juris electionum obtinuerunt: ut Penſiones omnes & Commendas beneficiorum ſecularium & regularium in irritum mitti curet; & ipſi exponere quanta pecuniæ vis ex hoc regno elata ſit: Nec ægrè ferat, ſi dictum Regnum & Delphinatus ſuis in poſterum juribus & libertatibus ſecundum Sacra Decreta utatur.

§. VIII.

Quintum remedium Retentio bullarum Apoſtolicarum; cujus juſtitia & univerſalis uſus demonſtratur.
Exponuntur ſingulares effectus falſarum Decretalium, qui populos egregiè gravant, & Principum attentionem præ cæteris excitare poſſunt ac debent.

Non minus tutum & commodum, imò promptius remedium, ad recuperanda jura ſacra, per ignorantiam & ſuperſtitionem deperdita, deprehenditur in *Placito Regio*, cujus legitimus uſus in pleriſque regnis ac Provinciis viget, ita ut ſine eo nullum Reſcriptum, Decretum, Mandatum, Conſtitutio, Bulla, Breve, aut quæcunque Litteræ Romanæ executioni tradi valeant. Receptus eſt ejus uſus in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Sabaudia, regnis Neapoli & Siciliæ, Belgio, & certo modo in Germania; imò olim in Anglia, dum eſſet Catholica, vigore famoſæ legis *Præmunire*. Eſt hoc jus Placiti pars juri Majeſtatici, cui eſſentialiter inhæret. Cum enim Principibus vigore ſupremi ſui muneris cura & conſervatio publicæ tranquillitatis, ſine perſonarum & cauſarum diſcrimine, incumbat, iique proinde auctoritatem habeant ſuper actiones externas, etiam Eccleſiaſticas, quatenus exinde Reip. incommoda aut perturbationes evenire poſſunt; hinc ad eorum officium pertinet, inquirere in omnia, quæ aliunde in eorum terras inferuntur, & per ſe vel conſtitutos ad hoc Magiſtratus deſpicere, ne quid invehatur,

aut

aut executioni mandetur, quod in publica commoda valeat impingere. Ex his veris ac ſolidis principiis de hoc jure Placiti (quod in Hiſpania jus *Retentionis*, *Supplicationis* &c. nuncupatur, alibi etiam ſub nomine *Recurſus ad Principem* venit) ita diſſerit Salgado *Tract. de Supplicatione ad Sanctiſſimum Part. I. cap. 9. n.* 13. " Supremum Senatum poſſe hac Regalia uti in „ omnibus caſibus, in quibus militat ratio publicæ utilitatis & „ turbationis pacis, ac per conſequens tollendæ violentiæ: „ Nam (addit) cum hæc ſit principalis nervus, unicam fulcrum, & ſolidum fundamentum inductivum & provocativum hujusmodi recursûs, & retentionis, ne pax publica ſtatuſque regni tranquillus turbetur, & ne commune bonum „ detrimentum patiatur, Princeps tanquam ſuæ ſibi commendatæ Reipublicæ protector, ac Statûs eccleſiaſtici, nec non „ Reip. ſpiritualis; ad ejuſque officium propriè pertineat ſalus „ populi, quies & tranquillitas publica: per neceſſariam inde „ conſequentiam ſequitur, quod iis omnibus in caſibus, in quibus ſua turbetur Reſpp. vel notabile aliquod damnum patiatur, vel violentiam, ſuam poſſit interponere auctoritatem „ œconomicè.

Hæc in omnium J. Conſultorū oculis tam apparent ſolida, ut nullus eorum dubitet, quin in iis etiam provinciis, in quibus uſus Placiti hactenus non obtinuit, ille à Principe adoptari poſſit, quandocunque ei videatur; imò juri Majeſtatico tam firmiter adhæret, ut Princeps ne illud quidem à ſe abdicare valeat. Hinc cum anno 1486. Joannes II. Luſitaniæ Rex ad inſtantiam Romani Pontificis uſum videndi & examinandi Litteras Apoſtolicas abolere propoſuiſſet, Status regni ſe ſe oppoſuere; remonſtrantes: *non licere Regi tale jus à ſe abdicare in præjudicium regni & ſubditorum*; ita referente Auguſtino Manuel in Vita Joannis II. Lib. IV. Et veriſſimè dixit Covaruvias Pract. Quæſt. cap. 35. quòd *ſi quis contendat à Principibus Chriſtianis hanc tollere poteſtatem, ſtatim comperiet experimento manifeſtiſſimo, quantum calamitatis Reipubblicæ invexerit*. Ad dignoſcendum autem, quibus in caſibus retentio Bullarum decerni, proinde harum vis & effectus impediri valeat, Salgado *cit. Part. I. cap.* 13. *n.* 13.

hanc

hanc ponit regulam : " Omnes caſus, in quibus dari poteſt „ Bullarum retentio in Senatu, uni tantùm rationi innituntur, „ & unico fundamento juſtificantur, nempe *præjudicio Reipublicæ*, & *damno publicæ utilitatis*." Addit, & probat Idem *eod. cap.* 13. *n.* 6. *& ſeqq.* petitionem retentionis Bullarum ad officium Fiſci potiſſimum pertinere, & ex ea ratione illi, tanquam diſpoſitioni Juris Publici Communis (v. gr. Concilii Tridentini) à partibus renuntiari non poſſe. Adde Barthelii *Annot. ad Jus Canon. Lib. I. Tit.* 2. §. 4. *qu.* 3.

(1) Genius & Spiritus Romanorum Curialiſtarum tendit ad deprimendas alias Eccleſias; ad auferendam eis meliorem portionem nativæ auctoritatis, ſibique eam attribuendam. Sancta Sedes centrum eſt & vinculum unitatis, Curia Romana occaſio ſchiſmatis, atque impedimentum reunionis Hæreticorum cum Eccleſia, & converſionis Infidelium. Quanta in his ſcandala ! Poſſet illis occurri proportionato ad malum uſu Placiti, ſeu jure retentionis Pontificiarum Bullarum; ex cauſa enim *ſcandali* has retineri Regia auctoritate poſſe, certum eſt; quia in omni ſcandalo verſatur detrimentum publicum, & præjudicium boni communis Salgado *cit. Part. I. cap.* 2. *n.* 12. 13. *cap.* 3. *n.* 36. *&* 65. *cap.* 4. *n.* 3. 12 *ſeq. cap.* 14. *n.* 37. Adde §. ſeq. init.

(2) Imperator, Reges & Principes vigore ſupremi & regii muneris vel ipſo hoc declarante Concilio Tridentiuo *Seſſ. XXV. cap.* 20. *de Reform.* jure divino ſunt nati defenſores & protectores *Eccleſiæ*, id eſt, *Conciliorum* & *Canonum*, ad Status Eccleſiæ conſervationem, & bonum ordinem ſpectantium : Canonum, inquam, *verorum* non *ſpuriorum*, quos ingenti, ad nos uſque propagato, Eccleſiaſtici Ordinis & Diſciplinæ detrimento confinxit Iſidorus. Chriſtianos Principes ſæpius ad tuitionem Conciliarium Canonum ab ipſiſmet Summis Pontificibus invitatos fuiſſe conſtat. Vid. Salgado *P. I. cap.* 1. *n.* 59. & *P. II. cap.* 1. *n.* 27. Parexa *de Inſtrum. editione Tit. II. Reſolut* 2. *n.* 43. *& ſeqq.* Unde ab illis Litteras Apoſtolicas, quaſcunque ob cauſas ſacris Cano-

Canonibus & Conciliis adverſas, retineri poſſe, rectè docet Salgado *cit Part. I. cap. 9. n.* 40. Hanc retentionem propter quamcunque cauſam violentiæ omninò exercendam, integro Tractatu docuit Hieronymus de Cævallos *de Cognitione per viam violentiæ*; violentum autem eſt, quidquid contra legem publicam committitur. Salgado *Part. I. cap. 7. n.* 2. Quid igitur obſtabit, quominus Principes ab Epiſcopis ſuorum regnorum & provinciarum veros Canones à Paleis ſecernere, & utrorumque fructus noſcere edocti, quidquid Româ venit in his poſterioribus fundatum, per ſuos Magiſtratus ſequeſtrari faciant.

(3) " Lamentabile foret, ait idem J. C. Hiſpanus *Part. II.* „ *cap.* 1. *n.* 43. *ſeqq.*, ſi quæ in generalibus Conciliis tanto „ cum labore, vigilantia & meditatione, aſſiſtentiaque tantorum Patrum totius orbis Chriſtiani, Regumque & Principum ſupremorum, per Nuntios ſuos & Ambaſſiatores „ ad idem ſpecialiter deſtinatos, ſunt edita & definita ad „ reformationem univerſalem morum, & pro univerſalis „ Reipublicæ ſpiritualis & Eccleſiaſticæ aptiori regimine, „ quibus omnino avelluntur infinita damna, quæ in perni„ ciem utilitatis publicæ reperta fuere: Lamentabile, in„ quam, foret, ut tantus labor, tantum & inſomne ſtu„ dium, totque ſanctiſſima decreta divinitus & feliciter de„ finita, ac ſalubriter recepta, fructum ex incuria & ne„ gligentia amitterent in damnum Reipublicæ & Status Ec„ cleſiaſtici, ac Chriſtianæ religionis. " Adde in hanc rem aptum locum JULII Papæ ſupra *cap. IV. §.* 11. *n.* 6. Interim ſic fit: jacent poſt infelices Decretales Iſidorianas tot ſancti Canones primorum Conciliorum, qui debentur ſollicitudini maximorum Imperatorum Conſtantini M., Theodoſii M., Theodoſii junioris, Marciani, Juſtiniani, & aliorum Auguſtorum; & parum abeſt, ut aliqui Chriſtianorum Principum præ certis diſpoſitionibus Seſſ. IV. & V. Concilii Conſtantienſis triumphare ſinant ineptiſſimas fabulas Emanuelis Scheleſtrati, atque ità interire fructum infiniti labo-

Gggg ris,

ris, quem in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi navavit Imperator Sigiſmundus, & præ cæteris inclyta Natio Gallica.

(4) PIUS IV. in ſua bulla, quam pro confirmatione Concilii Tridentini Romæ anno 1563. edidit, omnes Principes Chriſtianos iuvitavit ad ejuſdem Concilii protectionem, obſervationem & executionem. Inde, inquit Salgado *cit. Part. II. cap.* 1. *n.* 31. naſcitur Regibus facultas condendæ legis in ejuſdem Concilii executionem & manutenentiam, nec non Prælatis cæteriſque omnibus mandandi, ut Tridentina Decreta inviolabiliter obſervent. Atque ex hac ratione in Hiſpania obſervatio & executio Canonum S. Concilii Trid. pertinet ad *Cognitionem Violentiarum*, neque permittitur, ullas litteras Apoſtolicas executioni mandari, quæ iiſdem Canonibus non ſint conformes. Rectè hæc utique & omnino laudabiliter; quando econtra in aliis regnis & provinciis Tridentino ejuſque Canonibus, ſumma providentia conceptis, ſine ulla cauſa neceſſitatis aut publicæ utilitatis detrahentia, atque ità Diſciplinam Eccleſiaſticam enervantia decreta executioni dantur. Concilium Tridentinum [ut hoc modò pro exemplo memorem] Seſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 5. ad evitanda ſcandala & tollendas peccatorum occaſiones ſollicitè cavit: ne *in ſecundo gradu unquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*. Hoc non ſervat Roma: diſpenſat cum plebeis in ſecundo gradu *ordinarie*, & quandoque in gradibus adhuc propinquioribus, ex cauſis privatis, & cum ſcandalo popularium. Legitur *Cardinalis* LE CAMUS Epiſcopus Gratianopolitanus, Prælatus pientiſſimus, omnes diſpenſationes & indulgentias Romanas, ſine cauſa Canonicas conceſſas, retinuiſſe, & abſque effectu reliquiſſe. Quis hunc morem improbet? Fruſtra fient leges, niſi ſerventur, & *eſt in ratione bene conſiderata permanſio*, inquit Cicero Lib. I. Rhetoric.

(5) Diverſæ gentes diverſis moribus reguntur. " Papæ, in-
" quit clar. Barthel *in Annot. ad Jus Can. Lib. I. Tit.* 33. *p.* 138.

„ 138. Strictius ſubjacent Epiſcopi Italiæ, qui omnes bullas „ indiſtinctè recipere, & executioni cum ſumma reveren- „ tia mandare debent. In Germania autem, quia ipſis in „ multis reſtituta, & jure poſtliminii reddita eſt primæva „ jurisdictio, non cœcam obedientiam, ſed rationabile præ- „ ſtant obſequium; & ſi non ſint Bullæ in materia fidei vel „ morum, ſed in aliis materiis, & præcipuè, ſi tendant ad „ reſtringendam auctoritatem in Concilio Tridentino, & „ per Concordata ſub Friderico III. & Nicolao V. con- „ ceſſam, illas non ità paſſim recipiunt & publicant; unde „ multæ ex hac cauſa non obligant. Magna tamen cum „ reverentia & cautela in his caſibus agendum cum Ponti- „ fice, & Gallos imitari oportet, apud quos, licet liberior „ exiſtat Epiſcopalis auctoritatis uſus, & eorum poteſtas „ ferè revocata ſit ad primævos Canones, in quo eorum „ libertates conſiſtunt, ſumma tamen cum reverentia agunt „ cum Pontifice &c." Ex his inſimul colliges, Germanos non magis quam Gallos ignorare ſua & univerſalis Ecclefiæ genuina jura ac libertates.

(6) Sed deſcendamus ad quædam ſingularia, quæ hac in parte Magnatum attentionem præ cæteris merentur. Huc imprimis pertinet plaga, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ inflixere *Reſervationes cauſarum Epiſcopalium*, factæ Romano Pontifici in vim ſpuriarum Decretalium. Nihil æque commodum ad fovendam impunitatem criminum, quam hæ reſervationes. Quam facilè eſt fallere judicem in longinquo poſitum, tam huic difficile invenire accuſatorem ac teſtes. Rarò etiam deerant Epiſcopis Romam citatis cauſæ non eundi; ſique illuc ire tandem compelleretur, hoc ipſo impediebantur ab exercitio functionum Epiſcopalium, populi linquebantur ſine inſtructione, & ſæpe gliſcebant errores ac corruptelæ. Vid. Fleury *Diſcours V. ſur l'Hiſtoire Eccl. n.* 3.

(7) Æque noxiæ ſunt *Appellationes* ad Romanam Curiam in cauſis privatorum, ſive illæ *civiles* ſint, ſive *criminales*. In *his* frequentiſſimè evenit, ut Epiſcopi tædio ſumptuum, dilationum, aliorumque impedimentorum, malint tolerare

vitia, quæ ptopria auctoritate compeſcere non poſſunt. In *illis* rectæ & promptæ adminiſtrationi juſtitiæ peræque obſtat diſtantia locorum, difficultas probationum, & ignorantia moris patrii; ut de expenſarum, itinerum & aliarum moleſtiarum generibus, quæ ab his ultramontanis & ultramarinis appellationibus, in genuino Jure Canonum nullum fundamentum habentibus, inſeparabilia ſunt, quibuſque Principum ſubditi intolerabiliter premuntur, nihil memorem. In Hiſpania cenſetur violentia inferri ei, qui extra regnum & ad aulam Romanam evocatus, ibidem litigare cogitur. Salgado *cit. Tract. P. II. cap.* 11. *n.* 83. Sic ibi cogitatur: & quis improbet? Si autem bene: quare non eadem alibi ſubditis impenditur protectio?

[8] Poteſtne Principibus indifferens eſſe, quod tam enormes pecuniarum ſummæ annuè exportentur, & Romam deferantur, pro expeditionibus bullarum, annatis, juribus Confirmationum, pallii &c. cum illis omnibus, ſi ſinceros Canones conſulimus, non indigeamus.

(9) Inter Regum ſubditos & vaſallos vix non primum locum tenent Epiſcopi; his igitur illi non minus, imò magis, ſuam debent protectionem, quam aliis. Itaque omnino fundati ſunt Epiſcopi & cæteri Eccleſiarum Prælati, ut regiam protectionem inclament pro recuperatione jurium, quæ eis abſtulit ignorantia majorum, quæque genuino Jure Canonico illorum propria ſunt, ſerius per imaginarium illud jus monarchicum, ſeu prætenſam plenitudinem poteſtatis, à caractere Epiſcopali avulſa. Idem de inferioribus Prælatis Eccleſiaſticis, quorum jura patronatus per Reſervationes Apoſtolicas læduntur, æſto judicium.

(10) Hanc auctoritatem ſuam Roma plurimum promovit, hodieque ſuſtinet per diverſas illas Religioſorum Congregationes, quibus tanquam præſidiis & militaribus copiis utitur per omnia regna & provincias. Ut hos ſacræ militiæ alumnos Summi Pontifices habeant a ſua obſequia perpetuò devotos, privilegiis eos ornarunt & immunitatibus, quibus à juriſdictione Ordinarii exempti, ſupra ſæcularem Cle-

Clerum eminent . Cum non potuerint hæc privilegia & exemptiones concedi ſine graviſſima alteratione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ , & læſione jurium Epiſcopalium , hinc inter veros abuſus referenda ſunt, quæ aliarum deinde at graviorum noxarum cauſa fuere . At non Epiſcopis ſolum hæ Regularium multiplicationes & exemptiones ſuos tollunt ſubditos, verum & ipſis Regibus ac Principibus; ex quo ii in omnibus ferè occaſionibus , quibus Curia Romana cum Potentatibus colliditur, pro illa adverſus hos ſtent & agant . Triſtem ejus rei experientiam ſæpe fecere Germania , Gallia , Anglia, & nuper Luſitania , ut de Venetorum Republica , & aliis Statibus nihil memorem . Famoſa illa Liga Gallica , cujus finis erat Henricum IV. a ſolio deturbare , Monachis ſuos debet , quos habuit, ſucceſſus; qui in hoc non agebant aliud , quam obſecundare Papæ, ejuſque mandata exequi . Demum ſi fortè Monachis non debeantur origines opinionum de indefinita & monarchica Romani Pontificis poteſtate & infallibilitate, hoc ſaltem eis debet Romana Curia , quod hæc themata (à quorum ſubſiſtentia, vigor & valor dictorum privilegiorum dependet) adhuc ſuſtineantur, & eo quidem fervore ac æſtu, ut hæ opiniones ferè erigantur in dogmata . Quæ omnia an Principum attentionem excitare , & rectoriam , qua pollent , auctoritatem animare non debeant , prudentum judicio relinquitur .

(1) *Uno verbo concludam*, inquit doctiſſimus Cardinalis de Cuſa, qui tempore Concilii Baſileenſis floruit , *ſi piiſſimus Imperator cum toto ſibi ſubjecto Concilio neceſſitates Reipublicæ conſiderans, diminutionem divini cultus , & morum deformitatem in omni Statu cum cauſis & occaſionibus ponderans , repeteret ſacros Canones , antiquas ac ſanctiſſimas priſcorum obſervationes , & quidquid illis ob viaret , ſive privilegia , ſive exemptiones , ſive introductiones in collationibus beneficiorum aut litibus , una cum toto Concilio decerneret tollendum eſſe , & Canonibus ſanctis ſtrictiſſimè obediendum ; rogo quis Chriſtianus dicere poſſet , ibi aliquid præter poteſtatem & auctoritatem attentatum , quando pro cuſtodia antiquorum Canonum & legalium Sacrarum Sanctionem,pro augmento divini cultus,pro bono*

bono Reipublicæ illa fierent. Non retrahat te Imperatorem prudentiſſimum cujuſcunque ſuaſio ab hac ſancta tua intentione &c. Ita Eminentiſſimus Cuſanus Lib. III. de Conchord. Cathol. cap. 40.

(12) Poſtquam hæc ſcripta eſſent, Rex Catholicus CAROLUS III. in omnibus Hiſpaniarum regnis publicari fecit edictum Regium circa uſum Juris Placiti, quod referunt Ephemerides Colonienſes Gallicæ de 5. Januarii an. 1762. ſequenti tenore: *Aiant conſideré, que malgré mon déſir de favoriſer en toute occaſion les réſolutions du S. Siege & celles du Tribunal de l'Inquiſition de mon Roiaume dans les cauſes graves, qui lui ſont confiées, je ne puis ſatisfaire mon zele pour la Religion, ſi je ne ſuis inſtruit de ces réſolutions, avant qu' elles parviennent à la connoiſſance de mes ſujets, & s'il n'eſt etabli des régles ſures & capables de prévenir toute eſpéce d'embarras. J'ai arrêté aprés une mure déliberation, & de l'avis de mon Conſeil, qu' à l'avenir toute Bulle; tout Bref; Reſcrit; toute exhortation ou Lettre Pontificale, qui tende à faire Loi, ſoit que ces pieces ſoient adreſſees à quelqu' un particulier ou en general aux Tribunaux; Juntes; Magiſtrats; Archeveques; Eveques & autres Prelats des païs de mon obeiſſance, ne pourront etre publiés ni executés, ſans que je les aye vus & examinés. Le Nonce Apóſtolique, à qui ces ſortes de depéches pourroient etre envoiées, ſera également tenu de me les faire préſenter par mon Secrétaire d'Etat. Toute Bulle & tout Bref concernant les affaires contentieuſes, ſoit qu' il s' agiſſe de grace ou de quelque acte de juſtice, ſeront ſoumis à l'Examen du Conſeil de Caſtille, afin que ce Tribunal juge s'il ne reſulteroit pas de leur exécution quelque prejudice au Concordat, ainſi qu' aux Loix; Regales; Uſages & à la tranquillité de mes Etats ou au droit d'un tiers. Les Brefs & Diſpenſes, expediés par le Grand Penitentier en matiere de conſcience, ſeront ſeuls exceptés de cette preſentation. L' Inquiſiteur General ne publiera aucun Decret, en conſequence de quelque Bref ou Bulle Pontificale que ce ſoit, ſans que ces depeches lui ſoient remiſes par mon ordre.*

(13)

(13) Proſequitur deinde Edictum Regium: *A l' ègard de tout Bref, qui regardera la defenſe des Livres, on obſervera les régles preſcrites par* l'Auto accordata 14. Tit. 7. Liv. I. *L'Inquiſiteur General devant faire examiner de nouveau le Livre proſcrit, & ſi l'ouvrage le merite, le defendre de ſa propre autorité, ſans inſerer le Bref du Pape. D'ailleurs l'Inquiſiteur General ne publierà aucun Decret; Index General ou Expurgatoire, qu' il ne m'en ait rendu compte par l'entremiſe de mon Secretaire de Grace & de Juſtice & du Secretaire d'Etat, qui ſera près de ma perſonne, & qu' il ne ſoit informé, que je conſent à la publication. Enfin lui & le Tribunal de l'Inquiſition, avant de condamner quelque Livre ou Ecrit, ſeront obligée d'entendre les defenſes, que les parties intereſſées voudront produire, & de les citer à cet effet; le tout conformement aux Reglements ètablis pour l'Inquiſition de Rome par la Conſtitution Apoſtolique du Pape Benoit XIV. laquelle commence par ces paroles:* Sollicita ac provida &c. Confer *cap. IV. §. 2. n.* 4. 5.

§. IX.

Sextum idque generalius remedium in legitima reſiſtentia defigitur.

Plura hactenus recenſita ſpecialiora remedia uno generali comprehenduntur, ſcilicet *Reſiſtentiæ*, cujus uſum graviſſimi Theologi & Canoniſtæ, etiam Romanæ Curiæ addicti, & Pontificiæ auctoritatis aſſertores vehementiſſimi, quales ſunt Turrecremata, Silveſter Prieras, Jacobatius &c. tum non improbant, quando Reſcripta, Decreta, Conſtitutiones aut quæcunque literæ ſeu facta Romanorum Pontificum ſcandalum in Eccleſia pariunt, inſtituto Chriſti adverſantur, ſacris Canonibus & Diſciplinæ, moribuſque præſcriptis ac probatis, vel Regum, Eccleſiarum, aut integri alicujus Ordinis, v. g. Epiſcoporum, juribus & Libertatibus grave vulnus infligunt, communes Eccleſiæ Leges per illegitimas eaſque frequentes diſpenſationes evertunt &c. Quinimò ipſi Romani Pontifices haud infrequenter declararunt, ſe non repugnare, quominus his & ſimilibus in caſibus eis reſiſtatur; ita, ut de *Theſi* vix aut nulla ſuperſit quæſtio, ſed de *Hypotheſi* ſolum: An ſcilicet & quando exſtent illi caſus & facta Curialiſtarum, quibus Diſciplina evertitur, Jura aliorum tolluntur, & ſcandala generantur. Eo ſenſu ſcripſit GREGORIUS VII. ad

ad Sancium Aragoniæ Regem Lib. II. Ep. 1. *Solet Sancta & Apoſtolica Sedes pleraque conſiderata ratione tolerare, ſed nunquam in ſuis Decretis & Conſtitutionibus à concordia Canonicæ traditionis diſcedere*. ALEXANDER III. in Cap. 6. X. de Præbend. & dignit. *Si mandatum noſtrum pro alicujus proviſione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commodè ſuſtentari, niſi fortè in Litteris ipſis de hoc mentio habeatur, aut ſi non poteſt ei SINE SCANDALO provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo Mandatum noſtrum non duxeris exequendum*. In cap. 3. X. de Conſanguin. Apoſtolicæ Sedis Legatus dederat generalem pro quodam tractu Germaniæ diſpenſationem in certis gradibus tunc prohibitis; Nihilominus CŒLESTINUS III. deſuper conſultus decidit, diſpenſatos conjungi non debere, ſed potius *obſervatæ* eouſque *conſuetudini deferendum, quam aliud IN DISSENSIONEM ET SCANDALUM POPULI ſtatuendum, quadam abhibita novitate*. INNOCENTIUS III. Lib. I. Epiſt. ad Faventinum Epiſcopum: *Quæ in derogationem ſanctorum Canonum attentantur, tantò potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas univerſalis Eccleſiæ, cui præſidemus, ad id nos provocat & inducit*. Adde ejuſdem INNOCENTII reſcriptum in cap. 6. X. de Clericis conjugatis, quo filium Græci Sacerdotis, ex legitima uxore ſuſceptum in Epiſcopum conſecrari jubet: *Niſi*, addit, *pro eo, quod inter Latinos Græci hujuſmodi converſantur, regionis conſuetudo repugnet*. Ubi Joannes Andreas rectè obſervat, additam hanc exceptionem *ob evitationem ſcandali & offenſionis*, quæ inde contingere poſſet, ſi quid alienum à recepta conſuetudine inter Latinos induceretur. Confer Fagnanum ad *cap. I. X. de Clerico ægrot. vel debil. n. 5.*

Formam ſacræ hujus reſiſtentiæ inter alios nobis reliquit Robertus Groſſeteſtius Epiſcopus Licolnenſis, vir ſanctitate, eruditione, & diſcreto zelo pro Romanæ Sedis gloria illuſtris, dum eo tempore, quo Anglia Sedi Apoſtolicæ erat deditiſſima, Decreto Innocentii PP. IV. reſiſtens, ad eum hoc tenore perſcripſit apud Matthæum Pariſienſem in Hiſt. Anglic. ad annum 1253. pag. m. 582. *Noverit Diſcretio veſtra, quod mandatis Apoſtolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio. His quoque, quæ mandatis Apoſtolicis adverſantur, paternum zelans honorem, adverſor & obſto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato;*

Apo-

Apoſtolica enim mandata non ſunt, nec eſſe poſſunt alia, quam Apoſtolorum doctrinæ & ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolorum Magiſtri & Domini, cujus typum & perſonam maximè gerit in Hierarchia Eccleſiæ Dominus Papa, conſona & conformia. . . . . . Non eſt igitur prædictæ litteræ tenor Apoſtolicæ ſanctitati conſonus, ſed abſonus plurimum, & diſcors . . . . . Propter hoc Reverendi Domini, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis, qua teneor utrique parenti Apoſtolicæ Sedis ſanctiſſimæ, & ex amore unionis in corpore Chriſti, cum ea his, quæ in prædicta littera continentur, & maximè, quia, ut prætactum, ad peccatum Domino Jeſu Chriſto abominabiliſſimum & humano generi pernicioſiſſimum evidentiſſimè vergunt, & Apoſtolicæ Sedis ſanctitati omnino adverſantur, & contrariantur Catholicæ fidei, unicè, finaliter & obedienter non obedio, contradico, rebello; nec ob hoc poteſt inde veſtra Diſcretio quicquam durum contra me ſtatuere, quia omnis mea in hac parte & contradictio & actio nec contradictio eſt, nec rebellio, ſed filialis divino mandato debita Patri & Veſtri honoratio. Breviter autem recolligens dico, Apoſtolicæ Sedis ſanctitas non poteſt, niſi quæ in ædificationem ſunt, non deſtructionem; hæc enim eſt poteſtatis plenitudo, omnia poſſe in ædificationem.

Exitus hujus oppoſitionis non minùs eſt notabilis, quam ipſa oppoſitio. Illud Matthæus Pariſius pag. 583. ſic pergit referre: *Hæc cum ad Domini Papæ audientiam perveniſſent, non ſe capiens præ ira & indignatione, torvo aſpectu & ſuperbo animo* dixit: *Quis eſt iſte Senex delirus, ſurdus & abſurdus, qui facta audax, imò temerarius, judicat. Per Petrum & Paulum, niſi moneret nos nata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem præcipitarem, ut toto mundo fabula foret, ſtupor, exemplum, & prodigium! Nonne Rex Anglorum noſter eſt vaſallus, & ut plus dicam, mancipium, qui poteſt eum nutu noſtro incarcerare & ignominiæ mancipare? Et cum hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papæ dixerunt ei: Non expediret, Domine, ut aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus: ut enim vera fateamur, vera ſunt, quæ dicit; non poſſumus eum condemnare, Catholicus eſt, imò ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis & ſanctior, excellentior, & excellentioris vitæ; ita, ut non credatur inter omnes Prælatos majorem, imò nec pa-*

rem habere . Novit hoc Gallicana & Anglicana Cleri univerſitas ; NOSTRA NON PRÆVALERET CONTRADICTIO . Hujuſmodi Epiſtolæ veritas , quæ jam fortè multis innotuit , MULTOS CONTRA NOS POTERIT COMMOVERE ; magnus enim habetur Philoſophus , Latinis & Græcis litteris ad plenum eruditus , zelator juſtitiæ , Lector in Theologiæ ſcholis , Prædicator in populo , caſtitatis amator , perſecutor ſimonialium . Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hiſpanus Cardinalis , & alii , quos propria tangebat conſcientia . Conſilium dederunt Domino Papæ , ut omnia hæc convenientibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret .

Nota eſt illa S. Cypriani oppoſitio adverſus decretum Stephani Papæ de rebaptizatione, in qua uſque ad mortem perſtitit, abſque quod pro ſchiſmatico à quoquam habitus fuerit , aut adhuc habeatur . Rationem huic loco aptam dat Bellarminus *de Rom. Pont. Lib. IV. cap.* 7. eum etiam à gravi peccato excuſans , quia , inquit , Cypriano perſuaſum erat , pernicioſum errorem à Papa ſuſtineri , cui ſententiæ firmiter inhærens, non poterat Pontificio decreto parere , ne contra conſcientiam ageret . Gratianus ipſe , poſtquam *Diſt. XIX. can.* 7. tradidiſſet, quà ſubmiſſione Romani Pontificis Conſtitutiones , quaſi oracula ex ipſiuſmet B. Petri ore procedentia , acceptandæ ſint , addit expreſſe : *Hoc tamen intelligendum eſt de illis ſanctionibus vel decretalibus Epiſtolis , in quibus nec præcedentium Patrum decretis , nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur* . Refert idem Gratianus *Diſt. XXXI. Can.* 1. aliam Pelagii II. Decretalem , quæ hujus ſucceſſori S. Gregorio Magno *dura atque incompetens* viſa eſt ; ubi ad verbum *Durum* notat Gloſſa, *ſtatutum Pelagii fuiſſe contra Evangelium* . Cæterum optandum foret , ut qui inter Epiſcopos ſe Romanis decretis opponunt , ſanctitate & ſano zelo pares ſint Cypriano, & Roberto Licolnenſi ; tunc etenim , uti in negotio ejuſdem Roberti Cardinales Papæ inſinuarunt , *Romana minus prævaleret contradictio* ; quin ex contrario talis contradictio *multos contra* illegitima *Romanorum* decreta *poterit commovere* .

[1] Joannes Cardinalis de Turrecremata in Summa de Eccleſia Lib. II.cap. 106. " Tertium,*inquit*,remedium,ubi præcedentia „ (hu-

(humilis ſcilicet admonitio, & devota ad Deum oratio) " occulto Dei judicio non juvarent, hoc ſupereſſet, videlicet reſiſtentia: Reſiſtendum enim eſſet in faciem per Dominos Cardinales " (quare & non in horum defectum per Epiſcopos ?) ", mala ejus opera exprobrando, ac rationibus convincendo, & etiam ſcandalis, & iis, quæ Papa vellet attentare, ſe opponendo, ſicut Paulus reſtitit Petro, quia non ambulabat ad veritatem Evangelii, & ſicut Epiſcopo, vel Abbati, ſeu Priori dilapidatori Eccleſiæ ſubditi reſiſterent & contravenirent, & ita in propoſito, ut ſi Papa, prout exemplificat Dominus Petrus de Palude, theſaurum Eccleſiæ vellet dare parentibus ſuis, aut eccleſiam S. Petri deſtruere, & ædificare palatia parentibus ſuis, aut aliquid hujuſmodi, quod tamen non eſt veroſimile poſſe contingere, non eſſet ei permittendum, ſed eſſet ei reſiſtendum, & non obediendum, ſine tamen depoſitione. Similiter ſi vellet contra ſtatum univerſalis Eccleſiæ aliquid attentare: ſicut ſi vellet omnes Epiſcopos deponere, *aut ſimilia, ex quibus univerſalis turbaretur Eccleſia*. Et hoc modo dicunt Hoſtienſis & Innocentius & Archidiaconus, quòd non eſſet Papa ſuſtinendus, id eſt permittendus hoc facere, ſed ei tamen cum humilitate & reverentia reſiſtendum foret. Quartò, attento quòd (ut dicit S. Thomas in Secunda Secundæ) Papa poteſt incurrere ſimoniam ſicut alius quilibet homo, & oppoſitum dicere ſit erroneum, ut dicit in IV. Sententiarum Diſt. XXV. tale remedium poſſe dari, videlicet non acceptare ea, quæ malè & contra reverentiam & legem Dei geſta eſſent per eum, ut promotiones, proviſiones beneficiorum, collationes manifeſtè ſimoniacè factæ ...... Quintum remedium eſt convocare Concilium Generale, quæ convocatio eſſet facienda per Cardinales, ſi ipſe Papa id nollet congregare, *aut per alios illis negligentibus*, & hoc non ad deponendum Papam, ſed ad tria prædicta faciendum cum majori ſolemnitate & auctoritate, videlicet primò ad monendum & exhortandum Papam de correctione ſuâ .... Secundum, quod Concilium facere deberet, ubi primum non ſufficeret, eſt, devotiſſimis preci

 bus

„ bus, & jejuniis, & operibus rectis, divinæ Clementiæ aures
„ pulſare, ut dignaretur Eccleſiæ ſuæ miſereri, ut eorum
„ Pontificem aut illuminare dignaretur, aut auferre de medio
„ ...... Tertium, quod Concilium debet facere, ubi prædi-
„ cta occultis nobis cauſis uſquequaque non proficerent, *etiam*
„ *cum invocatione brachii ſecularis*, ut puta, Imperatoris,
„ vel aliorum Principum, providere de modo & forma re-
„ ſiſtendi malis, quæ Papa tentaret facere, ne Eccleſia pe-
„ riclitaretur.

[2]. His non diſſimilia tradit Silveſter Prieras Ordinis Prædica-
torum ſacri Palatii Magiſter in Summa, verbo *Papa*. Nempe:
„ Quid autem faciendum ſit quando Papa ſuis moribus Eccle-
„ ſiam deſtruit, dicit idem Petrus Paludanus; Primò non eſſe
„ obediendum in multis, ſed reſiſtendum per honeſtam repre-
„ henſionem, exemplo Pauli reſiſtentis Petro in faciem. Unde
„ ſi vellet totum theſaurum Eccleſiæ, aut patrimonium B. Pe-
„ tri dare parentibus ejus, vel Eccleſiam deſtruere, *& hujuſmo-*
„ *di*, non eſſet permittendum, ſed reſiſtendum, tamen ſine
„ depoſitione. Ratio eſt, quia in deſtruendo nihil po-
„ teſt, & ſi de deſtructione conſtat, poteſt reſiſti. Secundò
„ orandum eſſet, ut corrigeretur à Deo, vel de medio tol-
„ leretur; & contra ejus voluntatem Concilium convocandum,
„ ut per illud Papa moneretur, vel Deus invocaretur, &
„ reſiſtendo malis remedium imponeretur.

(3) Hæc aliter ſenſit Dominicus Cardinalis Jacobatius, de hac
materia fusè tractans Lib. VIII. de Conciliis Art. 3. ubi
& Baldum laudat in cap. Olim. X. de Reſcriptis dicentem,
quod " ſi Papa non vult uti rationibus, ubi tractatur de
„ periculo mundi, debet compeſci armis." Et in ſexto reme-
dio ait: " Concilium ſic coadunatum invocabit brachium
„ ſæculare [ut puta Imperatoris vel aliorum Principum]
„ ad providendum de modo & forma reſiſtendi malis, quæ
„ Papa facere tentaret, ne Eccleſia periclitaretur.

(4) Similiter Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus Tractatu I. de
Auctoritate Papæ & Concilii cap. 27. " Reſiſtendum eſt, *inquit*,
„ etiam in faciem Papæ publicè dilanianti Eccleſiam, v. g. quia
„ non vult dare beneficia Eccleſiaſtica, niſi pro pecunia aut

com-

„ commutatione officii, & cum omni reverentia & obedien-
„ tia neganda eſt poſſeſſio talium beneficiorum his, qui e-
„ merunt, & alleganda eſt cauſa ſimoniæ etiam cum Papa
„ commiſſæ. Et ſine dubio Principes ſæculi & clarius gla-
„ dium de manu furioſi ſic cum modeſtia tollerent. Multæ
„ quoque ſunt viæ, quibus abſque rebellione Principes mun-
„ di & Prælati Eccleſiæ, ſi vellent uti, reſiſtentiam impe-
„ dimentumque abuſus poteſtatis afferrent. Sed quoniam
„ *Principes & Prælati non curant, niſi quaſi ſomniando*, cur
„ conqueruntur, quod non poteſt deponi? Cur opponunt,
„ quod Poteſtas data eſt in ædificationem & non in deſtru-
„ ctionem? Abuſui namque poteſtatis ejus, qui deſtruit,
„ obviam eant congruis remediis, non obediendo, in ma-
„ lis non adulando, non tacendo, arguendo, advocando Il-
„ luſtres ad increpandum, exemplo Pauli, & præcepto
„ ejuſdem, dicite Archippo: *Vide miniſterium quod accepi-* ad Coloſſ.
„ *ſti in Domino, ut illud impleas*; & parum aut nihil abu- ult.
„ terentur poteſtate.

(5) His adde Franciſcum Victoria Ordinis FF. Prædicatorum, in Salmanticenſi primarium Profeſſorem & Doctorem Theologum, Relectione IV. de Poteſtate Papæ & Concilii, in qua ſequentes poſitiones ſtatuit & firmat. Decima propoſitio: "Si ex uſu & experientia aut providentia intelligere-
„ tur, quod ſi diſpenſaretur in aliqua lege eccleſiaſtica, ver-
„ geret in præjudicium aut grave damnum Eccleſiæ & Re-
„ ligionis: Concilium poſſet hoc declarare & determinare,
„ & etiam ſtatuere, ut in tali lege nunquam diſpenſare-
„ tur." Decima octava propoſitio: "Facta tali declaratio-
„ ne & decreto Concilii, ſi Papa diſpenſaret, ſubditi non
„ tenerentur parere tali diſpenſationi." Vigeſima prima propoſitio: "Non videtur permittendum cuicunque privato ſua
„ auctoritate reſiſtere, & non parere mandatis Pontificis,
„ quantumcunque eſſent contra determinationem Concilii." Vigeſima ſecunda propoſitio. "Facta tali declaratione &
„ decreto Concilii, ſi Papa contrarium mandaret, poſſunt
„ vel Epiſcopi vel Concilium Provinciale per ſe reſiſtere
„ tali mandato, vel etiam implorare Principes, ut auctoritate
„ eorum reſiſterent Summo Pontifici, impediendo execu-
tio-

„ tionem mandatorum ejus. " Tum ſubdit : " Quod mihi
„ fecit animum tenendi hanc ſententiam, fuit, quod Do-
„ ctores egregii, & aliter magni defenſores auctoritatis
„ Pontificiæ, etiam in ordine ad Concilium, tenent ex-
„ preſſe hanc ſententiam, ut Cajetanus in ipſo Opere, in
„ quo tenet ſuperioritatem Papæ ſupra Concilium c.
„ 27. & Silveſter in Verbo Papa. " Tum laudatis utriuſ-
que verbis ſubjicit : " Ex his omnibus habetur, quod ubi
„ mandata & facta Papæ ſunt in deſtructionem Eccleſiæ,
„ poteſt ei reſiſti, & impediri executio mandatorum : Ergo
„ ſi jam conſtet ex determinatione Concilii, quod hujuſmodi
„ diſpenſationes ſunt in deſtructionem Eccleſiæ, poterunt
„ Gubernatores ipſius Eccleſiæ & Principes reſiſtere in his.
„ Secundò probatur, quia vim vi repellere licet jure Natura-
„ li : Sed Papa infert vim hujuſmodi mandatis & diſpenſa-
„ tionibus, quia facit injuriam, ut ſupra probatum eſt ;
„ Ergo licitum eſt reſiſtere illi. " Sequitur Corollarium :
„ Quod non ſolum liceret non parere talibus mandatis, ſed
„ etiam facto & vi, ſi opus eſſet, reſiſtere illi, & impe-
„ dire armis executionem illorum mandatorum : & maxi-
„ mè intercedente publica auctoritate, ut Principis : &
„ comprehendere & punire executores talium mandatorum,
„ ſemper tamen ſervando moderamen inculpatæ tutelæ,
„ non excedendo reverentiam, nec negando aliquo pacto
„ auctoritatem illius, ſed ſolum allegando, quod hoc eſt
„ injuſtum, & in detrimentum Eccleſiæ. " Vigeſima ter-
tia propoſitio : " Propter injuſtas diſpenſationes, vel alia
„ mandata inſolentia, quæ in perniciem Eccleſiæ procede-
„ rent, poſſet congregari & convocari Concilium Gene-
„ rale *contra voluntatem Papæ*, ut ei reſiſteret, & ob-
„ viaret ejus inſolentiæ. Hoc expreſſe tenet Silveſter in
„ voce *Papa* & Turrecremata aſſertor vehementiſſimus Pon-
„ tificiæ dignitatis Lib. III. cap. 10.

(6) Itaque ex his colligitur, poſſe Concilium Generale etiam invi-
to Papa convocari; ei obedientiam negari ; brachium ſæcula-
re ad ei reſiſtendum implorari ; tum, quando [uti mox relati
Auctores exemplificant] Papa vellet eccleſiam S. Petri deſtrue-
re, bona Eccleſiæ diſſipare, varia in ejuſdem detrimentum at-
tenta-

tentare, ſcandala & diſturbia in Eccleſia excitare, aliquid contra ſtatum univerſalis Eccleſiæ moliri &c. An non ergo poterunt eadem remedia adhiberi, ſi Pontifex non vellet quidem materiale S. Petri templum id eſt, Vaticanam baſilicam demoliri, ejuſque temporalia bona diſtrahere, attamen conaretur tale regimen in Eccleſiam invehere, quod à piiſſimo & ſapientiſſimo Chriſti inſtituto deviaret, & per hoc non ſolum indebitum onus fidelibus imponere, ſed Civitatem Dei, id id eſt, Eccleſiam ipſam Hæreticis & Paganis odioſam reddere; unde magnum illi detrimentum enaſci debet, & reipſa enatum hucuſque perdurat: Si quidem non omnes Epiſcopos deponeret, ſed omnes ſpoliaret juribus Ordini ſuo propriis: Si primævam & planè divinam Eccleſiæ formam ex libidine dominandi mutaret non in meliorem, ſed pejorem: Si ſacratiſſimos Canones, etiam Generalibus Conciliis ſancitos, frequentiſſimis diſpenſationibus, ſine ulla ratione canonica conceſſis, quæque nunc in Stylum ordinarium Curiæ tranſierunt, evertere &c. Nemo ambiget, quin Pontifici talia molienti, & *una vice* in effectum deducere nitenti, apertè reſiſti valeat, imò debeat. Quare autem magis hæc toleranda forent, quando ea *per latentia* quidem *incrementa*, non tamen minus verè contra genuinum Eccleſiæ Statum, hujuſque decus ac bonum, introducta eſſe, omnibus eruditis perſpicuum eſt? *Mirantur*, inquit S. AUGUSTINUS Tract. XI. in Joannem n. 13. 14. *quod commoventur poteſtates chriſtianæ adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ. Non ergo moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio ſuo Deo? Intendat Caritas veſtra quid dicam. Quia pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt.*

(7) Aliud reſiſtendi exemplum ac medium, præter illud, quod hoc §. ex Hiſtoria Angliæ dedimus, ſuppeditat ex eodem regno Matthæus Pariſienſis ad annum 1231. Scilicet Angli, quibus Curia Romana ejuſque Legati pro beneficiatis obtrudebant extraneos, paraſitos, indignoſque, inſurgebant adverſus hanc uſurpationem, magis *ſe mori velle*, *quàm à Romanis confundi*, aſſerentes. Igitur ad Epiſcopos & Capitula hunc in modum ſcribunt

bunt apud eundem Matthæum pag. 255. " Qualiter circa vos
„ & alias perſonas Eccleſiaſticas Angliæ hactenus ſe habue-
„ rint Romani, & eorum Legati, veſtram non dubitamus
„ latere diſcretionem; beneficia regni ſuis, ſecundum quod
„ eis placet, conferendo, in veſtrum & omnium aliorum re-
„ gni intolerabile præjudicium & gravamen: in vos etiam
„ & Coepiſcopos veſtros, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, ad
„ quas collatio beneficiorum pertinere dignoſcitur, quod
„ magis dignum eſt pro confuſione notari, ſuſpenſionis ſen-
„ tentias fulminando, ne alicui de regno beneficia confera-
„ tis &c. Hinc eſt, quod vobis mandamus, diſtrictè inhiben-
„ tes, quatenus cùm nos, eccleſiam, Regem ſimiliter & re-
„ gnum nitatur à tam gravi jugo ſervitutis eripere, circa
„ eos qui de Romanis vel eorum reditibus ſe intromittunt,
„ nullas partes veſtras interponere præſumatis; pro certo ſci-
„ turi, quod ſi hujus mandati, quod abſit, extiteritis tranſ-
„ greſſores, quæ veſtra ſunt, incendio ſubjacebunt; & pœ-
„ nam, quam Romani incurrunt in perſonis, vos in poſſeſ-
„ ſionibus veſtris indubitanter incurretis.

(8) Atque hæc quidem de reſiſtentia facienda Papæ, communes *Eccleſiæ* leges quomodolibet violanti. Erit autem non minus, imò magis, eidem remedio locus, ſi alia ratione tranquillitatem *Regni* vel cujuſdam provinciæ turbare, atque hunc in finem gladio ſpirituali abuti præſumeret. Haberet tunc ſanè locum doctrina Joannis Pariſienſis *de Poteſt. Regal. & Papal. cap. XX.* nimirum: " Si periculum Reipu-
„ blicæ ſit in mora, quia ſcilicet trahitur populus ad ma-
„ lam opinionem, & eſt periculum de rebellione, & Papa
„ commoveat populum indebitè per abuſum gladii ſpiritua-
„ lis, ubi etiam non ſperatur quod deſiſtat aliter; puto quod
„ in hoc caſu Eccleſia contra Papam debet moveri, & in
„ ipſum agere; Princeps verò violentiam gladii Papæ poſ-
„ ſet repellere per gladium ſuum cum moderamine; nec in
„ hoc ageret contra Papam, ſed contra hoſtem ſuum, & ho-
„ ſtem Reipublicæ ..... *Hoc enim agere, non eſt contra Eccle-*
„ *ſiam agere*, ***SED PRO ECCLESIA***." Ex hoc principio Principes Electores Imperii anno 1334. in oppido Renſe ad litus Rheni congregati, & aſſerendis Imperii juribus adverſus attentata

Bene-

Benedicti XII. gnaviter incumbentes, non dubitarunt ſuo concluſo hanc ſanctionem addere: *Quicunque aliter docuerit, ſenſerit, factitarit, criminis læſæ majeſtatis reus, hoſtis R. ip. atque proſcriptus eſto, capite pœnas ſolvito, bona ejus publica ſunto, prædia infiſcentur*. Extat hoc decretum apud Goldaſtum Conſt. Imp. Tom. III. pag. 409.

(9) Quantum nimia Germanorum indulgentia erga Romanos inclytæ huic nationi poſt obitum Henrici III. Imp. attulerit malorum, notum eſt. Quantum ſuæ auctoritatis exſertione Otto I. & Henricus III. profuerint, non Germanis ſolum, ſed ipſæmet Romanæ, & reliquæ toti Eccleſiæ, loquuntur Hiſtoriæ.

§. X.

Poſtremum remedium Appellatio ab Abuſu.

Ex iiſdem Juribus, quæ mox allegavimus, aliud reſultat medium depellendorum abuſuum Curiæ Romanæ, in Gallia quotidianum, & optimo jure ubique uſurpandum, ſcilicet *Appellationis tanquam ab Abuſu*. Audiendus ea de re Andreas Duvallius Tractatu de Suprema Rom. Pontificis in Eccleſia poteſtate P. II. Quæſt. ult. ubi ita: " Dices, Principes & Reſpublicas graviter nonnunquam conqueri, ſe à Pontificibus graves injurias pati, nullumque ad has depellendas efficacius remedium eſſe præter provocationem ad Concilium Generale. Reſpondeo: Non licere propterea ad Concilium provocare; cum Principes ſibi ſuiſque rebus poſſint alia via conſulere, ſcilicet non obediendo mandatis Pontificis; imò ſi aliter non poſſint ſibi ſuccurrere, ſtrenuè prudenterque reſiſtendo, & cum ea moderatione, quam ſuperiori Quæſtione; ubi de iniquis & Eccleſiæ perniciofis diſpenſationibus, aſſignavimus. " Hoc genuinum earundem Appellationum fundamentum: dum ſcilicet Principis auctoritas imploratur adverſus exceſſum & abuſum Eccleſiaſticæ poteſtatis. Dixit Duvallius, in his appellationibus eſſe efficax remedium *ad depellendum graves injurias Principibus à Romana Curia illatas*. At non ea ſola appellandi tanquam ab Abuſu cauſa eſt. Aliam non minus fundatam, magiſque frequentem ſuppeditat Juſtinianus Imp. in Novella

137. cap. 1. *ſcilicet Violatio ſacrorum Canonum*; horum ſiquidem cuſtodia etiam Principibus à Conciliis commiſſa noſcitur. *Si leges civiles*, inquit Imperator,*quarum poteſtatem nobis Deus pro ſua in homines benignitate credidit , firmas ab omnibus cuſtodiri ad obedientium ſecuritatem ſtudemus , quantò plus ſtudii adhibere debemus circa ſacrorum Canonum & divinarum legum cuſtodiam , quæ ſuper ſalute noſtrarum animarum definitæ ſunt .*

(1) De harum Appellationum jure ac titulo ſic , & aptè diſſerit Illuſtriſſimus de Marca de Concord Sac. & Imp. Lib. VII. cap. 7. n. 1. " Enimvero, quia condendæ legis auctoritas non in ſola promulgatione verſatur, ſed in rerum „ conſtitutarum executione, quæ eſt id, quod ultimum in „ juriſdictione vocant J. Cti.; hinc fit,ut quæ pro tutione Di„ ſciplinæ Eccleſiaſticæ leges feruntur, executioni mandari „ debeant ab Epiſcopis, vel etiam aliquando à Principi„ bus, aut à Magiſtratibus, quibus auctoritatem ſuam ipſi „ delegaverint. Id apud nos hodie ſolemnibus quibuſdam „ formulis expeditur, quæ Appellationes tamquam ab A„ buſu vulgò dicuntur, adverſus quas imperitiores rerum „ noſtrarum de novitate præſcribunt, ac ſi res ipſa antiquiori „ origine non cenſeretur , quam iſtud forenſe vocabulum ".

(2) Non minus rectè Chopinus de Sacra Polit. Lib. II. Tit. 3. n. 13. " Non deſunt, *inquit*, alia rerum judicatarum e„ xempla , quibus pateat externam ſacrorum procuratio„ nem à Regia publici Status tutela minimè eſſe disjun„ ctam ac ſeparatam . Si quando enim Eccleſiaſtici Præ„ ſules moliantur aliquid , quo Diſciplinæ Canonicæ ner„ vus elidatur , aut profani imperii partes uſurpentur , „ tunc Principali auctoritate cohiberi poſſunt, & intra ſuas „ metas ſeptaque revocari . ". Juſtitiam hujus Regiæ animadverſionis agnovit LEO IV. Papa , ad Ludovicum Imp. ſcribens in Decreto Gratiani Part. II. Cauſ. 2. Quæſt. 7. Can. 41. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus , & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus , veſtro ac veſtrorum Miſſorum cuncta volumus emendare judicio .*

(3) His *de Abuſu* juſtis remediis non ſola utitur Gallia,ſed & Hiſpania,Sabaudia,Germania,Belgium,Polonia,& olim Anglia ,licet

cet non eadem forma, ſed diverſis modis. Vid. Fevret *Tract. de Abuſu Lib. I. cap.* 3. *n.* 7. *ſeqq.* In Germania Concilium Imperiale aulicum de Abuſu cognoſcit, & cum effectu ſtatuit. Exemplum vide apud cl. Barthelium *in Annotat. ad Jus Canon. Lib. III. Tit.* 5. *pag.* 214. *ſeq.*

(4) Numerus caſuum, quibus abuſus hi committi poſſunt, nequit determinari. Generalis hac de re regula eſt: Quidquid agitur contra intereſſe aut ſtatum ac tranquillitatem publicam, contra leges regni, adverſus decreta ſacrorum Canonum & Conciliorum, abuſivum eſt. Verè ſcripſit quidam J. C.: *Ab his fontibus dimanant infiniti propemodum abuſuum rivuli ...... ab hoc trunco innumeri ſurculi; ut non ſit illa ſylva cædua feracior, nec ſeges ulla copioſior, quam abuſuum iſtud ſurcularium & ſeminarium.*

(5) Equidem docentibus Petro de Marca *Lib. IV. cap.* 20. *n.* 2. & Fevreto *Lib. I. cap.* 2. *n.* 5. hoc remedium eo ſolum caſu inſtituitur, quo Abuſus *notorius* eſt & *manifeſtus*; in ſpecie enim dubia & controverſa Eccleſiaſticis Judicibus cauſæ cognitio relinquitur. Conveniat (uti id jam alibi innuimus) Rex cum Epiſcopis regni ſui, ſtatuatque, qui antiqui & genuini Canones per falſas Iſidori Decretales, & ſimilia alia illegalia media protriti, qualiterque ſub his vera Eccleſiæ Diſciplina proſtrata jaceat, quaque via ſinceris Canonibus ſuus ſit reſtituendus vigor atque uſus, & facilè conſtituetur *manifeſtum* illud, quod ad formalem Abuſum deſideratur.

(6) Cæterum quia hæ appellationes intereſſe publicum concernunt, hinc eaſdem non præcludit cujuſcunque temporis lapſus, privatorum pacta & tranſactiones, ſententiæ etiam judiciales, licet tres conformes, & quidquid demum aliud pro figendis privatorum juribus firmum excogitari valet. Vid. Chopinum *cit. Lib. II. Tit.* 1. *n.* 5. Fevret *Lib. I. cap.* 2. *n.* 13. Molinæum *ad Regulam Cancellariæ de infirmis reſignant. n.* 206.

[7] Expoſitis hactenus exſtantioribus mediis recuperandæ ſacræ libertatis, vel illud generatim addendum, qualiter in hoc negotiorum genere etiam juvent *Occaſiones opportunè arreptæ.* Cum tempore magni Schiſmatis ſubtractio obedientiæ in Gallia de-

cerneretur, tunc, inquiunt cordatiores Gallorum, oportebat malo adhibere remedium pro omnibus futuris temporibus. Poterantne, ajunt, Annatæ illæ, Reſervationes, Exſpectativæ, Præventiones, Exemptiones &c. cenſeri pars *Obedientiæ* Romano Pontifici *debitæ*? Debebatne exiſtimari, quod horum negatio, agnito etiam Papæ facta, eſſet impia ac ſchiſmatica? Malè itaque factum, & ignorantiæ illius ſæculi tribuendum, quòd ſimplicem horum jurium *ſuſpenſionem* Gallia tunc decreverit.

§. XI.

Eccleſiæ omnino intereſt Primatum ſervari, ſed ad legitimos fines reductum.
Hæc reductio aliter fit per Papam ipſum, aliter per Concilia.

Inſtituit GREGORIUS Papa XV. Romæ Congregationem *de Propaganda fide*. Si ſeriò & optato cum fructu eum in finem, in quem hæc Congregatio inſtituta fuit, in eadem laborari vellet, conveniret in illud potiſſimum intendi, ut ſalvo Primatu, & juribus ei *legitimè* inhærentibus, exorbitans illa Romani Pontificis poteſtas æqua diminutione minus redderetur odioſa Acatholicis & ſuſpecta Infidelibus.

(1) Primatus omni ſtudio ſervandus, ſanctèque colendus eſt; neque enim is officit ſacræ libertati, ſed hanc ſervat potius & tuetur. *Itaque ut omnibus fiat ſatis; liquido & ſecundum ſententiam meam, omniumque Gallorum aſſero, præcipuum primumque libertatis Eccleſiaſticæ fundamentum apud nos hoc eſſe, ut Principatus Apoſtolicæ Sedis ſuum locum ſemper obtineat*, inquit de Marca de C. S. & I. Lib. I. cap. 2. n. 2.

(2) Eccleſia Corpus eſt, & quidem inter omnia nobiliſſimum; igitur Capite eget, quo dirigatur, debentque vincula, quibus membra huic Capiti alligantur, ſacra eſſe atque inviolabilia. Eget præterea omnis Reſpublica, ſiquidem ordinata ſit, communi Cancellaria pro negotiis ſuo ſtatui propriis. Tolle hoc commune Eccleſiæ Prætorium, & ſimul auferes medium, quo diſperſæ per orbem Eccleſiæ inter ſe correferant, nec multò poſt omnia in Anarchiam di-

dilabentur. Ne hoc quidem acatholici moderatiores ignorant aut negant. Inter hos celeberrimus Leibnitzius in Præfatione ad Codicem Juris Gentium Diplomaticum refert, auctoritatem Rom. Pontificis, ambitionem Principum per cenſuras reprimentis, ſæpe ad præveniendum malum profuiſſe; ſed addit: *His Cleri attentatis factum eſt, ut poſtremò, quia nimia affectabant, etiam JUSTA amitterent; QUÆ RETINERE IPSOS E RE CHRISTIANA FUISSET.*

(3) Igitur unionis & pacis ſervandæ cauſa, aliqua etiam ſupererogatoria poteſtatis capita Primæ Sedi permitti poſſent; aſt propterea non omnibus ejus prætenſionibus ſubſcribendum, non omnes ejus conatus probandi. Vix, aut nequaquam tolerandæ Regum & Epiſcoporum degradationes; non projiciendi primitivæ Eccleſiæ uſus & Canones; nec credendum, quod poſſeſſio juris Monarchici, quam Romani occuparunt; illud eis effectivè tribuerit; quod denique præſcripſerint jura de ſe impræſcriptibilia, ita, ut non liceat ſeriò cogitare de eorundem recuperatione, ſervato, quantum poteſt, moderamine. Præ omnibus autem audiendus Sanctus Epiſcopus & Martyr CYPRIANUS, Epiſt. 54. hæc ad Maximum ſcribens: *Nam etſi videatur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut caritas noſtra: ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.*

[4] Concludimus verbis viri clariſſimi Joan. Caſpari Barthel Procancellarii Wirceburgenſis in *Diſſ. de eo quod circa libertatem Religionis ex Lege Divina juſtum eſt. An. 1758. edita cap. VIII. n. 28.* " Donec erunt homines erunt & vitia & peccata, erunt abuſus, ſuperſtitiones, immoderatus poteſtatis & auctoritatis ut ut legitimæ uſus, innocentum oppreſſiones, calumniæ, aliaque hujuſmodi, quæ ſub lolii & zizaniorum nomine in Evangelio deſignantur: mala hæc etiam in Eccleſiam vitio hominum ſacris abutentium, & quorundam Paſtorum Chriſtiani gregis deſidia irrepere, & in *Eccleſia* eſſe poſſunt; ſed *Eccleſiæ* mala non ſunt, nec officiunt ejuſdem ſanctitati, cujus doctrina & præcepta puriſſima ſemper fuerunt, & invaria-

„ riata, nec juſtum ſchiſmatis aut defectionis anſam præ-
„ bent. Nec Sacerdotium, nec Eccleſia propter inordina-
„ tiones Sacerdotum & Catholicorum minus ſunt Eccleſia
„ & Sacerdotium Jeſu Chriſti ..... Omnia illa vitia uti
„ ſingularia ſunt & peccantibus propria, ita ſolos ipſos
„ afficiunt malos, non autem totum corpus Eccleſiæ, quæ
„ in terris, ubi militat, nunquam non membris ægris ac
„ ſanis conſtabit, & in Beatitatis tantum patria, ubi trium-
„ phat, ſana omnia, ac rectè conſtituta habebit. Praxes
„ inſuper illæ, ut ut auctoritate ſummorum tribunalium
„ hactenus inductæ (quas multi etiam inter Catholicos,
„ viri deſideriorum & gemituum, invectas non eſſe opta-
„ rent, imò & cordatè ſubin ac intrepidè, non minus
„ tamen modeſtè reprehendunt): Praxes tamen ſemper ho-
„ minum, ſuis etiam infirmitatibus circumdatorum, habitæ
„ fuerunt; ſtylus Curiæ ſunt, non autem Canon Cathedræ
„ Apoſtolicæ, nec in vim Juris aut Canonis ita excreſce-
„ re potuerunt, ut conſtantem ejuſdem Eccleſiæ ſpiritum
„ in Chriſtiana Morali hactenus alterarent & diverſifica-
„ rent; quin quoad multa pedetentium emendatæ jam fue-
„ re, quoad alia verò in opportunis tempus, ſecundum ſanæ
„ Politicæ œconomiam, ne qui nimis emungit, eliciat ſan-
„ guinem, reſervatæ dignoſcuntur. Et quæcunque, &
„ quorumcunque demum ſint; certum eſt, à voluntate
„ tantum illas proficiſci: & nemo hactenus Theologorum
„ comparuit, qui vel ipſius Summi Pontificis, multò mi-
„ nus Officialium Curiam conſtituentium, voluntatem ex-
„ tra omnes affectus poſitam, & prorſus impeccabilem
„ aſſerere auſus fuerit. Quod autem a corrupta hominum,
„ etiam Miniſtrorum & Vicariorum, voluntate proficiſci-
„ tur, ipſorum eſt, & rejiciendum: Veritas econtra do-
„ ctrinæ & Auctoritas a Jeſu Chriſto & Apoſtolis profe-
„ ctæ, Dei ſunt, nec violandæ .... Quare & hic illis S.
„ AUGUSTINI Lib. I. de Moribus Eccleſ. Cathol. cap. 34.
„ Manichæos alloquentis verbis uti liceat: *Nunc vos illud*
„ *admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ malè dicere de-*
„ *ſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condem-*
„ *nat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.*

(5)

(5) Primæ huic cautelæ ac reſervationi juvat adjicere alteram ex divo BERNARDO *de Conſider. Lib.* I. *cap.* 9. ubi Eugenio Papæ modum tradit, quo ſervatis veterum Pontificum exemplis, juniorum errata *paulatim* corrigere debeat. Sic autem ibidem vir Sanctiſſimus: " Quid tamen, ſi te „ philoſophiæ huic totum repente devoveris? Prædeceſſores tui non ita conſueverunt: eris moleſtus quam pluribus, quaſi qui à Patrum veſtigiis ſubitò deviaris; „ nempe id videberis agere in ſuggilationem illorum. Sed „ & notabere vulgari proverbio. Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes, veluti qui cupias admirationi fore. Nec potes eorum omnia ſimul & ſubito vel errata „ corrigere, vel exceſſus redigere in modum. Erit cum „ acceperis tempus, ut ſecundum ſapientiam tibi a Deo „ datam paulatim & opportunè id ſtudeas. Interim ſanè „ malo alterius utere in bonum quod potes. " Ita in reformando procedet Summus *Pontifex*: non tamen minus ſeriò & cordatè; ſiquidem graviſſimæ obligationi & conſcientiæ ſuæ ſatisfacere velit. In *Conciliis* econtra totum reformationis negotium ſimul & ſemel ſuſcipiendum atque abſolvendum eſt.

(6) His pro coronide ſubjungimus quod coram Patribus Concilii Conſtantienſis dixit Joannes Gerſon Oratione publica habita die 23. Martii an. 1414. in Actis Conſtantien. Hermanni von der Hardt Tom. II. Part. 10. pag, 272. & hactenus abunde probatum eſt, ſcilicet: *Eccleſia vel generale Concilium, quamvis non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papalis, à Chriſto ſupernaturaliter & miſericorditer collatæ, poteſt tamen uſum ejus limitare, ſub certis regulis ac legibus, in ædificationem Eccleſiæ, propter quam Papalis auctoritas & alterius hominis collata eſt. Et in hoc eſt totius Eccleſiaſticæ reformationis ſtabile fundamentum.* Cæterum, ut invidiam ab hoc inſtituto arceamus, illud addimus quod nemo ignorat, adhibitis Legibus coerceri oportuiſſe etiam patriam poteſtatem.

AD-

ADDENDA.

CUm hujus Operis plus quàm medietas prælo jam ſubducta eſſet, illudque integrum propediem in publico compariturum erat, vir amicus, nec vulgariter eruditus, impreſſa intuens, non dubitavit mihi pro labore, laudando licet, ut ajebat, fine ſuſcepto, totam Romanæ Curiæ indignationem & vindictam augurari. An, inquit, ignoras fata *Pauli Sarpii*, & *Edmundi Richerii*? Quorum hic ſtylum ferreum Romanum propè vidit, ille ſenſit etiam. Ego reponebam: Viri *boni* eſſe, vigilare pro gloria Sponſæ Chriſti, & laborare pro reunione Chriſtianorum; virum *fortem* decere, ut ab honeſto hoc propoſito ne objecto quidem diſcrimine & fortunæ temporalis jactura deterreatur. Inſidias vitæ Fra-Pauli ſtructas (quidquid ipſe temerè ſuſpicatus fuert) teſte Pallavicino *in Apparatu ad Hiſtoriam Concilii Trid. cap. VI. n. 2. 3.* à prudentioribus & aulæ Romanæ peritis eidem aulæ non imputari, quippe quæ talibus mediis ad ſe ab hoſtibus ſuis liberandum non ſoleat uti. Fatum Richerii non tam Romanorum artibus, quam Cardinalis Richelii ambitioni tribuendum eſſe. Meum propoſitum à cauſa & facto binorum illorum virorum toto cœlo diſtare; illos fuiſſe oſores Papatus, & inimicos Pontificum, qui Lutherum & Calvinum habuere ductores. Ego S. BERNARDUM ſequi cupio, qui animo amico, & optimo fine, Summis Pontificibus multa exprobravit; *intactis genuinis Primatus juribus*, quibus etiam ſolidiora fundamenta ſubſtruere conor, quam

paſſim

paſſim faciunt , qui Romanæ Curiæ , *cum exceſſu* , *& cum evidenti damno Eccleſiæ* , adulantur .

Eodem ferè tempore, quo hæc ille mihi objiciebat , incidit in manus meas clariſſimi BARTHELII , Conſiliarii intimi Wirceburgenſis , inſignis Eccleſiæ in Haugis ibid. Decani, in Univerſitate Pro-Cancellarii & SS. Canonum Profeſſoris *Diſſertatio tertia de Concordatis Germaniæ* , *die* 31. *Auguſti* 1762. *publicæ diſquiſitioni propoſita* . Dedit mihi egregium hoc ſcriptum anſam conquirendi binas anteriores ejusdem Magnifici Viri de eodem argumento Diſſertationes , ante plures Annos ſeparatim, nunc etiam cum reliquis ejus opuſculis collectim editas . In his de Germaniæ cum Romano Pontifice Concordato lucubrationibus plura ſunt , quæ ad materiam , quam hoc opere tractamus , pertinent , & ad aſſertiones noſtras firmandas egregiè faciunt . Ex iisdem , ſi mihi in tempore cognitæ fuiſſent , nonnulla extraxiſſem , meiſque miſcuiſſem ad eorum illuſtrationem, quæ nunc ſupplementi loco hìc ſubjicio , non eo tantum fine , ut mea aſſerta tanti Viri (qui omnium Canoniſtarum Germaniæ princeps reputatur) teſtimonio & auctoritate roborentur : ſed ideo maximè , ut infirmiores ac meticuloſi perſpiciant , BARTHELIUM , quamvis cæterà cautum , & politicum etiam , non aliter cogitare , nec minùs cordatè loqui *de exceſſu Romanarum prætenſionum* , *& nævis Curiæ* , abſque quod cui demum cunque in mentem venerit, ejus famam , propter publicatas & in laudata Univerſitate diſcipulis traditas has veritates , expetere , ſcripta convellere , aut condemnanda denuntiare .

Hæc autem ſi vera ſunt, aut [quod in præſentiarum ſufficit] *ſi ſine noxa* , *& abſque periculo* dici , atque in Academiâ apprimè Catholica tradi , & doceri poſſunt , nemo prudens poterit damnare ſequelas , quas ex iiſdem ſanis principiis cum prudentiâ , & diſcretione deduxerunt viri probi , eruditi , pro bono Eccleſiæ in & extra Concilia genuinè ſolliciti , quorum verba plus, quàm noſtra plerumque exhibemus . Finaliter , ſalvis

ſalvis BARTHELII aſſertis, noſtra, iiſdem parallella, improbari haud valebunt: Damus autem hic pura & ipſiſſima illius verba, ad ſeriem noſtrorum Capitum, & Paragraphorum redacta, in margine cujuſque extractûs indicantes, ex qua memoratarum trium Barthelianarum Diſſertationum is deſumptus ſit.

I.

Ad Cap. III. §. V.

Diſſert. III. cap. 3. nu. 32. 33.

Jus Conſecrandi Epiſcopos, olim Metropolitanorum proprium.

Conſecratio cùm ſequela, & comes Confirmationis ſemper fuerit, quin, & per decem ſaltem priora Eccleſiæ ſæcula ab eadem vix ſejuncta; ita concomitanter cum Confirmatione etiam iſta ad Pontificem privativè devoluta, neque Metropolitanis, quibus tanquam ordinariis Conſecratoribus Diſciplina tam antiqua, ſacris Canonibus Conciliorum, quàm recentior, Decretalibus Pontificum & GREGORII IX. expreſſa omnium Suffraganeorum ſuorum ordinationem detulerat, reſtituta fuit. Vehementiùs equidem hanc Conſecrationem, quàm Confirmationem ipſam, ſibi ſalvam & integram relinqui Metropolitani Germaniæ cupiebant, adeo ut etiam Confirmatos à Summo Pontifice, nihilominus pro ſuſcipienda conſecratione ad ſe remitti vellent in Gravaminibus Moguntinis de Anno 1440. §. 6. *in fin.* ..... Sed hi conatus in irritum reciderunt; cum enim jam antehac Jure communi per *cap.* 16. *de Elect. in ſexto* conſtitutum eſſet, ut ii, quorum Confirmatio ad Sedem Apoſtolicam, vel ob immediatam ſubjectionem, vel ob appellationem interpoſitam ad Summum Pontificem pertinebat, perſonaliter Romæ comparere deberent: hoc ipſo, quòd per Concordata omnium Confirmatio Epiſcoporum Germaniæ reſervata fuerat, etiam hæc peregrinandi Romam neceſſitas iiſdem impoſita fuit, præſertim cùm expreſsè Concordata ad dictum Capitulum XVI. provocarent . . . , . . . Ex

Ex quibus omnibus conſequitur , quòd ſicut Confirmatio , ita & Conſecratio reſervatis Papalibus , adventitiis tamen illis atque ſecundariis , ſive heterogeneis ſucceſſu temporis acceſſerit , atque per Concordata roborata fuerit . Hæc omnia licèt plerumque *Primatui* adſcribantur , & in vim Primatûs exerceri à Pontifice dicantur , reapſe tamen , magiſque propriè , imò & multò cohærentiùs ad Jura *Patriarchalia* reduci pleraque merentur . Et Metropolitanorum quidem ordinatio communius ad Patriarchas *Orientis* pertinebat . . . . nunc Reſervatum ,

Pontifex Romanus , quamvis Patriarcha totiùs Occidentis præter eum , quem in univerſam Eccleſiam habet , Primatum ad ductum Canonis Nicæni agnoſceretur , ſuis tamen juribus *Patriarchalibus* , extra *Diœceſin* ſaltem *Suburbicariam* , nunquam uſus fuiſſe legitur . Omnes enim tam Metropolitanos , quàm Epiſcopos , qui finibus dictæ Diœceſeos Suburbicariæ non continebantur in ſuis ſingulos Provinciis , uti in Dardania , Africa , Hiſpania , Anglia , Gallia , & Germania . . . . ſuis in Conciliis fuiſſe ordinatos conſtat . Per Concordata verò è votis ſucceſſit Romano Pontifici , uti jus ſuum Patriarchale præ omnibus reliquis orbis Catholici Patriarchis ad ſummum uſque apicem attolleret . non Romani Primatus , ſed Patriarchatus .

I I.

Ad Cap. III. §. X. num. 3.

„ Si Chriſtus noluit , Regimen Eccleſiæ *dominatum* eſſe , aut poteſtatem *dominorum in ſervos* , ſed *paternum* potiùs , ſeu quaſi *Patris in filios* , qui *amore* magis , & dilectione , quàm *timore* , & *imperio* ad obedientiam , & rationabile obſequium alliciuntur , & ſuaviter adducuntur ; in Germania attentis tot motivis prudentialibus , tanto illud amoris , & benevolentiæ affectu exercendum eſt , quanto non tam pater filios , quàm mater paſcere ſolet ſuos infantes : Quamobrem , ut omnis durities procul ſit , æquum & ſalutare foret , Bullas , & ordinationes , *materiam publicam* Differt. II. cap. 3. Sect. 3. num. 7.

Kkkk 2 &

Quibus cautelis leges Eccleſiaſticæ proponendæ?

& aliás momentoſam concernentes dirigi, mittique ad diœceſium Epiſcopos, & Ordinarios, ut hi adhibito prudentum, doctorum, & jurium, morumque patriæ apprimè peritorum virorum, ex quibus collegiata ibidem conſtant Dicaſteria, conſilio diſpicere queant, num ordinatio *concepta*, vel bulla, leges publicas non offendat, Concordatis, & inveteratis, ac rationabilibus conſuetudinibus, & fundationibus non adverſetur, & nulla ex ejuſdem publicatione vel executione incommoda in Rempublicam Eccleſiaſticam, & temporalem conſequantur; *Reſcripta* itidem Apoſtolica frequentiùs, magiſque *in forma commiſſoria*, quàm *gratioſa*, emanare expediret.„

III.
Ad Cap. III. §. X. num. 5.

Differt. II. cap. 1. Sect. 1. n. 12.

Eccleſia, Cathedra, Curia, Cancellaria & Camera Apoſtolica, non confundenda.

Cancellaria, & Camera humanis affectibus minimè vacant.

Cave ſis, ne vagâ credulitate præoccupatus *Eccleſiam* Romanam cum *Curia*, & *Cathedram* Apoſtolicam cum *Cancellaria* & *Camera* Pontificia confundas. Præcepta fidei & morum ad *Eccleſiam* & *Cathedram*; regulæ circa politiam & praxin beneficiariam, reſervationes & exſpectationes &c. ad *Cancellariam*; ordinationes denique circa taxam & exactionem fructuum, annatarum, ſpoliorum, & aliorum jurium burſalium ad *Cameram* Pontificiam ſpectant. Privilegium non errandi, Eccleſiæ & Apoſtolicæ Cathedræ à Chriſto promiſſum & collatum, Cancellariæ quoque aut Cameræ Pontificiæ ita communicatum eſſe, ne arbitreris, ut diſciplinam exteriorem & verſatilem, diverſis factis & commodis temporalibus admodùm implicatam, extra ſuſpicionem obliquorum humanorum affectuum poſitam eſſe, ſtatuas, quaſi non aliis regulis, conſiliiſque in hac omni tempore ſerviatur, quàm quæ juſtitiæ, pietatis & charitatis ſibi habeant jugiter propoſitum incrementum. Inſpice, ſi vacat, *centum Norimbergenſia gravamina Nationis Germanicæ*, quæ, quoad aliquam ſaltem partem legitima fuiſſe, nemo facilè inficiabitur. De hiſce gravaminibus ſic habet Bzovius ad An. 1522. n. 35. *In iis nonnulla ſummæ æquitatis videri poterant, quòd ſæpius à Curiæ Romanæ miniſtris, veluti impoſitis ſacrarum rerum vectigalibus*, Germani *avariſſimè premerentur*. Et *Spondanus* ad

An-

Annum 1523. num. 7. *Non pauca continent haud rejicienda, quin potiùs audienda*. Ipſe ADRIANUS VI. Pontifex non paucos abuſus in Curiam, cum gravi Nationis Germanicæ, & ejuſdem Concordatorum præjudicio, irrepſiſſe pro ſuâ pietate æquanimi profeſſus, & ſimplici candore in inſtructione *Cheregato* datâ, ad abolenda, quantum poſſet, gravamina ejuſdem Germanicæ Nationis ſe obtulit.

IV.

Ad Cap. III. §. XI.

„ A Romanis Curialiſtis *veneranda* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & SS. Canonum *antiquitas* parùm in ſubſidium adhibetur; quâ tamen deficiente, eò induci neceſſariò debebant, ut antiqua ſæcula ex praxi ſequiorum metirentur, facillimeque ſibi perſuaderent, omnia & ſingula, quæ hodie Germanis volunt obtrudere, ſemper ita obſervata, atque practicata fuiſſe. Diſſert. III. in Præfat. num. 3.4.

Facillimum Romanis erat, ut ex præconceptis & præformatis, ſecundùm ſuppoſitias ab *Iſidoro Mercatore* fabricatas Decretales, in Decreto *Gratiani* paſſim relatas, opinionibus nova illa, in Canonibus tamen, & Hiſtoriâ genuinâ (ſaltem ſicut in vagâ generalitate ſuâ acceptari, & ad uſus atque praxes, quaſi à mero arbitrio pendulas, in hac exteriori univerſæ Eccleſiæ Politiâ, extendi hodie, & applicari amant) haud quaquam fundata Decretalium poſteriorum principia: v. gr. *Papam eſſe Dominum omnium bonorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, Papam ex plenitudine poteſtatis, & vi Primatûs de omnibus totius Mundi beneficiis liberè & immediatè, imò ſolitariè providere, & privativè, ſi ita ſibi viſum fuerit, diſponere poſſe &c.* abſque ullo ſcrupulo, præſertim cùm in ſuos favores eſſent, amplecterentur, innixaſque his principiis Conſtitutiones, Declarationes, Bullas, aliaque reſcripta Apoſtolica, & clauſulas pro primo veluti ſuorum ſtudiorum fundamento & regulâ ponerent. Verùm Ad abſurdas Iſidori Decretales

Germanicæ

Romani ſuas Conſtitutiones adhuc hodie metiuntur.

Germanicæ Nationi haud ægrè ferendum, ſi ſimiles Conſtitutiones, Declarationes, & Bullas Pontificias, unà cum ſuis, quibus innituntur, principiis, ſummâ, quâ par eſt, modeſtiâ, ſanoque in ſenſu deprecentur, quemadmodum eaſdem in binis CLEMENTIS VII., & GREGORII XIII. ſuper Concordata declarationibus jam deprecata eſt per duo Concluſa Judicii Imperialis Aulici, de quibus teſtatum facit Clariſs. ejuſdem ſupremi Judicii Conſiliarius Dn. de *Senckenberg* in ſuâ Epiſtolâ, præfixâ Collectioni Receſſuum Imperii §. XXI. pag. 51. &c. „

V.

Ad Cap. IV. §. III.

Differt. III. cap. 3. num. 20.

„ Non æquo prorsùs animo Metropolitanos Germaniæ, eos præſertim, qui Electores ſimul Imperii ſunt, hanc juris ſui (*in confirmandis neo-electis Epiſcopis ſuarum reſpectivè Provinciarum*) diminutionem tam magnam tuliſſe, facile eſt conjicere, & ipſa inſuper *Gravamina Conſtantienſia* ſub SIGISMUNDO Imperatore per Deputatos Provinciarum Nationis Germanicæ concepta, Concilio Conſtantienſi, & poſtea per Deputatos ejuſdem Nationis audita [ut refert Goldaſtus *Tom. I. Conſt. Imp.*] manifeſto docent argumento, dum *Cap. III.* ita habent: *Electiones, quoties occurrerint faciendæ, poſtquam factæ ſunt, PER IMMEDIATOS SUPERIORES ſecundùm formam juris examinentur, & canonicè factæ confirmentur; & quòd nullo modo liceat SUMMO PONTIFICI quicquam in contrarium attentare, præterquam in electis ſibi immediatè ſubjectis, de quibus habebit prohibere; vel niſi contingat in præmiſſis quidquam contra formam juris factum, aut eſſe quomodolibet attentatum, quo ſicut ad id tenetur, ita ſibi liceat taliter acta vel attentata retractando, reformare cum poteſtate corrigendi, vel puniendi tranſgreſſores.* Hoc enim poſterius de Jure communi jam Summo Pontifici competiiſſe ex *Cap.* 18. *de Elect. in ſexto* ſuperiùs aſſeruimus.

Confirmatio neo-electi Epiſcopi ad Metropolitanum pertinet.

Concilium

Concilium verò *Conſtantienſe*, quamvis Seſs. XXXVI. pacis Eccleſiaſticæ non magis turbandæ causâ, confirmationes Epiſcopatuum, à Pontificibus iis, quos mox gradu dejecit & abdicavit, factas, ratas habuerit, quin & abdicatis iiſdem, aut Sede pulſis Bullas, quæ eorum nomine Confirmatis conſignatæ nondum fuerant, Concilii nomine expediri, & conſignari juſſerit; eodem tamen ipſo tempore de reducendis denuò ad terminos Juris antiqui confirmationibus Epiſcoporum ſedulò ac ſeriò cogitavit, dum Decreto Seſs. XL., quo multa & magni omninò ponderis puncta, in meliorem formam poſthac revocanda, eligendo mox Pontifici per modum ſalutarium quorundam monitorum præordinavit, illum quoque *de Confirmationibus Electionum* numero V. inſeruit. Sed quod Synodus Conſtantienſis meditata fuerat, id à *Baſileenſi* efficaciùs perfectum novimus. Reſciſſis enim Seſs. XII. & XXIII. reſervationibus, tam generalibus, quàm particularibus, id unum diſponit, ut ad confirmandas electiones etiam Canonicas ad Summum Pontificem recurri adhuc poſſit, ſiquo in caſu, de quo inferiùs, grave aliquod diſpendium Reipublicæ, vel Eccleſiæ, immineret: ſi modò tunc confirmatione Romæ recuſatà, altera electio ad Capitulum referretur. De cætero verò diſertè ſtatuit, *ut Electiones in Eccleſiis ſine impedimento omnino fiant, quæ cauſa cognita JUXTA JURIS COMMUNIS DISPOSITIONEM confirmentur*. Hiſce ex integro conſpirant *Gravamina Moguntina* poſt Concilium Baſileenſe Anno 1440. confecta, & ſub nomine *Projecti Concordatorum* apud *Senckenberg* relata, quæ §. 6. diſertiùs illa verba: *Juxta Juris Communis diſpenſationem* explicant, ubi jus cônfirmandi electiones immediato Superiori ſecundùm regulam Juris Communis denuò reſtituendam aſſerunt, in verbis: *Facta autem electione, decretum electionis IMMEDIATE SUPERIORI, AD QUEM JUS PERTINET CONFIRMANDI, præſentetur, qui in electionis negotio procedat, formam electionis, & Electi merita, omneſque circumſtantias diligenter examinaturus, ita ut ſi Electio confirmanda ſit, vel infirmanda, judicialiter confirmetur vel infirmetur*. Atque hos Imperii Status projectantes eodem adhucdum Anno 1440. imitati ſunt Patres Synodi Diœceſanæ Friſingenſis &c. „

Eò illas reduci Conſilia, & Nationes optant.

VI.

V I.

Ad Cap. V. §. II. num. 5.

Diſſert. III. in Præfat. num. 12.

Legum Eccleſiaſticarum conditiones.

„ Quòd ſi fundamentalis ille, & nunquam ſatis deprædicandus *Canon. 2. Diſt. IV.* eas in omni lege, etiam *Civili*, à poteſtate politica latà, conditiones requirat, ut ſit *ſecundùm naturam*, *ſecundùm patriæ conſuetudines*, *loco temporique conveniens*; quantò magìs in lege *Eccleſiaſtica*, circa *exteriorem* duntaxat, & *verſatilem politicam* occupata, eaſdem adeſſe poſtulamus, à quâ quidquid durum apparet ac aſperum, quidquid vel *ſpeciem tantùm*, & umbram præfert *Dominatus*, quidquid non ad *ædificationem*, ſed *deſtructionem*, tendit, ex intimâ ſuâ naturâ, & primigeniâ indole, quàm longiſſimè abeſſe debet. Cumque præterea legum ejuſmodi Eccleſiaſticarum conditio id plerumque ſecum ferat, ut non poſſint non *graviſſimas Status quoque Politici rationes* involvere .... manifeſtè conſequitur, rem hìc *non ſecundùm leguleicos apices*, & unilaterales, abſtractaſque ſubtilitates, ſed in concreto, & in uſu, ſive per Canones, ſive per publicas Conventiones, determinato, examinandam, & rationabiles æquitatis limites, in verum utriuſque poteſtatis, & Eccleſiaſticæ, & Politicæ, bonum attendendos eſſe. „

VII.

Ad Cap. V. §. III. num. 4.

Diſſert. III. in Præfat num. 18. & 20.

Ex Decretalium principiis omnia mala Eccleſiæ provenerunt.

„ Inter reliquas diſſidii inter *Sacerdotium*, & *Imperium* cauſas, facilè palmarium fuiſſe conſtat enata illa ſæculo XII., ſupraque jam recitata *Decretaliſtarum principia*, ex quibus, quòd avidè & paſſim reciperentur, atque ab ipſis, cùm è re ſua, vel ſuæ Curiæ fore animadverterent, non negligerentur, ſucceſſivè tanquam ex equo Trojano, præter inſignes alios abuſus à congregatis novem illis à PAULO III. Prælatis ſatis perſtrictos, proruperunt quoque *exceſſivæ beneficiorum reſervationes*, *exſpectativæ*, *commendæ*, & *uniones* in favorem perſonarum, *taxæ pecuniariæ*, *ſpolia*, *annatæ*, *penſiones*, & innumera alia, quæ non poterant non motus undique, & tumultus excitare graviſſimos,

mos, præprimis autem in noſtra Germania, cujus jura præ aliarum nationum juribus per reſervationes majorum dignitatum, Principatus etiam temporales annexos habentium, notantiſſimè impetebantur.

Ut fateamur, quod res eſt, in frequentiori, quam pro adornando hocce Opere noſtro ſuſcepimus, Curialiſtarum, aliorumque, hanc eandem, quam nos meditamur, Concordatorum interpretationem tractantium, pervolutione mirari ſatis non potuimus, quid ſit, quod *pro prima* veluti, cui reliqua ſuperſtruendæ interpretationis ſtructura firmiter innitatur, *baſi* eadem fuerint poſita, continuarique ament Decretalium principia, quorum primi natales prima quoque ſubortarum diſcordiarum, & labefactatæ, Sacerdotium inter & Imperium, pacis ac concordiæ ſemina extitere, &, quibus nonniſi ſublatis, proficuus demum in reſarciendo labor eſſe potuit. Procul igitur abeſt, ut fundamentis ejuſmodi poſitis, conformis ad mentem, ſcopum, & rationem Concordatorum interpretatio inſtitui poſſit, ut potius ab eadem mente, & ratione toto cœlo recedatur.

VIII.

Ad Cap. V. §. III. n. 7.

„ Non ignorabant Patres Concilii *Tridentini*, vix poſſibile fore, decreta reformationis, exteriorem Eccleſiæ diſciplinam ſpectantia, ita concipi & efformari, ut *omnium paſſim provinciarum* receptis moribus, & populorum ingenio conveniant; quapropter inter alia media eum modum interpretandi, & exequendi Concilium providè ordinarunt, qui Seſſ. XXV. in fine de recipiendis & obſervandis decretis expreſſus eſt. Ecquis ambigat, quin per evocatos, aſſumptoſve è ſingulis provinciis, præſertim ex illa, unde difficultas orta eſt, intelligentes & prudentes viros, facilius & ſecurius intelligi & terminari poſſet, qua ratione, & interdum qua moderatione, vel modificatione decreti interpretatio accipienda, & executio urgenda foret, attentis provinciæ illius moribus, populique ingenio, quam ex ſolis iis Differt. II. cap. 2. Sect. 3. n. 3. Forma in Concilio Trid. pro declaratione Canonum præſcripta.

 Car-

Cardinalibus, aliiſque Prælatis, qui *Curiæ Romanæ opinionibus imbuti*, & ſuæ nationis moribus duntaxat aſſueti ſunt. Id advertens Zypæus *Conſul. I. de Elect. n. 6.* monet, Concilium Tridentinum in his ditionibus receptum eſſe, *prout ſonat*, non, ut quotidianæ interpretationes à Curia afferri poſſunt. Verùm, quidquid ſit de hoc, neque enim valorem, aut auctoritatem ejuſmodi Declarationum hoc loco diſcutere noſtri inſtituti eſt; id ſanè jure merito, & à fortiori inde argui poteſt, fore, ut Summi Pontificis æquitas, & humanitas ægrè haud ferat, ſi Ordinarii, & Principes Nationis Germanicæ, Bullarum, & Reſcriptorum, à Romana Curia emanantium, quæ *privativam* Concordatorum veluti *communium* compactorum, & quæ rationes *non purè eccleſiaſticas*, ſed *publicas* inſimul ac temporales Imperii, implicatas complectuntur, interpretationem aſſumunt, executioni debita cum reverentia intercedant; tum quod Bullæ ejuſmodi non juxta formam, & naturam Concordatorum confectæ ſint; tum quod praxi, ſtylo, & opinionibus, in Curia Romana receptis, non rarò conformentur, licet ipſa fortaſſis Concordatorum verba alium ſenſum non obſcurè præſeferant, & Concordantibus aliud placuiſſe, ex tenore appareat: tum quod moribus & rationabilibus inſtitutis provinciarum Imperii nonnunquam adverſentur; quæ tamen omnia probè cognoſcere & attendere omnino neceſſarium eſt, ut ſcitè diſcurrit P. Conzenius S. J. *Lib. VI. Politic. cap. 36. §. 4.* Neque enim majores committuntur errores, quam *ignoratione Reipublicæ*. At fieri haud facilè ſolet, ut exteri omnia perſpecta habeant, quæ ad alias gentes, & commiſſuras tot provinciarum vaſti noſtri Imperii, ac ad ejuſdem, maximè tot diverſarum Religionum autonomia hodie intermixtarum, ſtatum pertinent. "Quam multi Itali (pergit idem) *Germaniæ* Epiſcopos *ſuis pares* in externa gubernatione arbitrantur, & myricis abietes conferunt? quam non pauci Germaniam magnam urbem eſſe ſibi imaginantur? Quidam non ignobilis quærebat, an Cæſar habeat multos pagos.."

Romæ non ſervatur.

IX.

Ibidem.

„ Cum repetitæ ſæpius univocæ *Deciſiones Rotæ*, conformiaque præjudicia *Stylum Curiæ* inducant, qui inſtar legis in caſibus ſimilibus, poſtmodum obſervandæ habetur, proinde *generalis cujuſdam* eorundem Concordatorum, ſive *cum legali mixtæ*, interpretationis naturam aſſumit, quæ gravibus conſequentiis, & communi gravaminum Nationi Germanicæ inferendorum periculo, obnoxia non vanè præſumitur, attentis principiis, ſententiiſque Doctorum Curiæ, qui in Summi Pontificis potius, & ejuſdem Curiæ favorem interpretationes ejuſmodi inflectunt, quam tenori & ſenſui Concordatorum accommodant, & Ordinariorum poteſtatem plus reſtringere, quam ampliare ſolent; atque ita ſub ſpecie interpretationis, ſæpè plus æquo reſtrictivæ, & extenſivæ, in frequentia appellationum, & recurſuum ad Curiam ſenſim ſine ſenſu generalem quandam Concordatorum immutationem invectum iri, facile eſt: Rectè concluditur, ſtylum hunc, & generalem interpretationem *ſolius Curiæ* non illa vi firmitateque potiri in hac lege Concordatorum pactitia & communes tam Pontificis & Curiæ, quam Nationis Germanicæ, veluti partium, rationes involvente, qua is cæteroqui valet in declaranda alia Pontificia Conſtitutione purè tali, & ubi *exceptio partis* legislatori aut judici non ita opponi poteſt." Differt. I. cap. 2. Sect. 3. n. 5. Differt. III. in Præfat. n. 5. Deciſiones Rotæ, ſententiis Doctorum Curiæ nixæ.

„ Plures emanatæ hactenus in cauſis Concordatorum Deciſiones Rotæ non tam in iiſdem ad *ſpecialem* caſum *applicandis*, quam potius *generaliter interpretandis* occupantur. Res in exemplis clariſſimè pateſcet: Sic dum Rota in *Paderborn. Præpoſituræ* 30. *Maji* 1588. decidit, Dignitates majores vigore Concordatorum reſervatas eſſe; dum in *Colonien. Canonicatus* 17. *April.* 1589. decidit, proviſum Apoſtolicum vigore Concordatorum tres intra menſes haud apparere debere, ſed ſufficere, ſi intra hoc trimeſtre eidem à Sede Apoſtolica fuerit proviſum; dum in *Monaſterien. Decanatus* 16. *Aprilis* 1709. decidit, cum beneficio in menſe Apoſtolico vacante dignitatem etiam alias electivo-confirmati- Nationibus meritò ſuſpectæ ſunt.

 ti-

tivam reſervatam eſſe; certè non tantum legem Concordatorum ſubſtrato caſui applicavit, ſed & ipſam eorundem ſenſum adverſus literam pro domo ſua partialiter nimis fuit interpretata.

X.

Differt. II. cap. 1. Sect. 1. n. 9. Differ. III. c. 1. n. 10. & 11.

Ad Cap. VI. §. I.

„ Romani Pontifices in formula profeſſionis, quæ habetur in Diurno Eccleſiæ Romanæ, ſpondere non dubitarunt, ſe obſervaturos & confirmaturos *omnia Decreta Canonica Prædeceſſorum Apoſtolicorum noſtrorum Pontificum, quæcunque ipſi SYNODALITER ſtatuerunt, & probata ſunt.* Hiſce cohærenter Natio Germanica ſibi providendum duxit, dum *primò* EUGENIO IV. præliminarem ad Concordata propoſuit hunc ſecundum articulum: " Alterum eſt, ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis „ præeminentiæ Generalium Conciliorum, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium, per ſuos Oratores facta, „ tuis literis approbetur; " quem idem EUGENIUS in literis approbavit, ſponſione facta his verbis: " Concilium autem „ Generale Conſtantienſe, Decretum *Frequens*, ac alia ejus „ Decreta, ſicut cætera alia Concilia, Catholicam militantem „ Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, „ honorem, & eminentiam, ſicut & cæteri Anteceſſores noſtri, „ à quorum veſtigiis deviare neutiquam intendimus, ſuſcipimus, „ amplectimur & veneramur. " *Secundò* " dum Natio eadem poſtulavit, obtinuitque à NICOLAO V. Eugenii ſucceſſore, ut Concordata durarent *niſi* NB. *in futuro Concilio, de conſenſu ipſius Nationis, eadem contingeret immutari.* Confer Conſtitutionem ejuſdem *Nicolai* §. 5. & 6. in fine. ibi: *Duretque hæc obſervantia deinceps, niſi eam ſimiliter in futuro Concilio, de ipſius Nationis conſenſu, contingat immutari.* "

Papa tenetur legibus generalium Conciliorum.

„ Adjecta eſt hæc clauſula *duobus* Concordatorum *articulis*, quorum altero de *Alternativa menſium*, altero de *ſolutione Annatarum*, agitur. Sed ad utrumque hunc ſtabiliendum, aut concedendum difficilimè (teſtantibus Actis hiſtoricis, præſertim Conciiii Conſtantienſis) Pontifices induci potuerunt . . . . . .

Itaque

Itaque unicus inducendæ in duobus hiſce articulis mutationis modus eſt *ordinatio futuri Concilii*, cui & Pontifex & Natio firmiter & inviolabiliter ſtare debeant. Quamvis enim alias in Curia Romana haud arrideant ſententiæ illæ de auctoritate Conciliorum, eorumque etiam penes Pontificem obligatione, in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi multum aſſertæ; recogitandum tamen omnino eſt, hanc obligationem in pactum hic deductam eſſe: ..... Cumque vi iſtius clauſulæ, placito, & ordinationi Concilii conſenſus quoque Nationis Germanicæ accedere debeat, illud inprimis præcaveri voluit, ne, cum fortè pauciores Germaniæ Epiſcopi Concilio adeſſent, abſque prævio tractatu cum iis, quorum intereſt, novæ reſervationes ultra dictam menſium alternativam, aut novæ taxæ pecuniariæ induci poſthac poſſent. — Et adhuc pacto ſe obligavit.

XI.

Ad cap. VI. §. X.

„ Suadet Ivo Carnotenſis Epiſt. CLIX. ut *qui ſe ab Eccleſia Romana gravatos conqueruntur*, *ab ipſa ad ipſam confugiant*, *& inde exſpectent levamen*, *unde ſe accepiſſe conqueruntur gravamen*. Nam ut docet S. *Bernardus* Epiſt. CVIII. *Apoſtolica Sedes hoc habet præcipuum*, *ut non pigeat revocare*, *quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum*, *non veritate promeritum*. Sed ſi mandata & leges gravatorias non modò non revocet Summus Pontifex, quantumvis de rei ſtatu certior factus, ſed illorum etiam executionem proſequatur; ſanè injuria fieri Summo Pontifici non videtur, ſi, ſalva in omnibus & per omnia auctoritatis ejuſdem reverentia, non ſtatim caput jugo ejuſmodi ſupponatur. Et ſi gravamen commune fiat, & cauſa evadat pertinax, maximè, ſi integræ cujuſdam Nationis intereſſe, & publicas Imperii, vel regni, inſimul rationes concernat; In hoc difficili rerum intricatarum ſtatu, ad temperandam Pontificis poteſtatem, ad ſervandam Præſulum communionem, ad Summo Capiti debitam obedientiam & rationabile obſequium obtinendum, pacemque Eccleſiæ & Imperii tuendam, duplicem rationem — Differt. II. cap 1. Sect. 1. n. 7. — à decreto R. Pontificis integram Nationem gravante ad Concilium appellatur.

nem optime conſtituit GELASIUS Papa II. in Ep iſt. ad Epiſcopos Gallicanos an. 1118., *Concilium*, nimirum & *conventionem*.

XII.

Ad Cap. VI. §. XIII.

Diſſ. III. in Præfat. n. 19.

Vitia & abuſus Styli Romani.

„ Vix trigeſimus poſt confecta Concordata annus lapſus erat, quo jam nova gravamina in *Dieta Confluentina* de novis eorundem infractionibus, & violationibus, de præjudicioſa Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ introductione, de reſervationibus, aliiſque gratiis Apoſtolicis ad exceſſum uſque multiplicatis FRIDERICO III. Imperatori exhibebantur. Vid. *Leibnitz* Cod. Jur. Gent. Diplom. pag. 439. Quæ omnia additis ſubinde novis gravaminibus, præſertim & in ſpecie de multivariis & diſpendioſis per exſpectativas, aliaſque Curiæ Romanæ proviſiones ſubortis litibus innovabantur ſubſequenti ſæculo circa annum MDX. in Gravaminibus nomine Nationis Germanicæ cum remediis & aviſamentis ad MAXIMILIANUM I. Imp. tranſmiſſis, quæ videri poterunt apud *Goldaſtum* Tom. II. Conſt. Imp. pag. 119. Item apud *Lünig* Reichs-Archivs Part. gen. Conſt. I. pag. 299. Quid? quod in ipſo Concilio *Tridentino* fuere ex Patribus, qui de prætenſione Romanæ Curiæ, attribuentis Summo Pontifici plenam, liberam & immediatam de omnibus beneficiis diſpoſitionem, acerrime conqueſti fuerint, prout ex eodem Concilio Tridentino die 28. Novembris 1551. quæribundus ſcribebat *Franciſcus Vargas*; cum enim quibuſdam Patribus videretur, diſcutiendam eſſe materiam Beneficialem, notanter ſcribit de Vargas," ejus ſe eſſe opinionis, *ut in hac materia tractanda ante omnia deberet eſſe plena libertas examinandi & decidendi*; „ atque ante omnia neceſſarium eſſe probare, quod jus Papa „ prætendere queat *providendi de Beneficiis*, cujuſcunque ſint „ conditionis; quod ubi fiet, clare adſtruam ex principiis & „ fundamentis Juris Naturalis, Divini & humani, nec non ex „ priſtina Eccleſiæ praxi, ex varia mutatione, quæ circa Eccle- „ ſiæ diſciplinam contigit, ex Jure Canonico, priſtino, & mo- „ derno, ex naturali ratione, ac ex ea, quam recta politia requi-

in Concilio Trid. incuſati.

„ quirit, neceſſitate, per hæc omnia principia probaturus ſum, „ Romanum Pontificem non habere tale jus diſponendi de Beneficiis, quali hodie utitur, quod nullatenus minueret ſuam „ dignitatem, aut auctoritatis plenitudinem. “ Hucuſque de Vargas..

Et quamvis inde continuata Curiæ Romanæ praxis, per ipſum Concilium Tridentinum noviter & provide in variis modificata, & deinceps reſtricta fuerit, nihilominus tamen idem uſque modò ſtylus iiſdem principiis innixus, quemadmodum ex diverſis Rotæ Deciſionibus, aliiſque Commentariis apparet, in ipſa etiam Concordatorum interpretatione, & applicatione retentus fuit. Quæ res fecit, ut antiqua gravamina veluti perpetuarentur, & toties, quoties occaſio ſe protulit, in Seſſionibus præliminaribus Electionum Cæſarearum, in Comitiis Imperii, in Judicio Cæſaris Aulico, innovarentur, atque ita ad ea tollenda ipſimet etiam Proteſtantes, alias Sanctæ Sedi plurimum infenſi, ſuo ſuffragio concurrerent. Unde etiam in Electione CAROLI VII. Imperatoris Pontificium tunc Nuntium, poſtea Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem *Georgium Doria* commotum credimus, ut nullo non conatu allaboraret, quatenus deinceps in Capitulationibus Cæſareis querulosi ejuſmodi Nationis articuli omitterentur; ſed, quo, neſcimus, fato eo ipſo tempore contigit, ut novæ de Concordatorum tranſgreſſione quærelæ è diœceſi *Leodienſi* ad S. R. I. Electores deferrentur, queis factum, ut antiquus Articulus innovaretur, atque ita jam à trecentis annis continua identidem imminerent, eſſentque metuenda pericula, ne fomentantibus ſæpè ſæpius Proteſtantibus, antiqua redirent diſſidia. “ & damnatur, ſed hactenus non emendati.

XIII.

Ad Cap. VI. §. XIII. n. 2. 4. & ſeqq.

„ Cum per additam in Decretali *De multa* 28. *X. de Præb.* clauſulam: „ circa *ſublimes* tamen & *literatas* perſonas, quæ ma„ joribus beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per „ Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari, “ via quodammodo prohibitam beneficiorum pluralitatem juſtificandi, oſtenderetur, Differt. III. c. 2. n. 14. Curia Romana favet pluralitati beneficiorum.

lata

lata veluti porta contraveniendi aperta fuit, ipſæque diſpenſationes adeò evaſere frequentes ut tandem tanquam Jus ordinarium, & res ſtyli invaluiſſe viderentur, uti non obſcurè deſumitur ex *cap. 3. de Offic. Ordinarii in ſexto*, in quo & Ordinariis inhibitum fuit, ne Clericos, qui diſpenſationem in conſueta forma expeditam proferre poſſent, in beneficiis hujuſmodi, quæ canonicè obtinuerant, turbarent, moleſtarentve.

XIV.

Ad Cap. VI. §. XVI. n. 9.

Diff. III. c. 1. n. 14. & 15.

Natio Germanica providet auctoritati Generalium Conciliorum;

„ Duo Articuli à Legatis Nationis propoſiti, & ab EUGENIO IV. acceptati, promiſſi & conceſſi fuerunt, qui revera conſiderationem merentur, & notabiles adhucdum effectus juris producere poſſunt, & de quibus maximè ſupra adducta Concordatorum verba ſunt intelligenda. *Prior* eorundem hic erat, quod ad menſem Majum anni ſequentis MCCCCXLVII. in uno quinque nominatorum Germaniæ locorum Concilium generale per Pontificem convocari, taleque impoſterum frequentius celebrari debeat. *Poſterior* in eo conſiſtebat, quod Concilii generalis Conſtantienſis, ſicut & cæterorum, militantem Eccleſiam repræſentantium, poteſtas, auctoritas, honor & eminentia literis Apoſtolicis approbari debeat. Utrumque hunc articulum eos inter, quos Natio ſibi præliminariter à Pontifice appromitti voluit, principalem ac præ reliquis omnibus eidem Nationi curæ cordique fuiſſe facilè deprehendemus, ſi vel levi oculo varia illa gravamina & Aviſamenta, à Natione, durante diſſidio, concepta percurramus, in quibus omnibus utriuſque hujus articuli ſpecifica quædam mentio, expreſſiſſima tamen, & maximè energica in Aviſamentis Moguntinis de anno MCCCCXL., poſtquam in iis §. 1. generaliter diſpoſitum erat, quod cuicunque parti adhærendum eſſet, ante omnia provideri deberet, ne auctoritas Conciliorum generalium infirmetur, §. inſequenti II. ſit hiſce verbis: *Inprimis quia Baſileæ hucuſque non eſt nominatus aliquis locus pro futuro Concilio celebrando juxta formam Conſtitutionis FREQUENS, ita, quod jam pendeat terminus alicujus Concilii: expedit, quod ille, cui facienda eſt hæc adhæſio, omnes & ſin-*

& ſingulas conſtitutiones olim in Conſtantienſi Concilio ſuper auctoritate , honore & reverentia ſacrorum generalium Conciliorum promulgatas , approbet , recipiat , & provideat : & mox in eiſdem literis Bullatis conficiendis ſuper præmiſſis promittat , ſeu polliceatur , ſe œcumenicum , vel ſaltem generale Concilium indicere velle , quantocius id fieri potuerit in loco rebus gerendis accomodo , ubi perſonaliter , ſi poterit , alioquin ſi nequeat , per Legatos Apoſtolicos plena poteſtate fulcitos Concilium ipſum proſequatur cum effectu . Promittat inſuper , operam ſe daturum , quod in hujuſmodi celebrando Concilio per Nationes procedatur , ſicut in prioribus Conciliis reperitur obſervatum . Nam per hoc veritas prodibit in lucem : & illi qui ex alia parte, ſeu ſub alia obedientia remanebunt , poterunt aptiſſimè nobis conſolidari : Papa etiam, cui adhærebitur , ex hoc auctoritatem ſuam & Apoſtolicæ Sedis augebit & confirmabit , quando videbitur ab omnibus ſinceritas ſua in factis Eccleſiæ Dei . . . .

Duplici huic poſtulato in Conventu Francofurtano de anno MCCCCXLVI. innovato, & inter articulos Legatorum Imperatoris & Imperii EUGENIO IV. oblato , reſpondit idem Summus Pontifex per ſpeciale reſcriptum in forma Brevis ad Imperatorem , & Archiepiſcopum Moguntinum , & Marchionem Brandenburgenſem , ceu qui nomine totius Imperii ſuos Legatos ad Pontificem deputabant, directum, cujus integrum tenorem exhibet . Lunig Spicil. Eccleſ. Part. I. pag. 314. quibus etiam Pontifex ſe ſubmittit ;

(*Principalem partem hujus reſcripti nos dedimus cap. VI. §. 16. n. 9.*)

Poſt editum hoc Breve Apoſtolicum proteſtabatur quidem EUGENIUS IV. ſpeciali ſalvatorio, quod refertur in Collectione Receſſuum Imperii Part. I. pag. 178. " Se , quoniam propter non obſtante Salvatorio poſtea adjecto .
„ imminentem ſibi ægritudinem non potuit omnia per Na-
„ tionem petita , & à ſe conceſſa, cum ea integritate judicii &
„ conſilii examinare & ponderare , quam rerum magnitudo &
„ gravitas requirit, per quæcunque dictis Imperatori , Archie-
„ piſcopo , Marchioni , Prælatis , Principibus ac Nationi reſpon-
„ ſa & reſpondenda , conceſſa & concedenda non intendere in
„ aliquo derogare doctrinæ SS. Patrum, aut Sedis Apoſtolicæ
„ privilegiis & auctoritati . " Cum tamen non obſtante hoc ſal-

vatorio hic in Concordatis quoad ea, quæ per eundem EUGENIUM IV. pro Natione Germanica permiſſa, conceſſa, indulta & decreta fuerunt, nihil dicatur eſſe immutatum; de cætero etiam nec per NICOLAUM V. Eugenii ſucceſſorem, nec per poſterius aliquod Concilium eorum quidquam deprehendatur eſſe retractatum; exinde vel à poſteriori ſufficienter colligi poteſt, nihil in conceſſis hiſce, quod regulis & doctrinæ SS. Patrum, aut eſſentiali & inabdicabili Sedis Apoſtolicæ auctoritati & privilegiis derogaret, offendi, eorum proinde valorem & conſtantem obligationem pactitiam in vim hujus Concordatorum loci à Natione poſſe jure optimo urgeri, atque manuteneri.

XV.
Ad Cap. VII. §. II.

Differt. II. cap. 2. Sect. 1. n. 5.

„ Epiſcopus, quà Apoſtolorum ſucceſſor, & Chriſti in ſua diœceſi Vicarius, incumbentem ſuis humeris geſtat Eccleſiæ ſuæ totius adminiſtrationem, & curam ſalutis animarum. Extra controverſiam eſt, Chriſtum Apoſtolis ſuis Eccleſiam ſuam commendaſſe univerſam, qui, ſi pares ſe ſolos ſenſiſſent omnium fidelium neceſſitatibus, nunquam ſibi miniſtros & coadjutores alios cooptaſſent. Ipſi quoque Epiſcopi, ſi ab exordio omnia potuiſſent Eccleſiæ ſuæ munia ſoli obire, nunquam adſciviſſent, à quibus tam pretioſæ ſarcinæ parte aliqua levarentur. Initio naſcentis Eccleſiæ, cum fides in paucos tantum, & in majores urbes manaſſet, Epiſcopi ad omnia preſtò, nec impares, adeoque pauci ordinabantur Presbiteri; verum, ubi augeſcere indies magis magiſque cœpit fidelium numerus in urbibus & in vicis; novi omnes hi fideles uni Epiſcopo ſubiiciebantur, tum ut Apoſtolorum ſucceſſori, ſeu primorum Eccleſiæ parentum & fundatorum, tum jure victoriæ, quod gladius verbi à Chriſto creditus non fuerit niſi Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis, nec Presbiteris communicatus ſit niſi precariò, & ex Epiſcopi delegatione, cui obnoxii ſemper ſunt. Ad Epiſcopi ergo curam & imperium pertinebant novelli indies hi cœtus fidelium: ſolus ille *jure Divino* paſtor erat gregis, quem Apoſtoli, quem prædeceſſores ſui Epiſcopi genuerant; cui & ideo ſolus vicarios præſtituere poterat paſtores, qui eum ex aliqua parte ſublevarent.

Epiſcoporum poteſtas immediatè à Deo eſt.

Ex inſtituto Chriſti ſoli beneficiatos inſtituunt.

Cum

Cum parochum exauthoraſſet S. Auguſtinus, non unius criminis convictum, vereretur autem ne ab aliis Epiſcopis reſtitueretur, ſanctiſſimè affirmavit *Epiſt.* 226. " Committat illi, qui „ vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam, ego fateor, talibus „ *quamlibet plebem committere* timeo. " His ſatis prodit S. Pater, quaſcunque parochias à Chriſto Epiſcopis concreditas fuiſſe, eiſque adeò jure divino ſubeſſe, nec à parochis eas regi, niſi ab Epiſcopo inſtitutis, qui ſarcinæ ſuæ hanc partem in eos transfudit; quod de beneficiariis aliis multò certius eſt. "

XVI.

Ad Cap. VII. §. IV.

„ Summi Pontifices collationibus beneficiorum ſucceſſivè, leniter, & pedetentim ſe ingeſſerunt, quin illa ſtatim immediatè ipſi conferrent, ſibique privativè reſervarent. Sæculum duodecimum medium erat, quo *preces* dumtaxat interpoſuit ADRIANUS VI., rogando per literas recommendatitias Epiſcopum Pariſienſem, ut certo cuidam Clerico pauperi, de Eccleſia benè merito, & eminenter digno, beneficium primò vacans conferre vellet . . . . Exemplo harum *precum Pontificiarum* Imperatores quoque eodem ſæculo precibus apud collatores ordinarios uſos fuiſſe, quæ etſi ſenſim in *Jus* tranſirent, adhucdum tamen hodie nomen *primariarum precum* retinere notat Thomaſſinus *de Vet. & nov. Diſcipl. Part. IV. Lib.* 2. *cap.* 21. Sed Pontifices mox ultrà progreſſi, ſuis precibus *monita* & *mandata* addiderant: ALEXANDRI enim III., qui immediatus *Adriani* ſucceſſor erat, jam armatæ preces fuerant; *monendo* enim & *mandando* rogavit, idque forſan ideo, quia preces ejus non ita paſſim & ſemper admitterentur. Aſt & monitionibus, mandatiſque haud amplius proficientibus, ſucceſſores Pontifices *executoriales literas* adjunxerunt, imò & *Executores* conſtituerunt, qui cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis Ordinarios compellerent, ut Clericis ab ſe commendatis de beneficiis vacantibus providerent. Exemplum deſuper proſtat in *cap.* 30. *de Reſcript.* Mandata autem hæcce, & literas executoriales *prævenire* ſæpius ſtuduerunt Epiſcopi, non tantum infinitis fermè, cum duo Proviſi, & Apoſtolicus & Ordinarii, concurrerent, litibus, ſed & incomparabilibus Eccleſiarum damnis inde propullulantibus, quod Ordinarii, ut prævenirent Pontificem, collatio-

Differ. III. c. 2. n. 5.

Rom. Pontifices beneficiorum collationem paulatim ad ſe traxerunt.

magno Eccleſiæ damno.

tiones beneficiorum ſine delectu perſonarum præcipitarent, ſæpiuſque minus idoneos deficiente maturiore deliberatione inſtituerent. Medelam huic malo afferre crediderant per *Exſpectativas*, certis perſonis datas, quatenus certa beneficia vacatura hiſce, & non aliis, conferrentur. Verum hæ exſpectativæ ſemper plenæ viſæ fuere triſtis exitus, & dare anſam voto captandæ mortis; Inde alia *Exſpectativarum* ſcilicet *mentalium* ſpecies inventa fuit, queis Pontifices certum ſibi beneficium reſervarent, quin tamen perſonam ſpecificè nominarent, ac deſignarent, cui beneficium conferre vellent. Sed nec hæ credebantur ſufficere ad votum illud & periculum avertendum, ac propterea æque atro ſemper calculo notatæ fuerunt. Hiſce demum Exſpectativis ſucceſſerunt *Reſervationes* primitus *ſpeciales* & particulares, à quibus pedetentim ad ampliores & *generales* progreſſus fiebat, ampliſſimo demum & exceſſivo earundem numero per regulas Cancellariæ Pontificiæ introducto. Deſuper autem cum in binis Conciliis, Conſtantienſi, & Baſileenſi, querelæ graviſſimæ excitarentur; iiſdem tandem per Concordata Germaniæ modus ita ponebatur, ut ex iis, quæ antehac viguerant, reſervationibus tres tantummodo, eæque ſub certis etiam modificationibus, per & poſt Concordata reſiduæ manerent. "

Sequenti num. 7. probat clar. Barthelius Capitulum 2. de Præbendis in ſexto [quod nos cap. VII. §. 4. laudavimus] non eſſe CLEMENTIS Papæ tertii, ſed quarti; cui etiam in vetuſtioribus Codicibus conſtanter adſcribitur.

XVII.

Ad Cap. VII. §. IV. n. 10.

„ Cum beneficia & bona eccleſiaſtica cujuſque particularis Eccleſiæ, tum ex intentione fundatorum, tum Canonum præſcripto, ſint inſtituta & relicta, ut miniſtris indigentibus, alias benè meritis ſingularum illarum reſpectivè Eccleſiarum provideatur; quid juſtius, aut rationabilius, quam, ut Epiſcopis, & Ordinariis collatoribus, per fundatores, aut ſanctos Canones deſignatis, horum diſtributio & diſpenſatio, quantum fieri poteſt, integra conſervetur? Utpote quibus propius & Clericorum paupertas & merita innoteſcunt; quidquid ſingulis hic & nunc conveniat ex bonis Eccleſiæ, vel beneficii diſtribui. Accedit, quod ob-

Diſſert. II. cap. 2. Sect. 3. n. 8.

ob expenſas & ſumptus, in Curia Romana faciendos, pauperibus Clericis, ut ut alias magis dignis, & alias idoneis, vel nullus, vel difficilis admodum ad beneficia pateat aditus . . . . Et ſi Pontifex in immediatà collatione beneficiorum, uti facilè per ſub-& obreptiones contingere poteſt, erraverit, à quo tam facilè & liberè corrigetur? Teſtis præterea eſt vel ſola *Herbipolis*, quod libertas collationum Ordinariis relicta aptiſſimum tandem medium ſit minuendarum inter Eccleſiaſticos litium, inſtitutis Evangelicis, & ſpiritui Canonum adeo exoſarum, quas econtra à Curiæ Romanæ proviſionibus, & diverſis reſcriptorum clauſulis multifarias, diſpendioſas & diuturnas generari & foveri in comperto eſt. Unde inter querelas obmotas & gravamina, contra exceſſivas Curiæ Romanæ reſervationes & exſpectativas, à Principibus Germaniæ nomine Nationis Germanicæ circa annum 1510. cum remediis & aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem miſſa, quintum hoc tenore erat conceptum: „ Quod exſpectativæ gratiæ abſque numero concedantur, & „ multæ interdum ad unum collatorem, unde ſurgunt quoti„ dianæ lites, & pecuniæ dilapidantur, tum illæ, quæ pro „ bullis gratiarum, quæ nunquam effectum ſortientur, " (*Huc etiam referri poſſunt tot Bullæ impetrationum, quæ ad piſcatorum petitionem quotidie & promiſcuè expediuntur*) " expoſitæ „ ſunt, tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur &c. " Oratores itidem Regis Galliæ in reflexionibus ſuis ad articulos reformationis per Legatos Sedis Apoſtolicæ ſub *Pio* IV. in Concilio Tridentino propoſitos, & quorum unus erat *de minuendis litigiis inter Eccleſiaſticos*, monuerunt dicendo, ſe exiſtimare, nullam aliam eſſe rationem aut viam præſcindendarum hujuſmodi litium, quam ſi tollantur omnino præventiones, & alii modi acquirendi beneficia, qui nuper in Chriſti Eccleſiam irrepſerunt. Uti refertur in libello, cui titulus *Memoires ſur le Concile de Trente edit. an.* 1654. *pag.* 574. Incommoda ejuſmodi porrò recenſet Franciſcus I. Galliarum Rex in regiis literis ac edicto promulgationis Concordatorum, ibi: " Ideo nos animo reputantes, quanta olim ante „ illius pragmaticæ Sanctionis promulgationem indignitas rerum, „ ac deformitas in Regno noſtro graſſaretur, cum videlicet res „ nummaria, quibus veluti nervis Reſpublica ſubnixa eſt, ea maxi-

Horrendi abuſus ex reſervatione beneficiorum orti.

„ maximè ac præcipua ratione exhauriretur, cum Præſulibus & „ Antiſtitibus ſacerdotiorum libertas facultaſque adimeretur: cum „ peregrini & incolæ ſacerdotiis gallicis ſæpenumero donarentur: „ cum diplomatibus Apoſtolicis, quæ exſpectativas nuncupa- „ bant, generatim ſigillatimque ſuperſtitum hominum ſpiran- „ tiumque ſacerdotis electiva, mixta, ac collativa in diem mor- „ tis eorum conferrentur, qui eis fungebantur; quod alieni fati „ votum habet adjunctum; poſtremò cum ſacerdotiorum con- „ troverſiæ, liteſque ſacræ in Curia Romana diſceptarentur, in- „ genti noſtrorum hominum diſpendio & incommodo, ex quo „ ſequi plerumque neceſſe erat, ut qui vel ſumptibus ſuppedi- „ tare, vel laboribus ſufficere nequirent, ii aut juri ſuo cede- „ re, aut cauſas deſerere, ac pro derelictis habere cogerentur. Si- „ mul ea accedebat deformitas, ut literarum ſtudioſi & liberali- „ bus diſciplinis incumbentes aut ſacerdotia adipiſci nequirent, „ aut qui adipiſci cuperent, literarum ſtudium abjicere, aut cer- „ tè deponere cogerentur, paſſimque urbes errabundè vagari, „ ut id periculum imminere videretur, ne literarum tandem „ amor & ſcientia per incuriam exoleſceret &c. "

XVIII.

Ad Cap. VII. § 5.

Diſſer. III. cap. 5. n. 29.

Annatæ Rom. Pontifici nullo alio titulo debentur.

„ Quamvis Jure Naturali, Divino, humanoque proviſio ſive ſubventio Pontifici, tanquam Univerſalis Eccleſiæ Paſtori, *indigenti*, *nec aliunde proviſo*, ab omnibus Eccleſiis inferioribus debeatur; Jus tamen Divinum & Naturale, uti penuriam & indigentiam, aut aliorum mediorum defectum, ſupponit, nec tamen determinat; ita etiam altera ex parte nec tempus, nec modum aſſignat, quo ſubventio illa ſit ſuppeditanda. Non æqualis eſt extra caſum neceſſitatis hujus ſubventionis Romano Pontifici præſtandæ obligatio, ac illius *Levitarum* contributionis, de ſuorum redituum decima ſummo Sacerdoti *Aaronico*, pendendæ, ex Lege veteri *Moſaica* fuerat. Hæc enim ipſa modum quoque ſubventionis, abſque ulla ad penuriam qualemcunque coarctatione, Divino præcepto, ſpecialibus tamen ejuſdem Synagogæ rationibus, & Politiæ Judaicæ conditionibus attemperato, determinaverat. Prorſus autem alia nunc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ Politia, ab illa Synagogæ quam longiſſimè diverſa . . . . Diſci-

ſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ alio modo ſuſtentationi Cleri ſui providit, diſtributis videlicet Eccleſiis in Diœceſes, quibus ſingulis ſua quoque bonorum Eccleſiaſticorum portio diſtincta fuerat ac ſeparata, ſub adminiſtratione Epiſcopi conſtituta, & in ſuas ſuorumque Miniſtrorum neceſſitates diſpenſanda. Et in hac generali inſtitutione Romanis Pontificibus ſua quoque portio *in Diœceſi Romana* tributa fuit, qua & ſibi ſatisfactum dudum putarunt, nullum præterea ſubſidium implorantes, etiam tum, quando ſolis fidelium oblationibus potiebantur. Multò magis proinde Juris præciſe Naturalis & Divini neceſſitas ceſſare poterat, cum ad eam portionem prædia, aliaque ingentia patrimonia ab Imperatore CONSTANTINO, & Romanis Senatoribus, nec non PIPINO, CAROLO M., LUDOVICO PIO Imperatoribus, nec non MATHILDE Comitiſſa, aliiſque Eccleſiæ Romanæ, vel maximè in auctoritatis ejuſdem reverentiam, & univerſalis ſollicitudinis compenſationem, in diverſis provinciis collata & adaucta acceſſere. Et quamvis, aucta Sedis Apoſtolicæ temporali Majeſtate, novas quoque ipſi præbitas fuiſſe ingentium ſumptuum occaſiones, aucta inſuper fuiſſe cum opibus onera, auctum denique cum oneribus & munerum, Officialium ac Miniſtrorum numerum, diffitendum haud quaquam ſit; cum tamen de his ipſis ſæpius dubitatio eſſe poſſit, qnin & à Conciliis quandoque, præſertim Conſtantienſi, & Baſileenſi, obmota fuerit, an, quid, & quantum utilitatis, aut emolumenti in Eccleſiam univerſam vel ex ſingulis aut certis quibuſdam officiis, vel ex multiplicato nimium perſonarum quoque numero redundaret, aut quanta, qualiſve ſit illorum ad veram Eccleſiæ Univerſalis ſalutem, ejuſque conſervationem neceſſitas; in piaculum certè *Juliano* Cardinali vertendum non eſt, quod *abſque conſenſu* Nationum, aut *pacto* accedente, hunc ſubventionis per *Annatas* præſtandæ modum non æque neceſſarium judicaverit, ſicut ipſa Oecumenica Synodus Conſtantienſis ſuo quoque exemplo quoad indictionem Decimarum *Seſſ. XLIV.* comprobavit, dum illarum quoque non alium quidem ſcopum, niſi ſolius ſubventionis ad onera & neceſſitates publicas Eccleſiæ Univerſalis ſublevandas, agnovit, eaſdem tamen, niſi accedente conſenſu, tum Cardinalium, & Prælatorum in Curia exiſtentium, tum Prælatorum etiam ipſius Regni,

quam pacti.

gni, Nationis, vel provinciæ, in quà exigendæ eſſent, imponi poſthac non poſſe declaravit. Conſenſus autem hic Nationis Germanicæ nullibi antehac nec requiſitus, nec præſtitus fuit, & ſolemnius certè, quam in his ipſis Concordatis publicis factum ſit, exprimi non poterat."

XIX.

Ad Cap. VII. §. V. n. 9.

„ Quantitas *Servitiorum communium* in Concordatis Germaniæ ſequentibus verbis dimenſuratur: *Solvantur de fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ . . . . .* Maluit Curia Romana certam ac definitam ſummam pecuniariam ſingulis Dignitatibus Conſiſtorialibus pro modo reditum præſtituere, quæ perpetuitatis cauſa in ſcripturam, aut Libros Cameræ, tanquam harum taxarum matriculas, relata fuit. Hi ipſi etiam libri non ſemper iidem fuere, ſed variè ſucceſſu temporum immutati, & inde veteris ac novæ taxæ mentio fit in *Extravagante ad univerſalis I. de Treuga & Pace, inter Comm.* Quam ob cauſam nec vitio verti quibuſdam Doctoribus, qui Matriculas aut Catalogos ejuſmodi Annatarum in lucem dare conati ſunt, poterit, quod eorundem computus quam longiſſimè inter ſe diſcrepent; in temporis enim diverſitate differentiæ hujus cauſam veroſimiliter invenies, in quà & Felinus Scarſius *de Annatis* eandem reponit. Diverſitatis hujus argumentum ſanè non mediocre eæ ipſæ præbere poterunt Annatarum Matriculæ Eccleſiarum & monaſteriorum per Germaniam, quarum alteram ex Georgio *Cœleſtino* Præpoſito Colonienſi & L. *Banck* Norcopienſi Gotho, & Friderico *Hortledero* alteram exhibet *Elor*. Aliam Nos ipſi quoque, ex ipſis Cameræ Apoſtolicæ Libris depromptam, manibus tenemus, quam vel inde ob nimiam omnium inter ſe diverſitatem inſerere omittimus.

Diſſ. III. c. 5. n. 34. 35. 36.

Taxa Annatarum ſatis incerta.

Non ita plenam firmamque in his taxarum libris fiduciam ipſimet Concordantes Imperii Status habuiſſe videntur; dum expreſſam conditionem retaxationis adjectam voluere, ſi quædam Eccleſiæ exceſſivè taxatæ viderentur, quam & NICOLAUS V, in Bulla Concordatorum confirmatoria hiſce verbis acceptat: *Et ſi quæ exceſſivè taxatæ ſint, retaxentur . . . . .* Principio pietatis erat, Annatas Pontifici occaſione confirmationis Electionum

num præſertim dubiarum, ſive litigioſarum, conceſſæ ſuppeditare. Ampliorem tum liberalitatem minus damnoſam, utpote nullo tractu ſucceſſivo Eccleſias facile gravare valentem, crediderunt. Neceſſitate tamen legis poſthac inducta facilè gravis Prælatis evadere potuit. Neque ullum ſanè veſtigium reperitur, ante taxarum confectionem de fideli proventuum ſingularum Eccleſiarum relatione, aut collatione multum ſollicitam fuiſſe Curiam Romanam. Neque etiam poſt Concordata hæc confecta, retaxationis, quæ expreſſis hic verbis promiſſa fuit, exemplum produci ullum poteſt. Sed mox eædem, quæ antehac de nimio Annatarum exceſſu fuerant, querelæ à Statibus innovatæ audiuntur in Gravaminibus Nationis Germanicæ de anno 1510. apud Goldaſtum *Conſtit. Imp. Tom. II. p.* 119. . . . .

& mutationibus ſubjecta;

Atque has quidem Inclytæ Nationis Germanicæ querelas non inanes, nec levibus duntaxat ſuſpicionibus, ſed in rei veritate fundatas fuiſſe, tum ipſa illa duorum exemplorum domeſticorum, *Argentinenſis* nimirum, & *Moguntini* Archiepiſcoporum allegatio, tum maximè Gallicanæ, tanquam vicinioris nobis, Nationis conſpiratio, ſub eadem ferè tempora, comprobat ......

Cauſam hujuſce augmenti Curialiſtæ aſſignare palam non dubitant, quæ ipſa tot querelarum, quas à Statibus Imperii, cum ipſo etiam ſchiſmatis tum pertimeſcendi periculo, obmotas fuiſſe *Num.* antecedente retulimus, præcipuum extiterat fomentum, ipſam nimirum Officiorum & Curialium necdum ſolitam tempore Concordatorum multiplicationem. Diſertis quippe verbis Archiepiſcopatus Moguntini taxam ad eum, quem incuſant, exceſſum viginti quinque & tandem viginti ſeptem millium aſcendiſſe conqueruntur *propter nova Officia & novos Pontificum familiares &c.*

qua de re querelæ.

XX.

Ad Cap. VIII. §. V.

Differ. II. c. 3. Sect. 2. n. 13.

„ Probè notandum eſt diſcrimen, quod intercedit inter Canones mobiles & immobiles; *mobiles* ſunt ii, qui ritus v. g. externos & puncta diſciplinæ verſatilis, quæ nimirum pro temporis & loci varietate mutari non refugit, concernunt; de his potiſſimum intelligendum illud vulgatum: *Canones per conſuetudinem abrogari*. Quin & veriſſimum eſt de ſimilibus, quod, ſicut eos vigentes contemnere, foret irreligioſum; ſic abolitos per-

Canones, qui ad jus divinum accedunt, fractè velle revocare, non rarò foret periculoſum. Alii repe- riuntur *immobiles* Canones non pauci, qui, quod juris Natura- lis, vel Divini eſt, duntaxat exprimunt, aut explanant, vel par- ticularibus caſibus jus Naturale applicant, aut *ad jus Naturale vel Divinum multum accedunt* . . . . . . De his Canonibus hoc ferendum eſt judicium, quod, ſicut conſuetudo, vel præſcriptio, nihil adverſus jus Naturale valet, ita nec horum Canonum, qui jus Naturale exponunt, aut determinant, *vel cum eo connexionem habent*, vim ſeu auctoritatem enervare poſſit. Quare, licèt ſci- rent Patres Tridentini, contrario uſu plures ejuſmodi Canones penè conculcatos, eoſdem tamen non ſolum innovandos cen- ſuerunt, ſed inſuper addiderunt *Seſſ. XXII. cap. 1. de Reform.* „ Si quos ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint Ordinarii, „ eos quamprimum in uſum revocari, & ab omnibus obſervari ac- „ curatè ſtudeant; non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcun- „ que, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas Deo „ vindice pœnas perſolvant. " Aliud nimirum eſt, Canones *eſſe abrogatos*, quod de *mobilibus* dici poteſt; aliud Canones *non obſer- vari*, quod etiam de *immobilibus* verum eſt . . . . Atque de ejuſ- modi Canonibus accipiendum eſt, quod *multa tolerentur, quæ tamen ſi in judicium deducantur, minimè approbentur*. " (immobiles ſunt,)

XXI.

Ad Cap. VIII. §. VII.

Differ. II. Sect. 2. n. 5. Qui Rom. Pontificis Primatum nimium attollunt, eum ludibrio exponunt,

„ Attendant, amabò, & seriò conſiderent Doctores, ne, dum Sedis Apoſtolicæ tuitionem *ex nudis animi præjudiciis* para- re volunt, ea, quæ ab ipſis proferuntur, pari licentia ab adver- ſariis Catholici nominis explodantur, imò verò, ne, dum vanis & ſpecioſis aſſentationibus ultra verum Pontificii arbitrii liberta- tem attollere præſumunt, ejuſdem realem auctoritatem magis & reapſe deprimant, anſamque præbeant, ut ipſum indubitatum Pontificis Romani Primatum illis, qui adverſùm nos ſunt, odio- ſum reddant, ac ipſorum opprobriis & ludibriis magis exponant, non ſine periculoſa Catholicorum in Germania irritatione, & pu- ſillorum ſcandalo, hanc Concordatorum materiam, in qua Pro- teſtantes Pontificem vafræ & technicæ deluſionis, ac malarum artium, Imperatorem verò & Nationem Germanicam commiſ- ſorum gravium ſolæciſmorum, & ſuperſtitioſæ ſimplicitatis paſſim inſi-

inſimulant . . . . Imò verò Auctores hujuſmodi iis, qui novas religiones profitentur, adjumento ſunt, quippe ſacroſanctam Romani Pontificis auctoritatem, ſive primatum, odioſum reddunt Principibus, à Romanæ Eccleſiæ communionem alienis, omnibuſque horum aſſeclis, & ſic eorum converſionem impediunt; quibus aſſentatoribus meritò diceret Romanus Pontifex, quod pacificus Jacob filiis ſuis, Simeoni, & Levi poſt Sichemitarum cladem Geneſ. 34. *Odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus*. Novis religionibus, inquam, ſunt adjumento, quatenus regna jam ad meſſem albeſcentia, & quæ jam a Catholica, & antiqua fide & communione non adeò, ut olim, abhorrebant, invidioſis ejuſmodi opinionibus, melius dicam erroribus, ab Eccleſia Romana abalienant. & religioni Catholicæ multum nocent.

XXII.

Ad Cap. VIII. §. IX.

Differ. II. Sect. 2. n. 3. 4. 5.

„ Doctores non pauci, favere nimis Curiæ volentes ſuſtinent, Concordata Germaniæ *ex mera benignitate Pontificia* proficiſci, adeoque non niſi *privilegium revocabile* continere; quam ſententiam etiam Rota Romana comprobaſſe videtur in una Leodienſi Canonicatus 15. Martii 1610. coram R. P. D. Sacrato his verbis: “ Quæ alias dicuntur, quod Concordata Germaniæ habent *vim contractus*, vel non ſunt vera, quia ſpiritualia non „ cadunt in commercium, ſed expediuntur *per viam gratiæ*, & „ Papa per ejuſmodi Concordata nihil de novo acquiſivit, ſed „ multum de jure ſuo remiſit, unde remanet *privilegium meo* „ *rum*. “ . . . . Addunt, quod cum Papa non poſſit ſibi ligare manus, multò minus Papa Papæ legem pactitiam ſtrictè obligantem imponere valeat . . . . Quid? ergò Pontifices eam poteſtatem ſe ligandi non habent, quam tamen integris Nationibus, imò toti orbi palam faciunt & publicè profitentur? NICOLAUS V. *nomine Romanæ Eccleſiæ*, pro pace & unione *perpetuò* ſtabiliendis ſtatuta a Legato ſuo ſpeciali mandato ad hoc ſuffulto, & *Natione Germanica*, velut una, & altera partibus hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata Apoſtolica firmitate ſe corroborare, ratificare, laudare, & acceptare, eaque duratura clauſula muniente edicit, niſi in futuro Concilio de ipſius Nationis conſenſu contingat immutari: inſuper irritum & inane Romani ſe Concordatis non ligari prætendunt.

clauſula irritante decernendo, ſi ſecus ſuper his à quoquam *quavis auctoritate* ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari .. .. Vel poteſt Pontifex nomine Sedis Apoſtolicæ contrahere, ſe, & ſucceſſores ſuos ſub conventionali pœna nullitatis & attentatorum perpetuò obligare, vel non poteſt; ſi poteſt, ergò concluſiones illæ aſſentatoriæ, quæ hoc inficiantur, contradicunt veritati; ſi non poteſt, ergo, dum Pontifex ſe poſſe palam dicit, & ſub hoc prætextu ſolemnem & perpetuam cum integris Nationibus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis pactionem inire ſimulat, illuſor, & impoſtor eſt. Abſit hoc: Cordatè ejuſmodi Doctores redarguit *Melchior Canus* Epiſcopus Canarienſis de Locis commun. Lib. V. cap. 5. *Non eget*, inquit, *Petrus mendacio noſtro, noſtra adulatione non eget, tot veris & realibus a Chriſto inſtructus, & inſignitus prærogativis divinus Summi Pontificis Primatus &c.* "

XXIII.

Ad Cap. IX. §. III.

Diſſert. II. c. 2. Sect. 3. n. 2. „ De *modo* eſt quæſtio, ſi quoad intellectum Concordatorum, aut alias, inter Romanum Pontificem & Nationem Germanicam ſciſſura contumax fiat. Proſtant in Hiſtoria Eccleſiaſtica exempla hujus rei diverſa; habentur exempla delegationum ad Sanctam Sedem; tum à Germanis, tum ab aliis Nationibus factarum: continentur pariter exempla Summorum Pontificum ad Imperatorem & Principes literas, Nuntios, querelarum articulos, & illarum componendarum methodum, & inſtructionem mittentium; alia porrò ibidem deprehenditur via, in rebus graviſſimis ſæpius inita, nempè mutua colloquia inter Summos Pontifices & Principes, vel ſaltem inter egregios viros ab ipſis ſelectos; frequentia demum exempla adſunt poſtulationum *pro indictione Concilii & ejuſdem congregationis*; quod medium in conſtitutione NICOLAI PP. aliquoties probatum legitur, ibi: " donec in futuro „ Concilio de conſenſu ejuſdem Nationis aliter contingat immu- „ tari &c. "Nonnullas hujuſcemodi rationes complexa eſt Synodus Tridentina Seſſ. XXV. in fine de recipiendis & obſervandis decretis ſuis ita declarans: " Quod ſi in his recipiendis aliqua dif- „ ficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, „ quod non credit, aut definitionem poſtulant, præter alia re- „ media in hoc Concilio inſtituta, confidit ſancta Synodus, beatiſſi-

Sæpius poſt Tridentinum Concilia petita ſunt; ſed fruſtra.

„ tiſſimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex „ illis provinciis præſertim, unde difficultas orta fuerit, iis quos „ eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam *Concilii* „ *generalis celebratione*, ſi neceſſarium judicaverit, vel commo„ diore quacunque ratione ei viſum fuerit, provinciarum ne„ ceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſu„ latur.

XXIV.

Ad cap. IX. §. VIII.

„ Fundatur *Placitum Regium*, vel *Regium Exequatur*, aut *Pareatis*, in ſupremo protectionis Eccleſiæ & Reipublicæ officio, quod cum regali poteſtate indivulſe connexum eſt ..... Adſcribunt Pragmatici jus hoc Placiti regii paſſim juri Gentium, utpotè apud omnes ferè gentes ex juris Naturalis inſtinctu probatum. Ita jam pridem in *Hiſpania* illud receptum fuiſſe & uſitatum, teſtis eſt Didacus Covaruvias *cap.* 35. *Pract. Quæſt.* & cum aliis Pragmaticis regni illius de hoc latiſſimè egit Franciſcus *Salgado* in ſpeciali ſuo tractatu *de Supplicatione ad Sanctiſſimum*. Et quantum ad regnum Galliæ, eſt res planè notoria, quod deſuper in dicto regno plures ſint ordinationes, inter quas eſt ordinatio *Ludovici* Regis XI. die 8. Januarii 1475., per quam expreſſe eſt ordinatum, ut omnes literæ, bullæ, & aliæ proviſiones Curiæ Romanæ debeant inſpici ad cognoſcendum, an nihil contineant præjudicioſum Regi, regno, vel exemptioni Eccleſiæ Gallicanæ. Refert Auguſtinus *Manuel* Eques ordinis Chriſti in hiſtoria Joannis II. Luſitaniæ Regis *Lib. IV.* quod *Luſitania* hunc uſum & morem tenaciſſimè ſemper coluerit, ut regni Cancellarius cum Secretario bullas pontificias & mandata omnia cognoſceret, neque ante finerentur effectum ſortiri, quam ex ſubſcriptione Secretarii liqueret, nullum præjudicium fieri regiæ auctoritati. De *Britanniæ Ducatu* Argentreus *Lib. II. Hiſt. cap.* 14. refert II. Britanniæ Ducem edixiſſe ſub gravibus pœnis, ne bullæ quæcunque in publicum Ducatus ſui prodirent, antequam examinatis in ſuo Conſiſtorio ipſe annueret. In *Sabaudia* ab antiquo hunc uſum Placiti fuiſſe, ſufficienter probatur ex deciſione Senatus Sabaudici relata ab Antonio Fabro *in ſuo Codice Lib. VII. de Appellat*. De regno *Siciliæ* idem ſcribit Jacobus de Graſſis *in Deciſ. Lib. IV. cap.* 18. Conſtat inſuper in regno *Neapolitano*, quamvis nex-

Differ. II. c. 3. Sect. 3. n. 3. 5. & 6.

Placitum regium ad jus Gentium pertinet.

nexu feudali Sedi Apoſtolicæ obnoxio, conſuetudinem jam pridem fuiſſe, ut ſine aſſenſu eorum, qui ſupremæ juriſdictioni præſunt, ſeu, uti loquuntur, ſine regio *Exequatur*, nulla reſcripta, aut Bullæ Romanæ executioni dentur. De ditione *Florentina* Angelus *Conſil.* 23. de aliis *Italiæ* ditionibus Antonius Amato *T. II. Reſolut.* 28. idipſum teſtantur. Expreſſe demum in Principum *Belgii* edictis, ac nominatim de anno 1574. cautum eſt, ut nullæ literæ Curiæ Romanæ, aut Nuntiorum Apoſtolicorum hic executioni mandentur, niſi prius comprobatæ fuerint, vel in ſanctiore Conſilio, vel in Conſilio Brabantiæ.

Ejus uſus à quolibet Principe introduci poteſt. Cùm verò pro aſſerendo hoc jure laborandum nequaquam ſit de titulo conſenſionis Pontificem inter & Principem, aut de titulo præſcriptionis, vel ſpeciali aliquo privilegio Apoſtolico, quo jus illud Principibus fuiſſet indultum; quandoquidem ſupremi Principes ſoli Deo acceptum ferant Imperium ſuum, qui publicam tranquillitatem, & quæ ad eam auxilia neceſſaria ſunt, in manus ipſorum collocavit; cumque perſpicuum proinde ſit, hoc jus Principi vi ſuæ auctoritatis & officii competere, indubitata conſecutio eſt, *Imperatori* quoque in Imperio *Germanico* illud ipſum vi Cæſareæ poteſtatis æque ac ſupremo & univerſali Advocatiæ & protectionis jure præprimis competere; ejuſdem verò remiſſum adeò & diſcretiſſimum uſum, & inde liberiorem ac expeditiorem Conſtitutionum ac Bullarum Pontificiarum in Germania curſum, nonniſi ſummæ humanitati & venerationi, quà Imperator & Status Imperii Catholici Sedem Romanam, & ſummum Chriſti Vicarium devotiſſimè præ reliquis nationibus colunt, adſcribendum eſſe.."

XXV.

Ad Cap. IX. §. IX.

Diff. III. in Præfat. n. 16. „Si ſolus Romanus Pontifex Concordatum in ſui favorem interpretari præſumeret, atque ita tranſgreſſis pactorum conventorum limitibus, juribuſque, non *partibus dumtaxat*, ſed *integræ etiam Nationi Germanicæ* quoddam præjudicium aut gravamen inferatur, tum enimverò non indignabitur Romana Curia, ſi re ad Epiſcopos, Capitula, alioſve ordinarios Collatores delata, in præjudicio communi, communis ab Imperii Statibus, præſertim Eccleſiaſticis, ceu quorum de re potiſſimum ageretur, cauſa inſti-

Quibus modis Curiæ Rom. gravanti reſiſtendum?

inſtituatur, fiatque imprimis modeſta rei repræſentatio coram Pontifice, quatenus ita juxta monitum *Ivonis* Carnotenſis *Epiſt. CLIX.* inde levamen exſpectetur, unde gravamen illatum fuiſſe, querela facta fuit; hac etiam ſpe certa inde reſultante, fore, ut quemadmodum S. Bernardus *Epiſt. CVIII.* ait, non pigeat Apoſtolicam Sedem revocare, quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Quodſi verò Summus Pontifex repræſentatis ſibi, ea, quà par eſt, reverentia & modeſtia per dictos Ordinarios gravaminibus, congruam ferre medelam detrectaret, nefas certè arbitrari haud poterit, ſi iidem prægravati Ordinarii, Statuſque Imperii communi pariter conſilio ad Auguſtiſſimum Imperatorem confugiant, ab eoque protectionem, & opem flagitent, præſtolenturque, cui tum per ſuam Capitulationem *Artic. XIV.* §. 1., tum per propriam Romanorum Pontificum, ſpeciatim CLEMENTIS VIII. in Bulla de die 5. Jan. 1603., in qua Imperatorem diſertis verbis *Defenſorem eorum*, quæ jam pridem inter Sedem Apoſtolicam & Nationem Germanicam pacta ſunt & conventa, *Concordatorum* nominat, confeſſionem, defenſio, protectio & conſervatio dictorum Concordatorum indubitanter eſt aſſerta. Ipſius deinde erit tum pro impoſito ſibi, & interveniente Sacramento appromiſſo hocce ſupremæ protectionis officio, tum pro laudatiſſimo illo, quo ſtudet jura Imperii intacta ſervare atque tueri, zelo, pari cum reverentia intercedere apud eundem Romanum Pontificem, ne inſiſtat cenſuris in Ordinarios ferre ſolitis, eos verò, qui Romæ beneficia ſub & obreptitiè impetrarunt, monitionibus primum ac dehortationibus, aliiſque mediis lenioribus reprimere; quæ ſi inſuper habeantur, illud deinde Sacræ Cæſareæ Majeſtati ægrè haud ferendum, ſi eodem ſupremo protectionis officio efficacius utens, eoſdem, tanquam verè indignos Imperii Cives, mediis ſeverioribus & coercitivis indignationis Cæſareæ denegatæque protectionis compeſcat, aut creſcente magis contumacia, adhibitis etiam per illos, ad quos de Jure pertinet, pœnis compeſci curet, faciatque. “

Hic ſiſte gradum lector !

Auguſtam ſed mœrentem Eccleſiæ faciem devotus intuere .

Frontem dolore , non ætate , corrugatam haud deſpue , ſed inſpice .

Lacrymas in genis hærentes non deterge ſed tuis miſce .

Querulam vocem non deteſtare , ſed miſertus audi .

Ruentem in amplexus Catholicorum Regum & Principum non fuge , ſed ſequerè .

Filios in ſinum ſuum congregare volenti noli eſſe gravis .

Diſciplinam ad veros Canones reducere laborantem non damna , ſed votis , conſiliis , factis adjuva .

Veteris ævi prudentiam , ſagacitatem , modeſtiam , ſanctitatem collauda .

Tantam majorum virtutem ſtrenuè imitare .

INDEX CHRONOLOGICUS.

ANNO 33.

CHriſtus Collegio ſuorum Diſcipulorum omnem poſt ſe relinquens poteſtatem, eos inter ſe pares eſſe voluit, neminem cæterorum *Magiſtrum* aut *Patrem*. Pag. 18. 441
Præceſſorem tamen inter eos conſtituit PETRUM. 29. 69. ſeqq.
In Concilio Hieroſolymis habito omnia ab Apoſtolis collegialiter, atque ita acta & deciſa ſunt, ut ex his forma Regiminis Eccleſiaſtici Monarchico oppoſiti eluceat. 30. 214. 222. 321. 332. 348 51.
A proprio ſuo Epiſcopo excommunicatum Romana Eccleſia in communionem recipere recuſat, dicens, ſe id non poſſe. 141 142.
VICTOR Papa Encyclicam Epiſtolam per provincias mittit, qua ab Epiſcopis ſibi rogat ſignificari, qua die Paſcha celebrandum eſſe ſentirent. 193 196.
Idem Pontifex Epiſcopos Aſiæ, quòd in eodem negotio ſuam ſententiam ſequi recuſarent, à communione ſeparat; aſt in ea ſententia ii etiam Epiſcopi, qui ab Aſiaticis circa Paſcha diſcrepabant, VICTORI manus non dederunt. 360. 589
S. Cyprianus ex Africa periclitanti in Gallia fidei ſuccurrit, jure omnibus Epiſcopis communi. 109 254.
Marcianus Arelatenſis Epiſcopus hortatu STEPHANI Papæ ab Epiſcopis Galliæ deponitur. 109. 214
S. Cyprianus cum multis aliis tradit, unum in Eccleſia eſſe Epiſcopatum, cujus à ſingulis in ſolidum pars teneatur. 129. ſeq. *Circa* 255.
Idem è Synodo Carthaginenſi IV. ſcribit, Neminem eſſe Epiſcopum Epiſcoporum; omnem Epiſcopum pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ habere arbitrium proprium, circa quod non poſſit judicari ab alio. 118. 252 256.
Idem cum minùs quàm 30. Epiſcopis Africæ in cauſa fidei ſe ſententiæ Romani Pontificis & aliquot millium Epiſcoporum, ei extra generale Concilium adhærentium opponens, non habetur pro hæretico aut ſchiſmatico. 353. ſeqq. 590
STEPHANUS Papa talia jubet & decernit, quæ judice Auguſtino non niſi per generale Concilium eliquata & ſolidata decerni debuiſſent. 34. 610
Idem S. Doctor cenſuit, cauſam de Baptiſmo hæreticorum, antequam à plenario Concilio definiretur, multis & diuturnis per orbem terrarum collationibus Epiſcoporum pertractandam fuiſſe. 195
Cùm generalia Concilia congregari nondum poſſent, Paulus Samoſatenus nihilominus concordi Eccleſiarum conſenſu damnatur. 193 272.

313. Cùm Donatus per Papam Melchiadem in Concilio Romano damnatus fuiſſet, reſtabat ei adhuc, judice Auguſtino, plenarium Eccleſiæ Concilium. Pag. 161. 359
314. Deciſam à Stephano Papa quæſtionem de Baptiſmo hæreticorum, Concilium Arelatenſe ſuo examini iterum ſubjicit, & aliter quodammodo definit. 191
Circa 324. Conſtantinus M. Imp. cùm per diverſas provincias quidam Miniſtri Dei inter ſe diſſentiunt, veluti communis omnium Epiſcopus, Concilia congregat. 374
325. Concilium generale à Conſtantino M. Imperatore, non à Romano Pontifice, Nicææ convocatur. 296. 403
In eo, præſentibus licèt Pontificis Legatis, præſidet Oſius Cordubenſis, cui à Concilio præſidium delatum eſt. 302
Idem Concilium declarat, Confirmationem Epiſcoporum ad provincialem Synodum, maximè ad Metropolitanum pertinere. 197
Eàdem Synodo permittuntur appellationes à ſententia Epiſcopi ad Provinciale Concilium; ſed inſimul ordinatur, ut omnes cauſæ intra provinciam terminentur. 268
342. Julius I. Papa ad Euſebianos ſcribit, Synodo, & Epiſcopis qui in ea ſederunt, contumelioſum futurum, ſi quæ hi tanto ſtudio ac pietate, tanquam Deo præſente egerunt; abrogarentur. 217
347. Concilium Sardicenſe non declarat, Romano Pontifici jus appellationis ex omnibus orbis partibus competere; ſed novo & hactenus inaudito privilegio ei concedit facultatem in ſolis Epiſcoporum cauſis decernendi reviſionem, non Romæ, ſed in partibus inſtituendam per certos judices à provinciali Synodo deſignandos. 260 ſeqq.
S. Athanaſius non ſolius Julii Papæ, ſed omnium Occidentalium Epiſcoporum judicio, additis etiam Ægyptiorum & plurium Orientalium ſententiis, ſuæ Sedi reſtituitur. 275
354. Liberius Pontifex, de ampliatâ ſua auctoritate ſuſpectus, apud Conſtantinum Imperatorem ſe purgat, ſcribens, ſe majorum ordinem moremque ſecutum, nihil addidiſſe Epiſcopatui urbis Romæ. 100. 520
Circa 373. S. Hieronymus ad Evagrium ſcribit: Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe; & ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii &c. ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. 443
380. A ſolius Romanæ Eccleſiæ profeſſione Catholicam fidem determinandam non eſſe putàrunt Theodoſius Imperator & divus Hieronymus. 159. 160
381. Concilium univerſale ſecundum, Conſtantinopolitanum I., Theodoſius Imp. inconſulto Romano Pontifice convocat. 296
Cui Damasus Papa nec per ſe, nec per Legatos præſidet. 310. 438
In hoc Generali Concilio controverſia de Conſubſtantialitate Spiritûs Sancti effectivè finita eſt, quæ ſolius Romanæ Eccleſiæ judicio antè terminata tantùm videbatur. 162
Eodem Concilio Synodis Provincialibus jus cognoſcendi de cauſis Epiſcoporum, eoſque deponendi aſſeritur. 202

In

In Concilio Carthaginenſi ſtatuitur , Translationes Epiſcoporum aucto- 398.
ritate Conciliorum Provincialium faciendas eſſe. Pag 201
Privatis conſtitutionibus & propriis informationibus unamquamque Ec- *Circa* 400
cleſiam pro locorum varietate , prout cuique viſum eſt , ſubſiſtere &
regi , S. Auguſtinus aſſerit . 2.7
S. Joannes Chryſoſtomus in Synodo ad Quercum damnatus , ad Roma- 404.
num Pontificem alioſque majorum Sedium Epiſcopos quidem provo-
cat , ſed ab INNOCENTIO I. Papa intelligit , ad cauſæ ſuæ juridi-
cam deciſionem Synodi cognitione opus eſſe . 276
Idem Papa reſcribit , Majores cauſas , poſtquam Epiſcopale de iis judi-
cium prolatum fuerit, ad Romanam Sedem demum referendas eſſe. 186
INNOCENTIUS I. prætendit , & quidem omnium primus , Occidentales 416.
Eccleſias Romano ritui ſubjicere ; ſed fruſtraneo conatu. 227
Patres Conciliorum Carthaginenſis & Milevitani , poſtquam Pelagianam
hæreſim damnaverant , hoc ſuum judicium INNOCENTIO Papæ com-
municant , ut accedente Apoſtolicæ Sedis auctoritate , malum latiùs
non ſerpat . 10?
Ex quo in cauſa Pelagianorum INNOCENTIUS Papa pronuntiâſſet , videba-
tur quidem illa S. Auguſtino finita eſſe ; attamen in œcumenica de-
mum Synodo Epheſina effectivè terminata fuit . 161
Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid vel mutare, nec Apoſtolicæ qui- 417.
dem Sedis auctoritatem poſſe , inquit ZOZIMUS Papa . 234
Patres Africæ ſcribunt ad BONIFACIUM I. Sardicenſis Synodi circa appella- 419.
tiones decretum , apud ſe , ſi in uſum deduci vellet , intolerabile fu-
turum . 265
S. Auguſtinus ad eundem Pontificem ſcribit , commune omnium Epiſco- 420.
porum , maximè tamen Romani Præſulis officium eſſe , irrumpentibus
etiam è longinquo hæreſibus occurrere . 108
Theodoſius Imp Epiſcopo Conſtantinopolitano concedit privilegium Re- 421.
lationum , ſimile illi , quo gaudet Romanus Pontifex . 153
Dum CÆLESTINUS Papa formam regiminis monarchicam in Africa affec- 425.
taret , dehortantur eum ab hoc propoſito è majori ſua Synodo Afri-
cani Patres . 40
Romana Eccleſia eſt quidem punctum , in quo & per quod reliquæ Ec-
cleſiæ inter ſe communicant ; ſed vel ipſa hæc communionis jura &
modi communicandi reguntur regulis , non à Romana , ſed ab Uni-
verſali Eccleſia dictatis . 138
Africana Eccleſia non tolerat appellationes ad Romanum Pontificem , 426.
etiam ad terminos Sardicenſis Concilii ſuſceptas , ſive a minoribus
Clericis & Presbyteris , ſive etiam ab Epiſcopis . 264. 267
S. Cyrillus Alexandrinus, compertà Neſtorii hæreſi, ſcribit ad CÆLESTINUM 430.
Papam propter imminens periculum fidei, cujuſmodi res ad Apoſtolicam
Sedem deferri ſuadet longa Eccleſiarum conſuetudo . 195
Neſtorius in Concilio Romano damnatus, niſi intra decem dies ſuam ſen-

tentiam retractet , petit ab Imperatore Concilium Œcumenicum , in quod & CÆLESTINUS conſentit . Pag.360
431. Concilium Generale Epheſinum à Theodoſio juniore convocatur , in quo ad Imperatoris juſſum per Legatos CÆLESTINUS comparet . 297
In hoc Concilio Neſtorius non à Summo Pontifice , ſed a Synodo deponitur . 243. 245. ſeq.
437. SIXTUS III. PP. ſcribit : Ut omne corpus Capite regitur , ita ipſum Caput , niſi ſuo corpore ſuſtentetur , firmitatem & vigorem ſuum perdit . 152
443. Dixit S. LEO M. Papa , manere Petri privilegium ubicunque ex ipſius fertur æquitate judicium , nec nimia eſt ſeveritas vel remiſſio . 103
Auxiliarius Præfectus urbis Romæ ſcribit ad S. Hilarium Arelatenſem Archiep. Romanos habere aures delicatas , & impatienter ferre homines , qui ſic loquuntur , uti ſibi conſcii ſunt . 521
445. S. LEO Sanctorum Patrum Canones , ſpiritu Dei conditos , & totius Mundi reverentiâ conſecratos , intemeratos haberi decernit , ita ut à regulis præſtitutis nullâ aut negligentiâ aut præſumptione diſcedi valeat . 537
Idem jure Patriarchali per Illiricum utens , partem negotiorum ſuo in illa provincia Vicario Teſſalonicenſi Epiſcopo committit , majora ſibi reſervans : ex quo deinde generalis regula reſpectu omnium Epiſcoporum conficta eſt . 186
Ut judicium , adversùs S. Hilarium Arelatenſem per ſubreptionem obtentum , LEO P. M. executioni tradat , reſcriptum à Valentiniano III. impetrat , in quo inquit Imperator : *Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret* ? 214
449. Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Epheſino latrocinio damnatus , appellationis libellum Legatis Romani Pontificis quidem tradit , ſed cauſæ definitio ad Univerſale Concilium remittitur . 279
451. Marcianus Imperator ad inſtantiam LEONIS Papæ Concilium Generale Nicæam convocat , quod deinde Chalcedonem transfert . 297
In eo Epiſtola LEONIS de duabus Chriſti naturis in unica perſona diſcutitur & examinatur . 314. ſeqq. 360
Non à ſolo S. LEONE , ſed ab univerſa Chalcedonenſi Synodo Dioſcorus Alexandriæ Epiſcopus exauctoratus eſt . 206. 246. ſeq.
Antiquæ Romæ , quòd Urbs illa imperaret ; à Patribus haud immeritò privilegia tributa eſſe , Concilium Calcedonenſe declarat . 143. 444
452. Ad Marcianum Imperatorem ſcribit LEO Papa , ad ſuum tendere reatum , ſi paternarum regulæ ſanctionum , quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente

te ſunt conditæ, Pontifice connivente violentur, & major ſit apud illum unius fratris voluntas, quàm univerſæ domûs Domini communis utilitas. Pag. 217

LEO M. in Epiſtola ad Maximum Antiochenum ſcriptâ, eum, qui aliarum Eccleſiarum jura dignitatemque; atque ita Canonum, præſertim Nicænorum, conſtituta, per quæ illa firmata ſunt, minuere præſumeret, æmulum & perturbatorem vocat. 575 453.

GELASIUS Papa ſuo Legato reſcribit, non ſolùm Romano Pontifici, ſed cuivis Epiſcopo competere jus cujuſcunque loci hæreſes, & hæreticos damnandi ac excommunicandi. 118 493.

Idem Pontifex dicit, Acacium juxta formam Synodi Calcedonenſis damnatum, ſuumque prædeceſſorem fuiſſe executorem veteris conſtituti, non novæ conſtitutionis auctorem. 100 494.

Synodorum Univerſalium ſtatuta nullam magis exequi Sedem oportere, quàm Primam, ſcribit GELASIUS ad Epiſcopos Dardaniæ. 277 495.

Nihilò tamen minùs in materia appellationum in Conciliorum Canones ipſe apertè impingit. 271. ſeqq.

JOANNES II. Papa laudat Juſtinianum Imperatorem, quòd ex judicio Epiſcoporum legem pro orthodoxa fide adversùs hæreticos tulerit. 584 533.

Dionyſius Exiguus primus colligit Reſponſa Romanorum Pontificum, nullam Conſtitutionis auctoritatem habentia, quæ Collectio poſtea Codex Canonum dicta eſt. 155

Juſtinianus Imp. non vult quidquam quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, utcunque manifeſtum & indubitatum eſſet, à Romano Pontifice, tanquam Capite omnium ſanctarum Eccleſiarum ignorari, 196 534.

Idem Auguſtus omnes Eccleſiaſticorum Judiciorum inſtantias recenſens, nihil de Judicio Romani Pontificis memorat. 159 541.

Juſtinianus dicit, Imperatoris eſſe Epiſcopos, Clericos ac Monachos ad obſervantiam Canonum cogere. 583, e 686 542.

Juſtinianus quintum œcumenicum Concilium Conſtantinopoli indicit. 297. 404 553.

Cui nulli Romani Antiſtitis Legati intervenere. 311

In eadem Synodo VIGILIUS Papa, errorem ſuum recognoſcens, in negotio Trium Capitulorum ſe ſententiæ Concilii ſubmittit. 360

PELAGIUS I. Papa reſcribit, quòd ſi Eccleſiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his diſcedendi liberam Pontifex, etiamſi velit, permittatur habere licentiam. 577 *Circa* 557.

In Cabilonenſi Galliæ Synodo, auctoritate Guntramni Regis congregatâ, Salonius Ebredunenſis & Sagittarius Vapincenſis Epiſcopi

pi deponuntur . Pag. 103
581. Translationes Epiſcoporum ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate fieri, PELAGIUS II. Papa agnoſcit . 201
590. S. GREGORIUS M. fatetur, Epiſcopos Siciliæ non ſuâ, ſed B. Petri largitate tales eſſe . 207
595. Quanquam à Concilio Chalcedonenſi Romanis Præſulibus *Univerſalis Epiſcopi* titulus oblatus fuerit, nullus tamen eorum, Teſte S. GREGORIO M. hoc vocabulo appellari voluit, ne reliquis fratribus Epiſcopatûs gloriam denegare viderentur . 414. 451
598. Scribit idem S. GREGORIUS ad Eulogium Alexandrinum . ſe non eſſe Epiſcopum univerſalem, neque ſuum eſſe jubere, ſed quæ utilia ſunt indicare . 120. 213
Alio loco idem S. Pontifex : Epiſcopis ſubtrahi quidquid Romano Pontifici, plus quàm ratio exigit, præbetur . 514
649. Patres Concilii Lateranenſis ſub MARTINO I. recognoſcunt in Romano Pontifice *ſollicitudinem* omnium Eccleſiarum; non *juriſdictionem* verè talem in iiſdem . 244, 250.
680. Coſtantinus Imp. AGATHONEM Papam iuvitat ad Concilium univerſale, quod Coſtantinopoli indicit . 298
In hoc Concilio retractatur quæſtio ab AGATHONE in Romana Synodo deciſa; An duæ ſint in Chriſto voluntates ? 317
Ejuſdem Concilii Seſſione XIII. Epiſtola HONORII ad Sergium, tanquam contraria dogmatibus apoſtolicis & definitionibus SS. Patrum, damnatur . 361
688. Quædam Capita ſcriptorum S. Juliani, quæ Benedictus II. damnaverat, Concilium Toletanum XV. orthodoxa eſſe evincit . 565
Circa 715. Rom. Pontifex octo univerſalia Concilia uſque ad unum apicem immutata ſervare, & quæ in eis ſtatuta ſunt modis omnibus ſequi, ore & corde profitetur . 57. 234
Circa 750. S. Bonifacius tradit, Papam in cauſa hæreſis ab Eccleſia judicari poſſe; quam doctrinam Concilium Conſtantienſe deinde declaravit, etiam in caſu ſchiſmatis, & deformitatis vitæ obtinere . 287
Circa 755. Romana Eccleſia dominium Urbis, & circumjacentis ampliſſimi territorii acquirit . Hæc acquiſitio dat anſam mixturæ, ſeu potiùs confuſioni regiminis ſpiritualis cum temporali . 17.. 559
Circa 757. Iſidorus Mercator per confictas ſub nomine primorum Pontificum Decretales exteriorem Eccleſiæ ſtatum & regiminis ſacri formam penitùs immutat . 164. ſeqq. 516. 531. ſeqq.
785. Capitulis, quæ HADRIANUS Papa Ingilramno Metenſi Epiſcopo tradit, multa jamtum ex falſis Iſidori Decretalibus immixta ſunt . 517
Nihilominus iisdem Capitulis adhuc affirmatur jus Provincialium Synodorum Epiſcopos deſtituendi . 203

787. Irenes

Irenes Imperatrix & filius ejus Conſtantinus HADRIANUM Pon- 787.
tificem ad Concilium Generale VII. Nicææ indictum invitant. Pag. 298
Riculphus Moguntinenſis Archiep. ſuppoſititias Iſidori Decretales in *Circa* 792.
Germania & vicinis regionibus divulgat. 517
Dum in Concilio Francofurtano omnes Eccleſiaſticarum cauſa- 794.
rum inſtantiæ exhauriuntur, non fit inter has locus appellationi ad Romanum Pontificem. 259
Ahyto Baſileenſis Epiſcopus ſuis diœceſanis denuntiat, quemque 821.
à ſuo Ordinario abſolvi debere, non ab extraneo, ſub quo nomine etiam Romanum Pontificem complectitur. 480
GREGORIUS IV. ab Epiſcopis Galliæ prætendit, ut eum dein- 832.
ceps *Patris*, non, ſicuti eouſque ſolitum fuerat, *Fratris* titulo ampliùs ſalutent. 445
Cùm SERGIUS Pontifex Drogonem Epiſcopum Metenſem, ſuum 844.
per Galliam & Germaniam Vicarium cum ampliſſimis facultatibus conſtituiſſet, binæ Nationes hunc Vicariatum, tanquam juribus Epiſcoporum præjudicialem, non admittunt. 115
LEO IV. Papa ſcribit ad Ludovicum Imp. ſe, ſi incompetenter *Circa* 855.
aliquid egerit, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non ſervaverit, cuncta ad Imperatoris, & Miſſorum ejus judicium emendaturum. 618
NICOLAUS I., Egregius Iſidorianarum Decretalium promotor, 864.
novam regulam conſtituit veteribus Canonibus incognitam, vigore cujus nullus Epiſcopus, etiamſi ad Romanam Sedem non appellaverit, a Synodo Provinciæ, inconſulto Romano Pontifice, deponi valeat. 205
Idem Pontifex in cauſa Rothardi II. Sueſſionenſis Epiſcopi ad 865.
Epiſcopos Galliæ ſcribens, utitur ſuppoſititiis Iſidori Decretalibus. 518
Dum remenſis Provinciæ Epiſcopi Hincmaro Laudunenſi juxta normam Sardicenſium Canonum permittunt quaſi appellationem ad Romanum Pontificem, huic extraordinariæ appellationi non concedunt effectum ſuſpenſivum. 264
Baſilius Macedonianus Imperator Orientis octavum Concilium Ge- 869.
nerale Conſtantinopolim convocat. 289
In hoc Concilio Patres dicunt, ſe uti poteſtate ſibi à Spiritu Sancto, & à primo magnoque Pontifice noſtro, liberatore & ſalvatore cunctorum datâ. 313
Hoc tempore Romana Eccleſia inter Patriarchales adhuc recenſetur, è quarum numero ſe deinceps fecit expungi. 142
JOANNES PP. VIII. Wiliberto Colonienſi Archiepiſcopo pal- 873.
lium negat, eò quòd Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas pro Jure nondum recepiſſet. 155
876.

876. Apoſtolicum Senonenſis Archiepiſcopi Vicariatum Galli & Germani aliter non acceptant, quàm ſalvis Sacris Canonibus, & ſervatis ſingulorum Metropolitanorum juribus. Pag. 186. 187

Circa 878. Hincmarus Remenſis ſcribit ad JOANNEM VIII., ſe Decretalia Romanorum Pontificum, à Sanctis Conciliis recepta, & approbata, recipere, & ſequi diſcretè, prout ſunt ſequenda. 233

900. Theotmarus Salisburgenſis Archiepiſcopus cum quibusdam Bavariæ Epiſcopis omnium primus JOANNEM IX. P. M. *totius orbis Epiſcopum* vocat. 458.

Heriveus Remenſis Archiep. in ſententiâ adversùs prædeceſſoris ſui occiſores latâ, dicit ſe homicidas illos excommunicare, *auctoritate Epiſcopis per B. Petrum Principem Apoſtolorum divinitùs collatâ*; qualis expreſſio eousque è nullius Epiſcopi penna profluxerat. 459

963. JOANNES Papa XII. in Concilio Romano deponitur, eaque depoſitio à tota Eccleſia pro legitima habetur. 420

992. In cauſa Arnulphi Archiep. Remenſis, Epiſcopi Galliæ in Concilio congregati, falſis Anacleti, Julii, Damaſi aliorumque primorum Pontificum Epiſtolis pro genuinis utuntur. 518

993. In Concilio Romano Cardinales adhuc poſt Epiſcopos ſubſcribunt. 511

1022. Concilium Salegunſtadienſe declarat, capitalium criminum reis non prodeſſe abſolutionem & indulgentiam, à Romano Pontifice acceptam, ſed illam à proprio *Epiſcopo* obtineri debere. 455

1025. In Concilio Anſano agnitum declaratumque fuit, non poſſe à Papa delegari Epiſcopum ad conferendum Sacros Ordines etiam in locis exemptis alienæ diœceſeos. 459

1034. Synodus Lemovicenſis, agnoſcente id BENEDICTO PP. IX., declarat, non poſſe excommunicatum à proprio Epiſcopo, hoc inſcio aut invito, Romæ abſolvi. 455. 476

Circa 1047. Theologia Scholaſtica, & cum hac Dialecticæ cavillationes per Berengerum in Eccleſiam introducuntur. 5

1050. Dum Fulco Comes Andegavenſis à ſummo Pontifice obtinuiſſet, ut Petrus Cardinalis Eccleſiam in Turonenſi diœceſi extructam conſecraret, id tanquam violationem jurium alienæ diœceſis Epiſcopi Galliæ improbant. 456

Ordo Epiſcopalis, hucuſque in ſuo vigore ſervatus integer, deinceps à Cluniacenſibus & Ciſtercienſibus monachis graviter concutitur. 502

1054. Luitboldus Archiepiſcopus Moguntinus LEONI IX. Pont. Max. Romanum ritum in ſua Eccleſia ſervari jubenti reſiſtit. 228

1079. GREGORIUS VII. Lugdunenſem Eccleſiam erigens in Primatialem, falſis Decretalibus nixus, in hoc ſe antiqua SS. Patrum veſtigia imitari aſſerit. 210

1081. Idem

Idem Pontifex introducit, ut Metropolitani, pallio nondum 1061.
obtento, ne Epiſcopales quidem functiones obire valeant. Pag. 68
URBANUS II. Papa ſcribit, evenire poſſe, ut quod Apoſtoli *Circa* 1090.
& Prophetæ docuerunt, Romanus Pontifex deſtruere nitatur. 124
Si regnum ſe à Pontifice gravatum ſentiat, duo media ſupereſſe 1118.
ad Epiſcopos Galliæ ſcribit GELASIUS II. Papa, ſcilicet
Conventionem, *&* *Concilium*. quòd à Deo judicem ait eſſe con-
ſtitutum in Eccleſia. 638
Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus ſcribit ad HONORIUM II. *Circa* 1127.
Papam: Quaslibet appellationes in Romana vigere & ſuſcipi
Eccleſia, cis Alpes inauditum eſt, nec in ſacris traditum
inſtitutis. 270
Eccleſia Græca declarat, ſe Romani Pontificis agnoſcere Prima- *Circa* 1133.
tum; ſed neque prætenſam ejus infallibilitatem, neque univer-
ſalem Epiſcopatum. 65
Decretum Gratiani INNOCENTIUS PP. II. Patribus Latera- 1139.
nenſis Concilii tanquam SS. Canonum Textum proponit. Ve-
rùm in provinciis non acceptatur. 107. 237.
In hoc Decreto Gratianus, poſt fictitias Iſidori Decretales, Ro-
manum Pontificem facit univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum; ei-
que omnes Epiſcoporum cauſas, & quaſcunque alias graviores
ac difficiles reſervat. 165
Non vult Concilia Provincialia ſine Pontificis authoritate cele-
brari poſſe, aut abſque ejus confirmatione rata eſſe. 166
Item ſtatuit, ab omnibus mundi partibus, & à quocunque, ad
Papam appellari poſſe. 167
Non licere àliis Eccleſiis à conſuetudine Romanæ Eccleſiæ diſſen-
tire. 169
Omnes Epiſcopos in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem
poteſtatis, à Romano Pontifice vocatos eſſe. ibid.
Attamen conſtanter áſſerit, Claves in perſona Petri *Eccleſiæ* da-
tas eſſe. 24
Patres Concilii Londinenſis eos, qui Clericis violentas manus 1143.
injiciunt, pœnitentiæ loco Romam abſolvendos dirigunt. 477
S. Bernardus appellationes Romanas damnat. 269 1145.
Idem EUGENIO III. Papæ exprobrat, quòd Romæ ſtudeatur
capturæ auri & argenti ex rebus ſacris. 394
Cardinales in Concilio Remenſi contra fidem univerſæ antiquita- 1148.
tis ſuſtinent, nemini fas eſſe circa Fidem quidquam determi-
nare citra authoritatem Romani Pontificis. 190
Iidem prætendunt, Pontificem ex officii ſui neceſſitudine cul-
men Romanæ Curiæ, quibuſcunque inattentis, curare & ob-
ſervare debere; ſecùs agenti reſiſtunt. 557
Hoc tempore Confirmationes electionum Epiſcopalium adhuc obti-
nebantur à Metropolitanis & in Conciliis Provincialibus. 197 ſeq.

1152. S. Bernardus ſcribit ad EUGENIUM Papam, per Regularium exemptiones (quæ tum invaleſcebant) perturbari terminos, quos Eccleſiis poſuere Patres, confundi ordinem, mutilari Diœceſes & Eccleſias membris, tolli cum læſione juſtitiæ jura Epiſcoporum. Pag. 489

1179. ALEXANDER PP. III. in convocatione Lateranenſis Synodi dicit, Generalibus Conciliis, ſecundùm antiquorum Patrum conſuetudinem, bonum provideri, & firmari à multis: quod ſi peculiariter fieret, non facilè poſſet plenum robur habere. 367

S. Laurentius Archiep. Dublinenſis Presbyteros incontinentiæ convictos, licèt tanquam Ordinarius ipſe potuiſſet, tamen noluit abſolvere, ſed Romam miſit, ibidem abſolvendos. 477

Circa 1181. Non diffitetur ALEXANDER III. talia ſubinde reſcripta à Romana Curia prodire, quæ fraternum animum exacerbare videntur. 184

Idem Pontifex declarat, mandata Apoſtolica, ſi ſine ſcandalo executioni dari non poſſint, exequenda non eſſe. 608

Circa 1195. CÆLESTINUS PP. III. dicit, obſervatæ conſuetudini potiùs deferendum, quàm aliud in diſſenſionem & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibitâ novitate. 608

1198. INNOCENTIUS III. ex jure deponendi & transferendi Epiſcopos primus facit reſervatum Sedis Apoſtolicæ, falsò dicens hoc Divinæ eſſe inſtitutionis. 200. 201. 204

Circa 1208. Idem Pontifex ſuſtinet, ad Romanum Pontificem pertinere jus electum Romanorum Imperatorem examinandi, approbandi, coronandi, aut ſi indignum judicaverit, rejiciendi. 174

1212. Item quòd Rex votum ultramarinum non implens, regno privandus ſit. ibid.

Idem Pontifex prudenter edixit, ſopitis quæſtionibus Doctorum, ſententias Patrum tenendas eſſe. 2

Scribit ad Philippum Auguſtum Franciæ Regem, ſibi, ſi in negotio divortii ejuſdem Regis quid abſque generali deliberatione Concilii determinare tentaret, forſan ordinis & officii periculum imminere. 365. 420

Circa 1222. Agnoſcit HONORIUS III. quòd Epiſcopus propter Eccleſiæ ſuæ utilitatem in lege per Generale Concilium latâ diſpenſare poſſit. 291

1227. GREGORIUS IX. Fratribus Prædicatoribus inaudito hactenus privilegio indulget & committit, ut in Anglia quorumlibet confeſſiones audiant cum injunctione pœnitentiarum. 481

Circa 1229. In Hungaria erigitur Epiſcopatus, nullâ interveniente Romani Pontificis auctoritate. 207

1231. Ordines regni Angliæ declarant, igni ſubjiciendas fore eorum poſſeſſiones, qui Mandata Apoſtolica de providendo, libertatibus Eccleſiæ Anglicanæ contraria, executioni dare præſumpſerint. 616

1236. Ludovicus *Sanctus* Galliæ Rex, inattentis pœnis Eccleſiaſticis à GREGORIO

GREGORIO Pp. comminatis, adversùs Navarræ Regem bellum parat. P. 596
Fridericus II. Imp. à ſententiâ adversùm ſe à GREGORIO IX. 1239.
prolatâ, tanquam temeritate plenâ, & inani àb omni juſtitia ad futurum generale Concilium appellat, quod a Cardinalibus rogat congregari. 361
INNOCENTIUS PP. IV. tenet, Papam Regibus ſibi non obe- 1245.
dientibus regna auferre & aliis tradere poſſe. 74
Eccleſia Anglicana ab impoſitione tributorum, per INNOCEN- 1246.
TIUM factâ, ad futurum Concilium appellat. 362
Queritur Rex & Clerus Gallicanus. ſe ab INNOCENTIO Papa *Circa* 1249.
multùm gravari beneficiorum reſervationibus, & collationibus; addens, eas olim incognitas, demum ſub Innocentio III, cœpiſſe. 463
Conradus IV. Imp. appellat ab injuſto proceſſu & gravamine 1251.
ſibi per INNOCENTIUM inferendo. 362
Scribit ad INNOCENTIUM IV. Robertus Epiſcopus Lincol- 1253.
nienſis, ſe mandatis Pontificis devotè & reverenter obedire; ſed in his, quæ mandatis Apoſtolorùm adverſantur, eis adverſari, & obſiſtere. 254, 608
Dum S. Thomas pro defenſione Fratrum Mendicantium ad ple- 1257.
nitudinem & univerſalitatem Pontificiæ poteſtatis provocat, dicens, Papam habere immediatam jurisdictionem in omnes Chriſtianos, inſolitis principiis uti creditur. 480
CLEMENS IV. omnium primus declarare auſus eſt, quorumli- *Circa* 1267.
bet beneficiorùm Eccleſiaſticorum plenariam diſpoſitionem ad Romanam Sedem pertinere. 461
BONIFACIUS Papa VIII. declarat, Ordinarium circa jurisdi- 1293.
ctionem in Clericos ſuæ diœceſis, etiam *Regulares*, fundatam in jure habere intentionem. 487
Idem Pontifex contra genuinum & antiquum jus introducit, ut deinceps Coadjutoriæ Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum à Romana Sede poſtulentur. 199
Declarat inſuper, in concurſu duorum proviſorum, propter conferentis prerogativam, illum præferendum eſſe, cui à Sede Apoſtolica collatio facta eſt. 465
BONIFACIUS VIII. ad ſopiendas, ùt inquit, diſcordias inter *Circa* 1300.
Epiſcopos & parochos ex una, nec non Fratres Prædicatores ac Minores ex altera parte, his in caſum, quo illi id negaverint, ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis dat facultatem quorumcumque confeſſiones excipiendi, eoſque abſolvendi. 482
Philippus Pulcher Rex Galliæ cum adhærente ſibi Clero adver- 1302.
sùs attentata BONIFACII VIII. ad futurum Univerſale Concilium appellat. 362
BENEDICTUS PP. IX. aſſerit, ex privilegio Regularibus à *Circa* 1304.
Bonifacio VIII. in præjudicium Ordinariorum dato turbatio-

nem ac diffidia eſſe nata ; & nihilominus illud ampliat . Pag. 482
1305 CLEMENS V. à ſolicitationibus Epiſcoporum Angliæ , qui annatas beneficiorum ſuæ diœceſis à ſummis Pontificibus frequenter poſtulabant , occaſionem nactus , eaſdem ſibi ipſi addicit . 468
1306. Gualterus Pictavenſis Epiſcopus ab eodem Pontifice ſuo Epiſcopatu privatus, moriens ad futurum Concilium appellat . 362
1311. In Concilio Generali Viennenſi ab Epiſcopis egregia ad reformandam Eccleſiam in Capite , & membris monita exhibentur ; ſed ea CLEMENS Papa dexterè declinat . 400. 528
In eodem Concilio de revocandis regularium exemptionibus agitur . 488
1312. CLEMENS V. homagium & vaſallagium ab Imperatore Summo Pontifici præſtari debere aſſerit . 174
Idem Papa declarat , per Conſtitutionem Benedicti IX. concedentem Regularibus prædictas facultates , novum diſcordiis in Eccleſia præberi fomentum . 482
Guillelmus Major Andegavenſis Epiſcopus antiquos ſacroſque Canones panibus ſimilagineis , recentiores ſiliquis porcorum , & furfureis panibus comparat . 241
Circa 1322. Fatetur Papa JOANNES XXII. Eccleſiarum Prælatos & Rectores haud rarò in caſu eſſe , quo ipſos oporteat Romanæ Sedi ſe ſe opponere . 514
1323. Ludovicus Bavarus Imperator a Summo Pontifice ad Generale Concilium provocat . 362
1328. Michael Cæſenas Ordinis Minorum Generalis ob controverſiam de Chriſti paupertate , & uſu dominioque rerum à JOANNE XXII. hæreſeos damnatus , appellat ad Eccleſiam Catholicam & ad futurum Concilium . 362
1334. Electores Imperii adversùs attentata BENEDICTI XII, Germaniæ conſulturi , ſuæ Conſtitutioni hanc addunt clauſulam , ut quiſquis aliter docuerit vel ſenſerit , capitis pœnas ſolvat , & ejus bona infiſcentur . 617
1351. Formulâ *Apoſtolicæ Sedis gratia* , in Epiſcoporum literis hactenus inſuetâ , primùm utitur Petrus Narbonenſis Archiepiſcopus , idque propter jura pallio annexa . 208
1392. BONIFACIUS PP. IX. primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium , & Abbatiarum ſuæ Cameræ reſervat , 468
1408. Subtractâ per Gallos agnito Summo Pontifici obedientiâ , de temporario Capite Eccleſiæ providetur . 573
Antiqui Cardinales GREGORII XII. à gravaminibus ſibi ab eo illatis provocant ad Generale Concilium , tanquam in quo Pontificum actiones ſoleant judicari . 362
In celebri conferentiâ Florentiæ habitâ concluditur , Generalem Synodum , attento ſchiſmate , à Cardinalibus convocari poſſe ; quod & ſequenti Anno practicatum eſt . 300. 403
1409. In Concilio Piſano à Pontifice & Cardinalibus ſub juramento promit-

promittitur reformatio Eccleſiæ in Capite & membris , ſed non effectuatur . Pag. 402

Dicit in Conſtantienſi Synodo Gerſon , plenitudinem poteſtatis Papalis per Concilium tolli non poſſe , bene verò ejus uſum ſub certis regulis ac legibus limitari . 623 1414.

Concilium Conſtantienſe declarat , quemlibet , cujuſcunque conditionis , ſtatûs vel dignitatis , etiamſi Papalis exiſtat , Concilio Generali teneri obedire , quippe cui competit jus reformandi Eccleſiam in Capite , & in membris . 283. 422. 429. 525. 527. 1415.

Idem Concilium Papam JOANNEM XXIII. ob corruptiſſimos mores legitime deponit . 285. 421. 430

Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis , in Conſtantienſi Concilio ſuſtinet , ſchiſmatis , tam illius quod in Eccleſia latina eſt , quàm Græcorum , anſam , neglectui Conciliorum Generalium adſcribendam eſſe ; nec niſi per tale Concilium reformationem Romanæ Curiæ , omnino neceſſariam , effectuari poſſe . 329 1416.

Idem Cardinalis in dicta Synodo ſuſtinet , Unionem in Eccleſia ſine Reformatione ſperari non poſſe , & hanc à Capite inchoandam eſſe . 545 1417.

Ut Concilia Generalia deinceps ſingulis decenniis celebrentur , Conſtantienſis Synodus ſaluberrimè ordinat . 326. 330. 367.

MARTINUS V. declarat , ſacro Conſtantienſi Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentari . 406. 422 1418.

Idem Pontifex promiſſam in Conſtantienſi Synodo Eccleſiæ reformationem non perficit , Imperatorem , Reges & Nationes turpiter deludens . 435. ſeqq.

Poloniæ Regis Legati propter neglectam à MARTINO V. condemnationem libri Joannis Falckenbergii ad futurum Oecumenicum Concilium appellant . 363

Henricus Archiep. Cantuarienſis ad futurum Concilium provocat à decreto MARTINI V. quo eum privat exercitio quorundam jurium ſuo Primatui annexorum . 363 1427.

Dominicus Cardinalis Capranica appellat ab EUGENIO IV. & Judicibus ab eodem delegatis ad Baſileenſe Concilium nuper inchoatum . 363 1431.

Concilium Baſileenſe confirmat decreta Synodi Conſtantienſis de ſuperioritate cujuſcunque Concilii Generalis ſupra Pontificem . 285 1432.

Landrianus Laudenſis Epiſcopus à Baſileenſi Synodo ad Regem Angliæ miſſus , ei dicit , quidquid eſt hæreſum , quidquid diſcordiarum , & calamitatum , quibus populus Chriſtianus premitur , omnia per intermiſſionem Generalium Conciliorum exorta eſſe . 376

EUGENIUS PP. poſt Seſſionem XIV. Concilii Baſileenſis declarat illud à tempore ſuæ inchoationis ſemper fuiſſe legitimum , & continuandum eſſe . 418. 432 1433.

EUGENIUS videns Concilium Baſileenſe ſe ad reformationem Eccleſiæ accingere , illud diſſolvere tentat ; ſed irrito conatu . 407 1434.

Ba-

1435. Baſileenſis Synodus Annatas damnat ſub pænis in jure adverſus ſimoniacos ſtatutis. Pag. 408
Ejuſdem Concilii Patres Rotomagenſi Archiepiſcopo Pallium decernunt, quod illi EUGENIUS ob non ſolutas annatas negaverat. 474
1436. EUGENIUS Pontifex ad declinandam Curiæ ſuæ reformationem Regibus & Principibus fucum facere ſtudet. 409
1437. Andreas Epiſcopus Magorenſis ad Card. Julianum Concilii Baſileenſis Præſidem ſcribit: niſi ſuper Romanam Eccleſiam fiat reformatio, fidem Chriſti in omnibus partibus mundi perditam iri, ſicut modò in pleriſque factum eſt. 546
1439. Concilium Florentinum talem in Romano Pontifice regendæ Univerſalis Eccleſiæ plenitudinem poteſtatis agnoſcit, qualis in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in SS. Canonibus continetur. 151. 153. 543
1440. Germani petunt, ut confirmationes Electionum Epiſcopalium ad terminos Juris Communis reducantur. 633
Et plura alia Juri, & æquitati conformia. 640. ſeqq.
1446. EUGENIUS ad ſuos in Germania Legatos ſcribens, Concilium Baſileenſe ab exordio uſque ad Seſſionem XXIV. iterum pro legitimo, & Oecumenico agnoſcit. 437
1447. EUGENIUS omnium univerſim Conciliorum Generalium auctoritatem ſupra Papam agnoſcit. 433. ſeqq. 635. 641
Idem Papa morti propinquus de Eccleſiæ, & Curiæ Romanæ neglectà reformatione vehementer dolet. 426
1457. Martinus Meyr Cancellarius Moguntinus ſcribit ad Æneam Sylvium, mille modis Romanam Curiam à Germanis, tanquam à barbaris aurum ſubtili ingenio extrahere. 471
Germani Concordata propter Romanorum in eis ſervandis infidelitatem ita dedignantur, ut de Pragmaticâ Sanctione ad exemplum Gallorum condendâ cogitent. 556. 577
1460. Univerſitas Pariſienſis & Sigiſmundus Dux Auſtriæ ratione variorum gravaminum à Papa ad futurum Concilium appellant. 365
Procurator Generalis Regis Galliæ ſe opponit Bullæ *Execrabilis*, qua PIUS II. appellationes ad Generale Concilium ſub pæna Excommunicationis prohibet. 363. 366
1461. PIUS II. Papa ſcribit ad Capitulum Moguntium, etiam vera in Papam dicere, eſſe contra juramentum Epiſcoporum. 552
1467. Laudata Pariſienſis Univerſitas iterum ad proximum Generale Concilium appellat, quando Pontifex Pragmaticam Sanctionem abolendam decernit. 364
1471. Dum CALIXTUS III. & poſt eum PAULUS II. Mendicantium Monachorum familias ad Jus commune reducere volunt, illi à Pontificio tali decreto provocationis ad Concilium Generale formulam edunt. 506

1479. Que-

Queruntur Ordines Germaniae de frequenti Concordatorum violatione, Annatarum exceſſu, Privilegiis Mendicantium, & aliorum exemptionibus à Jurisdictione Ordinariorum. Pag. 397. 472 1479.
Status regni Luſitaniæ Regi ſuo remonſtrant, non ei fas eſſe cum damno ſubditorum abdicare jus Placiti & retentionis Bullarum Apoſtolicarum. 599 1486.
Galliæ Proceres Regi ſupplicant, quatenus Sanctiſſimo remonſtret, nè ægrè ferat, ſi regnum adversùs Apoſtolicas proviſiones, & Annatas ſuis impoſterum juribus & libertatibus ſecundùm Canonum decreta utatur. 597 1493.
Romani per tricas impediunt, quominus Germani ſe ſubtrahant ſervituti, quam Romani eis impoſuerunt. 578 1495.
Philippus Dux Brabantiæ ad Concilium Generale appellat à diverſis abuſibus, qui in collationibus beneficiorum ab ALEXANDRO VI. committuntur. 364 1497.
Capitulum Cathedrale Pariſienſe appellat à comminatione cenſurarum, beneficiatis, & ſubditis ſuis per Romanum Pontificem factâ. 364 1501.
Reſp. Veneta ad proximum Generale Concilium appellat ab excommunicatione JULII PP. II. 364 1509.
Queritur Natio Germanica, quòd Romani Pontifices ad inſtantiam etiam vilium perſonarum pactis, & Eccleſiarum privilegiis derogent, indebitaſque exigant annatas. 381. 384. 649 1510.
Item quòd cauſæ quæ in Germania poſſent & deberent terminari, indiſtinctè ad Romanam Curiam trahantur. 381
Eadem Natio queritur de pluralitate beneficiorum, à perſonis etiam vilibus, in vim Romanæ diſpenſationis poſſeſſorum &c. 382. 383. 645.
Ludovicus XII. Rex Galliæ Turonis Concilium Nationale convocat, ut ibidem deliberetur ac ſtatuatur de gravaminibus ſibi per JULIUM II. illatis. 572
Concilium Lateranenſe V. neque univerſale eſt, neque decretis Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis circa ſuperioritatem Concilii præ Pontifice derogat. 283. 288 1512.
Paulus Langius Monachus refert, per varia gravamina, quæ ex Romana Curia prodeunt, ruinas, deſtructiones, & ærumnas per Chriſtianum orbem oriri. 385 1513.
Eraſmus Roterdamus ſcribit ad Cardinalem Albertum Brandeburgicum, mundum eſſe oneratum tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cùm ſint ſatellites Sedis Romanæ, ipſis adeo Regibus formidabiles exiſtunt. 503 1519.
HADRIANUS VI. Pont. Max. fatetur, in Curia Romana eſſe abuſus in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, omnia demum in perverſum mutata; atque ex eadem Curia omne fortè malum proceſſiſſe in Eccleſiam. 375. 392. 619 1523.
Declarant Status Imperii Germanici in Comitiis congregati, quòd

ſi Rom.

ſi Rom. Pontifex onera & gravamina Nationis præſtituto tempore non tollat, ſe ipſius rei iniquitate, & neceſſitate compulſos, de mediis cogitaturos, eadem per ſe ipſos auferendi. P. 385

1524. Carolus V. injuriam ſibi à CLEMENTE VII. illatam ulturus, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet. 573

1526. Idem Imperator a decretis dicti CLEMENTIS ad Univerſale Concilium appellat. 385

1533. CLEMENS Papa ad Franciſcum I. Galliæ Regem ſcribens fatetur, Concilium Generale eſſe unicum medium tollendarum hæreſum noviter exortarum. 328

1536. Delecti à PAULO III. Cardinales, & Prælati ad dandum aptum de Reformatione conſilium, eidem dicunt; abuſibus Eccleſiæ, præſertim Romanæ; illam in ruinam tractam, & infidelibus in deriſum factam eſſe. 411. 569

Iidem Pontifici haud fucatè renuntiant, non licere ei in legibus Eccleſiæ diſpenſare ſine urgente, & neceſſaria cauſa; neque lucrum captare ex uſu poteſtatis clavium. 385. 568

Item: Clericis divitibus ſine manifeſto abuſu penſiones ſuper beneficiis reſervari non poſſe, nec ſub titulo Coadjutoris beneficiatis dari hæredes; Et quæ ſunt ejus generis alia, 386. 388

Circa 1537. Cardinales ſuadent Pontifici, ut propoſitam Reformationem in commodius tempus differat; licèt hæreſes ex corruptione Eccleſiæ ortæ jam latè graſſarentur. Unde à bonis cauſa Religionis jam pro deſperata habetur. 412. 570

1546. In Concilio Tridentino Legati Pontificis reformationem Eccleſiæ variis artibus & induſtriis impediunt. 370. ſeqq.

1548. Epiſcopi Galliæ Meloduni convenientes aviſant, ut Romanæ reſervationes & decreta Pontificum ad normam SS. Scripturarum, & Canonum exigantur. 387

1551. Claves à Chriſto *Eccleſiæ* immediatè datas eſſe, Patres Concilii Tridentini agnoſcunt. 24

Lovanienſes & Colonienſes Theologi ſuſtinent, ex antiquitate probari non poſſe, quòd Pontifici competat jus ſibi propria auctoritate reſervandi abſolutionem certorum peccatorum. 478

Tridentini Patres ſuam teſtantur indignationem de modo, quo in Concilio Pontificii Legati agunt. 413. ſeqq.

1559. Novemvirale de emendanda Eccleſia Conſilium auſpiciis Pauli III. PP. conſcriptum, PAULUS IV. ejuſdem Conſilii, tum Cardinalis, præcipuus auctor, nunc Apoſtolicæ Sedis cenſurâ configit. 567

1560. In Gallia de celebrando Nationali Concilio pro reformatione Eccleſiæ deliberatur, cujus metu adactus PIUS IV. interruptum à decennio Concilium Generale Tridenti reſumit. 569 ſeqq.

1561. In conſultatione de Reformatione Ferdinando Imperatori propoſitâ dicitur, utriuſque ſexûs monaſteria ſecundùm Canones ſub illius

Epiſcopi poteſtate conſiſtere , in cujus diœceſi poſita ſunt . Pag. 389.
Didacus Lainez Jeſuitarum Generalis pro Pontificia auctoritate in 1562.
Tridentino nimia loquens , in aſſentatoris Pontificii vituperationem
apud Patres incidit . 37. 501
Andreas Maſius Doctor Lovanienſis ſcribit ad Georgium Caſſandrum 1563.
Imperatoris Conſiliarum , Indicem librorum prohibitorum com-
portari nullo cum judicio , & maximâ cum invidiâ . 566
Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopus Bracarenſis à PIO IV,
obtinet , ut indigna Epiſcoporum erga Cardinales , coram
Pontifice ſubjectio deinceps tollatur . 512
Urgent in Tridentino Romani , ut auctoritate Concilii declare-
tur , plenam poteſtatem , univerſalem Eccleſiam paſcendi & gu-
bernandi, Summo Pontifici à Deo immediatè traditam eſſe ; ſed
obſiſtentibus multis deſideratum non obtinent . 35. 288. 446
In eodem Concilio agitur de revocatione exemptionis Regularium . 488
Dum Concilium cauſas Epiſcoporum Summæ Sedi reſervaret , Galli
adverſùs hoc decretum proteſtantur . 205
Cardinalis Lotharingus ſub finem Tridentinæ Synodi ſuo & Epiſco-
porum Galliæ nomine declarat , media ad reformandam Eccleſiam
in eadem Synodo placita , ad intentum finem minùs ſufficere . 369
PIUS IV. omnes Principes Chriſtianos ad Concilii Tridentini pro-
tectionem , & promovendam executionem invitat - 602
Idem Pontifex abſoluto Concilio Patribus gratias agit , quòd in Re- 1564.
formatione tantâ moderatione uſi ſint , ut ſi Papa ſe ipſum ſuamque
Curiam reformare voluiſſet , longè ſeverior in ſe futurus fuiſſet . 391
Declarat PIUS Papa , Concilium Tridentinum inde à prima Maji
hujus Anni , propter publicationem Romæ factam , ubique
legis vigorem obtinere ; At hoc pleræque gentes non agnove-
runt . 230. 232
Diſciplinam Eccleſiæ tunc verè reſtitui dicit in ſua Synodo S. Ca- 1565.
rolus Borromæus , quando in eum ſtatum , quo primitùs in-
ſtituta eſt , reſtituitur . 398
Parlamentum Pariſienſe declarat , Summo Pontifici nullum jus 1579.
eſſe ad Annatas in Regno Galliæ . 470
GREGORIUS PP. XIII. Decretum Gratiani emendari curat ; 1580.
ſed nullam falſam Decretalem ex eo aufert aut corrigit . 520
Gallicana Parlamenta publicationem Bullæ Cœnæ prohibênt . 239
Congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum declarans , 1596.
Decreta Provincialium Synodorum inconſulto Romano Pontifice
publicanda non eſſe , verbis Concilii Tridentini apertam vim
infert , 167
CLEMENS Papa VIII. Imperatorem Concordatorum Germaniæ 1603.
Defenſorem eſſe agnoſcit . 655
Reſpublica Veneta in medio belli , cum Rom. Pontifice PAULO V. 1606.
geſti , perſtat in unione cum Apoſtolica Sede . 592. ſeqq.

1615. Clerus Gallicanus decretis Concilii Tridentini ſe ſubmittit; Rex autem illud neque acceptat, neque illud in ſuo regno patitur publicari. Pag. 32
1642. Janſeniſtæ, & Moliniſtæ publicos in Gallia tumultus excitant. 498
1647. Advocatus generalis Galliæ Talonus Nuntio Apoſtolico nullam fatetur juriſdictionem, nec juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſignum, aut territorium. 457
1681. In Gallia deliberatur de celebrando Nationali Concilio, gravaminibus Romanæ Curiæ opponendo. 574
1682. Eccleſia Gallicana Romanum Pontificem in Decretis ſuis fallibilem, & Univerſalibus Conciliis ſubjectum ſolemniter declarat. 66
1688. Achilles de Harlay Procurator Regis à quocunque gravamine per INNOCENTIUM XI. regno Galliæ inferendo ad futurum Generale Concilium appellat. 365
Sæculo XVIII. BENEDICTUS Papa XIV. ſyſtema falſarum Decretalium plenè adoptat. 176. 466. 561. 639

IN-

INDEX MATERIARUM.

A

ABſtentio quid ſit? Pag. 109. 141
Abuſus Eccleſiaſtici, præſertim ex Romana Curia prodeuntes, Eccleſiam in ruinam traxere. 411. Horum abuſuum ſumma. 394. Iidem ſpeciatim recenſetur. 378. ſeqq.
Acceptatio Eccleſiarum deſideratur ad hoc ut Conſtitutiones Apoſtolicæ vim legis obtineant. 106
Africanæ Eccleſiæ infallibilitatem Romani Pontificis neſciunt. 66. Attamen ejus Primatum agnoſcunt. 80. Ad eundem in gravioribus negotiis recurrunt, & referunt. 94. Illis non omnino placuerunt diſpoſitiones Concilii Sardicenſis circa appellationes. 264. . Neque his ſe voluerunt ſubmittere. 265. 268. . Non fuerunt ſchiſmaticæ, licèt quoad Baptiſma Hæreticorum diſſentirent a Romanis; imò ab horum communione repellerentur. 590
Africanæ Eccleſiæ primatus comparatus cum univerſali Primatu Romano. 119
Annatarum origo, & illegalitas. 467. 538. Earum taxa ſatis lubrica. 648. . Exiguntur cum exceſſu. 381. 382. 384. 393, 471. 474. . Nullum habent fundamentum in Jure. 646. ſeqq. Damnantur in Concilio Baſileenſi. 408. 470. . An & quod fundamentum in diverſarum nationum Concordatis inveniant? 470. 473. 636. 647
Apocriſarii, & Reſponſales Pontificii qui ſint? 114
Apoſtoli omnes ſunt fundamenta ſecundaria Eccleſiæ. 9. 29. Singuli non fuerunt inſpirati quoad omnes actiones ſuas relativas ad Eccleſiarum gubernationem. 32. . Quæ Fidem & univerſam tangebant Eccleſiam, collegialiter tractârunt. 16. 30. 33. Eorum jura qualiter in Epiſcopos tranſierint? 442
Apoſtolicarum Eccleſiarum jura, & prærogativæ. 145. 148 Eæ per antonomaſiam *Sedes* vocantur. 149
Apoſtolicæ Sedis gratia formulà quando Epiſcopi uti cœperint? 207
Appellationum jus quando & quatenus ad Romanam Sedem pervenerit? 258. ſeqq. . Originem ſuam ducit ex falſis Decretalibus 167. 267. Peſſimas poſt ſe trahit ſequelas. 269. 603. Quibus non medentur recentiores Pontificum Conſtitutiones. 271.
Appellationum à Summo Pontifice ad Generale Concilium legitimus uſus reſpectivè, & abuſus 366. . Habent etiam locum in cauſis fidei, 161. . Quoad ſubſtantiam antiquiores ſunt quàm quoad nomen. 360. 687. . Omnibus ſæculis, & ab omnibus nationibus pro legitimis habitæ ſunt. 359

Appellatio ab Abuſu ſucceſſit appellationi ad Generale Concilium. 361. 365. Hujus appellationis fundamentum. 617. Univerſalis ejus uſus. 618. Quibus in caſibus locum habeat? 619. Huic remedio non præſcribitur, nec renuntiari poteſt. ibid.
Argumentum ab Abſurdo obſtat multis Ultramontanorum aſſertionibus. 183
Aſianæ Eccleſiæ in celebratione Paſchatis differunt à Romana. 589
S. Athanaſius an & qualiter ab Orientali Synodo appellaverit ad Romanam? 275
Aurum, & Argentum ex clavibus Eccleſiæ Romæ captari, queritur S. Bernardus. 398
Auctoritatem, non juriſdictionem propriè dictam, per univerſam Eccleſiam Summus Pontifex exercet. 119

B

De Baptiſmo Hæreticorum Quæſtio, doctrinalis fuerit an diſciplinaris? 354. ſeqq.
Bartholomæus de Martyribus honori dignitatis Epiſcopalis conſulit, 512
Baſileenſe Concilium legitimum eſt & œcumenicum. 407. 418. 432. Declarat, omne Concilium Generale eſſe ſupra Pontificem. 285. 408. Hujus Concilii vigorem Eugenius Papa, objectâ reformationis umbrâ, elidere nititur. 409. Ejus decreta Romano Pontifici non nocent. 425
Beneficiorum omnium collatio de Jure pertinet ad Epiſcopos. 460. 642. Eorum collationem qualiter Romani Pontifices ſucceſſivè ad ſe traxerint? 465. 643. Vacantia in Curia quando cœperint reſervari? 461. Omnium beneficiorum plenam diſpoſitionem Clemens Papa IV. ſibi primus arrogavit. 4 1. 464. Gravia ex Romanis beneficiorum collationibus in Eccleſiam damna redundant. 645
Beneficiorum pluralitati Romana Curia favet contra Canones. 380. 382. 386. 394. 402. 639. Eccleſiaſtica hujus rei incommoda. 383. 389. 528. Hæc pluralitas non in gratiam perſonarum, ſed Eccleſiæ tantùm permittenda eſt. 393. 416
S. Bernardus aliter deflevit mala Eccleſiæ, aliter Alvarus Pelagius & Bellarminus. 397. 399. 623. Aliter etiam de Pontificatu ſenſit quàm Paulus Sarpius & Edmundus Richerius. 624
Bulla Cœnæ an & qualem vigorem obtineat? 239

C

Calicis uſum ſæcularibus concedendi facultas Rom. Pontifici ab Eccleſia delegata eſt. 290
Cancellaria, & Camera Romana humanis affectibus minimè vacant 628. Cancelleriæ Apoſtolicæ Regulæ ad normam Canonum reduci deberent. 387. 638
Canonum Collectiones quomodo natæ & auctæ? 155. 156. Antiqui Canones comparantur panibus ſimilagineis, recentiores

furfureis

furfureis. 241. . Illorum obſervantia Rom. Pontificis Primatum ſuſtinet. 102. , Eorum cura, & manutentio pertinet ad officium Summi Pontificis, 108. 255. ſeqq. 608. Nec non ad ſollicitudinem Principum Sæcularium. 618. . A Papa abrogari non poſſunt. 528. 537. . Interim Romæ negliguntur. 401. . Canonum Domini quando Pontifices dici cœperint? 156. . Canones qui mobiles, qui immobiles? 649. . Canones, & Acta Conciliorum determinant Rom. Pontificis poteſtatem, non nuda Patrum afferta. 253

Caput Eccleſiæ qua ratione Summus Pontifex dicatur? 147. 152. 196. Firmis, non vacillantibus præſidiis ſuffultum hoc Caput volunt veri Catholici. 553. 650. . Caput, & Corpus Eccleſiæ ſe ſe mutuò ſuſtinent. 90. 152. . Nexus inter Caput & membra ſincero ſtudio ſervandus. 576. . Capiti connexa Eccleſiarum fides magna poteſt. 101

Cardinalium dignitas humanæ inſtitutionis eſt, Epiſcoporum divinæ. 512. . Illis Epiſcopi olim præferebantur. 509. . Quomodo eorundem auctoritas ſucceſſivè creverit? 511. . Dum falſi Canones vigent, non permittitur Pontifici uſus genuinorum. 557

Caſus Rom. Pontifici reſervati nulli dantur in Jure Divino aut antiquo Eccleſiaſtico. 475. ſeqq. Concilium Tridentinum quatenus caſuum reſervationem probaverit? 478

Cauſæ Fidei quouſque Romanæ Sedis judicio finiantur? 161. 194

Cauſæ Majores quæ ſint? 185. . Quando cœperint Romanæ Sedi reſervari? 186. ſeqq. . Priuſquam ad illam deferantur, in ſuis reſpectivè diœceſibus tractandæ ſunt. 186

Centrum Unitatis eſt Eccleſia Romana. 88. ſeqq. . In quo illud conſiſtat? 88. . Phyſicum qualiter differat à morali? 89

Ceſſio Epiſcopatus quando ad Majores cauſas relata ſit? 201

Calcedonenſis Synodus Dioſcorum damnavit, non ſolus Leo Papa. 246. ſeqq.

Chriſtus Dominus etiamnum exteriore ſuâ aſſiſtentiâ Eccleſiam regere pergit. 41. 46

Claves Eccleſiæ omnibus Apoſtolis peræque datæ ſunt. 13. Earundem poteſtas immediatè, ac propriè Eccleſiæ credita eſt. 20. 22. 419. . Eccleſia eas habet ſecundùm originem & virtutem. Prælati ſecundum uſum. 23. . Earum poteſtas non debet eſſe occaſio lucri temporalis. 386. 390. Clavium contemptus ex poteſtate legitima æſtimandus eſt. 594

Clauſula Concilii Trid. *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate* decreta ejuſdem Synodi Romano Pontifici non ſubdit. 291

Clauſula *Proponentibus Legatis*, in eadem Synodo uſurpata, non præjudicat juri Epiſcoporum in Synodis proponendi. 303

Coadjutoriarum abuſus. 386. 388. Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione quando ad Majores cauſas cæperint referri? 199. . Inferiorum beneficiorum Coadjutoriæ à Tridentino damnantur. 289

Col-

Collegium inter ſe conſtituunt omnes in toto orbe Epiſcopi. 109
130. . Hoc Collegium ſeu Corpus ſua habet jura . 109
Communio inter Eccleſias qua ratione ſe ſe explicet? 137
Conciliorum *GENERALIUM* auctoritas immediа è à Deo eſt . 17
282. 419. 449. . Eorum infallibilitas probatur . 17. 47. 58
328. Iiſdem Romanus Pontifex ſubjectus eſt . 282. 315. 419.
640. . Abſurda , quæ ex contraria ſententia ſequuntur . 435.
An hæc ſubjectio ſit de fide ? 427 . Conciliorum ſuperioritas
præ Papa nihil inconvenientiæ in Eccleſiam inducit . 437. ſeqq.
Eorum legitimus uſus Pontificiæ auctoritati innoxius eſt . 295
Si Canones ſervarentur his Conciliis vix indigeremus . 395
Nunc abſolutè neceſſaria ſunt . 323. 328. 377. . Non tamen
ad quamvis hæreſim reprimendam . 101. 336. 338, SS. Canones
eadem modò frequenter celebrari præcipiunt . 329. 370
Eorum commoda . 305. 568. . Ex eorum omiſſione omnia
mala Eccleſiæ naſcuntur . 376. 465. . Mali Principes ea impedierunt
, boni promoverunt . 374. Imò ad ea celebranda Pontifices
arctis modis compulerunt . 569. ſeqq. . Ob quas càuſas
convocanda ? 192. 547. . Singulis decenniis deberent celebrari
. 286 367. 435. . Inde à Concilio Trid. ſæpius petita ſunt ,
ſed non obtenta . 652. . In Jure , & Eccleſiæ voto ſemper
ſubſiſtunt . 367. 640. . An nulla dentur legitima ? 62. Conciliares
deliberationes & concluſa multùm differunt à ſingularibus
Epiſcoporum judiciis . 310. Qualiter materiæ Conciliares ante
habita generalia Concilia tractatæ fuerint ? 193
Convocatio generalium Conciliorum ; quæ fit à Romano Pontifice
, nihil ad ſtatum Eccleſiæ Monarchicum concludit . 216
Eadem ad Papam non pertinet excluſive . 296. 403. 611. 614
An & quando ſine Papa poſſit dici, & eſſe Concilium Univerſale
? 419
Materiæ in Conciliis proponendæ qualiter præparandæ ? 195
Quo ordine in ipſa ſynodo tractandæ ? 426. Conciliorum
libertas in quo conſiſtat ? 319. 322. 368. . Præſidium quoad
ordinem exteriorem Principibus ſæculi , quoad hierarchicum Summo
Pontifici regulariter competit . 302. . Niſi Concilio aliter
viſum fuerit . ibid, aut Pontifex præſidium recuſet . 423. 438.
A ſolo Papa invitis Patribus Concilium diſſolvi non poteſt .
286. 422. 591
Generalium Conciliorum decreta non concipiuntur nomine Romani
Pontificis . 305. ſeqq. . Nec ejus confirmatione indigent .
ibid. . Qua tamen ratione à Papa confirmari dicantur ? 250
Pontificum decreta novo examini ſubjiciunt . 314. ſeqq. . In
iis non oſcitantibus , ſed veritatem impigro ſtudio quærentibus
Patribus Spiritus S. aſſiſtit . 321. . In juſtis & honeſtis Papæ
cedere non debent . 431. Non omnes veritates revelatas

Con-

Concilia ſimul & ſemel promunt, ſed ſucceſſivè. 348. 452
Quoad Eccleſiam componendam Concilia Generalia non ſemper quæ ſalubriora ſunt, ſtatuunt. 417. . Attamen adversùs extantiores corruptelas ſemper reclamârunt. 398. ſeqq. Priora poſterioribus emendari poſſunt. 534
Executio Canonum Conciliarium Romano Pontifici incumbit. 100
Idem executoris officium ad quoſcunque Chriſtianos Reges ac Principes pertinet. 601. ſeqq. . Leges Conciliorum Diſciplinares ſine receptione non obligant. 230. 418. bene verò Doctrinales. 235. . Illæ à ſolo Papa abrogari non poſſunt. 234. . A Summis Pontificibus. malè obſervari dicuntur. 424
Conciliorum *NATIONALIUM* legitimitas, uſus & utilitas: 569. 571
Concilia *particularia* poſſunt ſuo examini ſubjicere doctrinas ab Apoſtolica Sede definitas. 191. 565. . Horum decreta quam ob cauſam ad Summum Pontificem dirigantur. 107
Concilia *PROVINCIALIA* ſine auctoritate S. Sedis, vigore falſarum Decretalium, congregari non poſſunt. 166. 206. 414. Eodem Jure Rom. Pontificis confirmatione indigent. 167. Illis Sedes Apoſtolica cum detrimento diſciplinæ Eccleſiaſticæ præſcripſit. 431. 528
Concordata Germaniæ à Romanis malè ſervantur. 379. 466. 555 An Papa eis poſſit derogare? 555. 651. An ſolus declarare ſeu interpretari? 630. 634. ſeqq. Non accipiunt interpretationem ex Principiis Decretalium. 632. ſeqq. Alternativam menſium & Annatas Romanæ Sedi non ſimpliciter, & perpetuò attribuunt. 636. Per ea jus Patriarchale Romanum ad ſummum apicem ſublatum eſt. 627. His aliiſque cum Romana Curia initis Concordatis error & ignorantia cauſam dederunt. 554
Confirmationis variæ ſignificationes. 308. 309. 311. 312
Confirmatio electionis Epiſcoporum ad Synodum Provincialem pertinet. 196. 630. . A quo tempore facta fuerit reſervatum Summi Pontificis? 197. 445. Ad Synodos reduci optatur. 393. 631
Congregatio *Concilii Trid.* Romæ non ſequitur normam in eodem Concilio præſcriptam. 240. 633
Congregatio *Indicis* Romæ: quid de ea obſervandum? 563. 566
Congregatio *de Propaganda Fide*: quid ei potiſſimùm ſuaderi poſſet? 620
Conſecrandi Eccleſias in aliorum Diœceſibus facultatem Papa dare non poteſt. 456. Conſecratio Epiſcoporum ad Metropolitanos pertinet. 626. Per uſum, & Concordata Germaniæ facta eſt reſervatum non Primatûs, ſed Patriarchatûs Romani. 627
Conſtantienſe Concilium totum œcumenicum eſt. 285. 406. Papam Generali Concilio declarat ſubjectum. 283. 525. Contraria ſententià an ſit hæretica? 284. 527. Hujus Synodi Decreta

creta in Baſileenſi à Papa Eugenio IV. probata ſunt. 431. 641 Et poſtea iterum. 433. Conſtantienſe Concilium, nullâ factâ reformatione, licèt appromiſsâ, à Papa diſſolvitur. 405
Coſtantinopolim non fuit tranſlatus cum Sede Imperatorum univerſalis Eccleſiæ Primatus. 81
Conſtitutiones Pontificum non niſi per acceptationem vigorem nanciſcuntur. 106. . Sæpe innituntur falſis principiis Iſidorianis. 609. ſeqq.
Conſuetudo an, & quouſque contra Canones valeat? 536. 650 Romanæ Eccleſiæ conſuetudines etiam alibi obſervari mandant fictæ Decretales. 169
Conſulta particularium Eccleſiarum Romam diriguntur. 91
Corporis Eccleſiæ conſenſus atque unanimitas quando & quomodo extra Concilium inveniatur? 350
Curia Romana hodie vocatur, quæ olim *Eccleſia*. 155. 174. 413 628. . Eadem malè facit omnia ad ſe trahendo. 220. præſertim lites. 401. . Stylus Curiæ in multis malus eſt. 622. 639. Ejuſdem reformatio vix aliter quàm per Generale Concilium obtineri poteſt. 329
Curialiſtarum Romanorum vix toleranda Juris principia. 177. ſeqq. iidem Papam obſident, ut veritas ægrè ad eum perveniat. 574. 589
S. Cypriani Doctrina de Hæreticorum Baptiſmo non vera quidem, ſed Stephani Papæ, & plurium millium Epiſcoporum auctoritate haud victa. 353. 610

D

Decretalibus Pontificum quando primùm vis Juris attributa? 155 Decretales Gregorii IX. Sextus Decretalium, & Clementinæ quam habeant auctoritatem? 237. . Sunt fundamentum omnium abuſuum in Eccleſia vigentium. 632
Decretales Iſidori genuinam Diſciplinam Eccleſiaſticam everterunt. 515. 532. . Quantum in eo fuerit Iſidori peccatum? 522. . Omnes ejus Decretales in gratiam Romani Pontificis confictæ ſunt. 521. . Earundem vis hodieque perſtat. 517. 533. . Illarum falſitas olim modò ſuſpecta: 524. . Seriùs plenè detecta eſt. 531
Decretum Gratiani imperitè conſarcinatum eſt. 236. 533. . Exiguam ſub initium habuit auctoritatem. 107. . Qua etiamnum polleat? 236. . Illud ſat malè à Gregorio XIII. emendatum dignoſcitur. 519. 533
Delictorum impunitas Romæ procuratur, 386
Depoſitio Epiſcoporum non pertinet ad jura Summi Pontificis. 109. 112. 202. . Sed ad Concilia Provincialia. 202. 214. . Quomodo facta fuerit Romanæ Sedis reſervatio? 203
Difficiliores cauſæ ad Sedem Romanam deferri mandant falſæ

Decre-

Decretales . 165
Diœceſium diviſio quando , & quomodo facta ? 443. 453. Earum jura fineſque violare Canonibus vetitum eſt . 454. In horum præjudicium Papa nulli auctoritatem aut functiones delegare poteſt . 459
Diſciplina Eccleſiæ quomodo reſtituenda ? 398. Diſciplinares leges pro diverſitate Eccleſiarum diverſæ ſunt . 226. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervum etiam Principes ſæculares ſuſtinent . 618
Diſpenſandi facultas in decretis Concilii Generalis non arguit ſuperioritatem in Concilium . 391. An & quatenus ea Romano Pontifici competat ? 87. Illam huic à Conciliis permitti diſuadet Gerſon . 292. 613. Diſpenſationum Romanarum facilitas damnatur . 381. 388. 402. 452. 602. Ea habet motiva politica . 156. Illarum ſpirituale periculum . 157. Sine cauſa Canonica datæ illicitæ ſunt . 385. 401. & ſcandaloſæ . 416. 519. 547. Abſque pecunia concedi deberent . 386
Divino jure multa per Papam fieri ſiniſtrè traditur . 201
Doctorum , & Magiſtrorum in Eccleſia conformis doctrinæ quæ auctoritas ? 335. Doctoribus Sedis Apoſtolicæ non ſemper credendum . 560
Doctrinæ Romanorum extravagantes . 176. ſeqq.
Dogmata fideī fundamentalia an dentur ? 52
Dominatum aut ejus umbram quidquid præfert , in Eccleſia tolerandum non eſt . 632

E

ECCLESIÆ ſtatus non eſt Monarchicus . 12. 16. 17. 28. 34. 123. 136. 621. Libera eſt , non ſerva . 502. Unicus ejus ſponſus eſt Chriſtus . 419. Capite indiget , & communi Cancellariâ . 620
Eccleſia ſuper omnes Apoſtolcs fundatur . 9. Non latet in occulto , ſed ſtat in luce . 62. Eſt cuſtos & interpres ſacræ Scripturæ . 56. Gaudet infallibilitate directionis . 46. ſeqq. Idque tam diſperſa quàm congregata . 48. 55. 335. Adversùs apertas hæreſes ſemper reclamat . 338. Quæ ſunt contra bonos mores nunquam approbat . 338. 339. Canone regitur . 26. Maximas jam ob neglectum reformationis fecit jacturas . 546
Ut ſparſim conſiderata non habet poteſtatem in exercitio . 20. 333. Extra univerſale Concilium per ſolos Epiſcopos non repræſentatur . 343. 345. Eccleſiæ univerſalis ſollicitudo omnibus Epiſcopis certo modo communis eſt . 109. ſeqq.
Eccleſia Romana & Catholica an & quomodo inter ſe differant ? 53. 65. 151. 445. 452. Eccleſiarum confeſſione freti Pontifices multa fiducialiter egerunt , quæ ſe ſolis minimè valuiſſent . 104. 104. 112. Eccleſiarum reuniendarum remedium eſt Canonis Conſtantienſis , & Baſileenſis de illarum libertate renovatio . 587. Ec-

587. *Eccleſiæ* mala non dantur. bene verò *in Eccleſia*. 621.
Eccleſia, *Cathedra*, *Curia*, *Cancellaria*, & *Camera* Apoſtolica minimè confundendæ ſunt. 628
Epheſina Synodus Neſtorium damnavit, non Cæleſtinus Papa. 243
EPISCOPORUM auctoritas an immediatè à Deo ſit? 441. 448. 453. 459. 460. 642. Quid ratione hujus quæſtionis in Concilio Trid. actum ſit? 446
Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt. 446. Omnes poteſtate ſunt æquales 132. 442. Univerſali Eccleſiæ in commune conſulunt, etiam extra Concilium. 34. Etiam remotiſſimas Eccleſias adjuvant. 109. Epiſcopatus in Eccleſia unus & indiviſus eſt. 108. 128. 452
Epiſcopi ſunt judices fidei. 189. 192. 337. Eis competit jus contradicendi, ſi Papa edicat quæ edici non deberent. 104. ſeqq. In Generalibus Conciliis Judices ſunt, non nudi conſultores. 293. 322
Primitùs Eccleſias ſuas regebant inconſulto Romano Pontifice. 34. Adhuc hodie poſſunt diſpenſare in ſtatutis Generalium Conciliorum ex cauſis, propter quas Concilium diſpenſaturum fuiſſet. 291
Epiſcoporum jura Romæ læduntur. 401. Ibidem tantùm in partem ſollicitudinis vocati dicuntur. 169. Indebitis juramentis Papæ obſtringuntur. 390. 552. Vera ſua jura ignorantes ea amittunt, aut ſaltem negligunt. 292. 551. Epiſcopis ſubtrahitur quod Romano Pontifici plus quàm ratio exigit præbetur. 554. Eorum auctoritas per Concilium Tridentinum minuta fuit. 44
Eſſentialia Epiſcoporum jura impræſcriptibilia ſunt. 537. 621. Eorum poteſtas, quæ jurisdictionis eſt, æque parum truncari poteſt, quàm ea quæ eſt Ordinis. 448
Epiſcopi ad reſidendum cogendi ſunt. 416. Eorum cauſæ intra provinciam terminari debent. 268. Has ſpuriæ Decretales Summo Pontifici reſervant. 165. 603. Qualiter Epiſcopi ratione culparum Sedi Apoſtolicæ ſubjecti dicantur? 256. Epiſcoporum plurima pars, Summo Pontifici extra Concilium adhærens, non addit ejus decretis infallibilitatem. 331
Epiſcopus *univerſalis* qua ratione Papa, qua ratione etiam alii Epiſcopi dicantur? 129. Epiſcopatus propriè univerſalis in Eccleſia non datur. 444. 458
Epiſcopalia jura in aliorum diæceſibus Papa exercere non poteſt. 454. ſeqq.
Epiſcopatuum novorum erectio per ſolam obſervantiam Summæ Sedi reſervatur. 207. Frequentiores inter populos neo converſos conveniret erigi. 209. Epiſcopatuum reſignationes de Jure fieri poſſunt abſque conſenſu Romani Pontificis. 202
Errorum in fide dignoſcendorum regula à Vincentio Lirinenſi tradita. 336
Examen

Examen de cauſis fidei qualiter in Conciliis inſtituatur? 317
Excommunicationis jus in quo fundetur? 19. Per ſe non eſt actus juriſdictionis. 112. 118. 137. ſeqq. Ejus efficacia dependet à vigore, & obligatione legis. 140. Nemo excommunicandus propter cauſam fidei, niſi quæſtionibus eliquatis. 357. Excommunicatus à ſuo Epiſcopo etiam ab aliis pro tali habendus eſt. 140. Nec à Papa abſolvi poteſt invito ſuo Epiſcopo. 141. 155. Quæ excommunicatio metuenda? 593. Qualiter in injuſta quis ſe debeat gerere? 595
Executores litterarum Apoſtolicarum de providendo quando primùm dati? 462. 643. Executores illegalium mandatorum Apoſtolicorum ſeverè puniendi ſunt. 614. 616. 617.
Exemptiones Regularium quando, & quomodo cœperint? 487. ſeqq. 502. Juribus Ordinariorum præjudicant. 380. 386. Revocandæ ſunt. 389. 401. 416. 528
Expectativæ beneficiorum quo tempore introductæ? 461. 463. 644

F

Fides Petri eſt fundamentum, adversùs quod portæ inferi non prævalebunt. 7. Fides non eſt æſtimatio, ſed certitudo. 65
Fidei quæſtiones non ſunt reſervatum Summi Pontificis. 189. ſeqq. Potiſſimum tamen ad eum pertinent. 118. Atque ideo ad illum referendæ. 195. Qualiter hæ quæſtiones à Pontifice, qualiter ab Epiſcopis tractandæ? 194
Flavianus Epiſcopus Conſtantinop. an, & qualiter ad Romanam Sedem appellaverit? 279
Florentinum Concilium qua ratione Pontificis Primatum exercendum declaraverit? 251
Forma regiminis Eccleſiaſtici Sæculo VIII. mutata eſt. 171
Formatarum litterarum in Eccleſia uſus. 89. 110. 137
Fratres inter ſe ſunt Papa, Epiſcopi. 21. Fratris titulo hi illum olim ſalutare conſueverunt. 445. Et ille hos viciſſim. 511
Fraternum animum haud raro exaſperant quæ à Romana Curia procedunt. 184

G

Gallia antiquæ Eccleſiæ aſylum. 550. Suorum principiorum tenaciſſima. 36. Infallibilitatem Romani Pontificis rejicit. 66. Auctoritatem Concilii ſupra Pontificem conſtanter ſuſtinet. 36. Romanas appellationes ante Iſidorianas Decretales non agnovit, nequidem in cauſis Epiſcoporum. 268. 274
Gallicanæ Eccleſiæ libertates 233. Vid. *Libertates*.
Germani non cœcam obedientiam, ſed rationabile obſequium Pontifici præſtant. 603. Acceptant deciſiones Concilii Baſileenſis. 66. A Romanis inſigniter gravantur. 629 Declarant ſe ipſos ſublaturos gravamina, ni à Pontifice tollantur. 385. Per Conſilium Imperiale aulicum obviant abuſibus Romanæ Curiæ. 619. 630

Germanica Eccleſia ad reformationem minùs diſpoſita eſſe creditur . 577
Græcano Schiſmati tollendo Rom. Pontifices multùm laboraverunt , 543. An & quæ ſpes reunionis ſuperſit ? 544. Græca Eccleſia infallibilitatem Papæ non admittit . 65
Græci non tenentur legibus Diſciplinaribus à Concilio Tridentino latis . 230
Gratianus in ſuo Decreto fictas ab Iſidoro Decretales penitus adoptat . 518. Hæc Collectio à falſis nondum purgata eſt . 519
Gravamina Curiæ Romanæ ruinas , deſtructiones , & ærumnas per orbem Chriſtianum cauſant . 385. Summo Pontifici odium concitant . 463. in Romana Curia perpetuantur . 639. Adversùs eorum exceſſum Galli remedium eſſe dicunt *Fugere aut fugare* . 464. Remonſtrationes pro eorum emendatione cum moderatione faciendæ . 597. 637. Hæ ſi non juvent , ad Concilium eundum eſt . 638
Gregorii M. Epiſtolæ Romano Pontifici univerſalem juriſdictionem tribuere videntur , ſed effectivè non tribuunt . 255. ſeqq. 444
Grex in Eccleſia unus eſt , ſed plures hujus gregis Paſtores . 121

H

Hæreſum quæ ſint cauſæ ? 409. 412. 542. Quibus mediis extinguantur ? 124. 337. Ibi damnandæ ubi naſcuntur . 105. Qualiter eis interim , & uſque dum in Conciliis Generalibus finaliter damnentur , occurratur ? 349. Hæreſes Lutheri , & Calvini , prout nunc res ſunt in Eccleſia Catholica , non extinguentur . 541. 545. 549
Hæreticare aliquam propoſitionem , ſeu hæreticam facere quid ſit , & cui competat ? 223
Hæreticorum fraudes qua ratione detegendæ ? 60. ſeqq. Hæreticorum nomen nonnullis temerè impingitur . 68. Hæreticus non eſt qui nititur rationibus non veris quidem , ſed nondum victis. 352
Hieroſolymitana Eccleſia eſt mater omnium Eccleſiarum . 150. Hieroſolymitani Concilii œconomia . 30. Eſt norma Generalium Synodorum . 31. 32
Honoris verba , Pontificibus ſubinde data , in conſequentiam trahi non debent . 158

I

Janſéniſtæ non inveniunt præſidium in ſententia , quòd plurima pars Epiſcoporum definitioni Rom. Pontificis extra Concilium adhærens non faciat ultimatum Eccleſiæ judicium . 349
Jeſuitæ ordini Epiſcopali graves ſunt . 483. 502. Ipſis etiam Principibus metuendi creduntur . 499. ſeqq. Ejiciuntur è Gallia . 501

JESUS

JESUS Chriſtus verum, & eſſentiale Caput ac fundamentum Eccleſiæ eſt. 8. ſeqq.
Ignorantia multorum graviumque malorum mater. 562
Illiricum magis ſuberat Romano Pontifici, quàm aliæ diœceſes. 186. 258
Imperator eſt defenſor Concordatorum Germaniæ. 655. Quâ ratione hoc officium ſuum exequatur? ibid.
Index Romanus Librorum prohibitorum quouſque alibi receptus, vel recipiendus? 563. ſeqq.
Indulgentiæ non niſi ſemel in anno in quavis inſigniore Civitate dari deberent. 387
Indulta Romana colligendi Clerum lædunt jura temporalia Regum. 579
Infallibilitas Eccleſiæ probatur. 46. ſeqq. 48. Ea locum habet in & extra Generalia Concilia. 48. 55. 345. An & quatenus illa circa quemvis particularem Articulum fidei ſe quovis die exerere debeat? 347
Joannes XXIII. quas ob cauſas à Papatu per Concilium depoſitus fuerit? 430
S. Joannes Chryſoſtomus an, & qualiter appellans ſuæ Sedi à Rom. Pontifice reſtitutus ſit? 276
Iſidori ſpuriæ Decretales genuinam Diſciplinam Eccleſiaſticam everterunt. 164. ſeqq. 170. 516. 519. Ejus fraus facilem Romæ acceſſum invenit. 520. 629 Iſidorus plus mali in Eccleſia fecit, quâm Hæreſiarchæ ſimul omnes. 543. 632
Julianus Cardinalis Cæſarinus quis fuerit? 424. In Synodo Baſileenſi coram Imperatore loquitur pro juribus Concilii adverſùs prætenſiones Romanæ Curiæ. 419. ſeqq. Ejus de auctoritate Generalium Conciliorum ſupra Pontificem ſententia. 285. ſeqq.
Jura Papatûs, & Epiſcopatûs ſunt reſpectiva. 102
Juriſdictionis Eccleſiaſticæ à Civili diverſitas in fundamento atque origine. 23. Juriſdictionem ordinariam in alienas diœceſes Rom. Pontifex non habet. 134. 242. ſeqq.
Jus Publicum Eccleſiaſticum mutare non eſt in Summi Pontificis poteſtate. 238
Juſſionis verbo Pontifices quondam non utebantur. 98
Juſtinianus Imp. curam, & cuſtodiam ſacrorum ſuſtinens, ab inculpatione Romanorum vindicàtur. 534

L.

Lainez Jeſuitarum Generalis in Concilio Tridentino habebatur pro adulatore Pontificio. 37
Legatos ſeu Nuntios in regna ac provincias mittendi jus Rom. Pontifici competit. 113. Quæ horum Legatorum auctoritas? 114. ſeqq.

Leges,

Leges Eccleſiaſticæ univerſales quomodo inſtituantur? 20. 221. ſeqq. 225. 233. Subſtantiales earundem conditiones. 632. Eas Romanus Pontifex Eccleſiæ proponit 85. 103. ſeqq. 229. Novas ipſe non condit. 100. 13 221. 224. Quibus cautelis ante earum publicationem utendum? 628 In legum Eccleſiaſticarum receptione cum diſcretione procedendum. 233. Leges Papales, quæ ærarium tangunt, aut temporalia jura, planè non attenduntur. 229
Legitimatio ſuperiorum Romæ nimis facilè, & pro pecunia conceditur. 390
Leo M. Pont. Max. bonâ intentione Pontificia jura extendere ſtuduit. 522
Liberius Papa nihil addi Epiſcopatui Romano, nihil minui paſſus eſt. 100
Libertates Eccleſiæ Gallicanæ quale habeant fundamentum? 233 549. 603. Quæ, & quot ſint? 552. Etiam aliis Eccleſiis proſunt. 551
Librorum cenſura non minùs Epiſcopis competit, quàm Summo Pontifici. 565. Ea, quæ Romæ fit, quouſque conſcientias liget? 563. An Auctorem Libri infamet? 567. Illius defenſio ante Libri condemnationem audiri debet. 607
Lites in partibus terminandæ ſunt, non Romam deferendæ. 381 Romanæ collationes quotidianarum litium cauſa ſunt. 645
Liturgiæ plurium Eccleſiarum ſingulares ſunt, & à Romana differunt. 227

M

Magiſtra reliquarum Eccleſiarum qua ratione Romana dicatur? 150. 254
Magiſtrum unum in terris Chriſtus non conſtituit. 18. 65
Majorum cauſarum judicium falſæ Decretales Romano Pontifici reſervant. 15. 187
Mandata Apoſtolica de providendo quando cœperint? 461. 462. 643
Matres Eccleſiarum quæ? 146. 150
Matrimoniorum impedimenta nimis facilè Romæ tolluntur. 386
Matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt juris Divini. 449
Mendicantibus Monachis Romæ conceduntur enormia privilegia, Parochorum juribus præjudicantia. 380. Eorundem privilegia excipiendi confeſſiones ſine commiſſione Epiſcopi quomodo cœperint? 481. Diſſidia inde nata. 482. Concepta eà occaſione à Mendicantibus provocatio ad Concilium Generale. 506
Metropolitanorum eſt neo electos Epiſcopos in ſua provincia confirmare 197. Illorum auctoritas per falſas Decretales inſigniter diminuta eſt. 206
Metropolitanorum novorum creatio ſeriùs reſervatum Summi Pontifi-

Pontificis facta fuit . 210

Metus exceptionem an , & quando Pontifex adversùs acta Generalium Conciliorum allegare valeat ? 433

Monarchicum imperium an ſit reliquis perfectius ? 39. Taliſne ſit Eccleſiæ ſtatus ? 127. 136. 169. Hoc affirmant Romani . 176. ſeqq. 204. Sed nullum juris monarchici attributum Rom. Pontifici competere ſingillatim oſtenditur . 212. ſeqq. 218

N

Nuntii Apoſtolici in Gallia neque diſtrictum habent neque juriſdictionem . 458. Add. Verb. *Legati* .

O

Obedientia non ſemper involvit ex oppoſito juriſdictionem . 254. Qualis Summo Pontifici debeatur ? 593. 620. Ea SS. Canonibus attemperanda eſt . 254

Obedientiales terræ deteriore in Sacris loco ſunt quàm reliquæ . 392

Obſervantia , & uſus Eccleſiæ univerſalis ac conſtans eſt regula fidei , 338. 343. Quandonam hæc uniformitas haberi cenſenda ſit ? 339. 347

Occaſiones opportunè arreptæ ſerviunt ad recuperandam Eccleſiaſticam libertatem . 619

Odium Pontificiæ poteſtatis ad principia Romanorum commenſuratæ . 176. ſeqq.

Officialibus tot , & tantis an Romana Curia indigeat ? 470. 647. 649. Epiſcopos , & Archiepiſcopos Papæ Officiales eſſe , Romani prætendunt . 176. Sed perperam . 216.

Orbis major eſt auctoritas quàm Urbis . 21. 36. Totius orbis Epiſcopus quando , & à quo Papa primùm dictus ? 458

Ordinariorum juriſdictio variis modis à Curia Romana læditur . 386. 392

Ordines Regularium tam arctè politiceque colligati ſunt , ut publico metuendi eſſe poſſint . 499. 503

Orientis Eccleſiæ Romanum Primatum agnoſcunt . 79. 93. 96. 101. 111. Ad eundem etiam in gravioribus negotiis referunt ac recurrunt . 94. 96. ſeqq.

P

Pacis Eccleſiaſticæ unicum ac ſtabile fundamentum eſt obſervatio Canonum . 403. 410

Palii ſuſcipiendi neceſſitas , antequam Metropolitani functiones Epiſcopales obire valeant , falſis Decretalibus nititur . 168. Pallia ingenti pecuniarum quantitate cum damno Eccleſiarum redimi debent . 384 390

Paſcendi jus , & officium omnibus Apoſtolis datum eſt . 13. ſeqq. 641

Patres

Patres veneramur tanquam fidei teſtes, non judices. 60. Patrum ſententiæ Doctorum ſubtilitatibus præferendæ ſunt. 2. Eorundem agendi ratio potiùs conſideranda, quàm ſcribendi methodus. ibid. Ubi quærendus unanimis Patrum in rebus fidei conſenſus? 334. SS. Patrum honorifica dicta de Sede Romana hujuſque Epiſcopis, eorum juribus nihil addunt. 159. ſeqq.

Patriarchales in Eccleſia Sedes quinque, inter quas una Romæ eſt. 142. Patriarchalia Romanæ Sedis privilegia Juris humani ſunt. 143. Ea cum tempore creverunt, & cum juribus univerſalis Primatûs confuſa ſunt. 141. ſeqq. 627. Ad Romanum Patriarchatum quæ diœceſes pertineant? 144. 627

Patriarchæ, & Primates quale jus habeant circa ordinationem alienorum diœceſanorum? 135

Patriarchatus novi an, & qua auctoritate erigi valeant? 211

Patrimonium Petri quo tempore Romanæ Eccleſiæ acceſſerit? 172

Pecuniarum enormes ſummæ annuè Romam deportantur. 471 598. 604

Penſionibus exiles præbendæ gravari non debent. 384. Neque divitibus Clericis aſſignari penſiones ex qualibuſcunque beneficiis. 386. 388

S. Petrus non fuit Magiſter aut Præceptor reliquorum Apoſtolorum. 16. 18. Sed Præceſſor, & Primas. 12. 29. 69. Quo ſenſu converſus fratres ſuos debuerit confirmare? 41. 222 Quas Eccleſias fundaverit? 151. Ipſe, & ejus ſucceſſores non indigent mendaciis, & adulationibus noſtris. 652

Piſanum Concilium pro univerſali agnoſcitur. 401. 403

Placiti Regii legitimus, & univerſalis uſus. 598. ſeqq. 606. 653. A quovis Principe introduci poteſt. 599. 653

Plenitudo poteſtatis in quo ſenſu Rom. Pontifici tribuatur? 143. 167

Pluralitas beneficiorum, modò in Germania utcunque recepta, ex facilitate Romanarum diſpenſationum originem ducit. 383. 640

Pœnales ſanctiones Romanorum Pontificum quam vim habeant? 99. ſeqq.

Pœnitentia priûs à proprio Epiſcopo accipienda eſt, quàm pro indulgentiis Romam eatur. 455

Politicorum, & Sacrorum negotiorum in Romana Curia mixtura. 172. ſeqq.

Poſtulationes per quem de Jure admittendæ? 198

Præceſſoris, non Principis nomine à Primate Eccleſiæ utendum Chriſtus voluit. 29

Præſcriptio an, & quatenus locum habeat in Jure Publico Eccleſiaſtico? 534

Præventiones in collationibus beneficiorum quando primùm uſurpatæ? 461
Prima Sedes non judicatur à quoquam: quomodo hoc adagium intelligendum? 287
Primatus Petri in Eccleſia, 69. ſeqq. Ab hac Romanæ Sedi affixus eſt. 76. 78. ſeqq. Non tamen irrevocabiliter. 77. 82. ſeq. Fundamentum hujus Primatûs eſt bonum unitatis. 74. ſeqq. Eundem Græci agnoſcunt, & venerantur. 79. ſeqq. In quo ille conſiſtat? 83. ſeqq Genuina ejus jura 117. 125. Quid circa hæc jura de fide ſit? 126. Qua ratione olim geſtus? 97. 99. Ad modum in Conciliis præſcriptum exerceri debet 85. Non ſuſtinetur niſi per Canonum obſervantiam. 102. In Eccleſia omni modo conſervandus eſt. 620. Attamen ejus uſus debitè moderandus. 623. 650. Primatis præ reliquis officium eſt, fidei, & morum per univerſam Eccleſiam gerere curam. 110
Principes ſæculares quatenus rebus ſacris ſe poſſint, & debeant immiſcere? 582. Sunt cuſtodes Canonum. 235. Malis Eccleſiæ ferè ſoli efficacia medi tulere. 55. Ad hoc etiam ex officio tenentur. 576. Communi conſenſu Eccleſiam facilè reformabunt. 570. Quandoque recuperandæ Eccleſiaſticæ libertati obſtare creduntur. 578. ſeqq.
Privilegii jus ſibi mala conſuetudo demum arrogat. 536
Profeſſio fidei olim a Romanis Pontificibus edi ſolita. 234
Promulgatio Pontificiorum Decretorum qua ratione olim facta? 106. ſeqq.
Proponendi facultatem in Generalibus Conciliis etiam habent Epiſcopi. 313. Hujus uſum in Tridentino Legati Pontificis ex cauſis politicis impedire conati ſunt. 304
Propoſitiones aliæ piarum, aliæ prudentum aurium offenſivæ. 183
Protectio regia adversùs Papam in Conciliis quando jure petatur? 423
Proteſtantes, ſi conſequenter volunt ratiocinari, debent agnoſcere infallibilitatem Eccleſiæ. 49. ſeqq. In moribus nihil, in doctrina multum reformârunt. 63
Publicatio legum Romæ factà non habet effectum in provinciis. 230. 239

Q

Quæſtiones obſcuræ, & ancipites in Conciliis tractari debent. 105. Quæ offendiculoſas parere poſſunt contentiones, in Conciliis proponendæ non ſunt. 416

R

Reformationis quodnam ſit ſtabile fundamentum? 623. Ejus

 ſum-

ſumma eſt reductio priſtinorum Canonum . 605. Duobus modis fieri poteſt . 623
Reformationis negotium ſeriò tractandum, non ſpeculativè . 535 In pluribus Conciliis eluſa, non probat Synodi auctoritatem infirmam . 406. Ejus neglectus Eccleſiam traxit in ruinam . 536. Quibus hujus negligentiæ pondus incumbat ? 417. 424 529
Reformationes impiæ neglectæ juſtæ reformationis ultrices cauſæ ſunt . 409. 412
Reges, & Principes ſunt protectores Eccleſiæ, Conciliorum, & Canonum. 600. 605. 61 . Debent Epiſcopis protectionem pro conſervatione ſuorum jurium, & recuperatione deperditorum. 604. Add. verb. *Principes* .
Regulæ Cancellariæ an, & quam auctoritatem habeant in Gallia . & Germania ? 240
Regulares de Jure Epiſcopis ſubjecti ſunt . 487. Serior eorum exemptio an juſta, æqua, & utilis ſit 490. ſeqq. 604. Mediâ hac exemptione facti ſunt fulcrum Pontificiæ auctoritatis, ad ductum Juris Iſidoriani explicatæ . 501. 508. 596. 604. An, & quatenus poſt Tridentinum poſſint excipere Confeſſiones ſine licentia Epiſcopi ? 483. An expediat eis indiſtinctè permittere Sæcularium Confeſſiones ? 485
Relationes in materiis fidei à particularibus Eccleſiis faciendæ ad Romanam . 92. ſeqq. Ad hanc etiam referenda quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent . 92. 153. 189. Frequentiorem Relationum uſum Romani ex cauſis politicis quæſierunt . 156. Relationum jus Theodoſius Imp. etiam Epiſcopo Conſtantinopolitano indulſit . 153
Relationis, ſeu primæ ſententiæ in Conciliis Generalibus edicendæ jus Romano Pontifici competit . 303
Religioſorum Ordinum interni nævi . 504. 589
Reſervatio beneficiorum non congruit divinæ inſtitutioni . 387. 391. 528. 538. Quando, & quomodo cœperit ? 462. 465. 644 Eſt valde odioſa . 466. Horrendos generat abuſus . 645
Reſervatio certorum caſuum, & criminum quo titulo Summo Pontifici facta ? 252
Reſidentia Epiſcoporum an ſit Juris Divini ? 447. 451
Reſiſtentia adversùs mandata ſeu decreta Pontificis poteſt eſſe legitima . 124. Eſt juſtus modus impediendi mala, quæ per Curiam Rom. poſſent cauſari . 607. Forma ſeu modus talis reſiſtentiæ . 608. 613. 615. 654
Reſponſa Romanorum Pontificum ad relationes Epiſcoporum non conſtituebant jus . 154. 551. Quando, & quomodo primùm collecta ? 155. 156
Retentio Bullarum quibus caſibus obtineat ? 599. ſeqq.
Ritui Romano Innocentius I. omnes Eccleſias ſubjicere tentavit, ſed

ſed irrito conatu. 227
Romæ quare conſtitutus Primatus? 82. Romæ ſenioris Sedi Patres privilegia tribuerunt. 444
Romana Eccleſia Mater, & Magiſtra reliquarum dicitur. 87. Eſt Centrum unitatis. 88. ſeqq. 138. Suas habet prærogativas; ſed hæ ſuos habent terminos. 66. Quando cœperit vocari Curia? 156
Romanæ Curiæ abuſus, & vitia Hadrianus PP. VI. agnoſcit. 375. 629. Ejus ſcandala hæreſibus dant incrementa. 392. Inde à tempore Synodi Conſtantienſis ſtudia nationum de reformanda Eccleſia frangere conata eſt. 375. 391
Romani Eccleſiaſticis præceptis multa addiderunt, Reformati plura ſubtraxerunt. 57, 63. Illi delicatas habent aures. 521. 589. Eorum ſyſtema Politico Eccleſiaſticum in aperto errore fundatum eſt. 531. Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & antiquos ſincerosque Canones negligunt. 619. Propter quodcunque bonum Eccleſiæ non dimittunt quidquam de ſuis poſſeſſionibus. 379. Ex ratione ſtatûs etiam minutiſſimas ſcrupulosè ſervant. 560. Has etiam olim augere ſtudebant. 521. Celebrationem Generalium Conciliorum omni ſtudio impedire conantur. 377. Eorum ſtudia ad declinandam reformationem. 577. 591. In Concilio Tridentino juſtæ reformationi Eccleſiæ obſtiterunt. 370. In ſuis judiciis parum attendunt ad particularia jura & conſuetudines locorum, è quibus cauſæ Romam deferuntur. 272. Statum publicum regnorum, & provinciarum non ſatis habent perſpectum. 634
ROMANUS PONTIFEX eſt Caput Eccleſiæ. 90. 91. 93. 553. Univerſali ejus in Eccleſia Primatus ab omnibus Catholicis agnoſcitur. 78. ſeqq. Qua ratione, & quibus modis eum in Oriente exercuerit? 97. 111. Habet ſollicitudinem omnium Eccleſiarum. 91. 93. 250. Ad eum ex omnibus Eccleſiæ partibus referendum eſt. 91. ſeqq. Eſt tutor, & vindex Canonum. 98. Quomodo pro Canonum obſervantia ſuam ſollicitudinem in omnibus Eccleſiis expleat? 108. ſeqq. Præeuntis Papæ judicio multa ab Eccleſiis geruntur. 20. Ipſo diſſentiente multa ſiſtuntur. 219. In aperta fide aut morum capita præens ſequendus eſt. 103. In dubiis, & perplexis ad viam Concilii recurrendum. 104. In iis, quæ ad Synodi cognitionem pertinent, nonnunquam ſuo decreto prudenter præit. 112. Non tamen habet jus Epiſcopos in ſuam ſententiam cogendi. 352. Nec ex ſe habet jus ferendi leges univerſam Eccleſiam obligantes. 221. 239. Neque ſolo ejus judicio quæſtiones fidei terminantur. 161 Nihilominus illi proviſoriè ſtandum eſt. 86. 224. Invictus eſt dum rem ſecundum Canones gerit. 101. 112. 207. Secùs quando illis contrait. 610. Pontificis ſumma jura quæ, & quid ſint? 396.

Rom. Pontifex Eccleſiæ, & Generali ejus Concilio ſubjectus eſt. 18. 216. 219. Hujus conſtitutionibus obligatur. 216. 459. 636. Ab hoc deponi poteſt. 420. Quomodo intelligendum quod dicitur, Papam à nemine judicari? 218. 322. Papæ judicia ſubinde in Generalibus Conciliis retractata ſunt. 293. Ipſe autem de novo non diſentit quæ in ſimilibus Synodis decreta fuere. 313. Qua nihilominus ratione Pontifex in Conciliis præcipuâ auctoritate pollere, eaque confirmare dicatur? 439

Rom. Pontificis infallibilitas à multis doctiſſimis viris & integris Nationibus non creditur. 64. ſeqq. 327. 356. Illa ad decidendas quæſtiones fidei non habet momentum. 68. 396. Pontificis jura ac poteſtas ex quibus factis commenſuranda? 135. An, & qualiter Papa per ſuas declarationes juribus ſuæ ſedis dicatur præjudicare? 435

Rom. Pontifex qua ratione ſupremam in Eccleſia poteſtatem habere cenſendus ſit? 517. Non eſt Epiſcopus totius Orbis. 444. 45. 461. Quid juris, ei competat in aliorum diœceſibus? 133. 135. 228. Nulla Jure Divino in iiſdem habet reſervata. 444. Nec eſt Ordinarius Ordinariorum. 479. Neque dominus omnium beneficiorum. 467. 638. Eſt Patriarcha totius Occidentis. 142. Et Occidentalium Epiſcoporum Coriphæus. 137

Exceſſus Pontificiæ auctoritatis Eccleſiæ multùm nocet. 241. ſeqq. Quibus mediis ad exceſſivam poteſtatem Papa pervenerit? 539. Nimia affectans amiſit debita. 621. Poteſtatem in temporalia Regum ſibi indebitè aſſumit. 174. 179. 183. 609

Romanus Pontifex omnia poteſt in ædificationem, nihil in deſtructionem. 609. 612. Qui Summi Pontificis Primatum nimium extollunt, eum ludibrio exponunt. 650 Et Catholicis æque ac Acatholicis odioſum reddunt. 651. Quibus mediis legitima ejus auctoritas olim ſuſtentata fuerit? 101. Quibus hodie ſe ſuſtinere laboret? 508. Ejus decreta. Patrum decretis repugnantia, ipſo jure nulla ſunt. 387. Papæ poteſtas à Cardinalibus, & Curialiſtis in exercitio multùm coarctatur. 557

Rotæ Deciſiones an Juris vigorem obtineant? 240. Sæpe non tolerandis principiis nituntur. 177. ſeqq. 635. 651

S

Sanctitas plurium Rom. Pontificum eorum auctoritati pondus addidit, & incrementum. 149

Sanctitati non præjudicat reſiſtentia legitima Papæ facta. 596

Sardicenſis Synodi ordinatum circa Romanas appellationes explicatur. 259. ſeqq. Ejuſdem Synodi Canones Iſidoro Mercatori occaſionem dederunt Romanas appellationes in infinitum extendendi. 266

Scandalum quodcunque eſt legitima cauſa retentionis Apoſtolicarum Bullarum. 600. 608. Num ſcandalum ſit, noxas Romanæ Curiæ publicè incuſare? 397
Scheleſtrati de fucatione textûs Concilii Conſtantienſis inane commentum. 284 287 421. 601
Schiſmatis nullæ dantur juſtæ cauſæ. 548. Cautelæ tempore facti ab altera parte Schiſmatis ſervândæ. 596. Schiſmaticus quis reputandus ſit? 589 591. Schiſmatis metum Papa allegare non poteſt, ubi officium ſuum detrectat. 423. 540 Schiſmata vix aliter ſedantur quàm Principum ſæcularium auctoritate. 582. 585
SS Scripturæ non ſunt unica regula Chriſtianæ fidei. 51. Earundem interpretandarum præcepta, & modi. 2. ſeqq. 15. 16. ſeqq Illarum non rarus in gratiam Romanæ Sedis abuſus. 158
Sedes Apoſtolica pro S. Petro uſurpàtur, & vice verſâ. 208. Sedes eſt diſtinguenda à ſedente. 588. Sedium jura nec Papæ violare permittirur. 575
Sextus Decretalium, & Clementinæ à Gerſonio cenſurantur. 239
Sollicitudo univerſæ Eccleſiæ in quo ſenſu Rom. Pontifici incumbat? 42
Sophiſtæ verboſi qui? 2. 67
Sponſus Eccleſiæ Chriſtus omnem ligandi ſolvendique poteſtatem illi immediatè contulit. 27
Stylus Curiæ Romanæ ad normam Concilii Tridentini non accommodatur. 639
Sub & obreptione Romani Pontifices nonnunquam privilegia ab Imperatoribus obtinuerunt. 149
Subtractio obedientiæ eſt unum ex legitimis mediis reducendi Papam. 572. ſeqq. Ea practicata fuit in Gallia. 572. In Hiſpania. 573. Et Venetiis. 594. Suadetur etiam in Germania. 577
Superbis ſubinde utile eſt cadere in manifeſtum peccatum. 397
Superſtitionis quanta ſit vis & poteſtas? 539. ſeqq.
Synodales Relationes quid ſint? 309

T

Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ ſcandalum parit. 391
Templariorum univerſalis corruptio erat fructus exemptionis eorum à juriſdictione Ordinariorum. 506
Temporalia Regum, & principum in Decretalibus Papæ ſubjecta declarantut. 174
Theologiæ Scholaſticæ origo. 5 Poſitiva illi præferenda eſt. 4. ſeqq. Theologi Biblici qui? 6. Theologiæ modernæ nævi, 6 67. 68. 451. 5 9 549.
Traditiones Eccleſiæ ſervandæ. 56. Serviunt ad Sacræ Scripturæ interpretationem. 57. 60. ſeqq. Traditio qualiter probetur? 3. ſeqq.

ſeqq. Quis de ejus ſubſiſtentia judicet? 344. 351. Dum de Traditione Eccleſiæ quæritur, non unius Romanæ ſed omnium Eccleſiarum attendenda eſt. 106. 352

Translationes Epiſcoporum à quo tempore reſervatum Pontificis factæ ſint? 200

TRIDENTINUM CONCILIUM ſeriùs, quàm Eccleſiæ neceſſitas poſtulabat, convocatum eſt. 412. Integro decennio interruptum Pius IV. non niſi coactus reſumpſit. 511. Clauſula *Proponentibus Legatis* in eodem Concilio motus excitavit, & dedit anſam reſervationi jurium Epiſcopalium. 304. Reſervata in hac Synodo Sedis Apoſtolicæ auctoritas qualiter intelligenda? 43

Plena in eadem Epiſcoporum libertas circa res fidei. 45. Non item circa materias Politico diſciplinares. 41. 374. 413. 638. Multùm abeſt, ut per ejus Canones Diſciplina ſacra ex integro reſtituta fuerit. 369. Romani in eadem reformationem ſuæ Curiæ omni ſtudio declinârunt. 370. ſeqq. 391

Concilii mens non fuit Romano Pontifici abſolutum in Eccleſia imperium tribuere. 45. 252. Quinimo illud ſuperioritatem in eum actu exercet. 289. Attamen in multis diſpoſitionem Iſidorianarum Decretalium ſequitur. 43. 204. Hinc pro ſuſtinendo in Eccleſia Monarchico ſtatu allegari non poteſt. 533

Quid in eo actum ſit circa quæſtionem de forma regiminis Eccleſiaſtici? 34. ſeqq. Quid de tollenda Regularium exemptione? 488. Malis ab hac exemptione provenientibus tulit remedium inſufficiens. 505. Multa ſalubérrimè conſtituit, quæ Romæ non attenduntur. 639. Hoc Concilium, contra morem omnium præcedentium, ſuorum Decretorum Confirmationem à Rom. Pontifice poſtulat. 310. Id quomodo intelligendum? 312. Ejus protectio, & executio Regibus, & Principibus ſæcularibus commendatur. 602. In Gallia neċ publicatum, nec univerſaliter receptum eſt. 231. In aliis regnis ſub variis modificationibus recipitur. 231. 634

U

Venetarum Reſp. etiam in medio bello cum Papa Paulo V. in ejus communione perſtitit. 592. ſeqq.

Veritas præ pietate in tradenda fide ſectanda eſt. 548

Veroniana fidei regula quæ ſit? 342

Vicarius JESU Chriſti qua ratione Summus Pontifex dicatur? 147. 151

Vicariorum Pontificiorum reſtricta poteſtas. 115. ſeqq. 187

Viennenſe Concilium: quid in eo circa reformationem Eccleſiæ ab Epiſcopis propoſitum? 528

Unitas in Ecclefia eſt finis Primatus. 74. ſeqq. 84. Sine Unitate Eccleſia nequit ſubſiſtere. 46. 54. 58. 61
Univerſalis Epiſcopus Papa in falſis Decretalibus dicitur. 165
Univerſalitas, & conformitas ſententiarum in Eccleſia unde dignoſcatur? 347
Vota majoris partis Patrum in rebus fidei non faciunt deciſum, ſed unanimitas requiritur verè aut quaſi talis. 340. ſeqq.

Z.

Zizania, quæ in Eccleſia ſuccreſcunt, non debent impedire fidem, caritatem, & unionem. 621

ADDITIONES ET EMENDATIONES

QUIBUS

JUSTINUS FEBRONIUS J. CTUS

NOVISSIMAM IMPRESSIONEM SUI OPERIS INSCRIPTI

De Statu Eccleſiæ, & legitima Poteſtate Romani Pontificis &c.

LOCUPLECTAVIT,

HIC COLLECTÆ, ET PROPRIIS LOCIS ASSIGNATÆ

Ad ſupplendas editiones Bullionenſes ejuſdem Operis Annorum 1763. 1764.

In gratiam & commodum eorum, qui prioribus illis Editionibus utuntur.

BULLIONI 1766.

APUD GULIELMUM EVERANDI.

MONITUM

Typographi noviſſimæ editionis laudati Operis JUSTINI FEBRONII &c.

LECTOR BENEVOLE.

POſtquam prima hujus Operis iterata editio inſolita celeritate exhauſta eſſet, & ad ſatisfaciendum plurium votis de tertia ageretur, huncque in finem non ſolùm omnia diſpoſita, plura ad confirmationem & illuſtrationem priorum noviter addita, inſuper quædam emendata eſſent: ſed & operæ typographicæ circa illud noviter exerceri jamtum

 cæpiſ-

cœpiſſent ; ſparſus fuit per Germaniam rumor de condemnatione Febroniani Tractatus Romæ facta . Auditum non multò poſt ; Brevia Apoſtolica à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa , inſueta in ſimilibus providentia ac ſollicitudine , ad ſingulos Germaniæ Antiſtites directa fuiſſe , quibus hi interpellabantur , ut Romanam Cenſuram in ſuis diœceſibus reciperent & publicarent . Neque hìc quidem ſubſtitum eſt : Nuntiis etiam , tum ordinariis , tum uni extraordinario , commiſſum fuit , ut apud aulas Prinpipum Germaniæ hanc condemnationem , ejuſque effectum urgerent ; quod & hi indefeſſo ſtudio , & cognata Romanis dexteritate atque arte præſtiterunt ; aſt vario ſucceſſu : in aliis voti ac politici deſiderii ſui compotes facti ſunt , in aliis non item : Ab harum nonnullis pro reſponſo tulerunt , ſibi (ſic exigente juſtitia , communi bono , & chriſtiana libertate) à multo tempore fixum conſtitutumque eſſe , & ſanctè ſervatum , ut nullum librum configerent , niſi pugnantem cum orthodoxa fide , aut probis moribus ; neutrum horum vitiorum Febroniano operi , pro defenſione Eccleſiaſticæ Libertatis , & reſtauratione Diſciplinæ ſuſcepto , cum veritate objici poſſe ; ſed neque peccatum eſſe , manifeſta Miniſtrorum Romanæ Curiæ probra Summo Pontifici , & Univerſali Eccleſiæ pro emendatione denuntiare , id quod multi viri probi jam à ſæculis præſtitiſſent , ſine noxa , & nota , quamquam nondum optato cum fructu : In aliis diœceſibus ab Epiſcopalibus Reviſoribus & Cenſoribus librorum invitabantur Romani Sollicitatores , ut propoſitiones ſibi diſplicentes ipſimet quantovis exquiſito ſtudio è Febronio decerperent , ſicque decerptas (ne quæ intercurreret infidelitas) cum reliquo Operis contextu collatas , permitterent virorum non præventorum judicio , æſtimaturorum , num eædem propoſitiones in eo , quo prolatæ ſunt , id eſt , in obvio ſenſu , cenſuram mereantur : In aliis demum provinciis , poſtquam liber uſque adeo tertiam Examinatorum , ordinariorum & extraordinariorum , cenſuram ſuſtinuiſſet , tandem Principi poſt novas , in-

indefeſſas, eaſque ut plurimùm clancularias Miniſtrorum Curiæ Romanæ ſollicitationes placuit, ſine ulteriore examine, ex cauſis politicis, Febronium prohibere.

Quidquid hujus rei ſit: cùm ad jura Principum & Epiſcoporum pertineat, dignoſcere, & ſtatuere, an & quatenus ſuis reſpectivè diœceſibus terriſque utile ſit & conveniat Pontificia Decreta & Brevia Apoſtolica acceptari ac publicari, librorum nuper editorum curſum ſiſtere, aut permittere; nullatenus verò in facultate privatorum poſitum exiſtat, judicare de juſtitia, vel valore legis per ſuum Superiorem ritè publicatæ: ideo hiſce declaramus & proteſtamur, nobis (quibus curæ ſemper fuit, ut officina noſtra non ſit irreligionis armamentarium) in animo haud eſſe, eos, quibus lectura hujus libri vetita eſt, ad eum legendum invitare; ſed triplici hac, eaque aucta atque emendata editione ſatisfacere juſtis illorum deſideriis, qui ab ejus uſu non prohibentur, quique genuinum ex eo fructum, tandem, in uberem Eccleſiæ utilitatem redundaturum, percipere poſſunt; quorum haud dubie ingens numerus exiſtit, non ſolùm in Germania, ſed & multò major in Gallia, & Belgio, ac nonnullis partibus Italiæ, è quibus judicia admodùm favorabilia de Opere Febroniano prodierunt.

Monendi interim veniunt Lectores, ne ab ipſa quidem Roma, in Brevibus hac de re ad Epiſcopos datis, prætendi, aut aſſeri, quaſi aliquid catholicæ Fidei adverſum contineatur in Febronio; totum Diſciplinæ negotium eſt: Circa quam an ea conſilia, quæ ille hodie repetit, frivola ſint, & à perverſis hominibus aliàs propoſita, judicent, quibus eſt juſtitiæ, æquitatis, & boni communis amor, veri notitia: An ille Apoſtolicam Sedem non ſtabilire magis laboraverit quàm evertere, edicant, quibus incognitum haud eſt, in quo genuina hujus Sedis firmitas conſiſtat, & per quod illa ſuſtineatur, ſcilicet an fideli ſacratiſſimorum Canonum obſervantia, an continuis horum tranſgreſſionibus: An ille, qui Miniſtros Romani Pontificis ad obediendum Eccleſiæ & ſanctis ejus inſtitutis aſtringi op-

ta-

tavit, ad concitandum Sanctæ Sedi contemptum ſcripſerit, dignoſcant, quos non latet differentia inter Sedem & Curiam, quæ duo cum tanto illius damno identidem confundere nonnulli ſatagunt: An denique ad ſuffodiendum fundamenta Eccleſiæ, quam Petro tanquam Petræ ſuperædificatam dicunt, evulgatus ſit Febronianus liber, exiſtiment, qui ex diligenter lectis SS. Patrum ſcriptis & Catholicorum Theologorum libris noverunt, quàm incertum ſit, an aliam, præter ſe Ipſum, Petram Chriſtus ſignificare, aut quid veriùs per hanc indicare voluerit, cùm de ſacræ ſuæ Domus fundamento & ſtructura loqueretur; quàm proinde infirmum ſit quidquid ex dubio illo, à Romanis toties quidem propoſito, attamen ſemper controverſo principio, pro inſtruendis Catholicis & revincendis Hæreticis, erui intenditur. Neſciunt ſanè, quantum honoribus & juribus Primæ Sedis detrahant, qui, ut illa ultra condignum urgeant, ea planè incertis ac lubricis fundamentis committunt, quando certa ſolidaque proſtant, quibus illa tutò innitantur.

Conſultum nobis inſuper fuit, ut huic editioni ſubnecteremus Refutationes nonnullorum opuſculorum criticorum, quæ adversùs Febronium hactenus edita ſunt. Creduntur illæ tales eſſe, ut viam facilem monſtrent iis, qui ad enervanda ſimilia impoſterùm forſitan proditura ſcripta anti--Febroniana calamum arrepturi ſunt; his Criticis, ubi invidiæ, calumniæ, & odii Theologici larvam detraxeris, parum frontis ſupererit. Præter has Vindicias nullæ aliæ ad officinam noſtram delatæ ſunt. Sed neque in commercio librario hucuſque viſa fuere alia ſcripta Febronii oppoſita; ſi abſurda illa, atque uti Catholicæ Religionis majeſtate, ita & omni ſeria reſponſione penitùs indigna folia cujuſdam, qui ſe dicit, neſcio cujus Ordinis, Equitem, excipias, quæ in Tabernis cereviſiariis avidè excipiuntur, & compotatores mirificè recreant. IV. Idus Decemb. an. MDCCLXIV.

ADDI-

ADDITIONES ET EMENDATIONES

Excerptæ a Noviſſima Editione Operis

JUSTINI FEBRONII J. CTI &c.

UTraque editio Bullionenſis *annorum* 1763. 1764. *conſtat iiſdem paginis , quapropter ſingulis utriuſque paginis , quæ hic ſupplendæ indiſcriminatim notantur , exactè conveniunt* Additiones & Emendationes *excerptæ a noviſſima editione anni* 1765. *Igitur* .

Ad pag. 13. *Præfationis ante §. Nemo Chatolicorum &c. adde* .

Quid pacem provinciarum & populorum tranquillitatem per motus Religionis & Eccleſiarum diſſidia turbari memoro ? Ne Principis quidem ſolium ſatis firmum eſſe adverſùs hos turbines ; neque omni Prætorianorum militum vigilantia ipſorummet Regum vitam contra furorem ſicariorum , quos in Religionis diſcordia ſuperſtitioſus improbuſque Zelus armavit , ſat validè defendi , vel ſola Gallia (ut de aliis regnis nil memorem) probarunt funeſti exitus Henrici III. & IV. Quinimo infame illud monſtrum , quod anno 1757. ſtricto & infixo pugione , in pretioſiſſimam vitam Ludovici XV. attentavit, in juridico examine (quod eodem anno Pariſiis impreſſum eſt) declaravit , ſe ad horrendum hoc facinus motum eſſe in conſideratione diſſenſionis , quæ eo tempore vigebat inter Parlamentum ex una , & Archiepiſcopum Pariſienſem ex altera parte circa effectus & ſequelas Conſtitutionis *Unigenitus* : Unde pro parte Archiepiſcopi & ex ejus mandato denegationes Sacramentorum & ſepulturæ ; ex parte Parlamenti ſæpe iteratæ ad Regem remonſtrationes , ſed omnes infructuoſæ ; ex quibus ſecuta Parlamenti primùm vocatio , dein relegatio ; ac denique graves ex his omnibus populorum afflictiones publicæque querelæ , quas fanaticus ille temerario auſu ſacrilegaque manu vindicare voluit .

Ad pag. 2. *Capitis primi ante notam* (1.) *adde* .

Non dimittimus ex oculis & animo monitum Venerabilis Guiberti de Noviginto Scriptoris Sæculi XII. Commentario in Geneſim *pag.* 19. *col.* 1. ubi : *Nuſquam periculoſiùs erratur , quàm ſi à re-*

regulis & ſemitis Patrum veterum recelatur. Teneatur ergo eorum uſquequaque ſententia, qui de ſacri eloquii obſcuris qualiter eſſent inquirenda, ſcripſerunt.

Ad pag. 3. *in fine notæ* [1.], *quæ finit = decreta fidei, adde.* Cum quo conferendus Gratianus *diſt.* 37. *Can. XIV.*

Ad pag. 6. in fine addantur notæ ſequentes.

6) Lutherus, ut Theologorum ſcholas ignominioſè traduceret, Theologiam Scholaſticam eam eſſe definivit, *Quæ à Pariſienſium Sorbona mixtione quadàm ex Divinis eloquiis & Philoſophicis rationibus, tanquam ex Cantaurorum genere, biformis diſciplina conflata eſt.* Hanc certè abſurdam ab omni ſana & catholica Theologià alienam methodum quodammodò imitantur, qui divinarum inſtitutionum auctoritatem (quarum unica propemodùm ratio, unica lex eſt revelatio, & Dei voluntas per traditionem declarata) ad calculos, ſive laqueos Dialecticos, aut Metaphyſicos contrudere; atque offuſo minutiarum ſcholarium pulvere ita obducere laborant, ut illuſis mortalium animorum oculis tantarum rerum majeſtas ſplendorque obſcuretur, ac vileſcat. *Miſerum Ariſtotelem!* inquit Tertulianus de Præſcript. cap. 7. *qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi, verſipellem in ſententiis &c.* Miſeros denique fideles, quibus iterum hac Apoſtolica cautione opus eſt: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Ad Coloſſ. cap. 2. ℣. 8. *Credimus piſcatoribus, non dialecticis,* inquiebat S. Ambroſius Lib. I. de Fide cap. 13.

7) Traditione antiqua, & perpetua Eccleſiæ conſenſione niti debent rerum Theologicarum & Canonicarum, veræque Sophiæ Myſtæ; eò totam animi aciem impendere, ut quidquid ibi deprehenderint, pro certo ſinceroque habeant; quidquid illinc alienum viderint, pro novo & peregrino averſentur, quicunque hominum, quocunque nomine prædictorum reclament, vel in alios tramites abierint, nòn enim hominum judiciis vel arbitriis ſtant Dei placita, ſed divina Chriſti Apoſtolorumque traditione, incorrupta Eccleſiæ propagine ad nos delapſa, & ad finem orbis, atque ad ipſum uſque cœli aditum propaganda. *Verbum* enim *Domini manet in æternum*, neque *apex unus aut jota unum* deficere poterit, quantumcunque homines aut mundus ipſe deficiat. Inter locos Theologi-

cos

eos hic ordo ſervandus eſt, ut primus detur *S. Scripturæ*, ſecundus *Traditioni*, tertius *Rationi humanæ*. Duo priores inter ſe nunquam diſcordant; tertius cum prioribus non ſemper conſpirat.

8) Prudens, atque diuturna experientia firmatum eſt judicium Gregorii Zallwein, Rectoris magnifici in Univerſitate Saliſburgenſi, *Princip. Juris Eccleſiaſt. Tom. II. Quæſt. 2. cap.* 1. §. 5. hoc nempe: „ „ Thologiæ Scholaſticæ ſuam quamcunque laudem non invidemus, ne- „ que omnem utilitatem abrogamus: id tamen confidenter aſſerere „ non dubitamus, Religioni, & Eccleſiæ Catholicæ non ſat conſul- „ tum iri, & quod magis eſt, illius fundamentum noſtris tempo- „ ribus facilè ſubruendum, niſi fortioribus ſuſtententur argumentis, quàm „ eidem à Theologia Scholaſtica ſuppeditantur. Noverint iſta „ illi, quibus argumenta Acatholicorum, queis noſtram Eccle- „ ſiam impetere ſolent; vel mediocriter ſunt perſpecta. „ Scilicet experimento conſtat, ſeu ſcriptis ſeu viva voce editis diſputationibus accendi potiùs hæreticorum animos, quàm ſanari. Econtra hiſtoria dogmatum, inſtitutorum Chriſti, & quarumcunque rerum Eccleſiaſticarum per Apoſtolorum traditiones, Eccleſiæ praxes, & Patrum ſenſus, fideliter propoſita, cùm ſe in animos legentium placidiùs inſinuet, faciliorem de iis victoriam refert. Quod ſuo tempore doluit Melchior Canus *Lib. IX. cap.* 1. id forte adhuc hodie in multis dolendum eſt, ſcilicet. „ „ Quo tempore, adverſùm ingruentes ex Germania hæreſes opor- „ tebat ſcholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, eo nulla „ prorſùs habebant, niſi arundines longas, arma videlicet levia „ puerorum . . . . *Et poſtea*: „ Malè valent ij de re Theo- „ logica aut ſcribere aut diſputare, qui ſacros Libros, Apoſto- „ lorum Traditiones, Conciliorum dogmata, Juris Pontificii decre- „ ta, ſanctorum veterum doctrinam ignorant.

9) Abſit, ut per hoc omne, quod *à Ratione* ducitur, argumentum ab interpretationibus noſtris removere velle videamur. Illam utique rationem, omneque illud ratiocinium libenter amplectimur, quod à Spiritù divini verbi, ſcripti vel traditi, quod a ſenſu genuinorum Canonum ducitur; non, quod hinc ex Ariſtotelis placitis, & tribus ejus formis Statùs politici, illinc ex ordine & diſciplina ſacri cœtus à Chriſto ad fines ſupernaturales collecti, malè conflatum, ad Centaurorum genus pertinere non immeritò creditur: Non, quod à *Majori*, aut *Simili* deducitur, quippe qui argumenti modus in judiciis fidei, &

Eccleſiæ plerumqne fallit ; exemplum è multis unum damus *cap. IV. §. 1. num. 5.* Fides & Inſtituta divina non tam ex naturali habitudine aut proportione rerum , quàm ex revelatione ac Dei conſtitutione ſpectantur ; neque humana ratione hæc ſtant , ſed auctoritate ſuprema , & Patrum traditione *Diſt. XXXVII. Can.* 14, Argumentum à *Naturalibus* ad *Eccleſiaſtica* æque parum quadrare , apparebit ex iis , quæ *cap. II. §. 5. num.* 1. & *Cap. VII. §. 7. num.* 10. tradituri ſumus .

10.) Sed neque certis quibuſdam diſtinctiunculis , in Philoſophorum ſchola enatis , quæ ad ſubruendam magis veritatem , quàm ad eam aſſerendam , & ferè ſolùm ad declinandam convictionis confeſſionem , atque ita ad perpetuandas ſcholaſticas diſputationes inventæ ſunt, hic locus concedendus eſt . Sic (quod modò pro exemplo ponimus) qui ex ſcriptura & Traditione , infinitis modis ſe manifeſtante , convicti eſſe debent , à Chriſto inſtitutum Epiſcopatum , ſuaque ei ab illo jura attributa fuiſſe (de quo nos toto *Cap. VII.*) pulchrum quid & ſolidum ſe inveniſſe exiſtimant , ſi ad firmiſſimorum horum principiorum everſionem , ſeu veriùs eluſionem , ſcholaſticam illam diſtinctionem inter *mediatè* & *immediatè* in medium proponant . Idem eſt de diſtinctione inter vim *directivam* & *coactivam* , qua nonnulli Scholaſtici utuntur, dum quæſtio proponitur , an Pontifex ligetur Canonibus , de qua ex inſtituto agemus *Cap. V. §. 5.* In eandem ſortem conferenda venit diſtinctio Bellarmini per verba *directè* , & *indirectè* , quando non auſus cum BONIFACIO VIII. gladium Regum temporalem *directè* ſubjicere gladio Pontificis ſpirituali , adinvenit ſubjectionem *indirectam* , cui eosdem effectus tribuit , quæ directè , ſi ea vera eſſet , competerent . Sunt hæ revera *pugnæ verborum* , prætereáque nihil . Otto Truchſeſſius Epiſcopus Auguſtanus & Cardinalis inter alias ſtudiorum Leges, quas ſuæ Academiæ Dillinganæ præſcripſit , hanc ſapientiſſimè poſuit : *Qui Teologica tradunt , ſemper meminerint verborum Pauli , quibus monet , vitandas eſſe inutiles diſputationes & pugnas verborum , & quidquid ad ædificationem non conducit .*

11.) Sunt inter Theologos docentes , qui ex inſtituto profitentur in materiis Jus Publicum Eceleſiæ concernentibus principia Italica , eademque obtrudunt diſcipulis quarumcunque nationum , velut in id conducti , ut libertates ac prerogativas regni, vel patriæ , à qua aluntur , ſupprimant , aut ſenſim ignorari vel negligi faciant . An à talibus Doctoribus inſtituentur viri , qui in Eccleſiaſticis aliquando poſſent utiliter ſervire in aulis , & Epiſ-

copo-

coporum conclavibus ? Nonne eorum principiis imbuti laborabunt contra proprias aras focósque ? Et quales ex his ſcholis aliquando prodibunt Theologi ad futurum fortè generale Concilium mittendi ? Quis horum poterit aut audebit loqui de reſuſcitandis è pulvere Decretis Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, quæ olim Germanis & Gallis peræque chara fuerunt ? Quis pro libertate Eccleſiæ Germanicæ ? Quis pro ſalute totius Eccleſiæ Catholicæ, quandoquidem hæc per medium reformandæ Curiæ Romanæ procuranda veniret ? Quam rem quoties conſidero, miſeram vicem doleo certarum, imò ferè omnium, per Germaniam Univerſitatum. Unicum in his anguſtiis ſupereſt ſolatium; quòd plurima in his Academiis diſcantur in ſpem futuræ oblivionis. *Neſciunt neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt*. Utinam viri illi ſequerentur egregia monita Cancellarii Gerſon *Opp. Tom. I. col.* 122.

12.) Quos effectus protulerit, per Germaniam miſſio frequentior juventutis ad Univerſitatem Bononienſem, nôrunt eruditi Rei literariæ iuridicæ: quid verò intereſt, utrùm accedantur à peregrinantibus Italicè docentes, an ab his commorantibus ubique per Germaniam iisdem principiis imbuantur non peregrinantes Germani ? Qui ex his inferret: ergo juvenes ad Acatholicorum Univerſitates mitti debere, malè utique ratiocinaretur; benè verò concluderet; qui Catholicorum in Germania Academias emendandas eſſe ſtatueret.

13.) Multa Capitula Corporis Juris Canonici, etiam illuſtres materias concernentia, debentur INNOCENTIO III. Quantus, & qualis hic ſit in iisdem ratiocinator, quàm exoticus ſacrorum textuum interpres, aut ſaltem applicator, prudens quisque lector reperiet, & probant exempla per præſentem Tractatum ſparſa. Præſtitiſſet Eccleſiæ, hunc Pontificem nec tam juvenem electum fuiſſe, nec (quod ad rem præſentem reflecto) ſtuduiſſe Bononiæ; imò & Pariſiis, ubi ſpeculativismus Theologicus velut negotium perambulans in tenebris, & mirabilibus ſupra ſe, jamtum regnaverat. Vid. ſuprà *n.* 5.

14.) Quod de miſera *Theologiæ* facie hactenus notatum eſt, idem & in *Jure Canonico*, obſervavit Bened. Oberhauſer in Prælectionibus Canonicis *pag.* 18. *§.* 8. Ubi poſtquam dixiſſet, circa tempora JOANNIS XXII. magnam fuiſſe diſciplinæ remiſſionem, addit, antiquos Canones, niſi qui Decreto eſſent inſerti,

 ferè

ferè ignoratos jacuiſſe, & in ſcholis regnâſſe, neſcio quam Sophiſticam, quæ mille modos eludendi Canonum vigorem argutis mentibus ſuppeditabat. Quod utinam etiam de noſtris temporibus dici non poſſet!

Ad pag. 9. in fine notæ 2. addatur.

. . . . Nec ſunt contemnenda quæ in hunc ſenſum ſeculo XII. ſcripſit venerabilis Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis ſermone IV. in Dominicam Palmarum Opp. pag. 374. edit. an. 1708. *Eccleſia parva eſt per exiguitatem electorum, non ob multitudinem vocatorum. Licet autem ſit parva, inexpugnabilis tamen eſt & invincibilis, quia firmamentis eſt munita. Fundamentum enim tenet in petra, id eſt in Chriſto.* Petra enim erat Chriſtus. *Unde ad Petrum Dominus ait*: & ego dico tibi quia tu es Petrus, *à me petra ita dictus; & ſuper hanc petram, à qua tu diceris petrus, ædificabo Eccleſiam meam.*

Ad pag. 13. in fine notæ 6 ante §. III. addatur.

7.) Admittamus tamen interim eorum interpretationem, qui in textu Matthæi PETRUM per *fundamentum* Eccleſiæ deſignari aſſerunt: demus etiam, fundamentum eſſe fixum & inconcuſſum; an non ex alio capite moles ædificii poteſt corruere? Quid ſi lapides angulares non adeo firmo nexu conglutinati diſſolvantur? Quid ſi compago rumpatur? Sicut ſine fundamento nec conſurgit nec ſtat ædificium, ita ſine ædificio fundamentum non meretur nomen fundamenti. Ut ergo Eccleſiæ ædificium ſit firmum & immobile, neque portæ inferi adverſus illud prævaleant, talis requiritur inter fundamentum & ædificium conglutinatio, qua omnis partium diſſolutio præcaveatur. Sanè ſolum fundamentum non ſuſtentat ædificium, niſi reliqua compages & ſuperſtructa moles debitè ſit coordinata, ſuíſque lapidibus angularibus ſuffulta; imò ipſa ſoliditas & immobilitas fundamenti à mole ſuperſtructa ſuam mutuat conſervationem quatenus effodi & deſtrui nequit, quamdiu eidem moles edificii incumbit. In eo ergo ſenſu PETRUS dici poteſt eſſe *Petra* & fundamentum, quatenus niſi ſtructura Eccleſiæ eidem innitatur, atque indiſſolubili conglutinatione eidem conjungatur, facile ſit caſura in nihilum; non verò in illo, quaſi ſola *Petra* tanquam fundamentum, etiamſi moles Eccleſiæ illi ſuperædificata ſuis etiam lapidibus angularibus deſtituatur, ſuóque fundamento nexu indiſſolubili neutiquam cohæreat, nihilominus illius immobilem firmitatem ſuffultiat. Itaque immobilitas

hujus

hujus fundamenti inde præcipuè habetur, quòd Chriſtus ſe ita ſuæ Eccleſiæ proviſurum promiſerit, ut quoties illius neceſſitas id exigit, inter Pontifices & Corpus Epiſcoporum ſumma ſemper concentratio & confœderatio ſit futura. Prudentes hæ ac moderatæ reflexiones quæ ſunt Greg. Zallwein *cit. Tract. Tom. I. Quæſt.* 4. *cap.* 2. *§.* 4., prætenſo Romanæ Eccleſiæ monarchico ſtatui æque parum relinquunt locum, ac illæ antiquorum interpretationes, quas hactenus tradidimus.

8.) Quod ſic, nec malè, docet vir clariſſimus, etiam experientiâ firmat: hoc, inquit, edocti ſumus, quòd quamdiu non fuit concentratio inter Pontifices & Concilia, tamdiu nulla fuerit pax in Eccleſia, neque cotroverſiæ, lites & cauſæ hæreſum terminari potuerint, uſque dum cum Pontifice ſe Eccleſia, & Pontifex ſe conjunxerit cum Eccleſia. Cauſa Rebaptizantium & Quartodecimanorum finiri non potuit, uſque dum Eccleſia in Concilio Nicæno congregata ſuo calculo Pontificum judicio acceſſit. Cauſa Trium Capitulorum citiùs finem obtinere non potuit, donec Vigilius Papa cum Patribus Concilii Conſtantinopolitani II. & hi cum Vigilio in unum conſpiraverint.

Ad pag. 14. *poſt not.* 3. *addatur*.

4.) Quoad hos ſimilèsque ſacros textus nunc generatim obſervâſſe ſufficiat, ex ea Scripturæ ſententia, quam SS. Patres aliique primæ notæ Tractatores Eccleſiaſtici varios in ſenſus, ſalvâ hinc inde veritate fidei, exponunt, *firmum* pro uno ſenſu, aliis excluſis, erui non poſſe argumentum. Unde confidenter concludimus, Romanorum ſententiam, attentis diverſis illis interpretantium judiciis, quorum etiam plurima pars illorum prætenſionibus non favet, in Sacris Litteris ſolidum non invenire præſidium; proinde eorum deſideriis, quoad certiora attulerint, hac in parte in Epiſcoporum aliorumque gravamen & præjudicium concedendum non eſſe.

Ad pag. 17. *poſt notam tertiam, quæ finit* Novum Teſtamentum *adde*.

4.) Tournelius *Prælect. Theol. de Eccleſia Tom. II. pag.* 201. Bellarminum quodammodo excuſare conatur, ex quo Eccleſia nuſquam declaraverit, interpretationem alicujus textûs Scripturæ eò ipſo illegitimam eſſe ac rejiciendam, quòd non ſit ex communi Patrum conſenſu; alioquin, inquit, ſequeretur, ex inumeris Scripturæ locis nihil theologicè colligi poſſe, cùm pauca ſint,

quæ

quæ SS. Patres varii variè non explicaverint. Verùm quanquam hoc in pluribus admitti valeat, in iis tamen tolerandum minimè videtur, in quibus mens Tridentini circa Scripturarum interpretationem tam *apertè* violatur, ut ſi tali modo privato ſpiritu [ex quo tanquam ex perenni fonte errores propè innumeri emanârunt, & Dei Eccleſiam conturbârunt] in ſacros textus, neglectâ Patrum expoſitione, debacchari liceret, tam eſſet facile ex iisdem locis, queis Bellarminus hìc utitur, unumquemque alium Epiſcopum, imò & laicum ſupra Eccleſiam ponere; quo nihil eſt abſurdius.

In fine pag. 21. *Adde*.

4.) *Monarcha*, juxta Petavium Lib. III. de Eccleſ. Hierar. cap. 15. *eſt cui regendi, gubernandi, imperandíque ſuprema & ultima poteſtas ineſt, à qua Magiſtratuum omnium authoritas manat, diſperſa per ſingulos, & ad eam tamquam fontem revocatur*. Si ſic Chriſtus plenitudinem regiminis Monarchici in Petrum transfundere voluit, mirum eſt, quòd Apoſtolos ad eum non miſerit, ut ab ipſo ſuam poteſtatem reciperent; cùm inter eſſentialia ſtatûs Monarchici ſit ut ab ipſo Monarcha omnis poteſtas in inferiores derivetur. At non ſic Chriſtus: ipſe ſingulari & immediatâ vocatione vocavit Apoſtolos; ipſe eis ſuum officium aſſignavit; ipſe poteſtatem contulit; ipſe dixit: *Ite & prædicate*, *Quorum remiſeritis* &c. *Ecce ego mitto vos* &c. *Quos Epiſcopos poſuit regere Eccleſiam Dei*. Sed de his pluribus agemus *cap. VII.* §. 1.

Ad pag. 24., *notæ* 1., *quæ finit* Miniſter, *adde ſequentia*.

Cum præmiſſis conferenda ſunt adhuc alia Tridentini loca, nempe Seſſ. XIV cap. 5. de Confeſſione, ubi: *Neque enim per Lateranenſe Concilium ECCLESIA ſtatuit*. Hìc Eccleſia diſtinguitur à Concilio, alioquin Concilium ſtatuiſſet per Concilium, quæ nugatoria foret propoſitio. Tum Seſſionis XXV. Decreto de Purgatorio: *Cùm ECCLESIA CATHOLICA Spiritu Sancto edocta ex ſacris literis & antiqua Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſimè In hac œcumenica Sinodo docuerit, Purgatorium eſſe*. Hic quoque Eccleſia diſtinguitur à Concilio, tanquam repræſentans à repræſentato. Particula *in* locum ſignificat, in quo Catholica docet Eccleſia. His addendum quod in Tridentinæ fidei profeſſione à Pio IV. editâ ſic habetur: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater ECCLESIA*,

cujus

cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto. Si Sanctæ Matris Eccleſiæ eſt judicare, hæc judicandi poteſtas illi à Deo collata eſt, quam per ſuos miniſtros exercet. Omnes hæ locutiones in Bellarmini & ejus diſcipulorum opinione non intelliguntur, verùm probè intelliguntur in ea Patrum ſententia, quam Toſtatus optimè & luculenter expoſuit.

Ad pag. 28. in fine capitis incipientis Quam ſemel, *adde*.

Non videtur veroſimile, illum à Chriſto ſupremum in Eccleſia dominum & judicem conſtitutum fuiſſe, qui hactenus inventus eſt impotens ad terminandas controverſias, decidendas finaliter cauſas, damnandas hæreſes eo effectu, ut ab hoc judicio non daretur provocatio; eidémque omnes & *Hæretici* & *Catholici* acquieſcerent. Sanè quidquid egerat STEPHANUS Papa, intentato etiam fulmine excommunicationis adversùs Cyprianum & Patres Eccleſiæ Africanæ in cauſa Rebaptizantium: quidquid tentaverat VICTOR contra Polycratem & Patres Aſiaticos in cauſa Quartodecimanorum, controverſiam finire & cum effectu terminare non potuerunt; ſola potuit Nicæna Synodus, cui & Patres Africæ & Aſiæ acquieverunt. &c.

Ad pag, 34. poſt notam 8. addantur ſequentes notæ.

9.) Damnavit in Synodo Romana MELCHIADES Papa Donatiſtas. Non ceſſabant propterea hi à ſchiſmate & inſectatione Ceciliani; ſed malos ſe judices fuiſſe paſſos conquerebantur. Quid ad hæc Auguſtinus? Urgetne Melchiadis judicium fuiſſe peremptorium, quod retractare nefas eſſet? Neutiquam; ſed potuiſſe Donatiſtas Plenarium Concilium adire, atque in eo reſciſſionem Pontificiæ ſententiæ petere. Verba S. AUGUSTINI in Epiſtola ejus 162. hæc ſunt. *Quaſi non eis* (Donatiſtis) *ad hoc dici poſſet, & juſtiſſimè dici: Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe; reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſalis Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur: Quod utrùm fecerint, probent: Nos enim non factum eſſe probamus ex eo quòd totus orbis non eis communicat: Aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat*.

10.) *Aparius* Presbyter ab Epiſcopis Africanis gradu & communione ſummotus, ad Sedem Apoſtolicam confugit; mittuntur à

tur à ZOSIMO Papa Legati in Africam ; celebratur anno 424. Concilium Carthaginenſe ; in eo Legati Pontificii urgent appellationes ad Romanam Sedem , & decretam à Pontifice Apiarii executionem . Anne Patres Africæ detulerunt Pontificis judicio? Nequaquam : ſed reſcripſerunt ad COELESTINUM Papam , Ne ab ipſis excomunicatos in communionem ultra reciperet ; Ne Presbyterorum & inferiorum Clericorum appellationes admitteret; *quia nullâ Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ , & Decreta Nicæna ſive inferioris ordinis Clericos , ſive ipſos Epiſcopos , Metropolitanis ſuis apertiſſimè commiſerunt* . Harduini Concil. Tom. I. col. 950. En ! quomodo Patres iſti auctoritatem Pontificis Conciliorum auctoritati poſthabuerint . & judicio Papæ ſe conſtanter oppoſuerint , parati cedere Conciliorum Generalium Decretis , ſi ordinem judiciorum à Romano Pontifice conſtitutum illa noviſſent , ſecus facturi , ſi illum Univerſales Synodi ignorâſſent.

11.) Cùm *Neſtorius* Conſtantinopolitanus Episcopus hæreſim prædicâſſet , laudatus Papa COELESTINUS in Sinodo Romana excommunicationis & depoſitionis ſententiam in eum tulit . Non paruit huic ſententiæ Neſtorius in erroribus pertinax . Quamobrem Oecumenicam Synodum indixit Theodoſius Auguſtus , anno 431. EPHESI celebratam . In ea retractatur Neſtorii cauſa ; Actione primâ canonicè vocatur ad ſanctæ Synodi tribunal ; *Religioſiſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus Neſtorius* , non ſecus ac alii Antiſtites , à Patribus appellatur ; apud Harduinum cit, Tom. I. col. 1355. ſeqq Cùm verò paulo poſt ſententia in eum fertur , tum ſic loquitur ſancta Synodus : *Cum præter cætera impiiſſimus Neſtorius neque noſtræ citationi parere neque Sanctiſſimos Religioſiſſimoſque Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit , non potuimus ad eorum , quæ impiè docuit , examinationem animum non adjungere* . Et tum : *Igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus , quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit , per ſanctiſſimam hanc Synodum eumdem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum , & ab univerſo Sacerdotum conſortio & cœtu alienum eſſe definit* . Ibid. col. 1422. Ex his evidens eſt Oecumenicam Synodum ſupremum eſſe ac ultimum Eccleſiæ tribunal , ad quod cauſæ fidei & religionis , poſt Romani etiam Pontificis judicium & ſententiam , deferuntur , in eóque retractantur ac examinantur , perinde ac ſi à Summo Pontifice judicatæ non eſſent , ac tandem ita finiuntur , ut deinceps retractari non valeant.

12.)

12.) Damnavit *Eutycheten* Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cujus ſententiæ ſubſcripſit, novamque hæreſim confodit S. LEO Pontifex in celebri ſua Epiſtola ad Flavianum data, apud Harduinum Tom. II. Concil. col. 290. Sed quo effectu? non alio, quàm quòd Eutyches ad Concilium provocaverit, illudque tam à Pontifice, quàm ab Imperatore obtinuerit. Vid. Epiſt. LEONIS olim XXV. num. XL. cap. 3. Anne putabimus, Pontificem, qui ipſe hoc Generale Concilium à Theodoſio Aug. ſupplex petiit, tam facilè in illud fuiſſe conſenſurum, in quo ſua ad Flavianum Epiſtola denuò examinaretur, & ſi viſum eſſet, reformaretur? Num id paſſi eſſent Legati Pontificis in Chalcedonenſi Concilio præſentes? Num id Patres congregati auſi fuiſſent, niſi una omnium fuiſſet ſententia, ſupremum & ultimum totius Eccleſiæ tribunal reſidere penes Concilia, & in his Romani Pontificis judicium poſſe retractari?

Equidem S. LEO in Epiſt. XXXII. al. XVI. ait, evidenter apparere, *rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*; annuit tamen. At ex eo, quòd neceſſitatem Synodi non agnoverit, non ſequitur, quòd Leo crediderit ſuum judicium eſſe ſupremum, ſed id ex eo capite crediſſe cenſendus eſt, quòd putaverit hæreſin Eutychetis tam ſolidè à Flaviano convulſam, & tam accuratè diſcuſſam eſſe, ut fruſtra novo examini ſubjiceretur.

13.] Anno 553. à Juſtiniano Imperatore Synodus Conſtantinopoli congregata eſt in cauſa *Trium Capitulorum*, quæ tamen aliquoties turbata fuit, eò quòd VIGILIUS Pont. Max. intereſſe recuſaverit, licèt Conſtantinopoli tunc exiſtens. A Patribus hujus Concilii ſemel atque iterum interpellatus, ut dictam cauſam cum cæteris Epiſcopis diſceptare vellet, perſuaderi non potuit. Paulo pòſt *Conſtitutum* ſuum ad Juſtinianum dedit, quo ſuam de Tribus Capitulis ſententiam copioſe declarat, eandem probando, & defendendo, atque tandem ſtatuit ac decernit. *Nulli ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinenti licere quidquam huic de Tribus Capitulis Conſtituto contrarium conſcribere, proferre, componere vel docere, aut aliquam poſt præſentem definitionem movere ulteriùs quæſtionem*. Harduin. Tom. III. col. 46. Quo non obſtante Synodus eadem Tria Capitula damnavit; cui ſententiæ ipſe poſtea Pontifex ſubſcripſit. Si Vigilius, & qui ſententiam ipſius hac in parte ſequebantur, Occidentales Epiſcopi, Summum

Pontificem abſolutè eſſe ſupra Concilia Generalia ſenſiſſent, omni jure reclamaſſent, à Quinta hac Synodo uſurpari judicium controverſiæ à Summo Pontifice decretoria ſententia finitæ: ab ipſa temerè attentari Trium Capitulorum damnationem contra *Conſtitutum* Pontificis, cui parere deberet, utpote Summo Pontifice inferior, ſuamque ab eo mutuans auctoritatem. At talia aſſerere tum nemini in mentem venit.

Hæc pro nunc ſufficiant ad aſſerendam antiquam Eccleſiæ Traditionem in puncto prætenſi *ſtatus Monarchici*; noviora reccurrent magno numero per decurſum hujus Operis.

Ad pag. 41. *in fine not.* [6], *quæ finit* Efficit, *adde*.
„ Secundum eſt Principatus quidam & eminentia, qua cunctis „ antecellens, iis ipſis velut in arce quadam proſpiciens, conſulit „ ac moderatur. Tertium eſt vivifica vis, & communicatio gra„ tiæ auxiliorumque omnium, quæ ex largiſſima copia & plenitu„ dine per univerſa membra dimanat à Capite ...... *Et num.* 3. „ Quod equidem ſpiritualis corporis Caput, non tantùm *morale*, „ ùt vocant, cujuſmodi à pleriſque conſtituitur; ſed eatenus etiam „ *Phyſicum* appellari putem poſſe, quòd *phyſica eſſentia* (ſic „ enim nominant) gratiam producat, ùt in Euchariſtiæ Sacramen„ to, in quo Caro Chriſti in Verbo ſubſiſtens, ſanctitatem & „ gratiam in iis qui ritè digneque participant, efficit. Patres Con„ cilii Baſileenſis die 3. Sept. an. 1332. ita ad Eugenium PP. „ ſcripſerunt apud Harduinum Tom. VIII. col. 1328. *Non eſt comparandum Corpus Eccleſiæ aliis politicis corporibus Civitatum & univerſitatum: quia in medio hujus Corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit ne erret. Alia autem politica corpora humanis & variis voluntatibus gubernantur.*

Ad pag. 67. *notâ* (4) *poſt verba*: *Acta Concil. Conſtant. Tom.* 1. *part.* 5. *pag.* 172. *dele reliqua uſque in finem not.*, *& adde*.

Qualiter Germania non tantùm acceptarit declarationes, & conſtitutiones Synodorum Conſtantien. & Baſileen., circa auctoritatem Conciliorum Generalium præ Pontificia, in quacunque materia; ſed & Eugenium Papam ad eaſdem admittendas urſerit, pluribus demonſtramus infrà *cap.* 6. *§.* 16. *num.* 8. *&* 9. Hæc publica perpetuaque Libertatis Germanicæ monumenta minimè ever-

evertuntur privatis doctrinis & academicis prælectionibus quorundam Doctorum, maximè Monachorum, Romanæ Sedi adulantium, & propria in his commoda quærentium, licèt ſuprema auctoritate (quod forte fieri deberet) nondum repreſſis. Vid. *cap.* I. *§.* I. *num.* II. 12.

Ad pag. 68. *not.* (6) *poſt verba* plenoque, & perfecto eſt, *dele reliqua*, *&* *adde*.

Si ſic de ſuperioritate Pontificis ſupra Concilium judicant ex una parte Itali: ex altera multi Gallorum, viri eruditiſſimi, præeuntibus Gerſone & Card. Juliano (vid. *Cap. VI. §.* 16. *num.* 4. *&* 10. nec non *Cap. VIII. §.* 4. *num.* 2. 3. 4.) contrariam ſententiam *de fide* eſſe ſuſtinent. Noſtro judicio & hi exceſſu peccant, & illi; poteritque utriſque applicari illud SALVIANI de Gubernat. Dei Lib. V. *Apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt. Nam in tantum Catholicos ſe eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, hoc nos illis*. Periculoſa res eſt multiplicare articulos fidei ſine evidentia, & Hæreſes abſque neceſſitate. Venit etiam inter inſignes ſcholarum abuſus numerandum, quod notavit JO. LUDOVICUS VIVES celeberrimus ſæculi XVI. Theologus, ſcilicet: *quæcumque ab Scholæ placitis diſſident, ſcholaſtico Theologo ſunt hæretica; quod crimen ita vulgatum eſt, ut rebus quoque leviſſimis impingatur, cùm ſit ipſum per ſe atrociſſimum*.

Ad pag. 99. *lin.* 8. *poſt verba*, exerceri dicenda eſt. *Adde*.

Cæterùm infinita propemodum ſunt Romanorum Pontificum loca, quibus illi ſe ex Apoſtolico officio Tutores Canonum profitentur. Ex multis juvat hic referre ſequentem GREGORII VII. *Lib. II. Epiſt.* 50. *ad Sanctium Aragoniæ Regem*, ubi: „ Quod nos de cauſa Aragonenſis Epiſcopatus conſuluiſti, „ & te quodammodo velle ſignificaſti . . . . . . incongruum „ fore prævidimus, quoniam in eo Canonica Decreta nobis „ obviare cognovimus . . . . . quia venerandi Canones ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt; probare eos „ non ſatis cautum fore putavimus, ne quidquam à nobis „ contrarium ſanctis Patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur. Solet enim Sancta & Apoſtolica Sedes „ pleraque conſiderata ratione tolerare, ſed nunquam in ſuis „ decretis & conſtitutionibus à concordia Canonicæ traditionis „ recedere „ Hæc eſt accurata Sedis Apoſtolicæ deſcriptio,

 hæc

hæc digna cultu & veneratione imago , in qua quæ ſint illius munera , perſpicuè dignoſcitur . Imprimis enim quod Aragoniæ Rex & Aragonenſis Epiſcopus proponunt negotium , Gregorius , conſiderata re , incongruum , eique ſe conſentire non poſſe affirmat , & affirmationis ratio hæc eſt ; quia *Canonica Decreta obviant.* Deinde proteſtatur Pontifex , ſe , ſi id concederet in Eccleſiaſticam cautionem & prudentiam peccaturum , ibi : *Et quia venerandi Canones ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt , probare eos non ſatis cautum fore putavimus* . Præſertim cùm id à poſteris poſſet in malum exemplum trahi : *Ne quidquam* , inquit , *à nobis contrarium Sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur* . Porro quidquid Gregorius hìc diſcernit , confirmat nunquam ſatis laudanda Apoſtolicæ Sedis conſuetudine , quæ ſic habet : *Solet Sancta , & Apoſtolica Sedes pleraque conſiderata ratione tolerare , ſed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus à concordia Canonicæ traditionis diſcedere* . Si (quod optandum fuiſſet) optima hæc conſuetudo ſemper perduraſſet , non legeremus , quæ in Commonitorio , quod ADRIANUS VI. ſuo in Germaniam Legato Franciſco Cheregato dedit , dolenter legimus , ſcilicet ; „ Scimus jam aliquot annis in hac Sancta „ Sede multa abominanda fuiſſe , exceſſus in mandatis , abuſus in „ ſpiritualibus „ & omnia tum demum in perverſum mutata . „ Non legeremus , quæ in Conſilio à delectis Prælatis PAULO III. dato ſequentibus ſcripta ſunt : „ In aula Romana prodierunt „ Doctores , qui docerent , Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium ; ac ideo cùm dominus jure vendat id quod „ ſuum eſt , neceſſariò ſequi , in Pontificem non poſſe cadere „ ſimoniam .. *Item* : Abuſibus illis , quibus jam pridem Eccleſia „ Dei laborat „ & præſertim hæc Romana Curia , effectum „ propè eſt , ut paulatim ac ſenſim ingraveſcentibus peſtiferis „ his morbis „ eam in magnam hanc ruinam traxerit , quam „ videmus. &c.

Objecerat Anonymus quidam , vir ſuo modo non indoctus , Ludovico Thomaſſino hanc materiam tractanti , in hæc verba : *Faciendo Pontifices meros executores Canonum & proviſores Eccleſiæ , hoc eſt illis ſub verbis magnificis illudere* .. Huic Thomaſſinus in Reſponſionibus , quæ Tomo I. ultimæ editionis Operis de Diſciplina Eccleſiæ præfixæ ſunt , ità repoſuit *Nota XX.* „ „ Caveſis , ne ſecus vel ſentire vel loqui , fœdiſſima ſit adulatio ; Catholicis enim & piis auribus „ ſanis & ſobriis Theo-

„logis

„ logis pulchrius , optatius , magnificentius eſt , & magis im-
„ peratorium , executorem eſſe legum & Canonum , quàm pro
„ arbitrio dominari , proviſorem eſſe publicæ rei ad conſulen-
„ dum , quàm ſolutum legibus , & ſalutis publicæ incurioſum ,
„ ſuæ unius gloriæ cupidum regnare .

Ad pag. 101. *linea* 4. *dele ſequentia ante notam* (6) *& ſubſtitue* .

Attentionem hic præprimis meretur S. BERNARDUS Lib. III. de Conſiderat. cap. 5. ad Eugenium Papam ſcribens : *Supereſt , ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua : ſi plebes clericis , ſi clerici ſacerdotibus , ſi ſacerdotes Deo in ea , qua oportet , humilitate ſubjecti ſint ; ſi in monaſteriis & religioſis locis ſervetur ordo , vigilet diſciplina ; ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat ; ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia ſacerdotum ; ſi flores fructus parturiant , obedientiam fidelium populorum ; ſi demum veſtra ipſorum Apoſtolica mandata & inſtituta ea , qua dignum eſt , ſollicitudine obſerventur , ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum , aut fraude ſurreptum inveniatur* . Per Apoſtolica mandata & inſtituta ea haud dubiè S. Bernardus hic intelligit , imò illa clarè indicat , quibus jubetur ſacrorum Canonum executio , non quibus his per privilegia derogatur in perpetuum . Hoc ſignificant verba hæc : *Ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum , aut fraude ſurreptum inveniatur* . Neutrum invenitur , ubi eſt diligens ſacrorum Canonum executio , utrumque invenitur , ubi eſt antedicta ſacrorum Canonum derogatio .

Ad pag. 104. *linea* 18. *poſt verba* judicium proferetur , *adde* .

Divina planè ſunt , & huc omino pertinent , quæ ſcripſit S. Cyprianus *Epiſt.* 71. „ Nec Petrus deſpexit Paulum , quòd Ec-
„ cleſiæ priùs perſecutor fuiſſet , ſed conſilium veritatis admi-
„ ſit , & rationi legitimæ , quam Paulus vindicabat , facilè
„ conſenſit , documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patien-
„ tiæ tribuens , ut non pertinaciter noſtra amemus , ſed quæ
„ aliquando à fratribus & collegis noſtris utiliter & ſalubriter
„ ſuggeruntur , ſi ſint vera & legitima , ipſa potiùs noſtra
„ ducamus . Cui rei Paulus quoque proſpiciens , & concor-
„ diæ & paci fideliter conſulens , in Epiſtola ſua poſuit dicens :
„ *Prophetæ autem duo aut tres loquantur , & cæteri examinent* .
„ *Si autem alii revelatum fuerit ſedenti , ille prior taceat* .

2. *Cor.* 14.

Pag. eadem ante notam (1) *adde* .

Quod hic de cauſis *Fidei* tradimus , illud quoque in materiis *Diſciplinæ* locum invenit . Sanè *Decretis Summorum Pontificum* inter Canones Diſciplinares etiam debetur locus ; ſed illis tantùm , quæ pro fundamento habent Canones ab Eccleſia agnitos , maximè Conciliares , & ad horum executionem pertinent .

Ad pag. 112. *in fine addatur nota* (6)

6.) Interim peritat quod jam dictum eſt , à Pontifice ipſo utcunque contumaces non fuiſſe depoſitos , ſed nec alia ratione punitos . Poſtquam Joannes Archiepiſcopus & Patriarcha Conſtantinopolitanus nomen ac titulum *Epiſcopi Univerſalis* (de quo nos agemus hujus Capitis § 11.) admiſiſſet , & ad ſæpe iteratas GREGORII M. admonitiones eum noluiſſet dimittere , hic illum nec depoſitionis nec alia pœna coercere tentavit , ſed ſcripſit ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum *Lib. V. Epiſt.* 43. *edit. nov.* „ Magnopere orandum eſt , & omnipotens „ Deus aſſiduis precibus implorandus , ut hunc à mente illius „ avertat errorem , hoc ab unitate atque humilitate Eccleſiæ ma- „ lum ſuperbiæ & confuſionis amoveat : Et favente Domino „ omnibus viribus concurrendum atque providendum , ne in unius „ veneno ſermonis viventia in Chriſti corpore membra moriantur . „ Si enim hoc dici licenter permittitur , honor Patriarcharum „ omnium negatur ; & cùm fortaſſe is in errore perit , qui Uni- „ verſalis dicitur , nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu ve- „ ritatis invenitur . Obteſtor ergo , ut conſtanter ac ſine præ- „ judicio ſervetis , ſicut accepiſtis , Eccleſias , & nihil ſibi „ in vobis hæc tentatio diabolicæ uſurpationis adſcribat . State „ fortes , ſtate ſecuri , ſcriptâque cum Univerſalis nominis „ falſitate , nec dare unquam , nec ſuſcipere præſumatis . Om- „ nes Epiſcopos curæ veſtræ ſubjectos ab hujus elationis iniqui- „ tate prohibete , ut univerſæ vos Eccleſiæ Patriarchas , non „ ſolùm in bonis operibus , ſed etiam in veritatis auctoritate „ cognoſcant . Siqua autem forſan adverſa ſubſequuntur , unani- „ miter perſiſtentes etiam moriendo debemus oſtendere , quia in „ damnando Generalitatis nomine noſtrum ſpecialiter aliquid non „ amamus „ Talibus mediis Eccleſiaſtico-politicis opportunè utebatur , qui in Eccleſia maxima auctoritate pollebat , juriſdictionem autem propriè talem non poterat exercere .

Ad pag. 114. *in fine notæ z. Adde ſeqq.*

Meritò igitur his Legationibus ſe ſe oppoſuerunt Reges & Principes, Archiepiſcopi & Epiſcopi: illi quidem, quia ſuis provinciis & ſubditis valde graves acciderunt; hi verò, quia eorum beneficia conferebant, & præripiebant jurisdictionem. Itaque præprimis inter Reges Angliæ & Rom. Pontifices fuit conventum, ne poſthac Apoſtolici Legati mittantur in Angliam, niſi de conſenſu Regis. Idem jus Reges Scotiæ ſibi aſſeruerunt. Celebre eſt reſponſum, quod Rex Scotiæ cuidam Legato Pontificio intrare volenti dediſſe fertur: *Non me memini Legatum in mea terra vidiſſe, nec opus eſt aliquem vocandum. Deo gratias: omnia ſe bene habent.* Exemplum recens de non admiſſo per Genuenſem Rempublicam in Regno Corſicæ Legato & Viſitatore *Cæſare Creſcentio ab Angelis* à moderno Pontifice CLEMENTE XIII. miſſo, in omnium memoria verſatur. Hanc recuſationem non fuiſſe illegitimam, defendit clar. Oberhauſer *Prælect. Canon. Lib. I. Tit.* 30. §. 18.

Pagina eàdem. Deleantur integræ primæ tres lineæ, & quarta uſque ad verbum jurisdictionem, *& incipiatur a Verbo* Tandem &c.

Ad paginam 123. *poſt lineam ſecundam addantur Notæ ſeqq.*

6.) Cùm Heterodoxi S. GREGORII M. teſtimoniis contra Romanum Pontificem abutantur, Bellarminus *Lib. II. de Rom. Pont. cap.* 31. nominis *Univerſalis* duas expoſitiones adfert, ut illorum objectionibus occurrat. Ejus verba ſunt. „ „ Reſpondeo duobus modis poſſe intelligi nomen Univerſalis „ Epiſcopi: uno modo, ut ille qui dicitur Univerſalis, intelligatur eſſe ſolus Epiſcopus omnium urbium Chriſtianarum, ita „ ut cæteri non ſint Epiſcopi, ſed Vicarii tantùm illius, qui „ dicitur Univerſalis Epiſcopus, & hoc modo nomen hoc eſt „ verè profanum, ſacrilegum & antichriſtianum; & de hac „ ſignificatione loquitur GREGORIUS, ut patet ex ratione „ quam reddit: ſic enim ait Lib. IV. Epiſt. 36. ad Eulogium: „ *Si unus Patriarca univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen „ cæteris derogatur.* Et lib. VII. Epiſt. 70. ad Euſebium: „ *Si unus univerſalis eſt, reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis.* „ Altero modo dici poteſt Epiſcopus univerſalis, qui habet cu„ ram totius Eccleſiæ, ſed generalem, ita ut non excludat par„ ticulares Epiſcopos, & hoc modo nomen hoc poſſe tribui

„ Romano

„ Romano Pontifici ex mente Gregorii probatur , quia Gregorius fatetur , tributum nomen univerſalis Epiſcopi (LEONI) Romano Pontifici à Concilio Chalcedonenſi . Exiſtimavit „ igitur B. Gregorius , in aliquo ſenſu hoc nomen Romano „ Pontifici convenire . „ Hæc Bellarminus . Igitur ſenſus ille non poteſt eſſe prior ; & qui contradiceret , in Chalcedonenſe Concilium injurioſus eſſet. Quare in poſteriore ſenſu univerſalis Epiſcopi nomen à LEONE Papa recuſatum eſſe dicendum eſt ; nam quo in ſenſu oblatum fuit , in eodem & rejectum , quandoquidem rejectum fuiſſe GREGORIUS teſtatur *Lib. V. Epiſt.* 20.

7.) Hac diſtinctione poſita , ex *Univerſalis Epiſcopi* titulo , quem Card. Bellarminus in *prima* acceptione ùt profanum , ſacrilegum , antichriſtianum Romano Pontifici abjudicat , quidem facilè probaretur , eundem Epiſcopos exuere poſſe nativis & propriis ſuis juribus *Cap. VII.* recenſebimus . Sed in acceptione *ſecunda* , in qua idem Cardinalis rectè aſſerit, quod Romanus Pontifex *habeat* quidem *curam totius Eccleſiæ ſed generalem* tantùm , nunquam probabitur , univerſalis Epiſcopi titulum excludere aut arctare particularia jura , quæ ſingulis Epiſcopis in ſuis reſpectivè diœceſibus ab univerſalibus Eccleſiæ Conciliis ſanciuntur .

Ad paginam 132. in fine Notæ 3. *Lege etiam* .
Quibus adde Petri Aurelii *Opp. Tom. I. pag.* 22. & ſeqq.

Ad paginam 133. *in fine tituli* §. 2. *adde* .
Plura quœdam devolutionis jura ſuſceperunt , quæ ad jus ordinarium minime pertinent .

Ad paginam. 134. in *fine Notæ* 3. *deletis ultimis quinque lineis adde* .

4.) Denique extraordinario quodam *quaſi devolutionis* jure ac titulo plura juſtè ſuſcipiebant ſupremi Pontifices , nimirum urgente neceſſitate , aut ſuadente manifeſta Eccleſiæ utilitate . Attamen hæc ad jus ordinarium ita trahi neque debent neque poſſunt , quaſi Pontifex ea regulariter & in quavis occurrentia in alienis diœceſibus aut provinciis agere , ſicque cum Ordinariis omnibus concurrere poſſent , ſeu eos prævenire , vel etiam , quod amplius eſt , hos ab exercitio jurium Epiſcopalium excludere . Hoc pulchrè dilucidavit Thomaſſinus *in Reſponſione ad Notas Scriptoris Anonymi* ,

Anonymi , quam ultimæ editioni ſui Operis de Eccleſiæ Diſciplina præfixit , ubi *Not. IX.* . „ Quod dixi Metropolitanorum „ auctoritati tuendæ invigilaſſe Pontifices , nec eorum vices ſup- „ leſſe , aut impleſſe , niſi inevitabili neceſſitate urgente : eo proſpe- „ ctum à me eſt Pontificum majeſtati , æquitati , ſanctitati ; „ qui ſubditorum ſibi præſulum jura tueantur , non invadant un- „ quam ; munia tunc demum ſuppleant , cùm charitas urget , „ cùm neceſſitas cogit . Si cui videtur citra neceſſitatem , prop- „ ter utilitatem tamen Eccleſiæ,aliquando Pontifices impleſſe vices & „ munia negligentium Epiſcoporum : non contendam , non ca- „ villabor , meam confitebor tarditatem , qui vel honorificentiùs „ Romano Pontifici duxerim , ſi non niſi cogente neceſſitate , quæ „ Epiſcoporum munia ſunt , ipſe aggrederetur ; vel non diſcre- „ verim utilitatem Eccleſiæ ab inevitabili neceſſitate . Ecqua enim „ arctior neceſſitas incumbere poteſt Vicario Chriſti , quàm Ec- „ cleſiæ Chriſti utilitatibus inſervire ? An poteſt videri non neceſ- „ ſarium , quod Eecleſiæ utile fuerit ? Sed eſto ſint minutiæ aliquæ „ utilitatum , quæ neceſſitatis nomine dignandæ non ſint : at Epiſ- „ copalia munia impleri , vel ab Epiſcopis , vel à Pontifice „ eorum ſupplente negligentiam , has tu exiſtimabis utilitates „ nullius aut minimi momenti ? Si permagni autem momenti „ ſunt, patere, ut donentur nomine neceſſitatis . Caveſis autem, „ ne contumeliam facias ipſe Pontificibus præter mentem tuam , „ ſi citra neceſſitatem eos dicas ſupplere defectum Metropolitano- „ rum vel Epiſcoporum . Quid enim magis diſſonum , quàm ſum- „ mum Eccleſiæ Pontificem in rebus minimè neceſſariis occupari ? „ aut invidiam conflare Metropolitanis , eorum vices implendo , „ quando minimè neceſſarium eſt ? aut poteſtatem Metropolita- „ norum (*multo magis Epiſcoporum*) imminutum ire , quando „ nulla urget neceſſitas ? Cum his conferantur quæ dicentur in- „ frà *Cap. VII. §. 3. num. 2.*

Atque hæc *PRIMA* anſa erroris , quo multa tanquam *ordinaria* jura & propria officia Primatus conſiderantur , quæ tamen *a*) vel per ſe omnibus Epiſcopis communia ſunt , vel *b*] tantùm ex præcipua Primatis obligatione aliorum defectus extra ordinem ſupplendi dimanant , vel *c*) ab illo quidem inchoantur, attamen ſuam vim & robur à ſuperveniente aliarum Eccleſiarum conſenſu , ſaltem tacito , obtinent .

Ad pag. 148. *in fine quartæ lineæ adde.*

Scilicet *eſſentiale* ac *principale* Eccleſiæ Caput eſt & manet Chriſtus, Pontifex tantùm *miniſteriale*; quæ duo ſolicitè diſcernenda ſunt. Eccleſia Corpus Chriſti eſt, non Romani Pontificis. Chriſtus Petro dixerat: *Paſce meas* non *tuas oves*. Caput miniſteriale Summus Pontifex non influit ſpiritum in Eccleſiam; hoc fit à Capite eſſentiali Chriſto per influxum chariſmatum & gratiarum. Mortuo Capite Miniſteriali vivit Corpus Eccleſiæ, Chriſtum Caput habens; & viſibili Capite ab Eccleſia ſublato aliud ſubſtituitur. Conf. *Cap. I. §. 8. num. 6.*

Ad pag. 152. *deletis ultimis duabus lineis Notæ* (4) *adde.*

Cæterùm uti Metropolitanus & decretis, quæ Provinciale Concilium edit, & ipſi Provinciali Concilio ſubjicitur, etiamſi hujus Concilii *Caput* ſit, & illi præſit: ita & Romanus Pontifex & Canonibus, quos Univerſale Concilium edit, & Univerſali Concilio ſubjicitur, etiamſi ejus *Caput* ſit, & illi præſit; quia uterque per hoc non deſinit ſui Concilii eſſe *membrum*. S. GREGORIUS M. *Lib. IV. Epiſt.* 38. (hodie Lib. V. Epiſt. 18) ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum hujus ratiocinationis materiam ſuppeditat, dum *certè*, inquit, *Petrus Apoſtolus primum Membrum Sanctæ & Univerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capita? & tamen ſub uno Capite* (Chriſto) *omnes membra ſunt Eccleſiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis aſtringam, Sancti ante legem, Sancti ſub lege, Sancti ſub gratia, omnes hi perficientes Corpus Domini, in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti.* Patres Concilii Baſileenſis apud Harduinum Tom. VIII. col. 1323. relativè ad hanc materiam ita ſcripſerunt Eugenio Papæ; „Quòd „Pontifex *CAPUT* ſit & *Primas* Eccleſiæ, *Vicarius Chriſti*, & „à Chriſto, non ab hominibus vel Synodis, aliis Prælatus, & „Paſtor Chriſtianorum: & ei datæ ſint à Domino Claves, & „uni dictum *Tu es Petrus*: & ſolus in plenitudinem poteſtatis „vocatus ſit, alii in partem ſolicitudinis, & multa hujuſmodi: „quæ cùm vulgatiſſima ſint, minimè neceſſarium erat recenſere: „Iſta planè fatemur & credimus, operamque in hoc Sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eamdem ſententiam credant. „Et nihilominus ipſum Romanum Pontificem dicimus obedire „teneri mandatis, ſtatutis, ordinationibus ac præceptis hujus „Sanctæ Synodi Baſileenſis, & cujuſcunque alterius Concilii Generalis legitimè congregati, in his quæ pertinent ad fidem, ad „extirpationem Schiſmatis, & ad generalem reformationem Ec-

„cle-

„ cleſiæ Dei in Capite & in membris, quemadmodum declaratum
„ exiſtit per generale Concilium Conſtantienſe, catholicam re-
„ præſentans Eccleſiam . . . *Et poſtea col.* 1326. . Id duntaxat pro-
„ bat, quòd omnes ſingulares homines particulareſque Eccleſiæ ipſi
„ Pontifici obedire debent, niſi in his quæ huic ſacræ Synodo
„ & cuilibet alteri legitimè congregatæ, præjudicium generarent.
„ Nam etſi ſit *CAPUT miniſteriale* Eccleſiæ, non tamen eſt
„ major tota Eccleſia: Etſi *CAPUT* ſit & principalis Prælatus
„ hujus Corporis myſtici, eſt nihilominus intra corpus; nam
„ ſi extra corpus eſſet, tunc non pertineret ad Corpus, nec tunc
„ Caput eſſet. Corpus igitur hoc totum continet, & ipſum quod
„ dicitur caput, & ſingula membra . . . . *Demum col.* 1340.
„ Dicimus Summum Pontificem eſſe *CAPUT* Eccleſiæ, & Roma-
„ nam Sedem principalem inter alias Sedes. Sed numquid dum
„ partem laudatis, obliti eſtis totius? Numquid dum unam Ec-
„ cleſiam extollitis, eam quæ univerſalis eſt, prætermittitis? Si
„ hæreticus eſt qui Romanæ Eccleſiæ primatum aufert, quantò
„ major ille hæreticus erit, qui eam Eccleſiam, in qua
„ Romana continetur & praeſt, ſuper omnes Eccleſias, &
„ omnes homines poteſtatem habere negat? Confer ſupra
„ *Cap. I. §. 8. num. 6.*

Ad pag. 164. in fine ejuſdem, adde ſeqq.

Juvat ad ſequentium intellectum & præparationem, confictarum harum Decretalium, & qua illæ ratione in orbem Chriſtianum, & Eccleſiæ diſciplinam magno ſucceſſu invectæ fuerint, primam ideam hic exhibere ex Stephani Baluzii Præfatione ad Reginonis Libros de Eccleſiaſticis Diſciplinis. In ea ſic vir doctiſſimus §. 3. „ Ævo Karoli Magni Collectioni Cano-
„ num inſertæ ſunt famoſæ illæ ac nobiles Epiſtolæ, quæ priſcis
„ Pontificibus tribuuntur, quas verò Riculfus Archiepiſcopus
„ Moguntinus à bono illo Mercatore Hiſpano comparatas in hunc
„ terrarum orbem primus detulit. Diſputatum valde eſt illo ſæ-
„ culo de auctoritate iſtarum Epiſtolarum, Gallicanis Epiſcopis
„ litem adversùs eas moventibus, quòd intelligerent illas antiquis
„ regulis eſſe contrarias. Vicit tamen fortuna populi Romani.
„ Itaque nihil frequentiùs poſt illa tempora inſonuit in auribus
„ Chriſtianorum, quàm iſtarum Epiſtolarum auctoritas & mentio,
„ ita ut qui deinceps collectiones Canonum & Decretorum com-
„ poſuerunt, etiam iſtis Epiſtolis uſi ſint tanquam bonis merci-
„ bus, quamvis non omnes. Rhabanus enim, tametſi Abbas

 „ Fuldenſis

„ Fuldenſis eſſet in diœceſi Moguntina , licèt Moguntinus & ipſe „ Archiepiſcopus fuerit poſt Otgarium , adeóque Riculfi ſucceſſor, „ Epiſtolis illis non utebatur , ùt rectè obſervatum eſt ab Anto- „ nio Auguſtino . §. 4. Magna ſanè fuiſſe videtur iſtarum Epi- „ ſtolarum auctoritas eo tempore , quo Synodus habita eſt Du- „ rocortori Remorum adversùs Arnulphum loci illius antiſtitem , „ id eſt , anno 991. Attamen ſi quis rem penitiùs introſpiciat , „ is animadvertet , non repugnaſſe quidem palam Epiſcopos de- „ cretis illis , ſic enim vocantur in actis Synodi , ſed cùm „ intelligerent contraria illa eſſe veteribus inſtitutis ac mori- „ bus noſtris , eorum vim & auctoritatem eluſiſſe prudentia „ planè ſingulari . Nondum inter Gallicanos Epiſcopos exo- „ leverat memoria rerum præclarè geſtarum ab Hincmaro Re- „ menſi Archiepiſcopo , cujus crebra , & magna fuere certa- „ mina cum tentamentis Pontificum æternæ urbis . Incidit enim „ Hincmarus in difficillima tempora Nicolai I. & Hadriani II. , „ qui nulli diligentiæ , nullis laboribus pepercerunt ; ut Sedis „ ſuæ dignitatem , quæ magna haud dubiè ac ſplendida eſt , „ in immenſum extollerent . Sed inprimis in omnibus cauſis op- „ portunis importunè obtrudebant epiſtolas illas , quæ nondum „ gratiam amiſerant novitatis , quibus verò fides & auctoritas „ acceſſerat ex ſtupenda ac mirabili taciturnitate & ſilentio ho- „ minum illius ſæculi . Quoties autem illæ afferebantur adver- „ sùs mores noſtros , non contradicebat quidem apertè Hincma- „ rus , ſed duritiem illarum mollire conabatur verbis reverentiæ „ plenis , & inita , quantum fieri poterat , conciliatione cum „ vetuſtis regulis ; ſin minùs , earum auctoritatem minuebat com- „ paratione veterum Canonum & adductis verbis Epiſtolarum , „ quæ citra controverſiam ſcriptæ fuerunt ab Epiſcopis Romanis „ quorum nominibus inſcriptæ ſunt . Qui defenſionem Arnulphi „ ſuſceperunt in Concilio Remenſi , nulla fermè alia præſidia „ in cauſam induxerunt præter falſas illas Epiſtolas , in quibus „ cavetur , ne Epiſcopus judicetur abſque auctoritate Epiſcopi „ Romani , caſſaque & irrita decernuntur judicia quæ præ- „ termiſſo hoc ordine ferri contingeret . Sed iſta magnorum „ nominum commemoratione non admodum permotos fuiſſe „ Epiſcopos noſtros hæc res indicio eſt , quòd multa primùm „ reverentia uſi erga Romanorum Pontificum decreta , quæ profe- „ rebantur , licèt falſa haud dubie eſſe intelligerent , cùm „ ad eam partem ventum eſt , in qua certum erat Epiſco- „ pis , non paſſuros ſe , ut novum jus invaleſceret adversùs

„ veteres

„ veteres regulas, neque aliquid ſuppeteret, quo manifeſta „ Decretorum iſtorum verba eludere interpretatione poſſent, „ tum Decretis illis liberè opponunt Canones Africanos, qui de „ judicandis intra provinciam Epiſcopis decreverunt, etiam in „ fine actorum propterea deſcribentes Concilium ſextum Africa- „ num ſive Carthaginenſe.

His generatim præmiſſis deſcendamus ad ſpecialia, & quibus maximè in capitibus Iſidorus Jus publicum Eccleſiaſticum, & Apoſtolicam Eccleſiæ formam per ſua falſa corruperit, intueamur.

Ad pag. 166. *in fine Notæ* (4) *lege etiam*.
Eius verba dabimus Cap. VI. §. 2. n. 5.

Ad pag. 167 *in fine Notæ* (3) *lege etiam*.
Adde Launojum Tom. V. lib. VII. Epiſt. 2.

Ad pag. 171. in fine tituli §. X. *lege etiam*.
Romana Curia a Sede diſtinguenda eſt.

Ad pag. 175. *in fine notæ* (5) *addatur*.
6.) Magnum in Jure Publico Sacro ſolœciſmum committunt qui Romanam *Curiam* cum *Sede* vel *Eccleſia* confundunt. Delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum ad PAULUM III. Conſilium ſub initium hæc memorat: „ Quoniam Sanctitas ſua „ Spiritu Dei erudita (qui, ùt inquit Auguſtinus, loquitur in „ cordibus nullo verborum ſtrepitu) probè noverat, principium „ horum malorum inde fuiſſe, quòd nonnulli Pontifices tui præ- „ deceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, „ coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab iis „ diſcerent quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio, & cal- „ liditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet; „ Hinc effectum eſt, præterquamquòd principatum omnem ſe- „ quitur adulatio ùt umbra corpus; difficillimuſque ſemper fuerit „ aditus veritatis ad aures Principum, quòd confeſtim prodi- „ rent doctores, qui docerent Pontificem eſſe dominum be- „ neficiorum omnium: ac ideo cùm dominus jure vendat id „ quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pontificem non poſſe „ cadere ſimoniam: ita quòd voluntas Pontificis, qualiſcunque „ ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones diri- „ gantur; ex quo procul dubio effici, ut quidquid libeat,

„ id

„ id etiam liceat . Ex hoc fonte , Sancte Pater , tanquam „ ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus & tam „ graviſſimi morbi , quibus nunc conſpicimus eam ad deſpera- „ tionem ferè ſalutis laboraſſe , & manaſſe harum rerum fa- „ mam ad infideles uſque . „ Hæc ſanè omnia nec *Romanæ Ec-cleſiæ* , nec *Sedi Apoſtolicæ* tribuenda ſunt , ſed *Curiæ* , cui etiam viri probi illa vellent abjudicare , ſi abjudicari poſſent ; ſed cui alteri adjudicarentur ?

Ad pag. 184. *poſt notam octavam* , *quæ finit* audiamur *adde* .

9.) Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus docuit *Eccleſiam ſervam natam eſſe* , *& principandi jure carere* ; dominum verò Romanum Pontificem , quòd eo jure ſolus potiretur , & ſi quis potiretur, per eundem Pontificem reipſa potiri . *Statua dignum inventum* , inquit Launoius Lib. IV. Epiſt. 1. *ſed plumbea* ! Addit , ad hanc Cajetani , ùt conſummatæ , ita & deploratæ adulationis Theologi , ætatem & ludum maximè referenda eſſe , quæ HADRIANUS VI. expreſſit in mandatis Franciſco Cheregato Germaniam petenti datis, & delecti Prælati in ſuo Conſilio , quod PAULO III. dederunt . Sed ceſſabit Launoius irridere aut indignari doctrinæ Cajetani tanquam ſingulari , ſi eam contulerit cum ſententiis modernorum Romanorum hoc §. relatis , quæ ſi veræ ſunt , non ſupponunt tantùm , ſed egregiè etiam firmant Cajetani *de Eccleſia ſerva* ſententiam , quæ , uti diximus §. 10. nata eſt , & adolevit in ſchola Romanæ Curiæ . Verumenim vero deſerenda eſt hæc *Curiæ* ſchola , & adeunda *Sedis Apoſtolicæ* ſchola , ubi apertè traditur , Eccleſiam eſſe , ſicuti Chriſtianorum omnium , ita & Romani Pontificis , Matrem & Dominam . Sic Concilium Trid. Seſſ. XIII. Can. 9. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus* , *cùm ad annos diſcretionis pervenerint* , *teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate* , *ad communicandum* , *JUXTA PRÆCEPTUM SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ* , *anathema ſit* . Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptum dicit , quod S. Mater Eccleſia per ſuos miniſtros conſcripſerat ; nec illud potuiſſet conſcribere , niſi priùs conſcribendi jus habuiſſet , quo ſi ſerva eſſet nata , ut Cajetanus ejuſque diſcipuli tradunt , penitus careret . Hæc certe Curiæ doctrina eò periculoſior eſt , quòd in Scripturis & apud Patres *Sponſa Chriſti* vocetur Eccleſia .

Ad

Ad pag. 189. ***in fine notæ ſextæ adde.***

7) Qua autem via, quibuſque mediis tandem evenerit, ut cauſæ Majores Romanæ Sedi privativè ceſſerint, convenit hìc referri verbis Viri, cujus religio & erga eandem Sanctam Sedem reverentia nemini ſuſpecta eſſe poteſt, ſcilicet Gregorii Zalwein in Salisburgenſi Univerſitate Rectoris magnifici *Princip. Jur. Eccleſ. Tom. I. Quæſt.* 4. *cap.* 3. §. 4. „ Audiamus qua „ arte ſucceſſivè quaſi per gradus factum ſit, ut Pontifices „ tot cauſas majores ſibi reſervaverint. Jam ſæculo II., & III. „ factum eſt, ut fierent recurſus, relationes, & conſultationes „ ad Sedem Pontificiam. Sæculo IV. in Synodo Nicæna, teſte „ Innocentio I. ulteriùs ſtatutum eſt, ut cauſæ majores ad Se- „ dem Apoſtolicam devolvantur, ſed non niſi NB *poſt judicium* „ *Epiſcopale*, in Epiſt. ad Victric. Rotomag. Notant tamen „ auctores Canonem ab Innocentio citatum non eſſe Synodi Ni- „ cænæ, ſed Sardicenſis, Sæculo V. & VI. jamjam Pontifices „ relationes & devolutiones magis urgebant, ſpeciatim Innocen- „ tius I. ſuprà citatus, provocans ad Synodum Nicænam, & „ antiquam conſuetudinem. Eodem ſæculo inceperunt Pontifices „ conſtituere Vicarios Sedis Apoſtolicæ, quibus ampliorem con- „ cedebant poteſtatem, cum mandato tamen, ut cauſas majores „ ad Pontificem referrent; quo factum eſt, ut auctoritas „ Metropolitanorum & Synodorum multùm labefactaretur. Sic „ Leo I. in Epiſtola, ad Epiſcopum Theſſalonicenſem, jam „ tunc temporis dignitate Vicariatus Apoſtolici ornatum, ſcripta „ expreſsè illi injungit, ut cauſas majores ad ipſum referat. „ Et cùm poſtea hic non nihil duriùs haberet Atticum Epiri „ Epiſcopum, ipſi exprobrat, quòd illius cauſam ad tribunal „ Pontificium, tanquam cauſam majorem, non retulerit. Jam „ illo tempore deſiit etiam frequentia Synodorum particularium, „ & ideo mirum non eſt, quòd Cauſæ Majores frequentiùs ad „ Pontificem ſint devolutæ. Sæculo VIII. emanavit Collectio „ Pſeudo-Iſidoriana, in qua cùm plures aliæ prærogativæ, „ tum hæc præcipuè Pontifici aſſeritur; quòd depoſitio Epiſ- „ coporum ad ipſum, tanquam una ex cauſis majoribus, con- „ tradicentibus Galliæ Epiſcopis, pertineat; à quo tempore „ cauſæ majores magis magiſque determinatæ ſunt. Acceſſit „ integra fermè ceſſatio Synodorum, frequentiſſimæ ipſorum Epiſ- „ coporum & Metropolitarum ad Romanam Sedem provoca- „ tiones, aliqualis negligentia Epiſcoporum ſua jura minùs ſtrenuè „ vindicantium, ipſa etiam auctoritatis Metropoliticæ ad ſo-

„ pien-

„ piendas & determinandas lites , cauſas & controverſias inſuf-
„ ficientia, Legatorum à tempore Nicolai I. ingenti cum auc-
„ toritate, & hinc inde etiam Epiſcoporum præjudicio, miſſo-
„ rum frequentia, ac denique ipſa Pontificum auctoritas, quæ
„ à ſæculo VIII. uſque ad XIII. immenſa accepit incrementa.

Ad pag. 191. *in fine Notæ* (3) *addantur ſeqq.*

Contingit autem hæreſibus non paucis, ſic ab unius provinciæ aut regni tantùm Epiſcopis damnatis, ut penitus extinguerentur, cæteris, ſcilicet Epiſcopis & Eccleſiis conſenſu ſolùm tacito, non Synodalium decretorum auctoritate ſuffragantibus. Sic enim Euſtathianos, quos Synodus Gangrenſis damnavit, non legimus ab aliarum provinciarum Conciliis apertè deinde damnatos. Idem Aerianis, Collyridianis, aliiſque accidit. Vid. Epiphan. *Hæreſ.* 75. & 79. Hos autem præter locorum, ubi exorti ſunt, Epiſcopos, non conſtat ab aliarum regionum Synodis rejectos eſſe, ſed univerſali Eccleſiæ conſenſione, quæ ſenſim ſine ſenſu inoleverit, exautoratos, quemadmodum ſingulorum poſtmodum Patrum ſcriptis declaratum eſt.

Ad pag. 196. *in fine Notæ* (10) *addantur Notæ ſeqq.*

11.) Dum *graviores* & *difficiliores* fidei quæſtiones ad ſummam Sedem deferendas eſſe tradimus, monendum inſimul arbitramur, per hoc dubiam aut difficilem non effici doctrinam quampiam, quòd quidam de ea dubitent, aut eandem fortè oppugnent, ſi ſua nimirum culpa id faciant, certiſſimorum documentorum, quæ pro debito non curant, ignoratione, vel ingenti rerum ſuarum, quo cœcantur, affectu. Quidquid iſti obſtrepent, fas eſt Epiſcopis, ea, quæ per ſe firma ſunt, quæ à majoribus tradita vident, & de quibus ipſi inter ſe conſentiunt, judicare & declarare, quantumcunque privati dubitent. Non in quovis Eccleſiæ vox & auctoritas reſidet; ſed in iis qui Eccleſiarum capita & vertices conſtituti ſunt, ut earundem Eccleſiarum nomine & aſſenſu loquantur. De cætero ea demum *dubia* & *difficilia* vocantur in Canonibus & Pontificum Decretis, quæ dubia ſunt Epiſcopis inter ſe, & de quibus ipſi nihil habent quod ſtatuant; non quæ apud minores Theologos ambiuntur. Ea verò, de quibus Epiſcopi ſine dubitatione conſentiunt, in eo ſenſu non habentur dubia, quòd ante illorum ſententiam ad Pontificem referenda ſint.

12.]

12.) Itaque damnantur hæreſes à *Summo Pontifice*, & ab *Epiſcopis*; imò & à Catholicarum Univerſitatum *Theologicis Facultatibus*; ſed diſpari effectu & robore. Lutheri dogmata Lovanienſis & Colonienſis Academiæ damnarunt, etiam ante Rom. Pontificis ſententiam, uti apparet ex Bulla Leonis X. de anno 1520. Wiclefi doctrinas multò antè reprobavit Facultas Oxonienſis, Huſſi Pragenſis, utriuſque ſimul Pariſienſis, ſicut a Conſtantienſi Concilio traditur & commendatur; attamen citra ullam juriſdictionis ſpeciem, qua memoratæ Facultates penitùs deſtitutæ ſunt. Ideo hæ Cenſuræ *doctrinales* & *Scholaſticæ* vocantur. *Juridicæ* econtra ſunt, quæ ab iis emanant, quibus juris dicendi auctoritas in Eccleſia competit, & pro ea portione, quæ illis à Deo aut ab Eccleſia data eſſe dignoſcitur. Nec attinet hìc dicere, hos omnes (ſi Generalia Concilia excipias) errare poſſe: quandoquidem regulariter, & *à privatis*, admittendum non ſit illud genus exceptionis adverſus conſtitutas publicè auctoritates, quarum nulla incolumis eſſe poterit, ſi debitum eis honorem pudoremque hoc telo concutere liceat.

13.) An infallibiles ſolùm Epiſcopos audiri voluit Chriſtus? An infallibiles ſolùm Epiſcopos poſuit Eccleſiæ Paſtores Doctoreſque *in conſummationem ſanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti, ut non ſimus fluctuantes omni verbo Doctrinæ* ad Epheſ. IV. v. 11. 12? Nemo Hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit. Omnes vel obreptum Epiſcopis, vel ſibi calumnias impactas, vel alias cauſationes, quibus non particulares ſolùm, ſed generales etiam Synodos ludificari ſolebant, protulerunt.

14.) Non quærebatur olim, quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis eſſent. Boni omnes omnia colebant, omnia venerabantur ùt Paſtorum vocem, ùt Magiſtrorum Eccleſiæ doctrinam, ùt eorum, quibus dictum eſſet, *Qui vos audit, me audit* Lucæ X. v. 16. Non perſcrutabantur, non dijudicabant privati, ſed piè, humiliter, quietè ſuſcipientes illorum judicium, illud iis à Deo & Eccleſia relictum arbitrabantur, non ſibi, qui nulla inquirendi poteſtate præditi eſſent. Vide hæc latiùs tractantem Petrum Aurelium *Opp. Tom. I. pag.* 21. 80. 138. 148.

Ad pag. 198. *in Titulo §. IV. lege etiam.*

Quibus cauſis Metropolitanorum jura in his & ſimilibus minuta ſint ?

Ad pag. 199. *in fine Notæ* (1) *adde* .

2.) Quærenti , quibus demum cauſis , qua rerum fatalitate evenerit , ut Occidentis Archiepiſcopi omnes ſibi eripi paſſi ſint jura tam ſublimia , tamque firmiter radicata , ut poſt immediatas Dei ordinationes in Eccleſia nihil excogitari poſſit ſtabilius , reſpondet Gregorius Zallwein *Princip. Jur. Eccleſ. Tom. IV. Quæſt.* 2. *cap.* 2. *§.* harum diminutionum cauſas eſſe ſequentes : 1.) Collectio Iſidori , in qua omnia ferè Metropolitanorum jura adſcribuntur Summis Pontificibus . Hi ergo occaſione utendum rati , Iſidorianas Epiſtolas in vim legis aſſumpſerunt , & hujus Collectionis acceptationem atque uſum omnibus modis , quidquid Epiſcopi Galliæ contradicerent , ubivis urſerunt , uti pluribus dicemus *hoc cap. §.* 8. 2.) Circa eadem tempora , eademque occaſione , deſierunt Synodi provinciales , antea tam frequentes . 3.) Ipſi Pontifices , falſis decretalibus potiſſimum fulti jura Metropolitanorum reſtringere & arctioribus limitibus circumſcribere cœperunt . 4.) Iidem variis exemptionibus & privilegiis Epiſcopos Metropolitanorum obedientiæ ſubtraxerunt , ſibique immediatè ſubjecerunt . 5.) Frequentia appellationum ad Sedem Pontificiam ; item reſervatio omnium ferè majorum cauſarum , quarum cognitio & deciſio olim tam ad Metropolitas quàm Eiſcopos pertinuit . 6.) His demum ſupervenerunt reſervationes dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum , quorum collationem Pontifices ad ſe traxerunt . Has præfatus Auctor ultimum arietem vocat , quo Metropolitanorum jura ſubverſa fuere . 7.] Non debent neque poſſunt hìc prætermitti jura ac privilegia annexa *Pallio* , quo Roma Archiepiſcopos & ſubinde Epiſcopos decorat , & per hoc eos ſibi immediatè ſubjectos reddit .

Ad pag. 201. *in fine notæ* (1) *adde* .

Sæculo IX. invaluit , ut diſjunctivè vel Sedis Apoſtolicæ auctoritate , vel decreto Synodi Provincialis abſolveretur . Tradit id Hincmarus *Opp. Tom. II. pag.* 744. dicens : *Si cauſa certa neceſſitatis vel utilitatis exegerit , ut quilibet Epiſcopus de Civitate , in qua ordinatus eſt , transferatur ad aliam Civitatem Synodali diſpoſitione , vel Apoſtolicæ Sedis conſenſione , apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet* . Conf. Thomaſſin. Diſcep. Eccleſ. Part. II. lib. 2. cap. 63. , & 64. ex quo etiam colligi-

colligitur , æmulationes Metropolitarum & regnorum diviſiones Pontificii juris accumulationem hac in parte produxiſſe .

Ad pag. 204. *linea* 5. *adde* .

Siquidem per hoc lata quodammodo lex impunitati creditur , aditu videlicet reſerato , januaque patefacta appellandi in omnibus cauſis Sedem Apoſtolicam & Pontificem Romanum . Unde frequentes ac graves querelæ magnorum virorum Ivonis Carnotenſis , Hildeberti Cenomanenſis , Bernardi Abbatis Clarevallenſis , & aliorum . Vid. infra *Cap. V.* §. 7. *num.* 3. *cap. IX.* §. 8. *num.* 7.

Cùm mirum videri poſſet , quomodo Pontifices ſub præſidio novellorum Canonum Epiſcopos , Galliæ præſertim , qui avitis Juribus & Diſciplinis tenaciùs ſolebant inhærere , à priſtinis moribus abduxerint , atque ita æterno (ſi Superi paterentur) ſupplicio mactaverint Jus illud , quo uti Eccleſiam voluerunt , qui eam fundavere ; indicabimus id hoc §. , facem nobis præferente Stephano Baluzio in erudita Præfatione , qua Antonii Auguſtini Libros de Emendatione Gratiani illuſtravit . Hoc poſtquam in Majoris momenti negotio , de quo hìc tractamus , intellexerimus , expeditius erit Judicium noſtrum de reliquis , quæ materiam præſentis Capitis conſtituunt .

Ad pag. 207. *in fine notæ* (5) *adde ſeqq.*

6.) Ut nunc ad illud accedamus , quod nobis hìc ſecundariò propoſitum eſt : monſtrare , cur & quomodo Galliæ Antiſtites paſſi ſint cauſas Epiſcoporum à Synodis provincialibus abſtrahi , & Romam etiam in prima inſtantia deferri . Hìc mox ſub initium cognitarum in Gallia Iſidorianorum Decretalium occurrit Angilramnus Metenſis Epiſcopus , qui omnium primus contra divinos canones convellere tentavit Jus antiquum & verè Canonicum , *quando pro ſui cauſa agebatur* ; id eſt , quando accuſatus de crimine , ſubtrahere ſe voluit cognitioni ſuorum judicum . Eo fine idem Epiſcopus Hadriano Pontifici Capitula obtulit ex Iſidorianis ùt plurimum collecta , ut in iis cauſæ ſuæ præſidium quæreret . Inſcribuntur quidem hæc Capitula apud Sirmondum , Harduinum & alios Synodographos HADRIANO PAPÆ , acſi ab hoc Pontifice fuiſſent *Ingelramno Mediomatricæ urbis Epiſcopo tradita Romæ ſub die XIII. Kalendas Octoberis* (anno 785.) *quando pro ſui negotii cauſa agebatur* . Aſt obſervavit

 Baluzius

Baluzius *l. cit.* §. 4. in vetuſto codice MSpt. Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis hanc legi rubricam : *Incipiunt Capitula collecta ex diverſis Conciliis ſive decretis Pontificum Romanorum ab Angilramno Metenſi Epiſcopo, & Hadriano Papæ oblata* . Qui titulus cùm & in aliis MSpt. legatur , iſque multò veroſimilior ſit eo , quem Sirmondus ſecutus eſt , hinc Dupinius *Biblioth. Auctor. Eccleſ. Tom. VI. pag.* 114. Calmet *Hiſt. Lotharing. Tom. I. pag.* 529. *nov. edit.* aliique melioris notæ Critici hæc Capitula Ingelgramno meritò adſcribunt . Qua occaſione illud obſervandum venit , Iſidorianas Epiſtolas , quibus Angilramnus jam anno 785. in ſuis Capitulis uſus eſt , non fuiſſe primùm à Riculfo Archiepiſcopo Moguntino in Galliam & Germaniam invectas , quippe quòd Riculfus demum anno 787. cathedram Moguntinam aſcendiſſe noſcatur ; niſi fortè præclaram hanc operam noſtris Eccleſiis ille jam præſtiterit , antequam Archiepiſcopus crearetur .

7.] Occurrunt poſt hæc apud Baluzium §. 5. & 6. Epiſcopi Galliæ , qui ſub ſcuto *Pallii* , à Romano Pontifice obtenti, ſe à juriſdictione Provincialium Synodorum eximebant . De horum numero eſt Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus , qui propter crimen conjurationis adversùs Ludovicum pium Imp. ùt Eginhardus refert ad an. 817. & 818. judicio Epiſcoporum Gallicanorum apud Aquiſgranum congregatorum depoſitus , & in monaſterium Andegavenſe ad agendam pœnitentiam projectus , ſe non ſemel criminis inſontem fuiſſe conteſtatus eſt , ſed & in Epiſtolis ad Modoinum Auguſtodunenſem Antiſtitem ait , ſe , quamvis confeſſus fuiſſet crimen judicari non potuiſſe ab Epiſcopis Galliæ, ſed à ſolo Summo Pontifice , quia ab eo *Pallium* acceperat . Non multò poſt cùm NICOLAUS I. Arctardo Namnetenſi Epiſcopo uſum pallii concederet , hæc inſimul ad eum ſcripſit : *Porro cenſemus , apoſtolicæque inſtitutionis auctoritate definimus , ut nullius Metropolitanorum Antiſtitum, vel ceterorum Epiſcoporum in controverſiis criminis , ſi Sedem appellaveris Apoſtolicam , vel ejus ſpeciali expedieris audiri vel diſcuti fortaſſis examine , præſumat de te proferre non noſtro præmiſſo decreto judicium , ſed Apoſtolicæ Sedis tantùm reſerveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio , cujus videlicet decreto vel largitate vacanti Eccleſiæ incardinatus & palliatus eſſe dignoſceris* .

8.) Aldricus Cenomanorum Epiſcopus , timens , fortè angore conſcientiæ , ne in jus raperetur , adeoque ante omnem

cauſæ

cauſæ cognitionem, GREGORII IV. Papæ auxilium imploravit; hic occaſionem ſtabiliendi per univerſam Eccleſiam, præcipuè per Gallias, novi Juris Canonici arripiendam ratus, patrocinium Aldrici libenter ſuſcepit; dataque anno 839. Epiſtola generali ad Epiſcopos univerſi orbis, quæ proſtat ex parte in Decreto Gratiani *Cauſ. II. Quæſt. 6. cap.* 11., integra apud Harduinum *Concil. Tom. IV. col.* 1269., tantùm ut unius hominis moleſtiam ſublevaret, docuit Epiſcoporum judicia, præſertim ſi Sedem Apoſtolicam appellaverint, peragi non poſſe abſque interventu auctoritatis Epiſcopi Romani; Aldricum porro vetuit alibi, quàm apud Sedem Apoſtolicam, aut ante Legatos è latere Rom. Pontificis judicari. *Si quid ei*, inquit in hac Epiſtola Gregorius, *grave intolerandùmque objectum fuerit, noſtra erit exſpectanda cenſura: ut nihil priùs de eo, qui ad Sinum Sanctæ Eccleſiæ Romanæ confugit, ejuſque implorat auxilium, decernatur, quàm ab ejuſdem Eccleſiæ auctoritate fuerit præceptum: quæ ſic vices ſuas aliis impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis* Et poſtea: *Nec quiſquam frivolus aut contentioſus ſive contumax, hæc nos irrationabiliter præcipere contendat: cùm & auctoritate Canonum, & prædeceſſorum noſtrorum Decretis ſancitum ſit, ut Epiſcopus accuſatus, ſi voluerit, appellet Romanum Pontificem, & ad eum, ſi libuerit confugiat: ut ab eo ejus audiatur cauſa, aut ipſe à latere ſuo legatos, qui eam audiant, mittat, qui juſtè cum omnibus Epiſcopis comprovincialibus ejus auctoritate judicent*. Tam bellè Sardicenſes Canones ex falſis decretalibus Gregorius interpretatur; idque ad implorationem Gallicani Antiſtitis, in nova hac Juriſprudentia ſua quærentis commoda.

9.) Rothado Sueſſionenſi Epiſcopo judicio Gallicanorum Epiſcoporum in Synodo Sueſſionenſi congregatorum anno 853. depoſito, mox alius in ejus locum ordinatus eſt, nequidquam obſtante illius ad Apoſtolicam Sedem appellatione. NICOLAUS I. Pontifex Max. (vir ad ſuſcipiendas appellationes etiam adversùs Concilia Provincialia promptiſſimus, in retinenda, propaganda, & explicanda auctoritate ſua non minus felix quàm audax) hanc *minutionem & abominationem privilegiorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* (ùt ipſe in Concilio biennio poſt pro reſtitutione Rothadi Romæ habito loquitur) ſuſtinet iniquum fuiſſe judicium Synodi Sueſſonenſis, quæ præterquamquòd congregata eſſet ſine auctoritate Romani Pontificis (*quod nulli fas eſt*, inquit) Epiſcopum

copum damnaverat appellantem Apoſtolicam Sedem . Ut vero Epiſcopos Gallicanos facilius induceret ad reſtitutionem Rothadi , aperit illis vaſtiſſimum campum impunitatis , privilegia nimirum Eccleſiæ Romanæ , antiqua quidem , ſi Superis placet , deinde pluribus ſæculis deperdita , noviter bonis avibus recuperata , id eſt ; jus appellandi Sedem Apoſtolicam in omnibus cauſis . Hæc ſunt ejus verba in Harduini *Collect. Concil. Tom. V. col.* 258. ad Epiſcopos Synodi Silvanectenſis , digna profectò quæ hìc deſcribantur : *Privilegia Sedis Apoſtolicæ tegmina ſunt , ut ita dicamus , totius Eccleſiæ Catholicæ : privilegia , inquam , hujus Eccleſiæ munimina ſunt circa omnes impetus pravitatem . Nam quod Rothado hodie contigit , unde ſcitis , quòd cras cuilibet non eveniat veſtrum ? Sic Apoſtolus admonet dicens : Qui putat ſe ſtare , videat ne cadat . Quod ſi contigerit , ut verbis utamur propheticis , ad cujus rogo confugietis auxilium ?*

Sufficiunt hæc ad intelligendum , qua ratione inducti fuerint Epiſcopi Galliæ ad renuntiandum juri ſuo antiquo , per falſas Decretales obſcurato ; plura in hanc rem ſuppeditat Baluzius in laudata Præfatione . Obſervat autem de Marca *Lib. III. cap.* 4. *num.* 5. & *cap.* 5. *num.* 5. Epiſtolas contentas in Collectione Iſidori ſic non repudiatas quidem ab Epiſcopis Galliæ , quin & data opportunitate in ſuum favorem apprehenſas , quia de falſitate illarum nondum conſtabat , attamen in auctoritatem Canonum publicè non fuiſſe receptas .

Ad pag. 207. *§. IX. lin.* 12. *poſt verba* etiam in Gallia , *adde* .
Obſervant autem eruditi , miſſiones ad extraneos à Summis Pontificibus pro Primatialis officii jure ac debito frequenter factas , occaſionem dediſſe , ut facultas creandi novos Epiſcopatus in ſolius Papæ manus decideret ; præſertim poſtquam auctoritas & frequentia provincialium Synodorum per falſas Decretales inſigniter fuiſſet diminuta .

Ad pag. 211. *in fine notæ* (2) *adde & corrige numerum ſequentem* .

3.) Si ex una parte in erigendis Metropolibus Romani Pontifices poſt ſæculum X. noviorem Iſidori Juriſprudentiam ſecuti ſunt , eam non minùs ex altera parte detorquerunt in earundem Metropolium præjudicium . Hoc dedit locum notæ querelæ

S.

1. *Cor.* 10.

S. BERNARDI Lib. III. de Conſiderat. cap. 4. *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum . Truncari ſe clamitant , ac demembrari . Vel nullæ , vel paucæ admodùm ſunt quæ plagam iſtam aut non doleant , aut non timeant . Quæris quam ? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis , EPISCOPI ARCHIEPISCOPIS , Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus .* Hìc agi de plurium Epiſcoporum à poteſtate ſuorum Metropolitanorum nec non provincialium Synodorum exemtione , & per hoc facta perturbatione antiquæ diſciplinæ à generalibus Conciliis maxima providentia inſtitutæ , manifeſtum eſt ; quidquid in contrarium memoret Thomaſſinus *de Veteri & nova Eccleſiæ Diſciplina . Part.* I. *Lib.* I. *Cap.* 48. *num.* 1. 2.

Ad pag. 218. *in fine notæ* (8) *adde.*
Juvabit nihilo minùs cum his conferre ea , quæ de Summis Romani Primatus juribus , horumque conveniente uſu , ſpecialiùs adhuc memorabimus *Cap. VII.* §. 3. *num.* 2.

Ad pag. 221. *in titulo Capitis V. loco* referendi *corrige* ferendi .

Ad pag. 225. *in fine Notæ* (4) *lege etiam .*
Cum his conferantur quæ diximus Cap. IV. §. 3. nu. 11.

Ad pag. 226. *linea* 17. *poſt verba redacta eſt . Include ſeqq.*
Quoties autem Patribus viſum fuit , novum aliquid à cunctis fidelibus obſervandum generali lege ſtatuere , cautè ſimul providerunt , ut illud in omnibus Eccleſiis debitè publicaretur , non ignorantes abſque tali publicatione Eccleſiaſticæ legi vim obligandi deeſſe . Eo fine Synodus Arelatenſis viginti duos Canones , adversùs Donatiſtas editos , Sylveſtro Pontifici publicandos tranſmiſit . Jdem in Conciliis Nicæno , Sardicenſi , Chalcedonenſi & ſequentibus factum eſt , quorum decreta ad omnes Patriarchas , ſingulis in diœceſibus publicanda eſſe tranſmiſſa legimus . Sic , ut multa alia prætermittamus , INNOCENTIUS III. Canonem Concilii Lateranenſis in cap. 12. de Pœnitentia contentum , quo omnes ad communionem Paſchalem obligantur , in omnibus Eccleſiis fecit promulgari . Decretum Concilii Tridentini de Clandeſtino Matrimonio in omnibus parochiis publicè denuntiari debuit . Conf. *Cap.* II. §. 8. *num.* 5. 6. 7.

Ad pag. 233. *in fine notæ* (7) *adde .*

Scilicet

Scilicet ad cujuſcunque legis rationem omnino pertinet *Publicatio* ; neque ſufficit per incertos rumores aut vagas privatorum relationes legis notitiam deferri . Si enim omnis legis, tanquam *communis præcepti* , vigor a publica auctoritate , eaque competente , promanare debeat , quidni & promulgatio , quæ dat legi complementum atque vim obligandi . Eò tendit Can. 3. Diſt. IV. *Leges inſtituuntur cùm promulgantur* . Hoc noverunt & impleverunt Concilia : videlicet primum Apoſtolorum *Act. XV. v.* 22. 23. Nicænum apud Harduinum *Tom.* I. *col.* 439. Aliaque . Habent hæc majorem eamque ſingularem rationem in Conſtitutionibus à Romana Sede pro univerſali Eccleſia emanantibus , quæ, ùt diximus, ſpecialiorem acceptationem & Eccleſiarum conſenſum deſiderant , qui ſine conveniente promulgatione nequit haberi . Vid. *Cap.* II. §. 8. Exempla Bullarum Pontificiarum , vi promulgationis in Urbe factæ undique , ùt prætenditur , receptarum , ſunt petitiones illius principii , de quo hic quæſtio movetur . Clauſulæ demum recentioribus quibuſdam bullis & decretis inſertæ , queis Papam ſola publicatione Romana legem ſuam obligare velle declaratur , eadem contra ſe argumenta , ac bullæ ipſæ decretaque pati debent . Finaliter , nihil apertiùs duritiem ac dominatus ſæcularis aſperitatem ſapit , quàm ſi legis obligatio , non ſervata inter locum promulgationis , & loca , quibus promulganda eſt , proportione , induci eò velit, quo vox præconis non potuit pertingere . Non ſic fecere Principes Gentium . Verùm tanta Romanorum animis non inſidet aſperitas ; quidquid hujus rei eſt , ex regulis politices commenſurandum venit : Illi haud ignorantes , plures ex iis , quas evulgant, Conſtitutionibus, alibi non fore acceptandas publicandaſve , talem ſtylum induxerunt , quo aliis perſuadere conentur , publicationem Romæ in Campo Floræ factam pro univerſo Chriſtiano orbe valere . Sed ſapientiores norunt quantum in his omnibus ſit roboris & juris .

Ad pag. 237. *in fine notæ* (1) *adde* .

Confer etiam *Can.* 1. *Diſt. XIX.* ubi NICOLAUS I. rectè monuit , auctoritatem Decretalium non è Corpore Canonum , ſed à Scriptoribus , quos ipſe Pontifices eſſe exiſtimaverat, derivandam eſſe .

Ad pag. 240. *in fine notæ* (5) *adde* .

In additione *ad num.* 54. *cap.* VII. *probationum Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ* referuntur literæ Dn. Ancel Oratoris Regis Galliæ

Galliæ apud Rudolphum II. Imp. facientes fidem, qualiter hic Imperator Legatum Apoſtolicum à promulgatione Bullæ Cœnæ, quam ille in Bohemia cum perturbatione ſtatus illius Regni programmate publico inſinuare jam cœperat, cohibuerit. Qua ipſa occaſione idemmet Imperator edixiſſe ibidem fertur, ne ullæ Bullæ Pontificiæ deinceps, niſi ſe conſcio & probante, emitterentur in lucem, atque executioni mandarentur. Conſtat quoque ex iiſdem litteris, Archiepiſcopum Moguntinum noluiſſe publicare ſæpe dictam Bullam, eò quòd prævideret, hac publicatione, plus detrimenti, quàm utilitatis, ſuæ Eccleſiæ obventurum.

Ad pag. 240. nota (7) linea 15. poſt verba Cap. III. §. 11. dele reliqua, & ſubſtitue ſeqq.

In eo etiam hæc Congregatio ſubinde excedit, quòd cùm in dubiis ſolùm ad declarandum Concilium inſtituta ſit, quandoque ejus ſenſum ultra proprietatem verborum, imò contra literam & mentem Synodi extendat, atque adeo novam legem ferat. Exemplum hujus rei ſuppeditat Engel *ad Tit. de Majorit. & Obed. nu.* 28. Aliud ſimile, non quidem Congregationis Concilii, ſed Congregationis Cardinalium cauſis Epiſcoporum præpoſitæ, approbante URBANO VIII. videri poteſt apud Barboſam in *Collectan. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *Cap.* 1.

Ad pag. 242: in fine notæ (8) adde.

9.] Equidem DECISIONES ROTÆ per ſe majorem vim & auctoritatem non habent quàm arreſta & judicata aliorum Tribunalium; prætendunt nihilominus Curialiſtæ horumque fautores, plures Sententias Rotales conformiter latas efficere aut monſtrare *Stylum Curiæ*, qui & quodammodo *Jus* faciat, ita ut etiam in ſubordinatis Tribunalibus ſecundùm hunc ſtylum ſit procedendum. Hoc ſi verum eſt, poterimus ex iis, quæ à nobis *cap.* III. §. 11. relata ſunt, diſpicere, quo Jure Sacro utamur, aut quo ſaltem nolentes volentes uti cogamur, niſi ſententias noſtras in via appellationis Romæ reformari velimus. Qui prudentiores ſunt, ſuadent & monent, ut non tantùm in diœceſibus noſtris utamur Jure *vero*, non *falſo*, quod confinxit Iſidorus, quodque Rota ſequitur, ſed & omni ſtudio caveamus à dicaſteriis, quæ talem ſibi ſtylum & Jus efformant, quo omnia Pontifici attribuuntur, plurimumque præjudicii affertur juribus Ordinariorum.

Ad pag. 252. in fine notæ (5) lege etiam .
Adde Launojum Tom. III. Part. 2. pag. 447.

Ad pag. 258. adde integrum §. V. ſequens , & corrige numeros §§. ſeqq.

§. V.

Romanus Pontifex communibus Eccleſiæ legibus obligatur . An & qualiter in iis diſpenſare valeat ? Quomodo id poſſint Epiſcopi ?

Regiminis in Eccleſia à Deo conſtituti Chriſtus abſolutus Dominus & Monarcha eſt , juxta illud : *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus* Pſal. 2. v. 6. Quo etiam ſenſu Eccleſia regnum ejus nuncupatur. Luc. I. v. 33. *Regni ejus non erit finis* . Sed regimen illud , quod à Chriſto *hominibus* traditum fuit , *miniſteriale tantùm* eſt , legibuſque à Chriſto poſitis adſtrictum , juxta illud S. Pauli 1. Corinth. Cap. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo ùt miniſtros Chriſti ac diſpenſatores myſteriorum Dei* . Itaque , ſicuti reliquis Apoſtolis , ita & Petro , quæ liganda erant , ligandi , quæ ſolvenda , ſolvendi , à Chriſto datum eſt *miniſterium* ; non , quæ liganda , ſolvendi , & quæ erant ſolvenda , ligandi conceſſa facultas . Multò minùs illis facere licuit , quod Chriſtus ſuo exemplo non docuit ; ipſe autem ſolvere legem non venit, ſed adimplere . Quare cùm Petrus aliquando aliter ageret, Paulus , licèt in converſione adhuc novitius, ei in faciem reſiſtere non timuit ; ille verò ſui junioris increpationem ſuſcipiens , quod plus juſto fecerat diligenter correxit . Quotquot etiam Petri ſucceſſores noverunt , miniſterium ſibi à Deo creditum eſſe ad *ædificationem* , non ad *deſtructionem* ; non contra veritatem , ſed pro veritate : quotquot agnoverunt , ſe , ſi ſua poteſtate adverſùs regulas , pro bono regimine Eccleſiæ ſumma ſapientia conditas, id eſt , contra Canones , uterentur , adversùs monitum ſapientis ſepem diſſipare , & una manu deſtruere , quod Apoſtoli , quod Patres tanto laborum , ſanguinis , & vitæ impendio altera manu conſtruxerunt : totidem etiam faſſi ſunt ſuam obligationem , Chriſti & univerſalis Eccleſiæ inſtitutis ac Canonibus , pro bono regimine ejuſdem ſacræ Reip. legitima auctoritate conditis , ſe ſe conformandi . Ex pluribus vide eorum ſaltem loca , quæ hanc in rem collegit Gratianus *Cauſ. XXV. Quæſt.*

Quæſt. 1. Sed utinam hoc ſciviſſent, & agnoviſſent omnes! Non potuiſſent eo caſu delecti à PAULO III. Cardinales & Prælati in celebri ſuo Conſilio dicere: „ Quoniam Sanctitas Tua „ probè noverat, principium horum malorum inde fuiſſe, quòd „ nonnulli Pontifices, tui prædeceſſores, prurientes auribus, ut „ inquit Paulus Apoſtolus, coacervaverunt ſibi Magiſtros ad de- „ ſideria ſua, non, ut ab iis diſcerent, quid facere debe- „ rent, ſed, ut eorum ſtudio, & calliditate inveniretur ratio, „ qua liceret id, quod liberet: Inde effectum eſt, præter- „ quàm quòd principatum omnem ſequitur adulatio, ùt umbra „ corpus, difficilimuſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures „ Principum, quòd confeſtim prodirent Doctores, qui docerent, „ Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium .... Ita, „ quòd voluntas Pontificis, qualiſcunque ea fuerit, ſit regula, „ qua operationes ejus, & actiones dirigantur: Ex quo procul „ dubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc „ fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere „ in Eccleſiam Dei tot abuſus, & graviſſimi morbi, quibus „ nunc conſpicimus, eam ad deſperationem ferè ſalutis laboraſſe, „ & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque. „ Nec ſcripſiſſet HADRIANUS VI. in mandatis, quæ ſuo in Germaniam Legato Franciſco Cheregato dedit: *Scimus, jam aliquot annis in hac Sancta Sede multa abominanda fuiſſe, abuſus in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, omnia in perverſum mutata.*

Didicerant hi viri egregii, non in Romanæ Curiæ Schola, ſed ex Romanæ Eccleſiæ Traditione, Chriſti Eccleſiam jure, non auctoritate, Canone, non arbitrio proprio, regi. Quamobrem mirum nemini videri debet, auctoritati, & proprio arbitrio ab ipſis adſcribi quæcumque mala in Eccleſiam irruperant; & remedium opportunius, efficaciùſque peſtiferæ huic contagioni nullum adhiberi poſſe, quàm ſi Eccleſia ſacris duntaxat regatur canonibus, nec ab iis recedatur, niſi ex tali cauſa, quàm ipſa eorundem Canonum conditrix Eccleſia probaſſet. Hanc in ſacra Dei Civitate œconomiam toties Tridentina Synodus agnovit, & probavit, quoties commendavit & urſit veterum verorumque Canonum reſtitutionem, & obſervantiam. Hoc fecit *Seſſ.* VI. *de Ref. Cap.* 1. *Seſſ.* XXII. *de Ref. Cap.* 1, *Seſſ.* XXIII. *de Ref. Cap.* 7. *& Cap.* 16. *Seſſ.* XXV. *Cap.* 18. Porro nemini ſano in mentem veniet, Patribus Concilii Tridentini eum fuiſſe animum, ut ſic reſtitueretur antiquorum Canonum

 vigor,

vigor , quatenus illi quidem obſervarentur ab omnibus , à ſolo autem Romano Pontifice (qui tamen illorum à Deo Cuſtos conſtitutus eſt) non ſervarentur , niſi quatenùs ipſi viſum eſſet , licèt bonis omnibus , & ipſemet univerſali Eccleſiæ , eos in tali caſu ſervandos eſſe videretur . Nos certè hac in parte , relicta Curia adulatrice , Apoſtolicam Sedem venerandam , ſuſpiciendamque arbitramur , quæ B. Petrum ſapienter imitatur & ſubſequitur . Hic primus Romanorum Pontifex , ùt Chryſoſtomus Homilia III. in Apoſtolorum Acta ſcribit : *facit omnia ex communi Diſcipulorum ſententia , nihil auctoritate ſua , nihil cum imperio* .

Locupleti huic , & certæ Romanæ Eccleſiæ Traditioni in cumulum adiicimus profeſſionem fidei , quam neoelectus Summus Pontifex quondam emmittebat , cùm inauguraretur ; ea proſtat in veteri Romanæ Eccleſiæ Diurno , hoc tenore : „ Ego „ N. miſericordia Dei Preſbiter electus futuruſque per Dei gra„ tiam humilis Apoſtolicæ Sedis Antiſtes , tibi profiteor , beate „ Petre Apoſtolorum Princeps . . . . Diligentiùs autem & vivaciùs „ omnia Decreta prædeceſſorum Apoſtolorum noſtrorum Pontifi„ cum , quæque vel ſynodaliter probata ſunt , confirmare , & „ indiminutè ſervare , & ſicut ab eis ſtatuta ſunt , in ſui vi„ goris ſtabilitate cuſtodire , quæque vel quoſque condemnarunt , „ vel abdicarunt , ſimili auctoritatis ſententia condemnare , di„ ſciplinam , & ritum Eccleſiæ , ſicut inveni , & à ſanctis præ„ deceſſoribus meis traditum reperi , illibatum cuſtodire &c. &c. „ In hac fidei profeſſione abſolutæ auctoritati , & proprio motui , quo ſacris canonibus derogatur , nihil relinquitur . Sed ejus præſtatio jam dudum exolevit .

1.] Quæ hoc §. 22. addimus , tantæ ſunt evidentiæ , ut ne ab ipſis quidem Romanæ Curiæ adulatoribus pernegari valeant . Interim illi ſibi imaginantur , ſingulare ſe eidem Curiæ obſequium præſtare , ſi quadam hìc utantur diſtinctiuncula , de indole earum , quarum meminimus *Cap.* I. §. 1. *num.* 10. , aſſerentes , Summos Pontifices eſſe , & profiteri ſe ſubjectos Canonibus quoad vim *directivam* , non quoad *coactivam* . Itaque nolentes volentes agnoſcunt , Papam , quotieſcumque contra Canones , univerſalis Eccleſiæ uſu & auctoritate receptos , agit , peccare quidem in Deum , & Eccleſiam ; attamen , ut ſe eiſdem canonibus accommodet , eum cogi non poſſe contendunt .

Nos

Nos de *directa* coactione agemus *Cap.* VI. §. 1. & 16. de *indirecta* hìc ſolùm memoramus , *a*) Quòd , quemadmodum confitentibus omnibus Pontifex adverſùs Canones agens peccaret , ita & malè ageret Epiſcopus , aut quicunque alius ejus ordinationem ſacris Canonibus , præcipuè Tridentino *Seſſ.* XXV. *Can.* 18. adverſam , v. g. diſpenſationem , exequens ; nam & illi peccant , qui malè agentibus conſentiunt ; conſequenter hanc illi non tantùm non debeant , ſed nec poſſint exequi . *b*) Quòd adversùs ſimilia , in ſacros Canones attentata detur locus remediis juris , quæ *Cap.* IX. aſſerimus , ſcilicet Retentio bullarum , Appellatio ab abuſu , legitima Reſiſtentia &c.

2.) Omnes ſciunt , quòd incidant interdum cauſæ, ob quas à Jure communi , atque à canonibus , vel à canonum litterà , recedendum videatur . Neceſſaria tunc eſt in Eccleſia poteſtas , eaſdem leges interpretandi , earundem rigorem paterna indulgentia mitigandi , demùm diſpenſando ab eis recedendi . Hoc cum prudentia & diſcretione facere , non eſt contra canones , ſed maximè juxta eoſdem . Illud verò ſine diſcretione , & ſine tali ratione , quæ ipſoſmet legislatores ad aliter in & pro illo particulari caſu , ſi illum prævidiſſent , diſponendum motura fuiſſet , agere circa canones , ſpiritu Dei conditos , & totius mundi reverentia conſecratos , eſſet illos apertè violare . *Non debet reprehenſibile judicari , ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque varientur humana ; præſertim cùm urgens neceſſitas , vel evidens utilitas id expoſcit ; quoniam ipſe Deus ex iis , quæ in veteri Teſtamento vetuerat , nonnulla mutavit in novo* , inquit Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. Cap. 50. Cum hoc ſi conjungantur quæ Concilium Tridentinum circa materiam Diſpenſationum declaravit , omnia , quæ ad hanc rem pertinent , exhauſta credentur ; dummodò (quod optandum) pari ſanctitate impleantur , & ſerventur , quæ à duobus his generalibus Conciliis ordinata ſunt . Sic autem Tridentinum Seſſ. XXV. de Ref. Cap. 18. *Sicuti publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare , ut pleniùs , evenientibus caſibus & neceſſitatibus , pro communi utilitate ſatisfiat ; ſic frequentius legem ſolvere , exemploque potiùs , quam certò perſonarum , rerumque delectu petentibus indulgere , nihil aliud eſt , quàm unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire . Quapropter ſciant univerſi , Sacratiſſimos Canones , exactè ab omnibus , & quoad fieri poterit , indiſtinctè obſervandos . Quòd ſi urgens juſtaque ratio , &*

major

major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Igitur duæ tantùm ſunt cauſæ diſpenſandi, *Neceſſitas* & *Utilitas*; qualis autem hìc intelligatur utilitas, S. BERNARDUS Lib. III. de Conſid. cap. 4. explicat, nimirùm: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis: utilitas dico COMMUNIS, non PROPRIA; nam, cùm nihil horum eſt, non planè FIDELIS DISPENSATIO, ſed CRUDELIS DISSIPATIO eſt.*

3.) Eadem fermè in Eccleſiâ fuere fata juris *diſpenſandi*, ipſarumque diſpenſationum, quæ juris *reſervandi* majores cauſas. Per tria prima ſæcula Epiſcopi, nullo Romano Pontifice, nullo Provinciali Concilio interveniente, eas concedebant: ubi verò Concilia frequentari cœperunt, Epiſcopis conſultiſſimum viſum eſt, ſi ad ea diſpenſationes, tunc admodùm raræ, referrentur. Poſteà ſenſim ad Pontificem traductæ ſunt, in iis etiam cauſis, in quibus ab Epiſcopis, & Synodis diſpenſari poſſe, nemo dubitabat; ita, ut ſæculis IV. & V. etiam ab Africana Eccleſia, & ab Oriente Romanis Pontificibus pro diſpenſationibus ſupplicatum fuiſſe, pluribus exemplis demonſtret Thomaſſinus *Part.* II *Lib.* 3. *cap.* 24. Eo non obſtante, à Sæculo VI. ad XII. uſque, Epiſcopi, & particulares Synodi paſſim adhuc utebantur nativo ſuo in diſpenſationibus jure; ita tamen, ut nihilominùs ſæpè fieret recurſus ad Apoſtolicam Sedem, maximè in cauſis majoribus & difficilioribus, quas Epiſcopi ſponte ad Pontificem amandabant. Idem *l. cit. cap.* 25. 26. *&* 27. Defluit hæc poteſtas (utique juxta eum modum, quem num. præcedente deſcripſimus, uſurpanda) *ex jure ligandi, & ſolvendi*, quod cuivis Epiſcopo datum eſt; hanc etiam exercet reſpectu Canonum ab univerſali Eccleſia acceptatorum, tanquam à Spiritu Sancto poſitus, ut in ſua diœceſi regat Eccleſiam Dei. Nec obſtat, quod ſic inferior diſpenſaret in lege Superioris; hoc enim ſi Epiſcopos in prudenti regimine ſuorum diœceſanorum arctaret, etiam Papam impediret, quominùs in Decretis Generalium Conciliorum diſpenſare poſſet in *Gallia*, in qua iiſdem Conciliis ſubeſſe creditur, & tamen rationabiles ejus diſpenſationes admittuntur. Sic Theologi & Canoniſtæ Romano Pontifici communiter attribuunt poteſtatem *certis in caſibus* diſ-

penſandi

penſandi *in lege divina* ; ex ratione , quòd acceperit omnem poteſtatem neceſſariam ad rectam fidelium gubernationem . Conf. Gibert *Corp. Jur. Can. Tom.* II. *pag.* 104. & 149.

4.) Hæc hactenus ita ex Jure & conſtanti Eccleſiæ Traditione . Aſt poſtquam lapſu temporis , maximè Sæculo XII. & ſequentibus Synodi particulares ferme ex integro deſinebant , & Epiſcopi ex una parte ſua jura negligentiùs vindicabant , ex altera verò Pontifices ſuas prærogativas in immenſum exaltabant , maxima pars diſpenſationum Sedi Apoſtolicæ reſervata eſt . Nemo inquit Thomaſſinus *cit. Lib.* III. *cap.* 28. *num.* 4. , tam hoſpes eſt in Annalibus Eccleſiæ , qui neſciat Juris novi Decretalium veluti principem & parentem eſſe INNOCENTIUM III. Unde quæcunque ille principia conſtanter tenuit & ſecutus eſt , illa in toto Juris novi & Decretalium Corpore dominantur . Porro dominans Innocentii principium , ex quo jus in Eccleſiæ diſpenſandi metitus eſt , fuit prætenſa ex ſua parte *plenitudo poteſtatis* , ex parte Epiſcoporum *pars ſollicitudinis* . Sic ille Regeſto XVI. Epiſt. 154. *Aſcitis aliis in partem ſollicitudinis , Summus Pontifex aſſumptus eſt ad plenitudinem poteſtatis ; qui cùm moderator ſit Canonum , juri non facit injuriam , ſi diſpenſat . Præſertim cùm diſpenſatio ſic Juris vincula laxet in aliquo , quòd in aliis non diſſolvit : & ſic beneficium gratiæ ſpiritualis inducat , quod vigorem Conſtitutionis non perimit generalis .* Item in cap. 4. X. de Conceſſ. præbend. *licet intentionis noſtræ non ſit inveſtituras de vacaturis factas contra Canonum inſtituta ratas habere : qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare .* Demum in cap. 3. X. de Translat. Epiſ. *Non enim homo , ſed Deus ſeparat , quos Romanus Pontifex , qui non puri hominis , ſed veri Dei vicem gerit in terris , Eccleſiarum neceſſitate vel utilitate penſata , non humana , ſed divina potiùs auctoritate diſſolvit .* Quæ de plenitudine poteſtatis hic profert Innocentius, quæque huic porrò annectit attributa , ea ſat infirmo pede ſtare , prudentioribus notum eſt . Solidius igitur fundamentum huic Pontificio juri quærendum . Fortè illud Pontifici competit tanquam *annexum Primatus* , cui neceſſariò adhærere debeat ſuprema in Eccleſia poteſtas . Conciliorum decreta pro negotiis occurrentibus & in particularibus caſibus interpretandi , ac ubi neceſſitas , vel Eccleſiæ utilitas poſtulat , moderandi : Quod tamen Gerſon , à nobis *num.* 7. recenſendus , admittere non videtur . Veriùs itaque certiuſque illud ei tum tacitè , tum expreſſè ,

preſſè , attributum eſt , & agnoſcitur ab *Eccleſia* . De hac ab Eccleſia Papæ agnita poteſtate intelligendus S. Bernardus Lib. III. de Conſiderat. cap. 4. ibi : *Quid ? inquis : prohibes diſpenſare ? Non ſed diſſipare . Non ſum tam rudis , ut ignorem poſitos vos diſpenſatores , ſed in ædificationem , non in deſtructionem* .

5.) In Concilio Lateranenſi IV. Anni 1215. editis adverſùs pluralitatem beneficiorum decretis ſubditur hæc clauſula : *Circa ſublimes tamen & literatas perſonas , quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ , cùm ratio poſtulaverit , per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari* . Hæc non ſolùm eſt expreſſa , ſed etiam , uti videtur , *excluſiva* diſpenſandi facultas , Papæ in hoc puncto tributa. Similis reſervata diſpenſandi poteſtas colligitur etiam ex cap. 20. X. *de Elect.* In eo ſæpè laudatus INNOCENTIUS III. verba faciens de Canone , quem ALEXANDER III. publicaverit in Concilio Lateranenſi III. adverſùs ſpurios : *Nobis tamen* , inquit , *per eum adempta non fuit facultas diſpenſandi , cùm non fuerit prohibentis intentio , qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare , pari poſt eum , imò eadem poteſtate fruituris ; cùm non habeat imperium par in parem* . Ex ea Innocentii reſponſione colligitur , Pontifici viſum eſſe , non ampliùs Epiſcopis adfuiſſe poteſtatem diſpenſandi in decretis Lateranenſium Conciliorum ſæculi XII. & XIII. habet hæc ſpecialitas , juri Epiſcoporum ſuprà num. 3. à nobis ſtabilito derogans , ſuas cauſas . Erant enimverò hæc Concilia tanquam generales conventus totius Occidentalis orbis ; refigebatur in iis Latinæ Eccleſiæ diſciplina univerſa , quam dudum colluvies quædam vitiorum prorſùs labefactarat . At nova hæc diſciplinæ reſtauratio nullius ponderis & vigoris futura erat , ſi ſingulis Epiſcopis permitteretur in ejus decretis diſpenſandi facultas . Ita Thomaſſinus *cit. cap.* 28. *num.* 5. Et rectè . Verùm imprimis hæ & ſimiles reſervationes , quamvis in memoratis Conciliis placitæ , non fuerunt generaliter receptæ , uti conſtat ex Conſtitutionibus Synodalibus Richardi Poore Epiſcopi Sarum in Anglia an. 1217. *Can.* 2. apud Harduinum *Tom.* VII. *col.* 89. & ex Concilio Andegavenſi an. 1365. *Can.* 8. eod. *Tom.* VII. *col.* 1774. Deinde non immerito dubitari poſſet , an hæc jurium Epiſcopalium in Summum Pontificem translatio habenda ſit pro *perpetua* eorundem abdicatione , an pro *temporaria* tantùm , quoaduſque ſcilicet eædem circumſtantiæ duraverint . Dabimus pro hu-

jus

jus rei elucidationis exemplum ex actis ejuſdem INNOCENTII III. deſumptum. Monuit is *Regeſt.* XV. *Epiſt.* III. Gallicanos Epiſcopos, ne diſpenſationibus minùs circumſpectè largiendis eccleſiaſticam enervarent diſciplinam, Sedi verò Apoſtolicæ pro more reſervarent majoris infamiæ crimina abſolvenda: *attentiſſimè proviſuri*, inquit, *quatenùs in hoc articulo ſic flectatis, ut non rumpatis nervum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ne facilitas veniæ peccandi tribuat incentivum. Volumus igitur & præcipimus AD CAUTELAM, ut diſpenſationem eorum Sedi Apoſtolicæ reſervetis, qui publicè delinquentes, non verentur in populi ſcandalum generare.* Tantò lubentius, ait Thomaſſinus *l. c. nu.* 3. huic mandato paruiſſe Galliæ Epiſcopos, quòd impares ſe ſentirent tantæ, & multitudini & importunitati hominum, has diſpenſationes efflagitantium. Quis autem dixerit, Epiſcopos Galliæ voluiſſe hanc reſervationem eſſe & fieri perpetuam? Adde infrà *Cap.* VII. §. 6. Interim hiſce viis res eò deductæ ſunt, ut hodie fermè omnes diſpenſationes in SS. Canonibus, in impedimentis matrimonii, irregularitatibus, cenſuris Eccleſiaſticis, ſimoniis, aliiſque delictis ad Pontificem pertinere communiter credantur.

6.] Ex his concludimus *a.*) Epiſcopis Jure divino competere jus diſpenſandi in ſuis diœceſibus ex cauſa Canonica in omnibus cauſis diſpenſabilibus: *b.*) Huic juri non potuiſſe præjudicari, per reſervationes, à Summis Pontificibus factas ex prætenſa plenitudine poteſtatis. *c.*) Certum minimè eſſe, quòd reſervationes diſpenſationum, in Conciliis Generalibus factæ, fuerint & ſint perpetuæ; id magis dependere à circumſtantiis, pii, & prudentis Epiſcopi judicio ponderandis. Locum hic & attentionem meretur ſequens animadverſio Petri Rebuffi in *Praxi Benefic. Tit. de Diſpenſ. ad plura benef. num.* 32. *pag. m.* 370. „ Ignari Epiſcopi, neſcientes, quàm pulchra Jus Canonicum „ eis tribuiſſet privilegia, paulatim ex conſuetudine & ſtylo Cu„ riæ Romanæ derogari illis paſſi ſunt, & jus ſuum neglexerunt; „ verumtamen adhuc jure poſſent ex præfata neceſſitatis cauſa „ diſpenſare. „ Ubi etiam allegat *cap.* 26. & 33. *X. de Præb.* alioſque textus ad probandum, quòd Epiſcopus ex cauſa diſpenſare poſſit contra Concilia Generalia; dicens, id ita practicari, & ſervari in Gallia.

7.) Diximus ideo nonnullas diſpenſationes reſervatas fuiſſe Summæ Sedi, etiam per Concilia univerſalia, quia ſic

 melius

melius proſpectum credebatur diſciplinæ Eccleſiaſticæ ; ſed verſum deinde eſt folium . Audiamus ea de re Gerſonem *Tract. de Reformat. Eccleſiæ in Concilio univerſali Cap. XVII.* „ Caveat „ univerſalis Eccleſia ſuper omnia , ut nunquam ſub quovis co„ lore concedat Papæ poteſtatem diſpenſandi contra ſtatuta Gene„ ralis Concilii , aut ea interpretandi , ſeu immutandi , pro„ pter varietates temporum , & novos ſupervenientes caſus , „ ſed quòd ſolùm illa debeant immutari per aliud Concilium „ Generale , fiendum de tempore in tempus propter reformationem „ Eccleſiæ . Luce enim clariùs conſtat , quòd pro majori parte „ facta & ordinata in quatuor Generalibus Conciliis principalibus , „ & aliis Conciliis , per temporum ſucceſſiones , ſtatuta , cre„ ſcente avaritia Pontificum , Cardinalium , & Prælatorum , tam „ per Papæ reſervationes , quàm per iniquas Cameræ Apoſtolicæ „ conſtitutiones , & Cancellariæ Regulas , & *ambitioſas diſpen„ ſationes* , abſolutiones , indulgentias &c. ſint ferè immutata , „ & quaſi in deriſum & oblivionem poſita .

8.) Sic cogitabatur tempore Concilii Conſtantienſis , nec aliter tamen adhuc agebatur tempore Tridentini . Colligimus hoc inter cætera ex Concilio delectorum Cardinalium & Prælatorum PAULO III. dato , cujus partem jam retulimus hoc §. „ In „ eo iidem Patres haec inter alia : Ideò nos ad te accerſiviſti , „ imperitos quidem , & tam magno negotio impares , non parùm „ tamen affectos . . . . ac graviſſimis injunxiſti , ut omnes hos „ abuſus colligeremus , tibique illos ſignificaremus : obteſtatus „ nos reddituros eſſe rationem hujus negotii nobis demandati „ Deo optimo , ſi negligenter ac infideliter ageremus . . . . „ Illud verò ante omnia putamus ſtatuendum eſſe . . . . ut quan„ tum fieri poteſt , leges ſerventur . Nec nobis licere diſpenſare „ in legibus , niſi urgenti de cauſa & neceſſaria &c. „ Fuit in horum ſequelam diſpenſationibus legitimus modus in Tridentino poſitus , ſignanter *Seſſ. XXIV. de Matrim. cap.* 5. nec non *Seſſ. XXV. de Ref. cap.* 18. Sed qualiter ea Romæ ſerventur , paucis incognitum eſt . Utinam verum non eſſet quod ſcripſit Benedictus Oberhauſer Praelect. Canon. in Proœmio pag. 19. quodque à nobis alibi etiam obſervatum meminimus , ſcilicet : *Pontificum potentia nulla re magis cenſeri poſſe creditur , quàm ſi diſpenſationes à Canonum obſervantia in infinitum extenditur* . Cùm PIUS V. aliquando in cauſa matrimoniali Canonicè diſpenſaſſet cum duobus Hiſpanis , qui ante obtentam gratiam , &

ad

ad eam impetrandam , 15000. aureos obtulerant , monuit Papam Datarius , ut hanc ſummam acceptaret, piis , ùt inquiebat , uſibus applicandam ; ſed ei Pontifex hæc verba repoſuit : *Raró , ex cauſa , & gratis* . Loquebatur vir Sanctus ex Triden. Concilio , & ex traditione Romanæ *Sedis* , Datarius ex uſu *Curiæ* , qui hodieque viget . Factum refert Felibianus in Additionibus ad Vitam Pii V.

9.) Quòd diſpenſatio contra Canones & abſque legitima cauſa Pontificis diſpenſantis conſcientiam multùm gravet , pulchro documento teſtatus eſt BONIFACIUS VIII. in *cap. fin. de Reſcriptis in Sexto* . Optans , ut ſuis hac in parte lapſibus ſuaque pœnitentia cautiores fiant Pontifices ſucceſſores . Verba Bonifacii hæc ſunt : *Quia per ambitioſam importunitatem petentium tam nos , quàm nonnulli prædeceſſores noſtri Romani Pontifices indulgentias perpetuas multis conceſſimus de percipiendis fructibus beneficiorum ſuorum , diſtributionibus quotidianis duntaxat exceptis , ſive in ſcholis eſſent , ſive in Eccleſiarum ſuarum altera reſiderent , aut in Romana Curia moram traherent , ſeu alio certo loco , vel etiam ubicunque : ex quo inſolentiæ oriuntur vagandi , & diſſolutionis præparatur materia , minuitur cultus divinus , quem deſideramus augeri , & officium plerumque , propter quod beneficium Eccleſiaſticum datur , omittitur : Nos volentes emendare præterita , & quantum poſſumus , adversùs futura cavere , omnes hujuſmodi , & ſimiles indulgentias perſonis , non Eccleſiis , vel dignitatibus datas penitus revocamus , & earum conceſſionem noſtris volumus exulare temporibus . Quodque nobis licere non patimur , noſtris ſucceſſoribus indicamus* . In hoc Capitulo varia meritò obſervamus : *a*) ex verbis *ſive in Eccleſiarum ſuarum altera reſiderent* , colligimus , qualiter Bonifacius ejuſque prædeceſſores etiam faverint beneficiorum pluralitate . *b*) Ex verbis *Indulgentias perſonis , non Eccleſiis datas* , diſcimus à contrario verum ac legitimum diſpenſationum uſum . Demum *c.*) quod hìc Pontifex de una ſpecie diſpenſationis proponit , in omnibus peræque obtinet . Quis autem poſt hanc Bonifacii Decretalem ſuſtineat , Papam non ligari Canonibus ?

10.] Quod de *Diſpenſationibus* hactenus dictum eſt , idem & de *Privilegiis* , proportione ſervata , tenendum venit . De his ita S. GREGORIUS M. Lib. II. Indict. X. Epiſt. 39. (*)

 ad Domini-

(*) *Hodie Lib. II. Epiſt. 47.*

ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum : *De Eccleſiaſticis privilegiis quod veſtra Fraternitas ſcribit , hoc poſtpoſita dubitatione teneat : quia ſicut noſtra defendimus , ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus*. Huic loco Guſſanvilæus hanc præclaram ſubiicit notam : Privilegia nec abominatur universè , nec verò „ paſſim concedit S. Gregorius ; medio tutiùs incedit : Iniqua „ ſunt, quæ jus Naturæ, jus Divinum, jus Canonicum , utili- „ tatem Publicam perturbant . Æqua ſunt , quæ legem non „ tam ſolvunt , quàm ſupplent , adjuvantque , ſalva juſtitia , „ æquitate ſuadente ac impellente ; ita ut non tam ipſis pri- „ vilegiariis provideatur , quàm Eccleſiæ, populique fidelis ſa- „ lus ex æquo procuretur & bono . His ſitibicinibus fulciantur „ privilegia , per me ſtabunt , nec illis obſtabunt Chalcedo- „ nenſes Canones 4. & 8. „ Eandem Notam Patres Benedectini Congregationis S. Mauri in ſua editione repetunt. Prudentia , æquitate ac juſtitia plenas has regulas non fuiſſe ſervatas in generalibus Regularium privilegiis , quibus eorum ſtatus ſubjectionis hierarchicæ & canonicæ obedientiæ mutatur in ſtatum exemptionis ab hierarchica ſubjectione & canonica obedientia , cum perturbatione *Juris Canonici* & everſione *jurium Epiſcopalium* , proinde nec *æquitate ſuadente* , nec *juſtitia ſalva* , apparebit ex iis , quæ de generalibus his exemptionibus pluribus tradituri ſumus *Cap.* VII. §. 7. *&* 8.

Ad pag. 259. *linea* 18. *dele poſtremas duas lineas , & ſubſtitue ſeqq.*

Concilium Lugdunenſe II. anno 567. habitum apud Harduinum Tom. III. col. 353. præcipit , *ut ſi quid inter Epiſcopos ejuſdem provinciæ contentionis emerſerit , Metropolitani ſui & comprovincialium Epiſcoporum judicio ſint contenti ; quòd ſi diverſæ provinciæ fuerint , conveniant Metropolitani duo , atque communi fratrum ſtudio res judicetur* . Additur pœna in eum , qui ſe ab hac conditione ſubſtraxerit , ut trium menſium ſpatio à fratrum charitate ſequeſtretur. In Capitulis, quæ Anno 785. HADRIANUS I. Papa Ingilramno Metenſi Epiſcopo , vel Ingilramnus Hadriano Romæ tradidit , apud Harduinum eod. Tom. III. col. 2061. cap. 12. *Prudentiſſimè juſtiſſimeque Nicæna ſive Africana Decreta definiverunt , negotia in ſuis locis , ubi orta fuerint ſinienda ; maximè quia unicuique conceſſum eſt , ſi judicio offenſus fuerit cognitorum , ad Concilium ſuæ provinciæ , vel etiam univerſale provocare* . Concilium Francofurtanum Anni 794.

Can. 6. apud Harduinum Tom. IV. col. 905. *Statutum eſt à domno Rege & Sancta Synodo, ut Epiſcopi juſtitias faciant in ſuis Parochiis. Si non obedierit aliqua perſona Epiſcopo ſuo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & ceteris Clericis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum ſuum, & ille dijudicet cauſam cum ſuffraganeis ſuis. Comites quoque noſtri veniant ad judicium Epiſcoporum. Et ſi aliquid eſt, quod Epiſcopus Metropolitanus non poſſit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato cum litteris Metropolitani, ut ſciamus veritatem rei.* Scripſit ad NICOLAUM I. Papam Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis apud Flodoardum Hiſt. Remenſis Lib. III. cap. 13. *Abſit à nobis, ut privilegium primæ & ſummæ Sedis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificis pro parvo ſic pendamus, ut controverſias & jurgia, tam inferioris, quàm ſuperioris ordinis, quæ Nicæni, & cæteri Sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii & aliorum* Romanæ *Sedis Pontificum decreta in Synodis provincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad veſtram ſummam Auctoritatem fatigandam ducamus.* Hæc ſufficiunt, & perpetuò ſuffeciſſent ad excludendas appellationes Romanas, niſi Iſidorianis Decretis tanta Eccleſiæ & Traditionis monumenta obſcurata & quodammodo convulſa fuiſſent.

Ad pag. 265. in fine Notæ (5) *Adde.*

6.) Sacrum illud Jus, quamcunque cauſam terminandi intra provinciam, haud dubiè manſiſſet integrum, niſi infauſta illa Iſidori Collectio, referta falſis Epiſtolis Decretalibus, totam Eccleſiaſticæ diſciplinæ faciem ſuſque deque vertiſſet. His etenim Appellationes ad Apoſtolicam Sedem in quacunque, etiam leviſſimi momenti cauſa ſunt propoſitæ, imò & jus tributum Summo Pontifici, ut de cauſis in quocunque loco enatis in prima inſtantia cognoſcere valeat & judicium ferre. Sic Pſeudo-Sixtus III. peregrina judicia prohibet, *ſalva*, inquit, *in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate.* Can. 12. Cauſ. III. Quæſt. 6. Sic Pſeudo-Anacletus in Can. 15. ead. Cauſa & Quæſtione definit, unamquamque provinciam ſuos Judices habere debere, non extraneos, *niſi Apoſtolicæ Sedis decreverit auctoritas.* Inde & Pſeudo-Damaſus ad Afros ſcribens, in Can. 6. eadem Cauſ. & Quæſt. poteſtatem Metropolitani & Concilii Provincialis in Epiſcoporum cauſis, & ſummis cauſarum Eccleſiaſticarum querelis ad id reſtringit, ut facta, quæ allegentur, diſcutere valeat, ipſas

ipſas verò cauſas definire ad ſolius Apoſtolicæ Sedis auctoritatem pertineat. His ſanè falſis Decretalibus impensè faverunt Summi Pont. GREGORIUS IV. LEO IV. SERGIUS, NICOLAUS I. aliique; nec mirum, utpote quæ Romani Pontificis poteſtatem ultra modum eveherent, depreſſa tanto magis cæterorum Epiſcoporum poteſtate. His equidem pro poſſe reſtiterunt Galliæ Germaniæque Epiſcopi ſub imperio Caroli M., Ludovici Pii, & Caroli Calvi; Hincmarus præſertim Remenſis Archiep. in ſua ad Nicolaum I. Epiſtola paulò antè laudata. Aſt prævaluit turbatiſſimis illis temporibus ambitioſum illud Jus novarum Decretalium, quæ ab omnibus habebantur pro antiquis, in tantum, ut tempore Concilii Conſtantienſis graviſſimæ ea de re fuerint Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum & Anglorum querelæ.

Ad pag. 267. ante notam (1) lege etiam
Conferantur hìc quæ dicentur Cap. VIII. §. 2. num. 6.

Ad pag. 280. in fine Adde ſequens §.

§. X.

Appellationem Romanorum incommodis Synodus Baſileenſis remedium attulit. Idem fecere Concordata Galliæ & Germaniæ.
Illud, quod Concilio Tridentino præſcriptum fuit, inſufficiens eſt.

Subſiſtente identidem falſarum Decretalium ſyſtemate, ejus ſequelæ omnibus adeo intolerandæ viſæ ſunt, ut quamvis ob defectum artis Criticæ illud ex fundamento everti non poſſet, nihilominus his temperandis manum apponendam eſſe, bonis omnibus tandem videretur. Igitur ſubſiſtente hactenus prætenſo Romanarum Appellationum jure, in Concilio Baſileenſi Seſs. XXXI. nono Kal. Februarii Anno 1438. habita, Decreto *de Cauſis*, quod incipit ab his verbis *Eccleſiaſticæ ſollicitudinis*. §. *Quæ attendens*, & §. *Si verò quiſpiam*. Conſtitutum eſt, ut in partibus ultra quatuor dixtas à Romana Curia diſtantibus omnes quæcunque cauſæ (exceptis Majoribus in Jure expreſsè enumeratis, & Electionum Eccleſiarum Cathedralium, nec non Monaſteriorum Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum) apud eos Judices in partibus terminarentur & finirentur, qui de Jure aut conſuetudine præſcripta vel privilegio cauſarum hujuſmodi cognitionem habent; utque ſi quis à Sedi Apoſtolicæ immediate ſub-

jecto

jecto ad eandem Sedem appellaverit, cauſa per reſcriptum *in Partibus* committatur uſque ad finem litis. Quidquid autem in contrarium hujus ſaluberrimi Decreti attentatum, factum vel obtentum fuerit, ſit ipſo Jure nullum, & impetrans in expenſas condemnetur.

Hæc Baſileenſis Concilii Decreta inſerta ſunt Pragmaticæ Sanctioni Galliæ *Tit.* IV. *de Cauſis* §. 1. 2. & 5. itemque, licèt paululùm immutatis verbis, in Concordatis Galliæ *Tit.* 26. *de Cauſis* & *Tit.* 28 *de Exemptorum appellationibus*. Hoc jus in Gallia religioſiſſime ſervatur. Idem Baſileenſe Decretum Germania publicè ſub Alberto Rege acceptavit in Concordatis Principum de Anno 1439. ſicque ſolemni pacto cum Sede Apoſtolica inito ſibi non tantùm fecit approbari, ſed etiam in ſubſecutis Concordatis Aſchaffenburgenſibus ſalvari; qua de re omninò videndus Libellus, cui Tit. Concordata *Nationis Germanicæ integra*.

1.) Qualiter hoc Baſileenſe Decretum ſub Alberto Rege Germaniæ die 26. Martii Anno 1439. Moguntiæ (ubi & Cardinalis S. Petri ad Vincula, & Legati Regis Francorum, nec non Regis Caſtellæ & Ducis Mediolanenſis aderant) ab Oratoribus Regis Germaniæ, Archiepiſcoporum & ſtatuum Imperii receptum atque acceptatum ſit, narrant Raynaldus in *Annal. ad an.* 1439. *num.* 19. Harzheim *Concil. German. Tom. V. pag.* 259. Ipſum verò Acceptationis inſtrumentum proſtat in memorato integrorum Concordatorum Libello *pag.* 21. in quo ita cavetur: „ Nos Oratores Romani Regis, Principes Electores hìc præſentes, aliorumque Electorum ſacri Imperii & Alemaniæ Metropolitanorum abſentium Oratores, Decreta ſacri Baſileenſis Concilii acceptamus cum omni honore, reverentia & devotione . . . . Acceptamus ſimiliter ultimum Decretum triceſimæ primæ Seſſionis, diſponens de Cauſis & de Appellationibus, quod incipit *Eccleſiaſticæ ſollicitudinis ſtudium*. „ Porro EUGENIUS IV. 5. Febr. An. 1447. Germanicæ Nationi indulſit, ut ab eadem ſic acceptatum Decretum finale Seſſionis XXXI. Concilii Baſil. ſervetur, uſquedum cum eadem Natione aliter conventum, vel in futuro Concilio Generali aliud fuerit ordinatum. Eugenianam hanc declarationem ediderunt L. B. de Senckenberg *Receſs. Imp. Part.* I. *pag.* 174. Harzheim *cit. Tom. V. p.* 301. In ea ſic diſponitur: „ Super aliis autem Decretis Baſileæ editis, & per claræ memoriæ quondam Albertum Romanorum Regem acceptatis, „ ex

„ ex quorum obſervantia Natio Germanica præfata ex plurib
„ gravaminibus dicitur relevari, contenti ſumus, volumus ac
„ decernimus, quòd omnia & ſingula vigore Decretorum hujuſ-
„ modi cum ſuis modificationibus acceptatorum quomodolibet ge-
„ ſta vel acta ſunt, rata & firma perſiſtant ..... Permittentes
„ interim & indulgentes, quòd omnes & ſinguli, qui præfata
„ Decreta receperunt, illis liberè & licitè uti poſſint ......
„ donec per Legatum hujuſmodi, ùt prædictum, concordatum
„ fuerit, vel per Concilium, quod ad prædictorum Regis, Præ-
„ latorum & Principum exhortationem convocare proponimus,
„ aliter fuerit ordinatum.

2.) Tantum abeſt, ut Eugeniana hæc conceſſio (quam NICOLAUS V. mox ſub initium ſui Pontificatus confirmavit. Vid. Raynaldum *ad an.* 1447. *num.* 17.) per Concordata Germaniæ Aſchaffenburgenſia Anni 1448. ſublata ſit, ut ex contrario in iiſdem expreſsè confirmata deprehendatur, circa finem his verbis: *in aliis autem, quæ per felicis recordationis Dom. Eugenium Papam* IV. *pro Natione præfata uſque ad tempus futuri Generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta atque decreta, & per memoratum Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa Concordiæ præſenti non obviant, iſta vice nihil extitit immutatum.*

3.) Negari equidem non poteſt, ſæpiſſimè hac in parte Concordatis Germaniæ contraventum fuiſſe, dum Romani non tantùm prorogationes privatorum admitterent, ſed & ſubinde compellere vellent partes, ut in cauſis non Majoribus Romæ litigarent; qui, ſi adverſùs Curiam Romanam rem habere nollent, ultrò debebant cedere. Verùm publico nomine hiſce abuſibus nunquam ceſſum fuit. Quare Anno 1457. Cancellarius Moguntinus Meyer in Epiſtolis ad Card. Æneam Sylvium conqueſtus eſt, quòd *cauſæ, quæ in partibus tractandæ terminandæque fuerant, ad Apoſtolicum tribunal indiſtinctè trahantur.* In Gravaminibus Nationis Germanicæ de annis 1510. & 1518. legitur: *Cauſæ, quæ in Germania, in qua etiam docti & juſti ſunt Judices, terminari poterant, ad Tribunalia Romana trahuntur.* Ideo Legatus Pontificius anno 1522. promittere debuit remiſſionem cauſarum Germaniæ in Rota Romana admiſſarum, in Lunig. *Spicileg. Eccleſ. Part. I. pag.* 389. Et ut quàmplures alias Germanorum proteſtationes adverſùs Concordatorum infractiones

prætermittam

prætermittam : juratæ illæ , quas ſinguli Imperatores in ſuis Capitulationibus faciunt promiſſiones de omni opera impendenda , ne Concordatis Principum contraveniatur , ſunt toties iteratæ ſalvationes , publico nomine factæ , adversùs illegitimas hujuſmodi contraventiones . Hinc minimè dubitandum , quin cuivis privato, hac in parte adversùs Concordata Principum gravato , à Conſilio Imperiali Aulico auxilium præſtandum , & ad ejus implorationem Mandata S. C. de non contraveniendo Concordatis decernenda ſint . Monet autem , & rectè , Greg. Zallwein *Tom.* II. *Quæſt.* 3. *cap.* 3. §. 7. cavendum eſſe , ne cauſa qualiſcunque ad Curiam Romanam devolvatur , quæ Romanas quomodocunque reſpicere poſſit Reſervationes , quippe quæ procul dubio , ſecundùm eaſdem Reſervationes decideretur , licèt illæ in partibus receptæ non eſſent . Inter has numerari poſſunt ſequentes : PIUS V. reſervavit beneficia hæreticorum , beneficia recepta per confidentiam ſimoniacam , parochias extra concurſum collatas , ALEXANDER VI. beneficia eorum , qui litigantes in Curia Rom. offendunt . GREGORIUS XIII. beneficia reſignata , quorum reſignationes non ſunt publicatæ &c. Vide etiam Regulas Cancellariæ 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 15. 18. 19.

4.) Quid in Concilio Tridentino pro reſtrictione appellationum actum fuerit , fusè narrat van Eſpen *J. E. U. Part.* III. *Tit.* 10. *cap.* 1. Tandem in hac Synodo *Seſſ.* XXIV. *cap.* 20. *de Reform.* earumdem exceſſui & frequentiæ hic modus poſitus fuit , *ne appellationes ab Ordinariis interpoſitæ per Superiores quoſcunque recipiantur , earumque commiſſio , aut inhibitio fiat , niſi à definitiva , vel à definitivæ vim habente , & cum gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat* . Utrùm verò hoc Synodi Decreto abuſibus appellationum , præſertim Romanarum, ſufficienter proviſum ſit , haud immeritò dubitatur , cùm raro poſſit fieri ſententia interlocutoria , quæ non in ſe contineat gravamen irreparabile , adeoque à qua non poſſit appellari , prout oſtendit Bœhmerus *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. II. Tit. de Appell.* §. 10.

Ad pag. 281. *Dele in titulo ſequentia* .

Facultas diſpenſandi in Lege conciliari non arguit ſuperioritatem in illud.

Hæc de jure etiam Epiſcopis ſuo modo competit .

Ad pag. 290. in fine adde.

Cæterum per clauſulam *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, quæ legitur in fine Præfationnis Seſſ. VII. Concilii Trid. aut per hanc ſimilem, *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſit, & eſſe intelligatur*, quæ extſtat ejuſdem Concilii Seſſ. XXV. cap. 21. inferri non poteſt; quaſi ſacra hæc Synodus ſuorum Decretorum vigorem Summi Pontificis auctoritati, & Concilii jura ejus poteſtati ſubjecerit; quemadmodum demonſtrat Gibert *Corp. Jur. Canon. in Prolegom. Part. I. Tit. 20. Sect. 2. pag. 157. ſeq.* Obſervat tamen & refert Ill. Boſſuetus *Defens. Declar. Cleri. Gall. Lib. XI. cap.* 18. his clauſulis Gallos ita commotos fuiſſe, ut vel ea cauſa Tridentinam Synodum admittere recuſarent.

Ad pag. 291. Dele notas 6. 7. 8. uſque ad 9. quæ extat pag. 293.

Ad pag. 296. Retentis ſeptem primis lineis, quarum caput incipit. Ne tumultuariè Epiſcopis &c. *uſque ad verba* invito Pontifice, *dele reliqua & ſubſtitue ſeqq.*

Imperatorum hoc jus habet fundamentum omninò ſolidum: Scilicet, quoad integrum perſtabat Romanum Imperium, Eccleſia Catholica ejus ferè finibus comprehendebatur; ad Chriſtianorum autem Imperatorum, ſicut & ad quorumcunque aliorum ſupremorum Principum, officium pertinuit & pertinet, ut poteſtate ſibi conceſſa populi ſibi commiſſi non modo temporalem, ſed æternam etiam felicitatem tueantur ac promoveant. Ex utroque hoc fonte fluit jus Imperatorum, ortis hæreſibus (quæ non minùs Reip. politicæ tranquillitatem, quàm Eccleſiæ pacem atque unionem labefactant] imperandi Epiſcopis ſuæ Juriſdictioni & Imperio ſubjectis, ut in cœtum coeant, unicum exſtirpandis hæreſibus & ſchiſmatibus remedium, collatiſque ſuffragiis pro poteſtate ſibi à Deo collata decernant, quid ex Lege Dei credendum eſſet. Sicuti hoc jus competiit olim Imperatoribus in univerſo Chriſtiano Orbe, id eſt, toto Romano Imperio, ita & cuivis imperanti competit in ſuo territorio: Suadet hoc ratio jam allata; & probat Hiſtoriarum fides; illud à Regibus Franciæ & Germaniæ jam inde à prima Chriſtianiſmi origine fuiſſe exercitum.

Bellarminus *Tr. de Conciliis Lib. I. cap.* 12. generaliter

aſſerit , Jure divino Rom. Pontifici competere jus *excluſivum* Generalia Concilia indicendi . Hoc ſanè non probatur ex duobus Theologiæ principiis , quæ ſunt *Scriptura* , in qua ea de re nihil ; & *Traditio* , quæ manifeſtè repugnat . In Synodo Hieroſolymitana (qua tum alii , tum præſertim Synodi V. Patres Collatione VIII. apud Harduinum *Tom.* III. *col.* 189. celebrandorum Conciliorum formam exprimi judicant) invenitur quidem *Act. XV.* Simonem Petrum omnium primum locutum eſſe , Synodum autem ab eodem convocatam fuiſſe , non traditur . B. Lucas in Actis Apoſtolorum , quod notatu ſibi viſum eſt neceſſarium , in acta retulit , ratus , & perſonam quæ Synodum convocat , & Synodi convocationem , extrinſecum eſſe aliquid , nec ad rei per Synodum definiendæ aut definitæ naturam neceſſariò pertinere . His adde Gerſonium , cujus verba §. 15. *nu.* 2. *hoc cap.* referemus .

Ad pag. 298. *in fine adde Notas ſeqq.*

5.) „ Generalia Concilia indicendi ſeu convocandi jus penes Summum Pontificem eſt , qui & eis per ſe vel per Legatos præeſt : abſque illo habita , non cenſentur legitima , „ *juxta vetuſtum Eccleſiæ Canonem, jam Sæculo quarto agnitum* , „ inquit Franciſcus Zech S. J. in Præcognitis Juris Canonici *Tit.* IX. §. 156. citans pro fide hujus Canonis Socratem & Sozomenum in Hiſtoriis Eccleſiaſticis . Videamus quid in hoc argumento ſit roboris ad alterandam fidem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ , quàm hoc §. ſtabilivimus . Refert Socrates Lib. II. cap. 17. qualiter *Julius Romanæ Urbis Epiſcopus cognitis inſidiis , quas Athanaſio ſtruxerant Ariani . . . . . reſcribens Epiſcopis , qui Antiochiæ convenerant , graviter conqueſtus eſt . . . . . quòd contra Canones ipſum ad Synodum non vocaſſent ; cùm Eccleſiaſtica regula interdictum ſit , ne præter ſententiam Romani Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur* . Hæc ex Socrate ferè deſcribens Sozomenus Lib. III. cap. 10. *A Julio* , inquit , *ad Epiſcopos , qui Antiochiæ convenerant , litteras datas eſſe , quibus eos accuſabat , quòd Nicæni Concilii fidem clanculo innovarent , & quòd præter Eccleſiæ leges ipſum ad Synodum non vocaſſent ; legem enim eſſe Pontificiam , ut pro irritis habeantur , quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani fuerint geſta* . Duo in his lectoris attentionem merentur : imprimis , quòd Epiſcopi conciliabuli Antiocheni *contra Canones Papam ad Concilium non vocaverint* ; ſed hoc non concludit ad jus Papæ convocandi Concilium . Deinde

 aſſerta

aſſerta illa ab utroque Hiſtoriographo regula, qua interdictum ſit, *ne præter ſententiam Romani Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur*. Henricus Valeſius in Notis ad memoratum Socratis locum dicit, conqueſtum quidem eſſe in ſuis literis JULIUM, quòd non fuerit invitatus ad Synodum; quòd verò ſcripſerit, regulam eſſe Eccleſiaſticam, ut abſque conſenſu Epiſcopi Romani nihil in Eccleſia decerni poſſit, id in Epiſtola illa nuſpiam legi. Sed fallitur Valeſius. Verba Epiſtolæ Julii Papæ, ad quæ reſpexit Socrates, hæc ſunt: *An ignoratis hanc eſſe conſuetudinem, ut primùm nobis ſcribatur, & hinc quod juſtum eſt decernatur?* Integra Epiſtola proſtat in Operibus S. Athanaſii editionis Benedictinorum *Tom.* I. *pag.* 141. Eandem quoque edidit & notis illuſtravit Petrus Couſtant in *Collect. Epiſtolarum Rom. Pont. Tom.* I. *col.* 354.

6.) Ne verò ex ipſis his Julii verbis, ad quæ omnia reliqua referuntur, præſidium aliquod in eam, quam Romani jactant, ſententiam deſumi poſſe quis arbitretur, juvat hic ſubjungere notam laudati Couſtantii, viri doctiſſimi, in eundem locum *col.* 386. Is poſtquam Socratis & Sozomeni verba à nobis recitata retuliſſet, ſic proſequitur: „ Utriuſque verbis nonnihil „ mutatis Epiphanius Hiſt. Tripart. Lib. IV. cap. 9. innuit „ irritam eſſe Synodum Antiochenam, quia *neque Julius ei interfuit*, *neque in locum ſuum aliquem deſtinavit*, *cùm utique* „ *regula Eccleſiaſtica jubeat*, *non oportere præter ſententiam Ro-* „ *mani Pontificis concilia celebrari*. Hinc Iſidorus Mercator in „ Scripto Julii nomine confícto ad Orientales num. 3. affirmat, „ *canonibus in Nicæna Synodo jubentibus*, *non debere præter* „ *ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari*, *nec Epiſcopos* „ *damnari*. Addit & in altera æque falſa Julii ad eoſdem Orien- „ tales Epiſtola num. 4. *dudùm à Sanctis Apoſtolis ſucceſſoribuſ-* „ *que eorum in præfatis antiquis Decretum ſtatutis*, *quæ hactenus* „ *ſancta & univerſalis apoſtolica tenet Eccleſia*, *non oportere præ-* „ *ter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari*, *nec Epiſ-* „ *copum damnari*. Sententiam Julii dum à diverſis tractatur, „ qui eadem verba interpolare amant, quis crederet tam diver- „ ſa rerum facie exhiberi potuiſſe? Inficiandum tamen non eſt, „ eo pacto quo res tum erant, cùm ſcilicet Euſebianorum le- „ gati ſynodum à Julio petiiſſent, cùm Julius eorum petitioni „ annuens Epiſcopos Romam vocaſſet, cùm plurimi jam veniſſent, „ Euſebianis præter Romani Pontificis ſententiam nec concilia

„ celebrare,

„ celebrare , nec de controverſis rebus decreta ſancire , nec ac-
„ cuſatos Epiſcopos damnare licuiſſe . At in eo falſi ſunt Socra-
„ tes & Sozomenus , quòd hæc Julii verba „ *An ignoratis hanc*
„ *eſſe conſuetudinem* , *ut primùm nobis ſcribatur* , *& hinc quod*
„ *juſtum eſt* , *decernatur* , de una Alexandrina Eccleſia ab eo
„ dicta , de univerſis interpretati ſint . Ei autem conſuetudini ,
„ quam Julius hic vindicat , ſuffragantur geſta Dionyſii Alexan-
„ drini , qui cùm in ſuſpicionem veniſſet hæreſeos , ad Diony-
„ ſium Romanum delatus , ſe ſe purgare non diſtulit . Et id
„ quidem Romani Pontificis in Alexandrinam Eccleſiam ſpecia-
„ le jus ad hujus Eccleſiæ originem referre licet , quippe quæ
„ Petrum , jam Romæ conſtitutum , Marci ipſius Diſcipuli opera ,
„ ſeu , ſi mavis cum Leone , Marcum in omnibus doctoris ſui
„ Petri magiſterio in omnibus conſonantem , fundatorem habuit .

Ad pag. 299. in fine adde .

Ipſi interim Imperatores priſtini ſui juris tam parum erant obliti , ut FRIDERICUS I. Imp. in Epiſtola ad Conciliabulum Papienſe data : *Quamvis noverim* , dicat , *officio ac dignitate Imperii penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum* ; *hoc enim & Conſtantinus* , *& Theodoſius* , *nec non Juſtinianus* , *ſeu recentioris memoriæ Carolus M. & Otto Impp. feciſſe memorantur* . De hoc jure etiam in Concilio Florentino inter Latinos & Græcos altercatum legitur . Idem jus à Carolo V. vindicatum cernitur in Præfatione Synodi Auguſtanæ anni 1548. apud Harduinum *Tom. IX. col.* 2029.

Quamvis autem Imperatoribus & aliis (quos mox indicabimus) convocandarum Generalium Synodorum facultas , vel ſimpliciter , vel certis in circumſtantiis competat ; tamen per hoc ab eodem jure , & proprio quidem , Summum Pontificem (ad cujus officium conſervatio ſtatus & unitatis Eccleſiæ primariò pertinet) non excludimus ; hoc ſolùm atque iterùm volumus , Jure Divino hanc Convocationem non eſſe *reſervatam* Papæ , ſed nec eam humano quidem Eccleſiaſtico Jure Pontifici competere *ſoli* ; niſi in quantum alii illam à ſe (quia mutatis circumſtantiis aliter non poterant) ſaltem tacitè abdicaverint ; quod Principes ſæculares *communiter* quidem [attamen reſervato ſuo aſſenſu] & ne *pro omni caſu* quidem feciſſe videntur .

Ad pag. 300. in fine Notæ 1. adde .

Finaliter , propter quodvis impedimentum Pontificis , ſive

phyſicum ,

phyſicum, ſive morale, convocatio Concilii Generalis, ſiquidem illud Eccleſiæ neceſſarium videatur, omittenda non erit. *Si adeſſe Concilio Pontifex propter infirmitatem non poſſit, an propter infirmitatem Papæ infirmitas Eccleſiæ tam periculoſa negligetur?* inquiunt Patres Synodi Baſileenſis ad Papam Eugenium apud Harduinum Tom. VIII. col. 1329.

Ad pag. 301. *linea prima poſt.* poterit indicere, *dele reliqua, & ſubſtitue ſeqq.*

Inter quatuor Concilia, quorum hiſtoria in Actis Apoſtolorum proſtat, illud, quod *Cap. VI.* recenſetur, numero ſeu ordine ſecundum eſt. A toto illud Apoſtolorum Collegio convocatum fuiſſe, inſinuatur *ibid. v.* 2. ubi *Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt &c.* Univerſitas Cracovienſis in Tractatu de Auctoritate Sacrorum Conciliorum, Anno 1440. edito, apud Cæſarem Bullæum in *Hiſtoria Univerſit. Pariſien. Tom. V. pag.* 499. dicit, ex hoc S. Scripturæ loco ortum habere potuiſſe celebre illud Decretum Concilii Conſtantienſis de frequenti Generalium Conciliorum celebratione & reſpectiva eorundem indictione, quod incipit per verbum FREQUENS de quo nos *hoc cap. §.* 7. *num.* 9.

Eadem pag. 301. *in fine Notæ* 4. *lege etiam*.

Et quorſum attineret illud in cauſa Papæ celebrari poſſe, niſi & ab aliis valeat hunc in finem convocari?

Item eadem pag. in fine notæ 5. *adde*.

Ex memorato Concilio Baſileenſi ita ſcripſerunt Patres ad Eugenium apud Harduinum *cit. Tom.* VIII. *col.* 1320. „ Olim „ Papa Joannes XXIII. congregato Conſtantiæ Concilio, in„ de receſſit, dans ſuo receſſu, quantùm in eo erat, occaſio„ nem diſſolutionis prætenſæ. Numquid qui Conſtantiæ reman„ ſerunt uſque in finem dicendi ſunt temerarii, & præſumtuoſi? „ Numquid ut ſequerentur Joannem, dicendum eis fuiſſet: „ Recedite hinc, ne ſit ſchiſma in Corpore? An potiùs finaliter „ pronuntiatum fuit, receſſum ſuum fuiſſe illicitum, & ſcan„ daloſum? Et quis non videat, plus eſſe expreſsè conari diſſol„ vere, quàm ſolùm corporaliter ex Concilio diſcedere? Igitur „ ſi hîc pronuntiatum ſit hujuſmodi diſſolutionem non valuiſſe, „ nihil novi factum eſt. Qui uſque ad finem Conſtantiæ perſe„ veraverunt, ab omnibus commendati, & laudati ſunt &c.

Ad pag. 303. *linea* 6. *adde* .

Concilio CONSTANTINOPOLITANO I. , Generali II. , Anno 381. celebrato , DAMASUM Papam , tunc in Cathedra Petri ſedentem , non præſuiſſe certum eſt ; cùm ne Conſtantinopoli ille quidem tum fuerit , ſed Romæ , neque Legatos ad hanc Synodum miſerit. Ad eundem & nonnullos alios Occidentis Epiſcopos ſacra Synodus direxit Epiſtolam , in qua illa ſe *Univerſalem* nominat ante omnem Romani Pontificis conſenſum , apud Harduinum *Tom. I. col.* 823, *Lit. d.*

Item eadem pag. remitte notam 3. *in fine , & loco ejuſdem lege in fine Notæ* 2. *quæ ſcribuntur Nota* 4. *& ſic Nota* 3. *erit* 4.

Ad pag. 330. *in fine adde ſeqq.*

Patres Concilii Baſileenſis in Epiſtola ad Eugenium Papam apud Harduinum *Tom.* VIII. *col.* 1341. dicunt , illud Capitulum *Frequens Seſſ.* XXXIX. ita eſſe in Eccleſia neceſſarium , ſicut oculus in capite . Dixerant iidem antè *col:* 1334. in Papæ poteſtate non eſſe hoc Decretum abolere , vel ejus diſpoſitionem fruſtratoriam reddere ; *eſſet enim* , inquiunt , *contra mentem Eccleſiæ , quæ illud pro univerſali Eccleſiæ ſtatu conſervando edidit , de quo Pontifex non* diſponit aut *diſpenſat* ..

10.] Dum Bellarminus Lib. I. de Conciliis cap. 10. dicit *Concilia utilia eſſe , & ſuo quodam modo neceſſaria , non tamen abſolutè & ſimpliciter* : ex volaticæ Academiæ principiis diſcurrit , ubi pro arbitrio quidvis negatur vel aſſeritur , non Diſciplinæ Eccleſiaſticæ , quæ ſimplici , nuda & communi oratione declaratur . Non ita loquuntur Pontifices & Concilia , quorum verba jam retulimus . Scilicet Bellarminus hìc cum ſuis Theologis Scholaſticis Generalium Conciliorum frequentationem redigit ad ſimplicem & abſolutam rerum naturalium conditionem , quæ ſumma eſt in Philoſophando fallacia : alius quippe eſt rerum *moralium* ſtatus , quo æſtimanda ſit Univerſalium Synodorum celebratio , alius rerum *naturalium* ſtatus , ubi *quòd abſolutè & ſimpliciter neceſſarium eſt* , perpenditur . Hæc noſtrorum Scholaſticorum fraus (quæ illis bona videtur) ſi ab eorum diſputatione detrahatur , ipſa diſputatio , veluti magno quodam labefactata motu , concidet.

11.) Ad ſupprimendas hæreſes Menandri , Ebionis , Ce-

rinthi , Marcionis , Nicolaitarum , Montaniſtarum , & plurium aliorum nullo opus fuit Concilio , etiam particulari ; econtra hæreſes Rebaptizantium , Arianorum , Macedonianorum &c. non niſi immenſa vi Univerſalium Synodorum ſuffocari potuerunt . Nimirum *illæ* unam alteramve ſolùm Eccleſiam , *hæ* majores quoſdam & plures infecerant Epiſcopos . Prudens eſt & æquum , ut remedium proportionetur malo . Conformiter ad hanc Eccleſiæ Diſciplinam S. Auguſtinus Pelagianis ad Concilium Generale provocantibus illud denegandum putavit ; dum econtra adverſùs alias jam nominatas hæreſes illud permiſſum , & tanquam neceſſarium decretum fuerit .

Ad pag. 335. *linea* 13. *poſt verbum* auferatur *dele* reliqua & ſubſtitue ſeqq.

Verùm hæc qualis-qualis inerrantiæ ſpecies ad ipſam *ECCLESIAM* referenda eſt , conformiter ad illud S. Auguſtini Epiſt. 55. aliàs 119. cap. 19. *Eccleſia inter multam paleam conſtituta , multa tolerat , & tamen quæ ſunt CONTRA FIDEM , vel BONAM VITAM , non approbat , nec TACET , nec FACIT* . Quo etiam pertinent verba INNOCENTII I. Diſt. LXXXIII. Can. 3. ab ejus ſucceſſoribus ſæpius deinde repetita , ſcilicet : *Error , cui non reſiſtitur , approbatur ; & veritas cùm non defenſatur , opprimitur* . Nec verum eſſe non poteſt illud verbum Apoſtoli ad Rom. I. v. 32. non ſolùm qui iſta faciunt , digni ſunt morte , *ſed etiam qui conſentiunt facientibus* : Conſentirent autem , ſi publicè laboranti atque oppreſſæ veritati non ſuccurrerent qui debent , & qui ad hoc potiſſimùm in Eccleſia conſtituti ſunt ; nam cùm quieſcunt , probant ; cùm patiuntur , decernunt ; cùm tacent , clamant . Itaque conſenſu tacito clamat Eccleſia , cùm reclamare deberet , ſi diſſentiret ; officio enim deeſſe & veritatem prodere univerſa non poteſt . Finaliter, illud Tertulliani de Præſcript. cap. 28. : *Quod apud multos unum invenitur , non eſt erratum , ſed traditum* : non ad multos tantùm *Epiſcopos* , ſed propriè ad *fidelium* multitudinem pertinet .

Ad pag. 335. *in fine , lege etiam* .

Interim his addi cupio quæ Cap. IV. §. 2. num. 13. 14. dicta ſunt .

Ad pag. 339. *linea* 3. *adde* .

Patres Concilii Baſileenſis apud Harduinum Tom. VIII. col. 1324.

1324. ad Eugenium Papam ſcripſerunt : „ Non ſolùm Eccleſiæ
„ decreta , & ſententiæ authentica ſunt, quibus & irrefragabiliter
„ ſtari oportet , ſed etiam ejus facta & conſuetudines inſtar habent
„ SS. Scripturarum . Sacræ enim Scripturæ, & conſuetudini Ec-
„ cleſiæ par ritus , & idem utriſque pietatis debetur affectus .

Ad pag. 351. *lin.* 3. *adde .*
His adde quæ pluribus expoſuimus Cap. IV. §. 2. n. 12. 13. 14.

Ad pag. 366. *in fine capitis ante notam* (1) *adde .*
Itaque ordinatum Julii II. & Gregorii XIII. moderatione indigere cenſendum eſt . Ad hanc amplectendam nos compellit S. LEO apud Gratianum *Can.* 5. *Cauſ.* XXIV. cum ait : *Manet ergo Petri privilegium , ubicunque ipſius fertur æquitate Judicium .* Sic ferendum enimvero ; ſed quis ſemper laturus eſt ? Num JOANNES XII. ? Negabit Romanum Concilium , à quo Joannes iſte propter intoleranda crimina anno 693. depoſitus eſt . Num ALEXANDER VI. ? Non aſſentiet JULIUS II. qui ſe ab eodem immaniter tractatum ſcribit in Bulla , qua Lateranenſe Concilium indicit , apud Harduinum Tom. IX. col. 1586. Ubi , *quid enim* , inquit , *felicis recordationis Alexandro* VI. *Romanorum Pontifici prædeceſſori noſtro magis nos odioſos fecit , niſi ſtudium , & cura Generalis Concilii celebrandi ? &c.* Hi ſanè exceſſus erant quovis Juris remedio emendandi . Propter levius autem quodcunque gravamen à Pontificis decreto ad Concilium provocare , nec expedit , nec convenit . Potiùs tum ſequendum Conſilium moderatione plenum Epiſcoporum viginti duorum anno 895. Triburiæ in Villa regia ad Rhenum congregatorum *Can.* 30. apud Harduinum Tom. VI. col. 448. ubi : *In memoriam Beati Petri Apoſtoli , honoremus Sanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem : ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis , eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis . Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas ut licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum , conferamus , & pia devotione toleremus .* Sicuti in pleriſque aliis , ita maximè in his , ſervanda medietas .

Ad pag. 368. *ante* §. XIII. *adde notam ſeq.*
7.) Cardinalis Monilianus in Compendio Inſtitutionum Theologicarum agens Cap. XIV. de utilitate & neceſſitate Conciliorum ita loquitur : *Conciliorum celebratio valet ad quinque ....* Et poſt pauca , *Quartò valet ad refrœnandum exorbitantias quorundam*

dam Pontificum, qui munus ſacrum, aut ſpretis Sanctorum Patrum regulis & pro voluntate exercent, aut ſimoniaca pravitate dehoneſtant, aut ſæculi vanitate, aut vita ſcandaloſa confundunt. Hæ Theologicæ Inſtitutiones à Papa PIO V., cùm ſub nomine Michaelis Cardinalis Alexandrini officio Magiſtri Sacri Palatii fungeretur, approbatæ fuerunt.

Ad pag. 398. linea 3. lege etiam ſeqq.

S. GREGORIUS M. Homilia VII. ſuper Ezechielem: *Si de veritate*, ait, *ſcandalum ſumitur, utiliùs permittitur naſci ſcandalum, quàm ut veritas relinquatur.* Et S. Thomas in Secunda Secundæ Quæſt. XLIII. art. 7. *propter nullum*, inquit, *ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere.*

Pagina eadem in fine Notæ (7) lege etiam.

Apud Harduinum Tom. X. col. 636.

Item eadem pagina in fine Notæ (7) adde notas ſeqq.

8.) Dum optima mente pro bono Eccleſiæ hæc profero, audio nonnullos dicentes, mitioribus verbis utendum eſſe, cùm de Romano Pontifice ſermo inſtituitur. Abſit, ut vel in minimo recedamus à reſpectu tanto Capiti debito. Eccur autem non liceat pro tot & tantorum malorum medela iterum, & iiſdem quidem verbis, proferre, quod graviſſimi viri eodem fine, ſed fructu nondum ſecuto, dixerunt? Quis nos cum veritate arguet, quòd de Romanæ *Curiæ* abuſibus fortiùs locuti ſimus, quum id fecit HADRIANUS VI. in inſtructione data Franciſco Cheregato, ſuo ad Comitia Imperii Legato, in Raynaldi *Annal. Eccleſ. Tom. XX. ad an. 1522. num.* 70. in qua hæc: „ Scimus, in hac Sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, omnia denique in perverſum mutata: nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit. Omnes nos, id eſt, Prælati & Eccleſiaſtici declinavimus unuſquiſque in vias ſuas, nec fuit *jam diu* qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum. Quamobrem neceſſe eſt, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas noſtras ei, videatque unuſquiſque noſtrum unde ceciderit, & ſe potiùs quilibet judicet, quàm à Deo virga furoris ſui judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet,

„ polliceberis, nos omnem operam adhibituros, ut primùm „ Curia hæc, unde fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur; ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita „ etiam ab eadem ſanitas & informatio omnium emanet. „ Anno 1536. eædem rurſum quærelæ, à Cardinalibus PAULO III. propoſitæ §. *ſeqq. num.* 5. Sed adhuc ſine optato ſucceſſu. Quare ergo non proponantur iterum ?

9.) De MARCELLO II. qui PAULO III. fuerat ab Epiſtolis, & conſiliorum ejus particeps, hæc in illius Vita ſcripſit Onuphrius: „ Ea ſimplicitate, qua privatus cùm eſſet, edebat, „ habebatque ſive publicè, ſive privatim conviveretur, Anago- „ ſtem in menſa, qui Sacros Libros, aut SS. Patrum ſcripta „ legeret. Poſt longum in prandio ſilentium recordatus aliquando „ ea Hadriani IV. verba: *Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior,* „ *conditione ejus nulla miſerior; totius enim vitæ lætitia & felici-* „ *tas amaritudo eſt: Cathedra Romani Pontificis eſt ſpinoſa, iter* „ *undique conſertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robuſtiſſimos* „ *premat & confringat humeros*: manu menſam percutiens dixit: „ *NON VIDEO, QUOMODO QUI LOCUM HUNC ALTISSI-* „ *MUM TENENT, SALVARI POSSINT*. „ Non memini hoc Pontificis effato graviora me protuliſſe. Et quis unquam corripuit S. Bernardum propter ea quæ reprehendit in EUGENIO III. Guilielmus Durandus in CLEMENTE V. Card. Julianus in EUGENIO IV.? &c.

Ad pag. 404. *in fine Notæ* (2) *lege etiam*.

Adde Launoium *Lib. I. Epiſt.* 10. & *Lib. II. Epiſt.* 6. Ubi ſimul oſtendit, falſum eſſe, quòd tempore Concili Piſani demum nata ſit ſententia de ſuperioritate Concilii ſupra Papam.

Ad pag. 416. *in fine adde*.

His omnibus non incongruè applicabuntur quæ ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcripſit S. LEO M. Epiſt. 53 (hodie 80.) Cap. 3. *Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt prava quæ ſacratiſſimis Canonibus inveniuntur eſſe contraria: in totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Synodali Concilio, ut fratres in negotio fidei convocatos, & definitione ejus cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos ad conſentiendum ſibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret .... Nec poteſt de eorum contradictione dubitari, de quibus in epiſtola tua etiam ipſe conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obviare.*

Ad pag. 442. *ante notam* (1) *adde* .

Sanè ſi vocationem Apoſtolorum , quorum ſucceſſores Epiſcopos eſſe , ſaltem Catholicis certum eſſe debet , expendamus ſecundùm *SCRIPTURAM* , invenimus ſingulos immediata vocatione Apoſtolatum accepiſſe à Domino cum omnibus Juribus eidem adhærentibus.. Sic Paulus ipſe ad Galat . I. v. 1. *Apoſtolus non ab Hominibus , neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*. Paulo conſentit Lucas cap. VI. v. 13. *Vocavit diſcipulos ſuos , & elegit duodecim ex ipſis , quos & Apoſtolos nominavit* . Et nonne Chriſtus ipſe dixit eis Marci XVI. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ* . Et Matthæi XVIII. v. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram , erunt ligata & in Cœlo &c.* Ipſe ſcilicet Chriſtus talem poteſtatem diſcipulis ſuis dedit ; non , ut eam acciperent , ad Petrum miſit . Hoc ipſo autem quòd juriſdictionem ſuam immediatè à Chriſto acceperint Apoſtoli , ex regulis legitimæ ſucceſſionis ex eodem fonte ſuam quoque habere noſcuntur Apoſtolorum ſucceſſores ; ſicut ſuam habent Petri ſucceſſores auctoritatem ab eo , à quo Petrus ipſe . Hæc principia ſi firma non permaneant , erit actum de legitima in Eccleſia ſucceſſione .

Sicuti S. Scriptura , ita & omnis *TRADITIO* abſolutè repugnat prætenſo juri Romani Pontificis conferendi juriſdictionem Epiſcopis . Nullum per duodecim circiter ſæcula influxum habuit poteſtas Petri & ſucceſſorum ejus in ordinationes Epiſcoporum . Elegerunt Epiſcopos plebs , Clerus , Epiſcopi comprovinciales cum Metropolitano ; confirmavit & ordinavit idem Metropolitanus cum ſuis Suffraganeis .. Non dedit ad eligendum Pontifex conſenſum ; non fuit ab eo petita aut obtenta confirmatio , non data Metropolitano neo-electum Epiſcopum conſecrandi poteſtas ; non aſſignata à Papa diœceſis . Quemadmodum Chriſtus Dominus charactèri Epiſcopali poteſtatem ordinandi Preſbyteros , ita & conſecrandi Epiſcopos alligavit .. Utraque hæc poteſtas haud dubiè exercenda eſt juxta Canones , non à ſolo *Papa* , ſed ab *Eccleſia* conditos .. „ Res quodammodò *abſurda* , „ & vires intellectus humani tranſcendens eſſe videtur , quòd „ juriſdictio omnium Epiſcoporum in toto orbe Catholico exiſten- „ tium ex Primatu Petri veluti ex fonte originario immediatè in „ ipſos diffundatur , „ inquit vir Magnificus Gregorius Zallwein *Tom. IV. Quæſt. 2. Cap. 2. §.* 8.

Ad pag. 445. *in fine adde Notas ſeqq.*

9.) Revocandum ſemper in memoriam , diviſionem poteſtatis Epiſcopalis in eam quæ eſt *Ordinis*, & quæ *Juriſdictionis*, ſeu veriùs dilacerationem Epiſcopalis dignitatis , à Chriſti inſtituto alienam eſſe : Non quin *diſtinguere* liceat duplicem poteſtatem Epiſcopalis officii , ſed quia *dividere* nefas eſt , & ejus naturæ repugnat . Nam Chriſtus Apoſtolatùs officium & Epiſcopalem ſtatum non mancum quidem mutilumque inſtituit , ſed plenum , integrum , perfectum , & Sacerdotii ſui ſummi ac perfectiſſimi imaginem . Sicut ergo Chriſti Sacerdotium vim omnem ſacerdotalem perfectamque paſcendi gregis poteſtatem complectitur , ita ut varias in ea plenitudine & perfectione concluſas poteſtates diſtinguere quidem diſcernereque liceat , diſſociare verò , & inter ſe quodammodo diſcindere , ſit piaculum : Sic & Epiſcopatus plenitudinem Sacerdotii & Paſtoralis muneris perfectionem natura ſua continet , cui Chriſtus non minùs *Juriſdictionis* quàm *Ordinis* poteſtatem alligavit . Hujus rei , à ſua origine certæ , hoc etiamnum indicium remanſit in Eccleſia , ut nefas eſſe conſtet , Epiſcopum ſine certæ juriſdictionis ac diœceſeos attributione conſecrari ; , nec unquam aliter fiant Epiſcoporum conſecrationes , nec unquam aliter ab initio Eccleſiæ factæ fuiſſe reperiantur . Itaque quando Eccleſia fines diœceſium determinat , & juxta beneplacitum ſuum inter Epiſcopos dividit , nihil facit aliud , quàm quòd juriſdictioni vel jam collatæ , vel vigore ordinis Epiſcopalis conferendæ , det objectum , in quod Epiſcopus ſuam juriſdictionem exercere valet . Add. *Cap.* III. §. 1.

10.) Bellarminus , dum *Lib.* IV. *de Rom. Pont. Cap.* 24. & 25. hanc quæſtionem tractat , è Scripturis novi Teſtamenti locum nullum adducit , quo Epiſcopos omnes à Papa juriſdictionem accipere confirmet . Hoc ſemel obſervaſſe in re tanti ponderis Bellarminum refutaſſe eſt . Nos hac in parte veræ *Theologiæ* principia duo , nempe divinæ legis auctoritatem , & Catholicæ Eccleſiæ traditionem ; nec non *Juris Eccleſiaſtici* principia quoque duo , ſacros videlicet Canones , & Sedis Apoſtolicæ Decreta de Eccleſiaſticis Ordinibus & Canonum diſciplinis promulgata ſequimur . Bellarminus antiquam Eccleſiæ Diſciplinam recentioribus Scholæ diſtinctionibus & placitis meditur , ut Patrum doctrinæ incommodet . In hac materia diſtinctio inter *mediatè* & *immediatè* non convenit cum Sacra Scriptura , Conciliis , Patribus ,

Patribus , Canonibus , imò etiam hodiernis ſacrorum rituum Codicibus , conſequenter frivola eſt . Res tanti ponderis non quæſitis ex Academia volatica diſtinctionibus , ſed teſtimoniis ac monumentis fidelibus aſſerenda eſt . Aliud fingere , quæ propoſitis ad arbitrium lemmatibus ſerviant , aliud proferre , quæ hiſtoricæ veritati conſentiant , nec diſciplinam veterem laceſſant .

Ad pag. 451. *in fine Notæ* (2) *lege etiam* .
Vide Harduinum Tom. IX. Col. 2065.

Ad pag. 454. *ante Notam* [1] *adde* .
Hæc non obſtant , quin perſæpe factum fuerit , & tantùm non innumeris exemplis probatum exſtet , quòd Epiſcopi *ſuapte ſponte* in Pontifices effuderint ſua jura , eaque poteſtatis inſignia , quæ ſibi ſolis competebant in ſuis diœcebus ; dum ex altera parte Pontifices in iiſdem diœceſibus nihil adgrederentur, quod non ſperarent in eorum commodum & voluptatem ceſſurum . Hinc cum LEO IX. aliique Pontifices complures Italiæ , Galliæ, Germaniæque luſtrarent provincias , Eccleſiarum utilitatibus, temporumque neceſſitatibus ſervientes , nullus Epiſcoporum cogitavit in propria ſua Eccleſia eos anteire aut impedire in Pontificalium munerum functione . Scilicet concordiæ & charitatis lex , nec non publici Eccleſiarum boni amor , mentes conatuſque eorum hinc inde omnes rexit temperavitque . *Si qui* Pontifices *evagati ſint ultra hos modeſtiæ limites , id oblivione & ſilentio opprimi conducibilius eſt , ut ex quo nihil argumenti elici poſſit , nihil adjumenti ad poſterorum mores regendos* , inquit Thomaſſinus Part. I. Lib. 1. Cap. 6. num. 1. Quare cùm ſubinde Pontifices , Ordinariis non conſentientibus , per ſe vel per alios in horum Eccleſiis jura Epiſcopatus exercere , & quaſi ſurripere tentarent , docent Hiſtoriæ , illorum conatibus ab Epiſcopis haud rarò obſtitum fuiſſe .

Ad pag. 455. *poſt lineam* 2. *ante notam* (3) *adde* .
Sic rectè ſenſit Gregorius ; & tamen neminem Pontificum Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine & univerſalitate tam longè lateque regnaſſe cognitum eſt : ſed adverte inſimul ad illud æque indubium , quòd nemo humiliùs , ſanctiùs , modeſtiuſque regnaverit , nemo propenſiùs ſolis Eccleſiæ *utilitatibus* ac *neceſſitatibus* ſervierit , quàm Gregorius . Quare nihil egit ex prætenſo illo univerſali Epiſcopatu , quem non nudo verbo , ſed magìs opere perhorreſcebat ;

perhorreſcebat ; omnia ex jure Primatus , quem noverat non collidi cùm Epiſcopatu , minùs illi jus eſſe , huic ſua jura præripere. Quod favorabilius pro exercitio ſupremorum jurium hujus Primitialis auctoritatis in ſingulorum Epiſcoporum diœceſibus dici aut etiam cogitari poteſt , hoc ſequentibus expreſſit Gerſon. Tom. I. pag. 126. antiq. edit. apud Thomaſſinum loc. cit. num. 18. *Nec tamen plenitudo poteſtatis Papalis ſic intelligenda eſt immediatè ſuper omnes Chriſtianos , quòd pro libito poſſit juriſdictionem in omnes per ſe vel alios extraordinarios paſſim exercere . Sic enim præjudicaret Ordinariis , qui jus habet immediatum , imò immediatiſſimum ſuper plebes eis commiſſas actus hierarchicos exercendi . Extenditur igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores , ſolùm dum ſubeſt neceſſitas , ex defectu Ordinariorum inferiorum : vel dum apparet evidens utilitas Eccleſiæ* . Quæ hic de *neceſſitate* aut *evidente utilitate* Eccleſiæ , nec non de *defectu Ordinariorum* dicuntur , ea certè ad nullam ordinariam juriſdictionem referri poſſunt , ſed ad illud jus *extraordinarium* , quod in Unitate Epiſcopatus radicatum omnibus quidem Epiſcopis certo modo commune eſſe tradidimus *cap. III.* §. 1. *num.* 4. magis tamen proprium eſſe dignoſcitur , & ſpecialiùs adhærens officio Primatis : ſcilicet , ut aliis id facere omittentibus horum defectus ille ſuppleat , & neceſſitatibus occurrat . Quòd ſi autem Papa Curialiſtarum ſuggeſtionibus accenſus ex his jus *ordinarium* facere , adeoque Epiſcopos in exercitio propriæ ſuæ juriſdictionis prævenire , aut in hac cum illis per ſe vel per ſuos delegatos concurrere vellet , ſupereſſent tunc remedia , de quibus agemus toto Capite IX. Adde *Cap. III.* §. 2. *num.* 4.

Ad pag. 456. *ante notam* (5) addantur etiam ſequentia .
Adde P. de Marca Lib. IV. Cap. 8. num. 6.

Hoc ſenſu Henricus Leodienſis Epiſcopus Anno 1078. graviter queſtus eſt ad GREGORIUM VII. de abſolutione ab eo uni ex ſuis diœceſanis conceſſa . Colligimus id ex ejuſdem Gregorii *Epiſt.* 4. *Lib. VI.* apud Harduinum *Tom. VI. col.* 1397. in qua ita Pontifex ad Henricum . *Mirati ſumus , non ea te , qua decuit , ad Apoſtolicam Sedem reverentia ſcripſiſſe , ſed nos ab abſolutione illius parochiani tui , qui olim ad nos venit , mordaci invectione reprehendiſſe , tanquam Apoſtolicæ Sedis non eſſet auctoritas quoſcunque & uibcunque vult ligare & abſolvere* . Non ſic

ſcripſiſſet

ſcripſiſſet GREGORIUS M. ſed ſcimus, quæ ſit inter utrumque hunc Gregorium diverſitas in ſentiendo & in agendo. Tempore Gregorii VII. jam plenis velis incedebat Iſidoriana juriſprudentia *de Univerſali Romani Pontificis Epiſcopatu*, quem Gregorius M. tanto habebat in horrore. (*) Attamen, uti hoc §. abundè demonſtratur, non potuere Epiſcopi huic juri ſe ſuaſque Eccleſias ſubmittere, inattenta omni illa reverentia, quam Iſidori Decretalibus quaſi invita mente exhibebant.

Ad pag. 457. *in fine notæ* (5) *adde*.

Hæc diſciplina (quidquid de hoc ſpeciali caſu in contrarium proponant de Marca *de C. S. & J. Lib. IV. Cap.* 8. *num.* 2. Thomaſſinus *Part. I. Lib.* 1. *Cap.* 6. *num.* 3.) ſæculo XI. Epiſcoporum animis firmiter inhæſit. Agebatur ſub URBANO II. de dedicatione Eccleſiæ Monaſterii Cavenſis in Diœceſi Salernitana: volebat eam conſecrare ipſe Pontifex, opponit ſe Archiepiſcopus, proponit Papa judicialem cauſæ diſcuſſionem, hanc detrectat Salernitanus, juri ſuo ordinario inſiſtens &c. Diſcimus hæc omnia ex ipſius Urbani Epiſt. 10. apud Harduinum Tom. VI. col. 1638. ubi: *Noſtris autem diebus Alphanus Salernitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Confrater noſter ad ejuſdem loci ſubjectionem modis cœpit omnibus anhelare. Nobis itaque diſponentibus baſilicam ipſius loci dedicare, ille ſuæ Eccleſiæ minui jura clamitabat: cui nos ex abundanti ſatisfactionem juris obtulimus; ille autem, cùm ad poſtulatum & acceptatum actionis terminum perveniſſet, actionem aggredi refutavit*. Notandum, quòd prætenſionem ſuam Urbanus unicè fundaverit in monaſterii exemptione, qua illud donaverat Gregorius VII. ſecundus Urbani prædeceſſor.

Ad pag. 460. *poſt titulos* §. IV. *incipiatur verb. ſeqq.*

Dum in actis Apoſtolorum *Cap. VI.*, *v.* 3. Collegium Apoſtolorum ad Diſcipulos Chriſti dicit: *Conſtituamus ſuper hoc opus ſeptem viros boni teſtimonii plenos Spiritu Sancto*: Dum Paulus Tito *Cap.* I., *v.* 5. mandat, *ut conſtituat per Civitates Preſbiteros*, ſatis indicatur, jus Miniſtros Eccleſiæ in eorum officiis, & beneficiis inſtituendi non pertinere ad ſolum Petrum, ſed etiam ad Apoſtolos omnes eorumque ſucceſſores.

Ad pag.

(*) *Vid. Cap.* III. §. 9. *num.* 1.

Ad pag. 466. in fine Notæ (9) lege etiam.

Ad id quod dicitur, Papam nec voluiſſe, nec potuiſſe ſibi per Concordata ligare manus, congruè reſpondebitur: manus Summi Pontificis, quæ revera ligari non poſſunt, ſpectare ad cauſas univerſales v. gr. Fidei, executionis Canonum, aliaſque, quas tot. Cap. II. diximus eſſentialiter pertinere ad jus & officium univerſalis Primatis; ſecùs eſſe in iis, ad quæ Pontifices, Iſidorianis Decretalibus innixi, feriùs ſuas manus extenderunt; qualia ſunt proviſiones beneficiorum, exactio annatarum &c. Quare in his optimo jure potuerunt, voluerunt, imò debuerunt ſibi moderamen indicere.

Ad pag. 468. ante Notam (1) adde.

Antequam in Eccleſiis factæ fuiſſent bonorum diviſiones, & beneficia in titulum erecta, Epiſcopi erant pleni adminiſtratores rerum temporalium ſuarum diœceſium. Idcirco in ſua poteſtate eſſe credebant, vacantium Eccleſiarum fructus pro neceſſitatibus, ſive præſentibus, ſive futuris, ad annum vel ultrà ſibi reſervare; idque eo majore jure, quòd crederent, mortuo beneficiato beneficium iterum coaleſcere cum Epiſcopatu tanquam ſuo ſtipite, à quo avulſum fuerat, illiuſque fructus; veluti quoſdam rivulos ab Eccleſia matrice dimanantes, Sede vacante, ad ſuum fontem refluere. Poſtquam autem non tantum in Concilio Lateranenſi III. an. 1179. Epiſcopis ſemeſtre pro conferendis beneficiis præfixum eſſet, ſed etiam tum in eodem Concilio, tum in Lateranenſi IV. ſub Pontificibus ALEXANDRO III. & INNOCENTIO III. Epiſcopis inhibitum, Eccleſias novis exactionibus onerare; cœperunt Epiſcopi priſtinum jus ſuum reſervandi fructus munire aut reſuſcitare reſcriptis Pontificiis. Sic circa annum 1223. HONORIUS III. in *Cap.* 32. X. *de Verb. Signif.* Epiſcopo Tullenſi indulſit duas annatas omnium beneficiorum in ea diœceſi vacantium, ad diluendum æs alienum, quod contraxerat. Similiter referente Matthæo Pariſienſi ad annum 1246. *pag. m.* 471. Archiepiſcopus Cantuarienſis ex reſcripto Pontificio fruebatur annatis ſuæ diœceſeos. Eandem gratiam ad quinquennium alteri Epiſcopo circa annum 1302. indulſit BONIFACIUS VIII. in *Cap.* 10. *de Reſcriptis in Sexto*.

Equidem hæc non poterant quadrare aut applicari ad Eccleſiam Romanam: neque enim hæc cuſtos erat aliarum Eccleſiarum viduatarum, neque harum ſubſtantiam adminiſtrabat, ne-

que cum veritate dici poterat, quòd cæteræ Eccleſiæ ab ipſa fuerint avulſæ & reditus Eccleſiarum vacantium ad Romanam tanquam ſuum fontem refluerent. Nihilominus videmus circa eadem jamtum tempora magnas pecuniarum ſummas ex vacantibus beneficiis Romam delatas. Queritur de hoc Durandus Mimatenſis Epiſcopus in Opuſculo de modo Concilii Generalis celebrandi ad CLEMENTEM V. Part. II. Tit. 20. En ejus verba: *Cùm illa decreta, in quibus agitur de ſimonia, in novo & veteri Teſtamento, in Conciliis à Sanctis Patribus & Romanis Pontificibus damnata, non ſerventur; & maximè in Curia Romana, in qua etiam cœtus dominorum Cardinalium vult habere cum domino Papa certam portionem à Prœlatis, qui promoventur ibidem; videretur ſuper hoc maximè providendum. Nam hæc hæreſis maximè corrumpit Eccleſiam univerſalem*. Equidem Thomaſſinus Part. III Lib. 2. Cap. 58. num. 4. contendit, hoc loco nondum agi de Annatis propriè dictis. Sit hoc: Attamen negari vix poteſt, in his & ſimilibus exactionibus, quas Durandus non immeritò taxat, verarum Annatarum occaſionem & originem quærendam eſſe, utì ampliùs apparebit ex ſequentibus.

Ad pag. 469. in fine Notæ (2) adde.

Alia ratione, nec minùs ſolida, huic piæ ſubventionis titulo occurrit Ungarica Natio apud Franciſcum Kollarium Tr. de *Regum Ungariæ poteſtate legislatoria circa ſacra cap. XIII. §. 5.* ubi, „ aut Annatas, inquit, dependere cogimur Ungari con-
„ templatione confirmationis electionis Prælatorum noſtrorum, aut
„ titulo ſubſidii. Primus caſus laborat vitio ſimoniæ . . . . .
„ Alter ſubſidiorum caſus liberos nos omnino atque immunes
„ ab Annatarum onere pronuntiat; cùm ex inſtituto earundem
„ his & ſimillimis ſubſidiis omnium maximè Ungari egeamus.
„ Non enim nos latet, à Joanne PP. XXII. novum tributi
„ genus inventum eſſe, quod *Annata* vocatum eſt, ad ferendos
„ inprimis ſumptus *peregrinationis* contra Saracenos *tranſmarinæ*,
„ quod *Paſſagium tranſmarinum* vocabant; cui verò nunc ea
„ ſubſidia neceſſaria magis fuerint, quam Ungaris? qui pro
„ ſalute Italiæ atque univerſi Chriſtiani orbis diu noctuque armis
„ accincti eſſe, & neceſſarios vitæ nummos, quos noſtrum defraudantes genium unciatim vix comparſimus, in ærarium con-
„ ferre cogimur: quamobrem nullus non videt, Sereniſſimos
„ Reges noſtros, tanquam *Defenſores Chriſtianitatis* (quo ti-
„ tulo

„ tulo inſignivit eos S. Rex noſter Stephanus *Decret. Lib.* II.
„ *cap.* 12.) & vi etiam Regiæ auctoritatis, quam hoc libello
„ oſtendere ſtudui, *prohibere poſſe quæcunque tributa, quæ Sum-*
„ *mus Pontifex, ſive titulo annatarum, ſive alio quolibet modo,*
„ *imperare vellet perſonis Eccleſiaſticis, ac etiam prohibere, ne ea,*
„ *quorum exactioni conſenſus jam eſt adhibitus, augeantur impo-*
„ *ſterum. Quodſi negotium iſtud paulo liberiùs tractare viſum*
„ *fuerit, rogandus erit Pontifex, ut remittat nova illa ſub-*
„ *ſidia veteribus annatis addita, ipſeque rationem habebit quere-*
„ *larum, quæ fient adverſùs miniſtros Curiæ Romanæ. Hujus rei*
„ *exemplum dedit Canutus Rex Anglorum, qui religionis cauſa*
„ *Romam petiit, obtinuitque ut Epiſcopi Angliæ liberi eſſent à*
„ *ſolvendis pecuniis, quæ ab eis exigebantur ratione palii.*
„ Petrus de Marca Lib. VI. cap. 12. §. 13. 14. Atque hoc
„ civiliori ac paulo liberaliori conſilio uſi eſſe cenſendi ſunt
„ majores noſtri, qui, ùt vidimus, Ferdinando III. auctores
„ fuere, ut is *apud Summum Pontificem auctoritate ſua Imperiali*
„ *& Regia ac totius Regni nomine ſe ſe clementer interponere ve-*
„ *lit, quatenus ſua Beatitudo relaxationem annatarum, à centum*
„ *annis* (ab annó 1550. ad 1649.) *uſitatam, continuare di-*
„ *gnetur.*

Ad pag. 470. *in fine Notæ* (5) *adde.*

Romanorum Pontificum ſtatus honeſtus & conveniens dignitas per annos mille ducentos, & eo ampliùs ſine Annatis retenta eſt. His igitur opus non erit, ut eadem dignitas porro ſuſtineatur. Hinc unuſquiſque Summus Pontifex id ſine annatis facere poteſt, quod illi faciendum ex officio Curialiſtæ aſſerunt. Hìc addendum, quòd URBANUS II. & alii expeditionum in terram ſanctam auctores non impoſuerint annatas.

Dum Nuntii Eugenii Papæ in memorato Baſileenſi Concilio querebantur de Decreto abrogationis Annatarum, dicentes inter alia, oportere Sedem Apoſtolicam abundare ac potentem eſſe, ut liberalis eſſe poſſit exemplo illorum Romanorum Pontificum, qui B. Athanaſio, B. Joanni Chryſoſtomo, ac B. Thomæ Cantuarienſi de ſedibus propriis pulſis opem & neceſſaria ſubſidia contulerunt; nec non S. Gregorii M. qui uſque in Jeruſalem indigentibus vitæ neceſſaria miniſtrabat; reſpondit eis Cardinalis Julianus Synodi Præſes apud Harduinum *Tom.* VIII. *col.* 1353. „ quòd nec B. Athanaſio, nec B. Joanni Chyſoſtomo,

„ nec B. Thomæ Cantuarienſi per Romanos Pontifices , nec pau-
„ peribus Hieroſolymitanis per B. Gregorium de his annatis ſub-
„ ventum eſt ; Neque enim adhuc hæc vocabula in Eccleſia
„ Dei audiebantur , neque etiam alii Sancti Epiſcopi præclara
„ caritatis & pietatis opera de emolumentis ſigillorum explere
„ conſueverant . „ Paulò antè dixerat idem Card. Julianus : *Nonne & gratis offerre , & eleemoſynam dare , pium eſt & caritatis opus ? ſed quoniam tempore baptiſmi nummos projicere in concham , ſpeciem prætendebat mali , emendari & aboleri hanc conſuetudinem juſſit Eccleſia . Nihil quidem novitatis per hoc Decretum in Eccleſia introductum eſt ; ſed præcepta & exempla Chriſti exſecuti ſumus , ac Sanctorum Patrum renovamus inſtituta &c.*

Ad pag. 474. *in fine Notæ* (11) *adde .*

„ C'eſt le Chancellier , enſuite Cardinal Duprat , qui con-
„ ſeilla le Concordat de Leon X. & de Francois I. Ce traité
„ oblige tous les Evêques & tous les Abbés de donner d'avance
„ la premiere année de leur revenu au Pape : juſqu'à ce qu'ils
„ ayent ſatisfait à cette loi , ils ſont exclus de l' Epiſcopat &
„ du gouvernement des Monaſteres ; auparavant il n' en coutoit
„ pas un ſol pour être Evêque & Abbé . Delà , le fleuve
„ d'or , qui coule de France à Rome . Par une admirable tranſ-
„ mutation du plomb en or , cette Cour change quelques li-
„ vres de plomb en une infinité de livres d'or . Voila le déſeſ-
„ poir de l' alchimie . „ Ita Gayot de Pitaval *dans les Cauſes Celebres Tom.* XII. *pag.* 130. Sed fortè vir eruditus & facundus nimium imponit Cancellario Duprat. Poſtquam Concilio Baſileenſi & Pragmatica Sanctione annatæ abrogatæ fuiſſent , Concordatum Gallicum illas expreſsè non reſtituit , ſed tantùm Tit VI. §. 4. ordinat , ut in omnibus proviſionibus beneficiorum Roma obtinendis *illorum verus annuus , per florenos aut ducatos auri de Camera , aut libras Turonenſes , ſeu alterius monetæ , valor ſecundùm communem æſtimationem exprimatur ; alioquin gratiæ ipſæ ſunt ipſo jure nullæ .* Inde concludunt Itali , per hoc approbatam fuiſſe Regulam 55. Cancellariæ de exprimendo valore , occaſione annatarum introductam , conſequenter & ipsas annatas . Galli ex contrario ſuſtinent , annatam ex Epiſcopatibus & Abbatiis unicè ſolvi , quia Rex permittit , & Clerus conſentit . De his vide latiùs tractantes La Combe *Recueil de Juriſprudence Canonique . Verb. Annate. num.* 5. Durand. *Dictionnaire de Droit Canonique . Verb. Annate. pag.* 95.

Ad

Ad pag. 479. *poſt tres titulos §.* VII. *lege etiam ſeqq.*
Plura de Regularium Privilegiis .

Ad pag. 481. *linea* 4. *ante Notam* (1) *adde* .

Quis enarrabit omnia Regularium privilegia , ex lutulento illo fonte , quem Cardinalis de Luca hìc aperit , promanantia ? Tantus eorum eſt numerus , ut ſpiſſa impleant Volumina . Interim hæc omnia & ſingula , quatenus juribus Epiſcoporum , Parochorum & quorumcunque aliorum officiunt , nullius eſſe roboris & ad Jus Commune reduci debere , apparebit ex iis , quæ *§. ſeq.* latiùs exponemus .

„ Volunt „ inquit Petrus Aurelius *Opp. Tom.* II. *pag.* 345. „ *primæ edit.* Regulares ſuo miniſterio , proportione quadam „ reſpondere dignitati & eminentiæ Summi Pontificis „ ita ut „ cùm eo univerſali quadam ſupra omnem Eccleſiam poteſtate „ polleant , & ſicut Pontifex (juxta illorum ſententiam) eſt „ univerſalis Epiſcopus , ita Regulares ſint quaſi univerſales „ Parochi & miniſtri ejus generales , tantò particularium Eccle„ ſiarum Parochis altiores , quantò Pontifex particularibus Epiſ„ copis antecellit . „ Antea dixerat idem Aurelius *pag.* 273. „ „ Regulares , qui ab Eccleſiæ Paſtoribus ad animarum meſſem , „ quaſi operæ ſubſidiariæ , humaniter admittuntur , illis ipſis , à „ quibus benevolè admiſſi fuerunt , ſubitò ſe anteferunt , nec „ ſolùm pares , ſed etiam ſuperiores & excellentiores in labore „ alieno , & in aliena meſſe colligenda eſſe volunt , contra „ illud conſiliorum Evangelicorum , quorum ſectatores ſe pro„ fitentur , nobiliſſimum : (*) *Cùm invitatus fueris ad nuptias* , „ *non diſcumbas in primo loco , ne fortè honoratior te ſit in*„ *vitatus ab illo , & veniens is qui te & illum invitavit , di*„ *cat tibi , Da huic locum . & tunc incipias cum rubore noviſ*„ *ſimum locum tenere* .

Ad pag. 481. *in fine Notæ* (2) *adde* .

Fortaſſe dices , concedendæ facultatis hujuſmodi magnam tum fuiſſe neceſſitatem , & talem quidem , quæ ſe etiam ad futurum tempus extenderet . Si hoc eſt ita , non renuo ; neceſſitati enim ſummæ parendum eſt ; & ea reapſe vigente Summo Pontifici haud dubiè competit poteſtas Sacerdotes debitis facultatibus inſtructos mittendi quo demumcunque locorum tanta neceſſitas urget . Sed ut dicam liberè quòd ſentio , eum qui aptè pro-

baret

(*) *Lucæ* XIV.

baret hoc , quàm qui gratis & ſine ratione aſſereret , audirem libentiùs . Hoc ſanè argumentum ex eo plurimùm infirmatur , quòd non pauciores ſint poſt GREGORIUM IX parochiales Presbyteri , quàm antè fuerint ; & tamen qui antè fuerunt , excipiendis fidelium confeſſionibus ſuffecerunt . Si autem per mille ducentos annos hac in parte aliquid defeciſſet , obdormiviſſent certè Pontifices , maximè Romani , in paſtorali ſuo officio , & de multiplicandis Sacramenti pœnitentiæ miniſtris parum curaſſent . Quis Papa ante ſæculum XIII. per ſingulas orbis Chriſtiani provincias , diœceſes , parochias , miſit unquam monachos , qui fidelium confeſſiones exciperent , & iis pœnitentiam imponerent ? Hoc autem ſi nullus feciſſe reperiatur , quis muneris hujuſmodi functionem Romano Pontifici jure tranſcribet ? Quæ traditio Scripturæ interpres hanc auctoritatem ſuſtentabit ? Quæ diſciplina exemplo vel unico confirmabit ?

Ad pag. 483. *poſt primas quinque lineas , quibus clauditur Nota* (4) *adde* .

Lud. Thomaſſinus , quem Pontificiæ poteſtatis vindicem potiùs quàm maſtigem eſſe eruditis cognitum eſt , in Reſponſione ad Notas Scriptoris anonymi , quam ultimæ editioni ſui Operis de Veteri & nova Eccleſiæ Diſciplina præfixit , opportune ad hanc materiam ſcribit *Not.* 27. „ Quid tam neceſſarium, „ quàm bonum pacis inter Pontificem & Epiſcopos ? Plenitudini „ Pontificiæ ſpiritualis poteſtatis ex animo aſſentimur , ſed uſum „ hujus poteſtatis, & exercitium ſemper bono pacis , charitati , „ utilitati , neceſſitati Eccleſiæ , juſtitiæ & ſanctitati ſerviiſſe , „ hoc opere toto per omnium retrò ſæculorum demonſtrare „ aggreſſi ſumus . „ Sic ille : etiam in ſuppoſito talis *plenitudinis Pontificiæ poteſtatis* , qualem deſiderant Regulares in ordine ad fines ſuos ; at hæc , judice Thomaſſino , tunc in exercitio ceſſat , cùm per ejus uſum bonum pacis turbatur inter Pontificem & Epiſcopos ; non poteſt autem bonum illud pacis non turbari , niſi Epiſcopis dicatur , ut ſinant ſe tranquillè exui juribus , quibus à Deo & ab Eccleſia noſcuntur eſſe inveſtiti .

Ad pag. 486. *in fine adde* .

8.) Originem & occaſionem tot privilegiorum à Regularibus obtentorum , ſat genuinè nobis aperit Paſtoralis Inſtructio Archiepiſcopi Pariſienſis anno 1763. die 28. Octobris edita favore Jeſuitarum

Jeſuitarum adversùs Parlamenta Galliæ . In ea ſic Illuſtriſſimus Præſul *pag. 26.* „ Si nous mettions , après cela , en parallele les privileges des autres Ordres , vous verriez , que ceux „ des Jeſuites ſont les moins étendus ; quoiqu'ils aient auſſi marqué trop d'empreſſement pour partager les graces accordées „ aux diverſes Congregations . Cette ſorte de goût étoit une „ foibleſſe , répanduë alors preſque généralement dans les Sociétés religieuſes . Dès qu'un Ordre ou une Communauté avoit „ obtenu quelque marque de protection ſpéciale , quelque gage de la bienveillance du S. Siege , on voyoit tous les autres „ Corps monaſtiques ſolliciter le même avantage , & l'activité „ ſur ce point alla ſi loin , qu'on en vint juſqu'à ſe pourvoir „ du droit de communication pour tous les tems futurs , en „ ſorte qu'on devenoit participant de toutes les graces faites ou „ à faire aux Ordres religieux quelconques , même à ceux „ qui ſont militaires . Voila , de la part des Réguliers , un „ abus bien manifeſte ; mais il n'eſt point particulier aux Jeſuites , & d'autres Ordres leur en ont donné l'exemple . „ „ Si , agnoſcente illuſtriſſimo Præſule , ex parte petentium hac in re manifeſtus fuit abuſus , an ille ex parte concedentium eſt minor ? An hæc bona ſpecies regiminis Eccleſiaſtici ? An non hæc valida egent reformatione , ut ſuum Eccleſiæ reſtituatur decus ?

9.) Pariſienſis Antiſtes , de exculpandis Jeſuitis ſollicitus , ſic proſequitur : „ Quel avantage les Jeſuites (nous entendons „ ſur-tout ceux de France) en ont-ils retiré ? Preſqu'aucun , „ M. T. C. F. puiſque ces privileges ſont à peu près nuls „ dans la pratique . Et c'eſt ici un des points qui méritent le „ plus d'être remarqués dans toute cette matiere de privileges , „ d'exemptions , de conceſſions , de graces & de faveurs ſpeciales . Car il ne s'agit pas ſeulement des communications de „ Bulles dont nous venons de parler , mais en général de toutes les prérogatives accordées aux Jeſuites , & conſignées dans „ le corps de leurs loix . Quel uſage en font-ils parmi nous ? „ Si vigilantia & potentia Curiarum ſæcularium & Epiſcoporum *Galliæ* ea eſt , ut in illo regno Regulares ab uſu & exercitio exorbitantium ſuorum privilegiorum impediantur , atque bonum Eccleſiæ & Reip. poſtulet, ut hac in parte par ſit conditio aliorum Catholicorum regnorum & provinciarum ; nihilo tamen minùs firmus iiſdem Religioſis animus eſſe & manere cenſendus

eſt ,

eſt, ſuis privilegiis ſine diminutione fruendi, ubicunque à majore poteſtate non arceantur; qua in re etiam Romanæ Curiæ aſſiſtentiam ſibi poſſunt promittere. Dabimus hujus rei exemplum recens: Dedit GREGORIUS XIII. Anno 1578. Jeſuitis hoc privilegium verè ſingulare (dum *ſingulare* dico, ad Jus Commune, & in eo firmiter radicatum jus omnium Parochorum reſpicio, non ad alios Religioſos Ordines, quia & horum aliquibus idem à Summis Pontificibus conceſſum non ignoro] ut ab onere præſtandarum decimarum immunes ſint, tum ex fundis huic oneri antea ſubjectis, tum maximè ex novalibus. Refert autem Franciſcus Zech S. J. in ſuo Jure Eccleſiaſtico *Tract. de Jure rerum Part. II. Sect.* 3. *Tit.* 4. §. 50. *p.* 83. qualiter 26. Martii 1757. Romæ ab Auditore Cameræ Joanne Conſtantio Caracciolo ſecundùm hoc privilegium in favorem Collegii Fridburgenſis S. J. in Briſgoja contra Parochum M. pronuntiatum fuerit.

Ad pag. 494. *in fine Notæ* (3) *adde*.

Qua interim ratione Abbates juramentum ſubjectionis & obedientiæ, in ſua benedictione Epiſcopis præſtari ſolitum, ſæculo undecimo declinare cœperint, aut ſaltem tentaverint; non tamen (ſi quoſdam ſpecialiter Exemptos excipias) peræque obtinuerint, pluribus exponit Mabillonius *Præfatione in Sæculum VI. Benedictinum* §. 3.

Ad pag. 465. *in fine Notæ* (4) *adde*.

Hic Monaſticum ſtatum non metior ex privatis commoditatibus Monachorum, qui hierarchicæ & canonicæ ſubjectionis impatientes, ſolvi cupiunt à ſacris Canonibus, quibus in Epiſcoporum poteſtate collocantur; ſed publicis utilitatibus, quæ ex obſervatione Sacrorum Canonum emergunt. Eorundem Canonum obſervationi virtutes multæ, & cumprimis humilitas, Chriſtianarum omnium virtutum fundamentum ſuperſtruitur: plenæ & perpetuæ exemptioni ab obſervatione ſacrorum Canonum virtutes nullæ, ſed vitia multa inædificantur. S. Bernardus, ut jam vidimus, dixit monachos per hanc emancipationem *diſſolutiores fieri*; Alvarus Pelagius, eos *in ſuperbiam & contumaciam erigi*. His addendus Petrus Bleſenſis in Epiſt. 68. ad ALEXANDRUM III. ubi: *Quid eſt*, inquit, *eximere ab Epiſcoporum juriſdictione Abbates, niſi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes*? Petrus Aurelius *Opp. Tom.* II. *pag.* 406. hæc ſcribit de Jeſuitis: „ Arrogans Societatis Zelus, quo nihil

„ ipſi

„ ipſi par , nihil ſimile , nihil non inferius & abjectius , nihil „ quod præ gloria ejus non negligendum ſit , exiſtimant ; quo „ omnia verti ac ruere ſatiùs eſſe ducunt , quàm ut quicquam „ de ſplendore Societatis , ſeu jure , ſeu injuria minuatur . „ Nolim equidem ego Aurelium in cauſa Jeſuitarum pro legitimo teſte accipi ; hoc tantùm cupio , ut quiſquis hæc legit , illorum mores obſervet , & ſiquidem Aurelium non dixiſſe falſum deprehenderit , inde concludat , etiam hunc eſſe fructum eccleſiaſticæ emancipationis .

Ad pag. 497. *linea decima poſt verbum* detrimentum , *dele reliqua*, *&* *ſubſtitue ſeqq.*

Vide Petrum de Marca *de C. S. &* I. *Lib.* III. *cap.* 16. . Itaque nimietate fortè peccabant , ſi qui eas res ad antiquiorem ſtatum , quàm ad normam Sæculi X. vel XI. reduci poſtulabant . Quanquam & hujus jamtum ævi particulares exemptiones earumque diplomata tantùm non innumeris obreptionibus & falſis deturpata eſſe probent Launoius *Tom.* III. *Part.* 2. *pag.* 414. & qui de Re Diplomatica ex profeſſo tractant ; quæ proinde ſingula probè examinanda forent , antequam pro legitimis agnoſcantur .

Ajunt quidem , Epiſcopos , qui Regularia inſtituta non calleant , parum videri idoneos viſitandis Monaſteriis , & docendis quæ non didicerint ; ſed non attendunt , potuiſſe id & feciſſe plures Epiſcopos tum præterito tum præſenti ævo ; qui quamvis Regulares non fuiſſent , tamen religioſas domos non ſolùm cum fructu viſitarunt & egregiè rexerunt , ſed etiam nova Regularium inſtituta condiderunt . Porro ſi Epiſcopi non congruè præficiantur Monachis , niſi regularem vitam ſint profeſſi , ne ſummi quidem Pontifices dignè præerunt Regularibus , cùm & ipſi non fuerint Regulares . Quærenda igitur illis erit exemptio à Romanis quoque Pontificibus , ne fortè & hi conſtituant quod neſciunt , doceant quæ non didicerunt , Doctores antequam diſcipuli , duces priuſquam milites ſint . Sed & eodem ſermone , ſi quidem audiretur , Eminentiſſimi Cardinales , aliique viri primarii , qui Romæ Congregationi de Regularibus præpoſiti ſunt , vellicantur & carpuntur . Et quis ferat , Eccleſiæ totius regimen , myſteriorum , ſacrarum rerum divinarumque omnium adminiſtrationem , quæ Epiſcoporum cura & poteſtate continetur , minoris fieri , tenuioris virtutis & facultatis haberi , quàm Regularium directionem . Cæterùm egregiè de ſe præſumunt Monachi ,

ſi ſuis Superioribus Regularibus & Ordinum Generalibus , qui in Tridentina Synodo erant , plus virtutis fuiſſe autument , quàm Epiſcopis , qui in eodem Generali Concilio ſedebant , & quibuſcum illi hac de materia certabant ; aut etiam univerſim ordini Monachorum præ ſtatu Clericorum ſæcularium . Non recordabantur tunc illi eorum quæ viginti ſeptem annis antè , delectorum Cardinalium & Prælatorum novemviralis cœtus PAULO III. dixerat , ſcilicet : *Alius abuſus corrigendus eſt in Ordinibus Religioſorum , quòd adeo multi deformati ſunt , ut magno ſint ſcandalo ſæcularibus , exemploque plurimum noceant .*

Ne quis autem in conſpectu quarundam antiquiorum & *particularium* exemptionum in errorem inducatur , quaſi illæ eſſent effectus *monarchici Juris* , à Papa per univerſam Eccleſiam exerciti , juvabit hic ſubnectere obſervationem eruditiſſimorum virorum , Religioſorum Congregationis S. Mauri in nuovo Tractatu de Re Diplomatica gallicè conſcripto *Tom.* V. *pag.* 107. ubi : „ Ce fut vers ce tems (*) que les priviléges accordés „ par les Papes à diverſes Egliſes ; & ſurtout aux Abbayes , „ donnèrent naiſſance à une eſpèce de Bulles , dont les carac- „ teres , du moins pendant quelques ſiècles , furent très-diférens „ de ceux des autres Lettres & decrétales . Dès le cinquieme „ on vit plus d'une fois de pareils priviléges émanés de la puiſ- „ ſance Epiſcopale . Leur nombre ſe multiplia conſidérablement „ au ſixieme ſiècle . Nous aprenons de deus Conciles , l'un „ Provincial (**) , l'autre National (***) , en quoi ces pri- „ viléges conſiſtoient , & ſur quel principes ils étoient apuyés . „ Il paroit par les mêmes Conciles , qu'il étoit libre au fonda- „ teur d'une Abbaye ; pourvu qu'il ne fût pas du Clergé , & qu'il „ n'eût pas bâti ſon Monaſtère ſur des terres apartenantes aux „ Egliſes , de ſoumettre ſa nouvelle fondation à tel Prélat qu'il „ lui plaiſoit . Les laïques fondateurs faiſoient une eſpèce „ d'ofrande de ces Monaſtères au Métropolitain , au Primat , au „ Patriarche , & plus ſouvent encore au Pape . Les Prélats qui „ avoient accepté ces nouvelles Abbayes en étoient cenſés les „ ordinaires ; ſans que les Evêques locaux , dans le diocèſe „ des quels elles ſe trouvoient enclavées , y réclamaſſent quoi que „ ce fût . Il nous reſte des priviléges de Conciles , anterieurs à „ ceux que nous avons des Papes . Il en eſt auſſi qui reco- „ noiſſent pour auteurs des Evêques particuliers hors des Con- „ ciles *&c.* „ *Ad*

(*) *Sæculo V.* (**) *Arelatenſe* . (***) *Africanum* .

Ad pag. 498. *in fine Notæ* (6) *adde*

In judiciaria Actione Advocati Generalis *Labriſſe* ad cauſam N. de Launay & ejus uxoris adverſus Abbatem, Priorem & Religioſos Clarevallenſes coram ſupremo Regis Galliæ Senatu anno 1763. habita; hæc *pag.* 52. legimus verba TALONII celeberrimi quondam Advocati regii: *Qu' il eſt tout à fait contraire au bien de l'Etat, au ſervice du Roi, & a la police de l'Egliſe, qu' un Ordre Regulier ne reconnoiſſe dans le Royaume ni l'Evêque, ni le Metropolitain, ni le Primat; & que le Pape ſoit ſon Superieur immediat.* Ita exiſtimatur in GALLIA; neque aliter judicabatur in GERMANIA, cùm Ordines Imperii in Gravaminibus Centum anni 1523. Art. VIII. etiam hoc ponerent: *Inſuper & hoc moliuntur Summi Pontifices, monaſteria aliquot eximendo, ut ab Epiſcoporum, eorum videlicet Ordinariorum ac Defenſorum Protectorumque aliorum juriſdictione ita exempti, reddantur immunes, immediateque ſubjaceant Sedi Apoſtolicæ: quæ res non tantum prædictis ipſorum Ordinariis ac Defenſoribus, ſed & toti Romano Imperio cedit in jacturam &c.*

Ad pag. 499. *poſt primas quinque lineas adde*

Supponamus tamen tantos horrores extra omnem deinceps memoriam & prudentum hominum metum procul emandandos & actu amandatos eſſe: rarius enim ad extremos hos exceſſus devenitur, utinam nunquam! Interim per hoc nondum tollitur juſtus timor ſecretarum relationum, occultarum machinationum contra Principem, contra Statum, contra Miniſtros, etiam contra unum alterumve privatum, ubi agitur de intereſſe Curiæ Romanæ, de gloria vel utilitate Ordinis, ſæpe etiam de commodo extranei Principis aut Domini, Ordini magis faventis.

Ad pag. 504. *in fine Notæ* (9) *ante Notam* (10) *adde*

Ut ejus quod de prætenſione Romani Pontificis in temporalibus Regum, & habitu Religioſorum ad hanc prætenſionem diximus, non deſit exemplum è multis, unum damus illud ex Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag.* 491. ubi poſtquam retuliſſet, qualiter Clerus Gallicanus, Ordines regni, Pariſienſis Academia, centum triginta & duo Fratres Prædicatores Pariſiis congregati (attamen hi poſteriores eo ſolum intuitu, *ut Regis indignationem non incurrerent*, ac *ne inter tot & tantos ſingulares appareant*) a Bulla BONIFACII VIII. quæ incipit *Unam Sanctam*, ad futurum Concilium appellaſſent, ſubjungit. " non eandem

 fuiſſe

„ fuiſſe Occitanorum Montiſpeſſulani Prædicatorum ſententiam, „ qui cùm urgerentur, ut Regis & omnium Ordinum Appella- „ tioni ſubſcriberent: *id ſe facturos negarunt, niſi de expreſſa* „ *voluntate & aſſenſu Prioris ſeu Magiſtri Generalis totius Ordi-* „ *nis; Fratre Joanne Gobi Priore præcipiente Fratribus in virtute* „ *ſanctæ obedientiæ, ne ſententiam privatim rogati aliter reſpon-* „ *derent; Quamobrem ipſis juſſum eſt, ut intra triduum è regno* „ *exirent.* " Sic Dominicani Occitani à beneplacito & expreſſo mandato Magiſtri ſui Generalis exſpectabant, an Bullæ, Regem & Coronam Galliæ in temporalibus ſubjicienti acquieſcere, an econtra omnibus regni Statibus, huic attentato ſe ſe per medium appellationis opponentibus, uti Rex mandaverat, adhærere debeant. Dicebatur (uti idem Natalis Alexander refert) Generalis Prædicatorum tunc Pariſiis præſens, qui ſine dubio illis, qui ibidem, *ne ſingulares viderentur*, & *ne Regis indignationem incurrerent*, communi Nationis Appellationi ſubſcripſere, ſuum ad hoc conſenſum impertitus eſt. Occitani qui hunc conſenſum nondum obtinuerant, Regis mandato ſe ſubmittere conſtanter renuunt; atque hinc ſuæ imprudentiæ, temeritatis & inobedientiæ pœnas meritò luunt. Conjiciat ex his quiſquis harum rerum prudens eſt, cui parti omnes Dominicani Galliæ adhæſuri fuiſſent, ſi in cauſa minùs aperta & ſtrepitoſa, nullo expreſſo Regis mandato urgente, integram habuiſſent libertatem: Colligat deinde, quid probabiliter eventurum ſit, ſi in negotio minus publico quicunque Magiſter Ordinis Romæ reſidens, in Italia enutritus, ſui inſtituti Religioſis mandata, quæ hi ab illo exſpectent, danda habeat, non quidem directè relativa ad illam majorem generalemque Theſin *de Romani Pontificis auctoritate in temporalia Regum*, ſed pertinentia ad particulares minoreſque caſus, quorum judicium & norma dependet à remotioribus concluſionibus è dicta Theſi defluentibus; præſertim ſi Regularium commoda in his verſentur, qualia ſunt ea, de quibus modò tractamus.

Ad pag. 506. in fine Notæ (11) lege etiam.

Vid. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Tom. XX. Liv.* 91. *n.* 53. Pone tamen, hæc principia tam eſſe vera, quam ſunt falſa: non erit tamen in poteſtate Pontificis ſtatum Eccleſiæ de meliore mutare in deteriorem; hoc autem per generales Regularium exemptiones factum eſſe queruntur viri magni & boni, S. Bernardus, Ivo Carnotenſis, Goffridus Vindocinenſis, Joannes Saresberienſis, Petrus

Petrus Bleſenſis, Arnulphus Lexovienſis, Durandus Mimatenſis & alii apud Launoium *Tom. III. Part. 2. a pag.* 495. *ad* 532.

Ad pag. 507. *in fine Notæ* (13) *lege ſeqq.*
His adde Launojum *Opp. Tom.* III. *Part.* I. *p.* 137. *Part.* II. *pag.* 436. Gibert *Corp. Jur. Can. Tom.* I. *p.* 160. *ſeqq.*

Ad pag. 513. *in fine Notæ* (3) *ante §. X. Adde*
4.) Zalwein *Princip. Juris Eccl. Tom. IV. Quæſt.* 2. *c.* 2. *§.* 1.
„ Cauſas ſi quis à nobis admirabundus inquirat, quibus factum „ eſt, quòd ſimplices Presbyteri & Diaconi, nullo caractere in- „ ſigniti, nullaque prerogativa ex jure divino inſignes ad tam „ ſublimem dignitatis gradum ſupra Archiepiſcopos, Primates & „ Patriarchas aſcenderent, dabimus ei ſequentes . . . . . Quando „ incepit creſcere auctoritas Pontificis, quam Sæculis X. XI. & „ XII. immenſa accepiſſe incrementa aliunde ſcimus, crevit etiam „ auctoritas Cardinalium: intererat enim Pontificis pro ſtabilien- „ da ſua auctoritate, ut ſuis Cardinalibus novos honorum cumu- „ los affunderet, & auctoritatem Metropolitarum &c. ſuo modo „ deprimeret . . . . . *Et deinde*: Cum Pontifices non rarò ipſos „ Epiſcopos ſpectatiores in ſuos Cardinales aſſumerent, facilè „ hi adduci potuerunt, ut incremento dignitatis & auctoritatis „ Cardinalitiæ ſuffragarentur. “

Ad pag. 514. *in fine adde.*
3.) Suadet hic Gerſonius, ut ſi per Pontificiorum privilegiorum inpetrationem, aut alia quavis via, Epiſcopi in ſuis juribus defraudentur ſeu arctentur, adverſus hæc recurſum ſumant 1.) ad Papam, 2.) ad Generale Concilium, 3.) ad orthodoxos Principes. Sed an non poterunt etiam 4.) per ſe ipſos ſuarum Sedium ſuique Ordinis jura, Canonicis nixa inſtitutis, contra quoſcunque tueri & vindicare? Sic viſum Epiſcopis, in quadam Synodo Anglicana anno 787. congregatis, apud Harduinum Tom. III. col 2075. ubi Can. VIII. ſtatuunt: *Ut privilegia antiqua à ſancta Romanæ Eccleſiæ Sede delata* (id eſt longo uſu firmata, atque ita ab omnibus agnita & acceptata *Eccleſiis omnibus conſerventur. Si qua autem propter aſſenſum pravorum hominum contra canonica inſtituta conſcripta ſunt, avellantur.* Adde ſuprà cap. II. §. 10. n. 6. 7.

Ad pag. 515. §. I. erit ſequens ; & deſignatus eadem pagina, fiet II., & ſic corrige numeros §§. ſeqq.

§. I.

Eccleſia Univerſalis habet ſuas libertates communes.
Particulares Eccleſiæ particularibus utuntur conſuetudinibus.
Utræque ſacræ ſunt.
Ille conſiſtunt in retentione & executione Juris veri, rejecto falſo.

Lex Chriſti eſt lex *Libertatis*; ſed parum abeſt, & plures Theologi Jeſu Chriſti, præſertim Itali, eam fecerint legem *Servitutis*! quod quam ſit abſonum, jam inſinuavimus *cap. III. §. 11. n.* 9. Hoc cordatè expreſſit Card. Contarenus PAULO III. coætaneus, ita ſcribens: " Quidam Juriſperiti ſtudent hanc Pontificis auctoritatem amplificare, adeo, ut non vereantur dicere, voluntatem Pontificis regulam quandam eſſe, qua ejus actiones dirigantur; neque in Jure poſitivo conſtituendo, aut abrogando, aut etiam diſpenſando, regulam quampiam Pontifici conſtitutam eſſe. Hæc poſitio adeo falſa, adeo repugnans ſenſui communi, adeo eſt contraria doctrinæ Chriſtianæ, adeo depravat univerſi Chriſtiani populi gubernationem, ut nihil pernicioſius inveniri potuerit. Nam per Deum immortalem! nonne hæc poſitio idololatriam ſapit? . . . . . Quid magis contra Legem Chriſti, (quæ eſt lex *Libertatis*) excogitari poteſt, quam Chriſtianos ſubjectos eſſe, parereque debere Pontifici, cui tributum ſit à Chriſto, ut pro arbitrio leges conſtituat, leges abroget, diſpenſet in legibus, habeat in his omnibus voluntatem ſuam pro regula &c. " Quis credat, eiſdem principiis hodieque Romæ inſiſti, & ab illis quidem, qui ad clavum ſedent? & tamen nihil verius eſſe apparet ex iis quæ *cap. III. §.* 11. protulimus.

Duplex autem eſt hæc Eccleſiaſtica Libertas: *Generalis* una omnium Eccleſiarum ſeu univerſalis Eccleſiæ; altera *ſpecialis* ſingularum ſeu particularium Eccleſiarum: veluti ſi diceremus Libertas Eccleſiæ Gallicanæ, Germanicæ &c. Ad poſteriorem ſpeciem pertinet Canon VI. Concilii Nicæni, ubi: *Antiqua CONSUETUDO ſervetur per Ægyptum & Lybiam, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſque provincias ſuis PRIVILEGIA ſer-*

ſerventur Eccleſiis . Aliud non abſimile hujuſmodi libertatis in conſuetudine fundatæ exemplum proſtat in Concilii generalis Conſtantinopolitani I. Canone 2. & 4. quibus ita ſtatuitur : *Epiſcopi ad Eccleſias, quæ extra terminos eorum ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias, ſecundum regulas conſtitutas. Alexandriæ quidem Epiſcopus ea quæ ſunt in Ægypto tantùm gubernet. Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, quæ in regulis Nicænæ Synodi continentur . . . . . Eccleſias autem Dei, quæ ſunt in barbaricis gentibus confirmatæ, regere atque adminiſtrare oportet ſecundùm CONSUETUDINEM, quam à Patribus obtinuiſſe dignoſcitur* . Igitur quiſquis contra harum particularum Eccleſiarum *conſuetudines* (quas Generales Synodi laudant, & ſalvas eſſe volunt) quidquam attentaret, aut illarum ſingularia jura ſubvertere conaretur, ille contra earundem *libertatem* agere, & (ſiquidem id auctoritativè exequi præſumeret) injuſtam *ſervitutem* eis imponere cenſendus eſſet.

Univerſalis Eccleſiæ libertas propriè conſiſtit in exemptione ab omni onere injuſto, maximè autem à vinculo Legis, quæ emanat à poteſtate non legitima, & omnes Eccleſias communiter gravat. Tale per omnia eſt *Jus Iſidorianum*, de quo egimus cap. III. §. 9. & ulterius hoc toto Capite tractamus. " Jus „ antiquum unico codice, eoque non admodum magno, com„ prehenſum fuit, in quo Canones priſcorum Conciliorum, „ ac nonnullorum præterea Pontificum Romanorum decreta con„ tinebantur. Eo libro uſa eſt ſancta Dei Eccleſia uſque ad „ ſæculum Caroli Magni. Nam tum, quaſi aliqua fatali neceſ„ ſitate, cùm mutarentur regna, mutatum quoque eſt Jus Ec„ cleſiaſticum, id eſt, *antiquo Juri*, quod per ſeptingentos & „ amplius annos valuerat, ſucceſſit *Jus novum* ex ſuppoſititiis „ ſanctiſſimorum Romanæ Urbis Epiſcoporum epiſtolis *ab impu„ dentiſſimo illo nebulone* Pſeudo-Iſidoro prolatis compactum, & „ ex novellis eorum conſtitutionibus, qui poſt Caroli tempora „ Sedem Apoſtolicam occuparunt. Variis ſanè ac magnis con„ tradictionibus jactatum fuit illud Jus. Vicit tamen, ut ſæpe „ aliàs, fortuna populi Romani. Itaque nihil frequentius poſt „ illa tempora inſonuit in auribus Chriſtianorum, quàm novel„ larum iſtarum epiſtolarum auctoritas & mentio, præſertim quo„ ties aliquid tentandum fuit adverſus mores antiquos, & longo „ uſu receptas provinciarum conſuetudines. Jure illo novo, ut

„ Ter-

„ Tertulliani verbis utamur, exarmata ſunt jura &c. “ Ita Stephanus Baluzius, vir eruditiſſimus, in Præfatione ad Antonii Auguſtini Libros de Emendatione Gratiani. Quis autem vel modicè ſapiens prætendet, *impudentiſſimo Nebuloni* jus fuiſſe, Eccleſiam ignoratarum eò uſque turpium legum dictatura gravare; aut quis huic facultatem adimet, ſe, ùt primùm falſarium cum infami ſuo opere deprehenderit, in priſtinam libertatem vindicandi. Quiſquis Hiſtoriam Eccleſiaſticam vel obiter inſpexerit, facilè deprehendet, ab illo tempore Eceleſiam in aliam longè formam fuiſſe tranſmutatam. Deſiere Synodi provinciales, incœpere avocationes & reſervationes Cauſarum Majorum, frequentiſſimæ ad Rom. Pontificem factæ ſunt appellationes, auctoritas Epiſcoporum in multos diœceſanorum abrogata, ſubtractum eis jus beneficiis providendi &c. verbo novam Eccleſia faciem induit. Unde concludimus, *Jure antiquo*, quod uſque ad ſæculum Caroli M. viguit, ſanctam Dei Eccleſiam rectè, juſtè & liberè rectam fuiſſe; *Jure* autem illo *novo*, videlicet Iſidoriano, & omnibus legibus eccleſiaſticis, quæ huic tanquam baſi innituntur, eandem Chriſti ſponſam in non tolerandam ſervitutem redigi, è qua non violentis equidem, ſed legitimis (quæ non deſunt) remediis extrahenda, & Canonicæ libertati reſtituenda erit. Conf. *cap. IX.* §. 10.

1.) Scimus Curialiſtas Romanos (qui in actis publicis Gravaminum *Curtiſani* paſſim vocantur) hujus Eccleſiaſticæ libertatis eſſe inimicos. Hujus rei cauſas clar. Barthelius *Diſſert. III. de Concordatis Germaniæ in Præfat.* §. 4. *& ſeqq.* Dat ſequentes: *a*) Neglectum antiquorum Canonum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: *b*) Promiſcuam principiorum per Decretales inductorum receptionem, qualia ſunt e. g. *Papam eſſe Dominum omnium bonorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum; eundem ex plenitudine poteſtatis, & vi Primatus de omnibus totius mundi beneficiis liberè & immediatè, imò ſolitariè providere & privativè &c. &c.* *c*) Auctoritatem nimiam Deciſionibus Rotæ, & exinde nato Stylo Curiæ attributam: *d*) Minus diſcretam abſque prævio examine Doctorum allegationem, eorumque ſequelam. Quibus *e*) addit Greg. Zallwein *Tom. IV. Quæſt.* 3. *cap.* 5. §. 3. affectus parum moderatos, intereſſe proprium, rerum habendarum cupidinem, ambitum, & fortaſſis etiam odium quoddam nationale cum invidia conjunctum. Sed quis liber homo amat aut patitur ſe talibus affectibus regi ſibique imperari ab eo, de quo prudenter dubitat, an ha-

habeat jus ſibi imperandi in illis negotiis aut cauſis, quibus ta-
les affectus miſcentur ?

2.) Utinam autem & exteri, præſertim Germani, ſiniſtros ſuos affectus cum illis Curialiſtarum non miſcerent! De his ita loquitur laudatus Zallwein *l. cit.* " Quodſi loquamur de Germa-
„ niæ Doctoribus paſſim Curialiſtarum veſtigia prementibus, eo-
„ rumque principia & doctrinas promiſcuè adoptantibus, idem
„ ferè dicendum eſt, videlicet præter neglectum Hiſtoriæ Eccle-
„ ſiaſticæ, promiſcuam principiorum, & doctrinarum Curiæ Ro-
„ manæ receptionem earumque incautam ad Jura Germaniæ ap-
„ plicationem, ſcrupuloſitatem quamdam, & timorem exceſſi-
„ vum timentium ubi non eſt timor, procul dubio ex ſubtilio-
„ ribus Scholaſticorum principiis hauſtum & impreſſum apud ip-
„ ſos veniſſe, & in cauſſa fuiſſe, quominùs jura Germaniæ,
„ ſalva etiam auctoritate, ſalviſque juribus ſummæ Sedis decenter
„ & reverenter tueri, defendere & vindicare auderent.

3.) Si Romani, & qui eos cœco impetu ſequuntur, illorum veris commodis incumberent, fortè intelligerent Eccleſiarum Libertatibus nihil derogari Pontificis auctoritati, quinimò illas huic ſublimandæ & firmandæ inſervire. Hoc obſervavit Zallwein *cit. Quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 13. idque ex ſequentibus rationibus: 1.) Supponunt hæ Libertates unionem cum Sede Romana, tanquam centro unitatis. 2.) Commendant regimen Pontificium, tanquam ſecundùm inſtitutum Chriſti ordinatum. 3.) Deſerviunt ad obſtruendum ora eorum, qui Romanos Præſules exceſſivi dominatus incuſant. 4.) Præcindunt occaſiones conflandi ſchiſmata, quæ ex illa nimietate non ſemel ortum traxerunt. 5.) Viam intercludunt invocandi brachium ſæculare, & Principum potentiam ad depellendum Gravamina. 6.) Sunt conformes antiquiori & ſanctiori Eccleſiæ diſciplinæ. &c.

Innumera ex Hiſtoria tam veteri quàm noviori proſtant exempla, ex quibus conſtat, quòd Pontifices vel maximè ſolliciti fuerint, ne jura Eccleſiarum & Præſulum minuerentur: & hinc perſæpe curarunt attente ne in diſpenſandis privilegiis & exemptionibus, in diſtribuendis novis titulis & honoribus, aliiſque cui demum cunque præjudicium inferrent.

Ad

Ad pag. 520. in fine Notæ (5) adde Notam ſeq.

6.) Hiſtoriam receptionis falſarum Decretalium ſic breviter contraxit Magnificus Zallwein *Tom. II. Quæſt. I. cap. 5. §. 6.* „ NICOLAUS I. gravem ſcripſit epiſtolam an. 865. ad Epiſcopos Galliæ , qua receptionem Collectionis Iſidorianæ modis , „ quibus poterat omnibus, urgebat , atque Gallorum argumenta „ refellere omni conatu contendebat . “ (Exſtat hæc Epiſtola apud Harduinum *Concil. Tom. V. col.* 590. & in Decreto Gratiani *Diſt. XIX. Can.* 1.) “ Sed incaſſum : Inſiſtebant Galli ſuis antiquis „ juribus etiam poſt obitum Nicolai I. quando de judiciis Epiſcoporum & auctoritate Synodorum Provincialium cum HADRIANO II. & JOANNE VIII. diſceptabant , neque perſuaderi poterant , ut collectionem à ſe hactenus exploſam reciperent , & à rigore antiquorum Canonum recederent . Cur autem „ Nicolaus tanta contentione exegerit à Gallis , ut his Epiſtolis „ in cenſum Canonum admittendis ſe faciles præberent ; ipſi verò tam conſtanter antiquis ſuis Canonibus inhæſerint , hæc una „ ratio , teſte P. de Marca Lib. III. c. 6. Nicolao perſuaſit , ut „ nempe Epiſcopos Romanæ Sedi ſine medio ſubjiceret : nam adhuc in Gallia vigebant Synodi Provinciales : has ſine conſenſu Pontificis Galli celebrabant ; in his pro ſuo arbitrio cauſas criminales cognoſcebant , Epiſcopos deponebant , cauſas majores „ ſuo judicio independenter à Pontifice decidebant ; id quod Pontificem ægrè tuliſſe perſuadent ipſæ literæ ad Epiſcopos tranſmiſſæ ; verba earum hæc ſunt inter alia : *Etſi Sedem Apoſtolicam nullatenus appellâſſet , contra tot tamen & tanta vos Decretalia efferre Statuta , & Epiſcopum inconſultis nobis deponere nullo modo debuiſtis* . Tandem verò eò deventum eſt , ut tantis „ nominibus veterum Pontificum ceſſerint unà cum Epiſcopis „ cæteris etiam Gallicanæ Eccleſiæ Rectores , qui in Concilio „ Remenſi , ab Hugone & Roberto Regibus Francorum an. 992. „ coacto , Anacleti , Julii , Damaſi , aliorumque Pontificum Epiſtolas in decidenda cauſa Arnulphi adhibuerunt , & incenſum „ ſuorum Canonum receperunt . Ab eo tempore Collectores Canonum Burchardus Wormatienſis , Ivo Carnotenſis , Gratianus „ conſarcinatas ab Iſidoro Epiſtolas , ſeu integras , ſeu truncatas, „ prout ipſis viſum fuerat , ſuis Codicibus inſeruerunt : unde factum eſt , ut hæc Collectio in ſummam ubivis terrarum auctoritatem aſcenderit , atque in Germania etiam obtinuerit , tunc „ præcipuè , quando Burchardus Wormatienſis ſuam Collectionem „ in lucem publicam emiſit , quæ aliunde maximæ apud Germa-

„ manos , quorum erat Epiſcopus , auctoritatis fuit . Inde ulterius conſequebatur , quod ceſſantibus Synodis Provincialibus „ quàmplurimæ cauſæ & appellationes ad Sedem Romanam fuerint devolutæ , & hac ratione auctoritas Pontificia mira incrementa , cum reſtrictione non modica jurisdictionis Epiſcoporum „ acceperit . " Cum his conferantur quæ tradidimus *c. IV. §. 8 n. 6. ſeqq.*

Ad pag. 536. in fine notæ primæ adde ſequentia .

Locum ſibi hic merito depoſcit illud Sancti Cypriani epiſt. 71. *Non eſt de conſuetudine præſcribendum , ſed ratione vincendum .*

Ad pag. 538. poſt notam quintam adde .

6.) Dicunt Monachi , quorum commoda in his ratione exemptionis plerumque verſantur : *Hæc præſcriptio obedientiam non extinguit , ſed eam ab Epiſcopo ad Papam transfert* . Sic ergo illi ad Romanum Epiſcopum obedientiam transferunt , quam proprio ſuo Epiſcopo debent . Perinde eſt ac ſi dicerent : *Noſtra hæc præſcriptio obedientiam non extinguit , ſed à Rege Galliæ ad Epiſcopum Romanum , vel ad Regem Hiſpaniæ , vel alium transfert* . Hoc præſidio ſic dejecto , ad aliud confugiunt Regulares , omnibus certè Epiſcopis odioſiſſimum , ſcilicet : *Non quidem ſe* , inquiunt , *ſed Romanum Præſulem contra omnes Epiſcopos præſcripſiſſe* . Sic igitur Romanus Epiſcopus quoſcunque fideles & Chriſtianos præſcriptione à propriorum Epiſcoporum jurisdictione ita eximere poſſet , ut hi illos neque judicare , neque caſtigare , neque baptizare , neque altari reconciliare , neque Clericos ordinare poſſent ; finaliter ut Epiſcopatus partes omnes & ſingulas abrogarent . Sanè cùm Romanus Pontifex ſit Epiſcopalium jurium tutor , vindex & aſſertor , contra jura hæc per leges præſcribere non poteſt .

Ad pag. 540. poſt notam tertiam adde quartam ſequentem .

4.) „ Fatemur , inquit Zallwein *Tom. I. quæſt.* 4. *cap.* 4. *§.* 4. „ rem eſſe periculoſam quidquam auctoritati Pontificis detrahere : „ imò verò Eccleſiæ vel maximè intereſſe , ut illius auctoritas „ ſalva & incolumis conſervetur . Verùm inſimul in id eſſe incumbendnm novimus , ne illam ultra ſuos limites extendamus , „ nec ſublimemus , incerta pro certis venditemus , & talia privilegia eidem aſſeramus , quæ *convincenter* probare non poſſumus ; ſed cogitemus magis dari zelum exuberantem , zelum,

m 2 „ ùt

„ ut ait *Apoſtolus* , non ſecundùm ſcientiam , errandi periculo
„ obnoxium . Aut enim auctoritatem Pontificis nimium deprimi-
„ mus ? & Eccleſiæ noſtræ ſummopere nocemus ; aut illam cum
„ exceſſu extollimus ? & facilè contingere poteſt , ut ſi illud pri-
„ vilegium vel in unico caſu defuiſſe monſtrari valeat , tota Ec-
„ cleſiæ auctoritas vacillet , aut omnino corruat ; ut adeo pru-
„ dens dubium remaneat , pluſne noceant Eccleſiæ moderati de-
„ fenſores poteſtatis Pontificiæ , quàm illius exceſſivi vindices .

Ad pag. 543. in fine notæ quintæ adde quæ ſequuntur .

Conf. edicta (vulgo *Placard*) Ordinum Generalium Fœderati Belgj de 30. Aprilis 1741. de 14. Aprilis 1641. & 7. Maii 1720.

Cauſam , ob quam ſuperiore ſæculo Jeſuitæ ex Anglia ejecti ſunt , dat Hugo Grotius Hiſt. de rebus Belgicis Lib. III. pag. 454. nempe hanc : *quod id genus hominum docerent , Pontifici Romano jus eſſe populos in alterius Sectæ Reges obſequio ſolvere ; qua nullam exortam eſſe peſtilentiorem Imperiis ſententiam .* Attamen ſat æquitatis fuit Grotio , ut Lectores moneret , hanc non eſſe Romano-Catholicæ Eccleſiæ , ſed Romanæ Curiæ , ſententiam ; ſic enim pag. 474. proſequitur : *Unde intelligant Poteſtates , quibus NON ROMANA RELIGIO , aut claſſes , aut exercitus æque formidanda , atque iſtos* (Jeſuitas alioſque Romanarum partium illis hac in parte conſentientes) *auctoritate Sacrorum violentiſſimos vulgi Concitores .*

Ad pag. 548. in fine Notæ (12) *adde notam ſeq. quæ erit* (13) *& corrige numeros ſeqq.*

13.) Filius hominis venit in hunc mundum , non ſolum ut nos doceret quæ *credere* , ſed & quæ debeamus *agere* : Voluit , ut fides nobis eſſet principium & regula morum , juxta illud S. Scripturæ : *Juſtus ex fide vivit* . Itaque ſi dogmata *fidei* invariabilia ſunt . Evangelica *morum* præcepta non erunt minus firma . Ea ratione Concilium Tridentinum Seſſ. IV. voluit , ut *in rebus fidei ET morum* inviolabiliter adhæreamus Sacræ Scripturæ , juxta unanimem ſenſum Patrum intellectæ ; & Clerus Gallicanus in Conventu generali an. 1700. ritè declaravit , *Religionem Chriſtianam fide & moribus conſtare , Dogmatum autem tum fidei tum morum eumdem eſſe fontem ; ac bene vivendi regulam ad ipſum Fidei caput pertinere , Eccleſia Catholica ſemper intellexit .*

Si

Si autem inter regulas *Fidei* & *Morum* tanta eſt conjunctio, nemo dubitet neque miretur, ſanctitatem doctrinæ moralis Chriſtianorum potiſſimum olim fuiſſe motivum quo Pagani ad amplectendam ſacram Religionem noſtram allicerentur. Nemo viciſſim & per contrarium conſequens miretur, ſi deſpectus aut tantus neglectus canonicorum & moralium præceptorum, ex parte illorum qui iiſdem manutenendis & exequendis præpoſiti ſunt, una eſt ex funeſtis illis cauſis, quæ dant Acatholicis anſam Catholicam religionem quaſi in principiis ſuis infirmam arrodendi: dum ſcilicet vident Principes Eccleſiæ, maximè verò eorum primarium in & pro Eccleſiæ gubernatione ſequi regulas Evangelio tam parum conformes. Quam ideam prætendemus, ut illi ſibi faciant de Eccleſiæ noſtræ ſanctitate ac ſublimitate, quando ejus ratio ſub forma tam contemtibili, ac vero Deo manifeſtè indigna, illis repræſentatur.

Ad pag. 549. *poſt notam* (16) *adde.*

17.) Prodeant ergo Dionyſii, Martini, Hilarii, qui ſacro ergo Eccleſiam pietatis igne accenſi, frangant impetus, & unitatem Eccleſiæ in ſancto gladio defendant. Audiant Eccleſiæ Rectores quod ſcripſit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. 21. *Non eſt Præſul cujus viſcera tangat affectio pietatis, aut zelus ſanctæ legis inflammet, ut ſurgat ad frangendos impetus, aut relevandas ſpes tabeſcentium. Defecta eſt fortitudo Dionyſii: non comparet pietas Martini: Tu nos quoque dereliquiſti S. Pater Hilari! qui olim unitatem Eccleſiæ ſancto gladio tuebaris.* Fateor, intempeſtivus zelus non juvat; ſuum omnia tempus habent. Sicut ex oraculo Spiritus Sancti tempus eſt tacendi & tempus loquendi, ita & tempus eſt agendi & tempus quieſcendi. Sed qui ad tantum finem, qui hìc proponitur, & ad quem obtinendum quilibet Epiſcopus ſeriò allaborare tenetur, nunquam agit, nunquam ubi poſſet loquitur, ille Spiritus Sancti regulam non ſervat, & graviſſimæ ſuæ obligationi parum ſatisfacit.

Ad pag. 551. *in fine notæ* (1) *adde quæ ſequuntur.*

Baro de Senckenberg ſuo Operi, quod inſcripſit *Methodus Juriſprudentiæ*, addidit conſpectum Libri hactenus nondum viſi, ſub titulo *Majeſtas Imperii & libertatis Nationis Germanicæ in Sacris*. Auctor hujus Conſpectus in Præfat. §. 1. poſtquam ſtudium Gallorum in vindicandis ſuis Libertatibus plurimùm dilaudavit

davit, ita pergit : " Sed Germani contrà , quæ noſtræ gentis ſo-
„ cordia , cùm libertate Eccleſiaſtica omnium eſſent primi , uſ-
„ que huc de ſuis libertatibus in unum faſcem colligendis , ty-
„ pòve dandis nequidem cogitarunt . De Catholicis loquor ,
„ quorum cauſam ago , quorumque Syſtema comparuit nullum,
„ nequidem Jurium Imperialium . Jura libertatis noſtræ & aucto-
„ ritatis in Sacris potius iis, quos Proteſtantes vocamus , extri-
„ canda relinquimus . Unde ferè accidit, ut *Regni obedientiæ* no-
„ bis immeritis Romæ titulus accreſceret , cùm Gallia illic *Re-*
„ *gnum libertatis* diceretur . Ingenti id ſanè Eccleſiæ Catholicæ
„ damno , cùm diſſidentes ſumma imis miſcerent , & ex principiis
„ Religionis ſuæ jura Pontificis maximi , Eccleſiæ obſervantiæ con-
„ formia arroderent . Neceſſitas ergo poſtulavit , ut Catholicorum
„ aliquis veram hujus rationem Juris doceret , quo obviam ire-
„ tur latè nimis vagantibus , & jus æquumve ubilibet admini-
„ ſtraretur . "

Ad pag. 552. *in fine notæ* (3) *adde*

Variationes in formulas juramentorum , ſummo Pontifici ab Epiſcopis præſtari ſolitorum , ſucceſſu temporis illapſas, ſemper cum novo Epiſcoporum Gravamine , eruditè notavit Franc. Florens *ad Lib. I. Decretalium Tit. de Poſtulatione pag. m.* 229. *ſeq.* ubi demum *pag.* 232. ita concludit : " Ex quibus conſtat , ni-
„ hil mutabilius illis Formulis, quibus pro libito vel addunt vel
„ detrahunt Pontifices : adeoque periculoſiſſimum ex illis jus ſu-
„ mere . Sed potiùs ſicut Regula , ita & Formula ad jus refe-
„ renda & ſecundùm jus explicanda eſt . "

Ad pag. 553. *in fine notæ* (4) *adde*

Conf. Fleury Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici Part. III. c. 25. Facetum de quatuor Propoſitionibus , quas Clerus Gallicanus anno 1682. ſanxit , judicium tulit Auctor du Siécle de Louis XIV. T. II. chap. 31. p. 221 quod haud incongruè hic apponemus . *Cette fermeté fut regardée à Rome comme un attentat de Rebelles , & par tous Proteſtans en Europe comme un foible effort d'une Egliſe née libre , qui ne rompoit que quatre chaines de ſes fers .*

Ad pag. 554. *poſt notam* (5) *adde notas ſequentes .*

6.) Ex fructibus cognoſcitur arbor : Gallia fruitur Eccleſiaſtica libertate , id eſt , ejus Epiſcopi reliquuſque Clerus in pleriſque ſequuntur genuinos Canones ; ſi *ſiniſtrum* hæc producunt

effe-

effectum , conſentio ut cum cæteris redigantur in ſervitutem , & ad Iſidorianas Decretales ac Bellarmini placita redeant : ſi *bonum*, opto ut & aliæ nationes hac in parte Galliam imitentur . Quæ autem in hoc regno vigeat diſciplina Cleri , exponemus verbis viri minimè ſuſpecti , Germani , ſcilicet Gregorii Zallwein *Tom. IV. Quæſt.* 3. *cap.* 2. §. 12. ubi : " Suæ debentur laudes Ec-
„ cleſiæ Gallicanæ , quæ uſque nunc Sedi Romanæ , tanquam
„ centro unitatis immobiliter adhæſit, & in communione cum Ro-
„ mano Pontifice ſtetit : Regibus Francorum , quorum merita apud
„ Eccleſiam Catholicam ſunt immenſa ; Præſulibus Eccleſiarum ,
„ quorum pietatem Chriſtianam , zelum religionis incredibilem ,
„ Apoſtolicam vivendi normam , eruditionem immenſam ſuſpicit
„ orbis univerſus; Clero tam Regulari quàm Sæculari , apud
„ quem viget diſciplina Canonibus Eccleſiæ & regulis Inſtituti
„ Monaſtici apprimè, ſaltem ùt plurimùm , conformis , cui ple-
„ ræque artes & ſcientiæ ſuum debent florem , cujus eruditioni
„ aſſurgit orbis literatus ferè totus . Floret vigetque in Gallia
„ diſciplina Eccleſiaſtica purioris Diſciplinæ veteris æmula ; Re-
„ ligio pura & ſancta ab omni ſuperſtitione aliena; devotio
„ externa in ſpiritu & veritate magis , quàm in nudis ceremo-
„ niis fundata ; doctrina morum non laxa , non corrupta , non
„ piarum aurium offenſiva , non seductoria , ſed Chriſtiana ,
„ ſecundum ſpiritum Eccleſiæ antiquæ regulata , modeſtè rigida,
„ ſi quorundam doctrinas , quos nominare non licet , excipias,
„ & legibus tam divinis quàm Canonibus Eccleſiæ & doctrinis
„ Patrum longè conformior . Stat templis ſua ſanctitas , gravi-
„ tas & majeſtas , quorum ornatus modeſtus & caſtus , non
„ comptus , ſed majeſtate gravis . "

7.) Tam multa & tam præclara ſunt , quæ idem Magnificus vir in hanc rem cordatè non minùs quàm eruditè profert, ut non poſſim non alia adhuc ex ejus Opere tranſcribere , tum ut noſtra illis illuſtrentur , tum verò maximè , ut quivis quomodocunque præoccupatus intelligat , eas , quas hic pandimus veritates non minùs ab aliis doctis probiſque viris , etiam Regularibus, agnoſci & pro bono Ecclæſiæ in publicum proferri . Sic itaque ille porro *cit.* §. 12. " Gallorum immenſum Libertatum
„ ſuarum conſervandarum ſtudium improbare quis audeat , quod
„ ſapientiores quique eſſe laudatiſſimum fateri debent, quippe quo
„ auctoritati Pontificum nec in minimo detrahi video . . . . Ec-
„ quis enim neſcit diſciplinam Eccleſiæ antiquioris ſemper fermè
in

„ in pejus abiiſſe, ſanctiores Synodorum Canones fuiſſe negle-
„ ctos, nova eaque falſa decreta Eccleſiis non culpa Pontificum,
„ ſed aliorum aut adulantium, aut quæ ſua ſunt quærentium,
„ obtruſa, atque ipſi Pontifici fuiſſe illuſum, irrepſiſſe abuſus,
„ confuſionem jurium introductam, ambitionem non raro omnes
„ aggeres perrupiſſe, aliquoties in ſchiſmate abiiſſe, bella con-
„ flaſſe, atque Eccleſiam univerſam mirum in modum divexaſſe?
„ Atque his in turbinibus & tumultibus quid mirum ſi alterutra
„ pars in vindicandis juribus ſuis quodammodo exceſſit, & alte-
„ rius partis jura quodammodo violavit? quam ægrè haud latu-
„ ram exiſtimo, ſi pars altera ſua jura modeſtè & cum debito
„ reſpectu poſtliminio repetat & vindicet. Agnoverunt hanc ve-
„ teris diſciplinæ corruptionem viri ſanctiſſimi, inter quos vel
„ ſolum S. Bernardum nominare liceat. &c.

8.) „ Itaque nemo ſanus Gallicanis Eccleſiis aut improbare,
„ aut vitio vertere poterit, ſi ad antiquos Canones & mores,
„ quos obſervare jubent leges omnes, provocent & appellent,
„ illis conſervandis ſuum ſtudium conſecrent, ſuis juribus invigi-
„ lent, amiſſa repetant, abuſibus futuris præcaveant, & cuivis
„ ſuum tribuere ſatagant. Profectò nihil ad conſervandam &
„ ſtabiliendam pacem inter Sacerdotium & Imperium, ad aver-
„ tenda ſcandala, ad conſolidandam unitatem inter Eccleſias eſſe
„ utilius, quàm æquam jurium diviſionem, amicabilem conven-
„ tionem & compoſitionem, experientia hactenus edocti ſumus.

Ad pag. 556. in fine notæ (4) *lege etiam*.
Adde Zallwein Tom. II. quæſt. 2. c. 2. §. 4.

Ad pag. 557. ante notam (1) *adde*
Multos in hac re irrepſiſſe abuſus, non utique culpa Pontificum, ſed vel Curialium, vel aliorum quorumcunque; multùm per eos fuiſſe præjudicatum auctoritati Epiſcoporum, quin & ſæcularium Magiſtratuum, ipſi Pontifices perſæpe faſſi ſunt. Experientia heu nimiùm compertum habetur, quòd Principum Miniſtri potiſſimum ſint, qui aut rerum habendarum cupidine allecti, aut ambitionis vento afflati, aut invidia agitati, aut adulationibus aſſueti imperantes inter ſe collidunt, fines Imperii confundunt, alterius limites turbant ac invadunt, diſſidiorum, litium, ac controverſiarum quotidiana ſpargunt ſemina, atque hac ratione innocuis bella movent libertatibus, nulla ſanctiſſimarum legum & pactorum ratione habita.

Ad

Ad *Aulicos* & *Curialiſtas* haud dubiè pertinet quod Goffredus Abbas Vindocinenſis jam ſub initium Sæculi XII. ſcripſit in Tractatu de Ordinatione Epiſcoporum & Inveſtitura laicorum *Opp. pag.* 884. ſcilicet : *Sunt quidam , qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant , & quaſi quadam diſpenſatione aliter quàm Divina Scriptura præcipit , eam facere poſſe . Quicunque itaque ſic ſapit, deſipit . Nam Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minimè licet , quod Petro non licuit . . . . . . Romana itaque Eccleſia divinarum Scripturarum legem ſolvere non debet , ſed conſervare ; & tradita ſibi à Chriſto poteſtate , non ad ſuam voluntatem uti , ſed ſecundùm Chriſti traditionem .* Erat hic Goffredus ſeu Godefridus de cætero ſtrenuus Romanæ Eccleſiæ pugil, cujus auctoritatem ut tueretur & ampliaret, Alpes duodecies tranſcendit.

Ad pag. 558. *poſt notam* (3) *adde notas ſequentes .*

4.) Card. Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. Lib. II. cap. 9. n. 1. dicit HADRIANUM VI. *optimum ſanè Sacerdotem fuiſſe , ſed Pontificem revera mediocrem .* Cur autem Curiales Magiſtri , qui tempori ſerviendum eſſe putant , & cuncta ſuis metiuntur commodis , ſic de Hadriano detrahant , memorat Bibliothecarius Sorbonicus Lavocat in Dictionario Hiſtor. Tom. I. pag. 22. edit. an. 1755. " Les Italiens ne l'aimoient point , parce qu' il vouloit re- „ former les abus de la Cour de Rome , & qu' il n'étoit pas „ politique . " Scilicet Hadrianus , factus Pontifex , ſic vivere & regere inſtituit , uti Lovanienſis Theologus docuerat. Docuerat autem præprimis , & in Commentario ſuo in Librum IV. Sententiarum (quem ad Pontificium ſolium evectus ſine ulla mutatione recudi fecit) latè probaverat , Clerico de bonis Eccleſiæ nihil ſumendum eſſe præter victum & veſtitum . Demonſtraverat itidem luculentiſſimis argumentis eodem Commentario , diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum , & quaſcunque alias, citra Eccleſiæ neceſſitatem vel communem utilitatem à ſummo Pontifice datas , illicitas & inanes eſſe . Quod ſic docuit Hadrianus , hoc exemplo & facto in ſe ipſo & nepote ſuo demonſtravit, uti teſtatur Odoricus Raynaldus Annal. Tom. XX. ad an. 1522. num. 11. ex Hieronymo Nigro , ubi finalia verba notanda : *Cæterùm corruptos Aulicorum mores adeo repentinam mutationem non laturos , addidit Niger ipſe exaratis Romæ* 15. *Aprilis an.* 1522. *literis .*

5.) Tertium , quo ſanctiſſimus Pontifex odium ſuorum Curia-

rialium & Nationis Italicæ promeruerat, luculenter exponitur in mandatis, quæ Franciſco Cheregato Oratori ſuo in Germaniam eunti dedit, apud eundem Raynaldum cit. an. 1522. n. 70. in quibus hæc inter alia: *In hac ſancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata*. Scilicet tantorum malorum reformationi & medelæ innitebatur Hadrianus; & hoc Aulicos non laturos teſtatur Hieronymus Niger; atque ideo Hadrianum Pontificem revera mediocrem fuiſſe prætendit Cardinalis Palavicinus, totam rem Romanam ex principiis Politices magis, quàm Theologiæ in tota ſua Hiſtoria Tridentini Concilii æſtimans.

6.) Rei Catholicæ malè conſulunt qui *Romanam Curiam*, cum *Apoſtolica Sede* confundunt. Grave huic ſanctiſſimæ Cathedræ dedecus inferunt qui ei adſcribunt omne illud quod ab hujus Curiæ Miniſtris decernitur aut expeditur, quippe qui non magis, quàm aliarum Curiarum ac Principum aulici ſuis carent affectibus; aut quidquid SS. Canonibus adverſum iidem Miniſtri ab eo extorquent, qui licèt in cathedra Petri ſedens reliquis Epiſcopis præemineat, nihilominus tamquam & ipſe *ex hominibus aſſumptus, infirmitate circumdatus eſt* (*a*). Sanctæ Sedis gloria eſt aliarum Eccleſiarum jura & prærogativas tueri, ſacros Canones colere & in uſum deducere, pacem atque unitatem in Eccleſia quærere & ſervare: ad hoc enim inſtituta eſt. Non parvam igitur eidem Sedi injuriam faciunt, qui tanquam ſuum ipſius opus venditant, quod totum eorum eſt, qui aliarum Eccleſiarum jura conculcant, qui Canonum præcepta tranſgrediuntur, quique aliis perſuadere conantur, illos eſſe ſanctæ Sedis inimicos, quibus nulli ſunt Eccleſiæ obedientiores, eique, qui Eccleſiæ Caput eſt, ſecundùm veræ legitimæ Chriſtianæque ſubordinationis principia obſequentes magis. Non ſunt ea neque facta neque verba Sanctæ Sedis, quæ nec poteſt nec debet illos omnes pro ſuis amicis agnoſcere, quos Romana Curia ad fines ſuos politicos habet adulatores.

7.) Non diffitendum, quòd hac ratione per *Brevia*, quæ *Apoſtolica* vulgò vocantur, multi terreantur expreſſionibus, quæ Summis Pontificibus tribuuntur; fit enim, ut in illis impium & ſacrilegum ſæpe vocetur, quod de ſe non eſt niſi pura & litteralis

(*a*) *Ad Hæbræos cap. V. v.* 1. 2.

ralis SS. Canonum executio. Quidquid igitur eiſdem ſacris Eccleſiæ Conſtitutionibus adverſum ſub venerando Pontificum nomine in publicum datur, poteſt quidem fallere pietatem parum inſtructam & ſuperſtitioſam, ſed nunquam erit Sanctæ Sedis oraculum. Itaque non audiamus viros, qui ad tegendam aut tuendam ſuam ambitionem ſeu avaritiam abutuntur reſpectu Sanctæ Sedi debito, & ſub hujus obtentu perſequuntur eos, qui optimo fine noxiis illorum ſtudiis, quantùm legitimè poſſunt, obſiſtunt; minùs terreamur vanis eorum clamoribus, qui nos calumniantur, quaſi Primæ Sedi detrahamus, quando revera aliud non agimus, quàm ut eidem Sedi & univerſali Eccleſiæ deferamus illorum vitia, quibus Petri cathedra dehoneſtatur.

Ad pag. 560. *ante not.* (1) *poſt illa verba, omnes fruimur, adde.*

Si ex una parte ii minimè laudandi ſunt qui ſummo Pontifici ſcriptis derogant, quæ ei legitimè competunt; ex altera parte haud inculpandi erunt qui eidem negant, quæ Patres, Concilia & legitimi Canones illi non concedunt. Quod eruditiſſimus Muratorius in Libro de Ingeniorum moderatione diſſeruit de *Eccleſia*, hoc peræque, imò magis, de *Papa* tenendum eſt; ſcilicet: *Uti modeſti & non vulgaris animi hominiſque ſupra ſuos affectus regnantis eſt, nil ſibi arrogare, quàm quod in publicæ rei commodum, & in juſtitiæ & veritatis tutelam redundet; ita pii ſimul & prudentis eſt, nihil Eccleſiæ tribuere, quod tributum in ipſius Matris noſtræ contumeliam publicumque incommodum recidat. Ut eidem bene ſerviatur & conſulatur, non ſolus zelus, non ſola pietas conſulenda eſt, ſed SCIENTIA quoque, & omnium maximè PRUDENTIA*. In præcedentibus, cùm de Romani Pontificis poteſtate in ſingulis ejus partibus determinanda ageretur, *ſcientiæ* face uti, & ejus lumen, quantum in nobis fuit, ſequi conati ſumus; Hic ubi de mediis agitur, queis impediatur, quominus eadem poteſtas in ſanctæ Matris noſtræ contumeliam publicumque incommodum redundet, *prudentiæ* regulis utendum eſt; has deſumemus ex actis publicis Eccleſiarum.

Eadem pagina in fine Notæ (1) *adde.*

Fateor, res eſt ardua, vel ex eo etiam capite, quod tot tantique abuſus à multo tempore in mores abierint. *Deeſt*, inquit Seneca, *remedii locus, quia quæ fuerunt vitia, mores fiunt*. Atta-

Attamen non eapropter animo deſpondendum eſt . Dantur hiſce etiam malis media , eaque Canonica .

Pag. 563. *nota* (5) *poſt illa verba* omnia diſponuntur , *dele reliqua uſque ad finem Notæ* , *& ſubſtitue ſequentia* .

Diſtributio librorum fit per Secretarium inter Conſultores , quibus incumbit obligatio referendi in plena Congregatione , ubi dein conſulitur , an liber prohiberi , expurgari vel ſuſpendi debeat . Cardinales verò ùt plurimùm ſe judicio Conſultorum conformare ſolent . Soli tamen Cardinales ex Conſtitutione SIXTI V. votum deciſivum habent . Decreta duntaxat ſub nomine Cardinalium Congregationis Indicis , non ipſius Pontificis formantur & evulgantur ; priùs tamen quam imprimuntur , per Secretarium Indicis Pontifici exhiberi conſueverunt . Quoniam verò Papa nec legit librum , nec relationem Conſultorum audit , ſed unicè decreto jam formato ſimpliciter annuit , nulla Pontificis mentio in decreto injicitur . In Regulis à Confectoribus Indicis expurgatorii obſervandis hæc ſeptimo loco præſcribitur : *Expungendæ ſunt etiam propoſitiones* , *quæ ſunt contra Libertatem* , *immunitatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam* . Cùm autem jura , quibus paſſim Principes ſupremi utuntur in materiis Eccleſiaſticis , à Curialibus Romanis reputentur contraria immunitati & juriſdictioni Eccleſiaſticæ , non mirum , ſi libros & ſcripta , in quibus hæc jura Principibus aſſeruntur , in Indicem librorum prohibitorum relata videamus .

Ad pag. 564. *in fine notæ* (7) *adde* .

Inſuper non ſemper conſtat , quòd Conſultores eam in revidendo libro diligentiam (de intelligentia certarum materiarum non loquor quidem , minùs de methodo , de qua nos egimus *cap.* 1. §. 1.) adferant , quam negotii gravitas exigit ; quòd nulla inordinata irrepſerit paſſio ; nulla intervenerit ſub vel obreptio . Novum non eſt , quod aliquoties intercedant patrocinia Potentum , commendationes Principum , quas eblandiri non raro laborant viri indiſcreto zelo zelantes . PIUS II. in Epiſt. 374. Baſileen. edit. ad Carolum VII. Galliæ Regem ſcribit de Sede Apoſtolica : *Multa illam circumſpicere oportet* , *multa metiri* ; *ita ſemper actiones ſuas dirigere* , *ut reddere illarum rationem Deo & hominibus poſſit*. In æquiſſimam hanc regulam impingunt Inquiſitores Librorum , dum in ſuis cenſuris ſic agunt , ut actionum ſuarum rationem hominibus nolint reddere , ac proinde , aliquando

do non poſſint, *imparati ad ſatisfaciendum*, utique *omni poſcenti eos rationem*. Quo in eventu cùm Beato Petro minimè pareant, nec Sedis Apoſtolicæ morem ſequantur, nihil eſt admodum, cur reformidentur notæ cenſoriæ quibus quoſdam libros afficiunt. Quare non ſolùm poſt Laymannum, Gobatum & alios obſervat Ignatius Heyegg *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſt. pag.* 433. Indicem Librorum toties reimpreſſum, & in immenſum ſæpius auctum non eſſe in Germania receptum, quantum ad libros, qui à Catholicis non ſuſpectis ſunt compoſiti, etiamſi quædam contineant moribus fidelium non ſatis conformia; ſed & generatim refert Gr. Zallwein *Tom. II. Quæſt.* 3. *c.* 5. §. 8. hunc Indicem non tanti fieri; *Quotuſquiſque*, inquit, *eſt*, *qui ſibi ſcrupulo ducit libros Romæ prohibitos legere*, *niſi Placito Epiſcopali tales prohibitiones ſint roboratæ & publicatæ*?

Eadem pag. in fine notæ (8) *adde*.

Utinam omnes Pontifices ſentirent ſicut GREGORIUS M. *Lib. II. Indict. X. Epiſt.* 37. (hodie 52.) ad Natalem Salonitanum Epiſcopum ſcribens: *At poſtquam nos Deo auctore unum ſumus*, *ſi ea quæ nobis corrigenda ſunt*, *tacemus*, *valde delinquimus*. *Ecce fraternitas tua ægrè tulit ſe de conviviis à me eſſe reprehenſam*, *cùm ego*, *qui etſi hanc non vita*, *tamen loco tranſgredior*, *ab omnibus corripi*, *ab omnibus emendari paratus ſum*: *& hunc ſolum mihi amicum æſtimo*, *per cujus linguam ante apparitionem diſtricti judicis meæ maculas mentis tergo*.

Ad pag. 568. *in fine notæ* (13.) *adde*.

Hoc autem tantò minùs mirandum, quòd eadem ſors tetigerit celebre Commonitorium, quod HADRIANUS VI. ſuo ad diætam Norimbergenſem Legato Franciſco Cheregato dedit, editum à Raynaldo *in Annalibus ad an.* 1522. *num.* 66. *& ſeqq.*

14) Sæpius, ex aliis Nationibus ſpeciatim è Germania, ad Romanam Sedem querelæ deferebantur & gravamina, quòd Romæ damnentur, qualificentur, aut ſaltem Catalogo librorum prohibitorum inſerantur libri cæteroquin boni & utiles, ſed non ad palatum Curiæ Romanæ ſcripti; Hæc moverunt BENEDICTUM XIV. ut Idibus Julii an. 1751. ſpeciali Brevi Apoſtolico Congregationi Indicis præſcriberet certas regulas poſthac obſervandas. Inter has ſunt ſequentes: „ *I.* Meminerint, non id ſibi muneris „oneriſque

„ oneriſque impoſitum , ut libri ad examinandum ſibi traditi
„ proſcriptionem modis omnibus curent atque urgeant ....
„ *II.* Si forte eveniat , ut alicui per errorem materia aliqua
„ diſcutienda committatur, ab illius peculiaribus ſtudiis aliena ;
„ noveritis , ſe neque apud Deum neque apud homines culpa
„ vacaturum , niſi quamprimùm id Congregationi aut Secreta-
„ rio aperiat , ſeque ad ferendam de hujuſmodi libro cenſuram
„ minùs aptum profeſſus , alium magis idoneum ad id muneris
„ ſubrogari curet ..... *III.* Nationis , familiæ , ſcholæ
„ inſtituti affectum excutiant , ſtudia partium ſeponant : Ec-
„ cleſiæ Sanctæ dogmata & communem Catholicorum doctrinam ,
„ quæ Conciliorum generalium decretis , Romanorum Pontificum
„ conſtitutionibus , & orthodoxorum Patrum atque Doctorum
„ conſenſu continentur , unicè præ oculis habeant : hoc de-
„ cæterò cogitantes , non paucas eſſe opiniones , quæ uni Scho-
„ læ , inſtituto aut nationi certo certiores videntur , & nihil-
„ ominùs ſine ullo fidei aut Religionis detrimento ab aliis
„ Catholicis viris rejiciuntur . *IV.* Hoc quoque diligenter
„ animadvertendum , haud rectum judicium de vero auctoris
„ ſenſu ferri poſſe ; niſi omni ex parte illius liber legatur ,
„ quæque diverſis in locis poſita , & collocata ſunt , inter
„ ſe comparentur ; univerſum præterea auctoris conſilium , &
„ inſtitutum attentè diſpiciatur ...... *V.* Quòd ſi ambigua quæ-
„ dam exciderint auctori , qui alioquin Catholicus ſit & in-
„ tegræ Religionis Doctrinæque fama , æquitas ipſa poſtulare
„ videtur , ut ejus dicta benignè , quantùm licuerit , explica-
„ ta in bonam partem accipiantur . „ Hæc præcepta , moderatione plena , & magno Pontifice digna , ſi intuitu præſentis Operis probè obſerventur , ſpes eſt , futurum ut illud è manibus Inquiſitorum & Conſultorum Indicis impune elabatur.

Pag. 571. in titulo §. IV. adde.

In quibus etiam, pro re nata , ſubtractio ab obedientia decerni poteſt.

Pag. 573. in fine notæ (3) adde .

Patres Concilii Baſileenſis in Epiſtola , quam die 3. Septembris an. 1332. ad Eugenium Papam dederunt , dicunt ſæpe obedientiam juſtis ex cauſis Romanis Pontificibus ſubtractam eſſe , ùt Marcellino , Anaſtaſio , Liberio , Joanni XII. Benedicto IX. Benedicto XIII. Joanni XXIII. apud Harduinum *Tom.* VIII. *col.* 1328.

Pag.

Pag. 576. poſt notam (5) adde ſextam ſequentem .

6.) Quod de ſubtractione obedientiæ diximus, eleuteratione & declaratione indiget . Si ageretur de particulari tantùm facto abuſivo Curiæ Romanæ, veluti bulla à privato obtenta, ſufficeret & conveniret reſtringi obedientiæ negationem ad ſolam illam bullam abuſivam , uti quotidie fit in Gallia . Si verò Romana Curia eòuſque ſua poteſtate & auctoritate abuteretur , ut integram Nationem, totas Eccleſias ſuis juribus , libertatibus & privilegiis exuere, aut in iis graviter lædere tentaret , ejuſque Miniſtri ad convenientes remonſtrationes ſurdas aures objicerent , jure meritoque univerſalis ejus regni aut provinciæ ſubtractio ab obedientia decerneretur , non quidem illa quæ eſt juris *divini* , ſed quæ *humani* ; qualis E. gr. eſſet collatio beneficiorum , confirmatio electionum , jus Appellationum &c. ſive ea conſenſu tacito , ſive expreſſo pacto Romanæ Sedi adjecta fuerint . Talis practicata fuit à Regibus Franciæ Ludovico XII. & XIV. ſub Pontificibus Urbano VIII. Alexandro VII. Innocentio XI. à Rege Luſitaniæ Joanne V. ſub Benedicto XIII. & Clemente XII. ab ejuſdem regni moderno Monarcha inde à quatuor aut quinque annis &c. Hac ratione temporaria eaque non injuſta ſeparatio fit non à *Sede* , ſed à *Sedente* ; eoque medio ritè compelluntur Aulici redire ad ſua officia , atque ad auferendum gravamina , quæ ſi non hoſtili , ſaltem ambitioſo animo , liberis Eccleſiis intulerunt .

Pag. 591. in fine notæ (5) lege etiam .
Conf. cap. VI. §. 3. num. 5.

Ad pag. 616. in fine notæ (7) adde .

Adversùs illorum temeritatem , qui à Romana Curia impetrare præſumpſerint , quæ inde impetrari minimè deberent , Patres Concilii anno 895. Triburiæ ad Rhenum abiti alio modo , nec tamen minùs ſapienter providerunt . Poſtquam enim *Can.* 30. ſuam erga Apoſtolicam Sedem reverentiam admodum energicis expreſſionibus declaraſſent , ſic proſequuntur apud Harduinum *Tom.* VI. *col.* 448. „ Si verò , quod non decet , quilibet , „ ſive Presbyter , ſive Diaconus , aliquam perturbationem ma- „ chinando , & noſtro miniſterio inſidiando , redarguatur falſam „ ab Apoſtolico detuliſſe Epiſtolam , *vel quid aliud , quod in-* „ *de non convenerit* : ſalva fide , & integra circa Apoſtolicum „ humilitate , penes Epiſcopum ſit poteſtas , utrùm eum in

„ car-

„ carcerem, aut in aliam detrudat cuſtodiam ; uſque quo per
„ Epiſtolam , aut per idoneos ſuæ partis legatos , Apoſtolicam
„ interpellet ſublimitatem , ut potiſſimùm ſua ſancta Legatione
„ dignetur decernere „ quid de talibus juſto ordine Lex Roma-
„ na ſtatuat diffinire , ut & is corrigatur , & cæteris modus im-
„ ponatur .

Pag. 617. dele integram notam (9) & ſubſtitue ſequentia .

9.) Extat in *Can.* 3. *Diſt.* XIX. Canon deſumptus ex Cap. 30. Concilii Triburienſis an. 895. cui in Decreto Gratiani malè præfigitur hæc rubrica : *Tolerandum eſt jugum , quod à Sancta Sede imponitur , licèt intolerabile videatur* : juſtior eſt illa , quæ citato Capiti 30. Triburienſi Synodi præfixa aſſignatur à Synodographis , nempe : *De eo , ſi quis ab Apoſtolico falſam detulerit Epiſtolam* . *PRIMA* pars hujus Canonis quaſi præludium eſt & conteſtatio honoris , ideo poſita , ut binæ ſubſequentes Papæ minùs graves videantur : *In memoria B. Petri Apoſtoli* , ajunt Patres Concilii : *honoremus S. Romanam & Apoſtolicam Sedem , ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis , eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis . Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas , ut licèt vix ferendum ab illa S. Sede imponatur jugum , conferamus , & pia devotione toleremus* . *SECUNDA* parte definitur, qua ratione excipiendus ſit , qui falſas litteras, aut aliud quid , *quod non conveniat* , Roma , ad inſinuandum adfert ; nempe : *Si verò , quod non decet , quilibet , ſive ſit Preſbiter , ſive Diaconus , aliquam perturbationem machinando , & noſtro miniſterio inſidiando , redarguatur falſam ab Apoſtolico detuliſſe Epiſtolam , VEL ALIUD QUID , QUOD INDE NON CONVENERIT , ſalva fide , & integra circa Apoſtolicum humilitate , penes Epiſcopum ſit poteſtas , utrùm eum in carcerem , aut in aliam detrudat cuſtodiam ; Uſquequò* (& hæc eſt *TERTIA* pars Canonis) *per Epiſtolam , aut per idoneos ſuæ partis legatos , Apoſtolicam interpellet ſublimitatem , ut potiſſimùm ſua Sancta Legatione dignetur decernere , quid de talibus juſto ordine LEX ROMANA ſtatuat diffinire , ut & is corrigatur , & cæteris modus imponatur* . Potuiſſent ipſi , haud dubiè , Epiſcopi talem perturbatorem , qui non convenientia Romæ impetravit , ſicuti incarcerare , ita & porro punire ; ſed maluerunt in reverentiam Sanctæ Sedis determinationem pœnæ , dum interim ille in carcere detineretur , Romano Pontifici permittere , qui eam dictabit , non pro arbitrio , ſed *juſto ordine* , & juxta

Legem

Legem Romanam , qua Clerici victuros ſe eſſe profitebantur , quæque minimè erat *lex Pontificia* Vid. Baluzium Capitular. Tom. I. col. 41. & 690. Eccard de Lege Salica & Ripuariorum pag. 222.

10.) Cùm Felinus Auditor Rotæ , ſive adulando , ſive mercedem ſperando , in Cap. 8. X. de Foro compet. num. 19. ſcripſiſſet, *quòd laici teneantur ſervare ſtatuta Papæ , & leges ſuper pace* , adjiciens mox : *Quod allegavi contra Venetos , non timentes Papam , coram quo conveniebantur à tota Italia, tanquam fractores pacis , quando patriam meam* (Ferrariam) *obſidebant rabie barbarica* : ſubjuncta fuit in editione Taurinenſi an. 1578. hæc Additio , neſcio à quo : ,, Cùm legerem ſcripta tua hìc ,, poſita , Feline , coepi mecum admirari , quare ſic repentè ,, locutus ſis , quando ſperabam à te audire verba , quæ eſſent ,, prolata cum maturitate & veritate, tanquam à viro docto : ,, ſed ea longè fefellit opinio .... . Quare accuſatus à multis , ,, cùm nullam excuſationem pro tui defenſione haberem , reſpon- ,, di , videri , quòd iſta dixeris, ut aliquibus ſatisfaceres : in- ,, terrogatus , quibus , dixi *Pontifici , ut iſtis ſuis allegationibus* ,, *Pontificem alliceret , quòd eum promoveret ad dignitatem Cardi-* ,, *nalatus* , cui opinioni omnes conſenſere , rogantes me , ut ,, eis explicarem , quænam fuit cauſa odii inter Pontificem , & ,, Remp. Venetam , quòd neceſſe fuerit devenire ad illas ne- ,, fandas allegationes ...... Cùm bellum eſſet cœptum de li- ,, centia Papæ , & benedictione , ùt mos Chriſtianorum eſt , ,, ab eo tradita , & jam Ferrariam obſidebant Veneti : Ponti- ,, fex mutavit opinionem , & præcepit Reip. Venetæ , ut de- ,, ſiſteret ab obſidione .... Ideo Reſp. Veneta conſuluit ,, JCtos , ut congruum darent reſponſum Pontifici , ne argue- ,, rentur de inobedientia erga Pontificis mandata , qui Juris pe- ,, riti reſponſa dederunt in hunc modum : hæc humana fuit ra- ,, tio , hìc habet natura dicere : hujuſmodi præceptum arctare ,, potuiſſe Venetos ad cedendum huic bello , quando ſine diſ- ,, cretione , quæ eſt mater virtutum , imò cum præcipitatione ,, mandantis , proceſſerit , ſubjungendo , quòd Pontifex Domi- ,, nos Venetos , & partem adverſam ad ſe vocare debebat , & ,, hoc modo , re cognita , potuiſſet dare unicuique quod ,, ſuum erat , maximè , cùm non liceret Duci Ferrariæ ſpoliare ,, Remp. Venetam , quæ erat in poſſeſſione jurium ſuorum ,, multis annis ; nam cautum jure eſt , nemini licere in cauſa

„ propria jus ſibi dicere . *Cùm ſecùs actum eſſet à Pontifice* ,
„ *qui pro libito voluntatis proceſſerat* , *videbatur poſſe conqueri* ,
„ *non obſtante* , *quòd dictum ſit* , *Pontificem non habere niſi Deum*
„ *judicem* , ùt in Cap. *Aliorum* IX. q. 3. Sed , *cùm ſcandalum*
„ *eſſet publicum* , *& Eccleſia notoriè ſcandalizaretur* , *NULLI*
„ *DUBIUM* , *quin de Pontifice poteſt conqueri* , ùt dixit Gloſſa
„ in Cap. *Si Papa* . Diſt. 40. , & ibi DD. Abbas in Cap. *Cùm*
„ *veniſſent* de Judiciis . Quare , quòd Reſp. Veneta non ita
„ paruit , mandatis Pontificis , accuſari non poteſt , quia lege
„ permittente hoc fecerunt . „ &c. Sic in minùs eruditis etiam ſæculis prudentia & ſana ratio jamtum dictabant legitima remedia adversùs exceſſus Pontificiæ poteſtatis : ſic in materia utriſque communi Theologis conſentiebant JCti : ſic , quæ veris illorum aſſertis adhuc opponi potuiſſent , difficultatibus & objectionibus , hi occurrunt & ſatisfaciunt .

11.) Inter tot ſpurios , aut quavis alia juſta criſi notandos Canones , in Corpus Juris , maximè autem in Decretum Gratiani , illapſos , quorum auctoritati ii , qui Curiæ Romanæ cum exceſſu favent , ùt plurimùm innituntur , micant , tanquam inter nebulas , non paucæ purioris & genuinæ lucis ſtellulæ , quæ , ſi in unum colligerentur , juſtum lumen accenderent materiæ , quam tractamus , & in multis ſervirent ſaltem pro idoneis exceptionibus generaliorum thematum , quæ illi pro Regulis venditare amant . Nos lucidorum horum Canonum plures hoc Tractatu indicavimus , quorum ſinguli ſingulos Commentarios mererentur , qui in unum faſcem colligati , ſicuti dignam eruditæ lucubrationi materiam , ita utile Eccleſiæ , & Reip. Literariæ opus conſtituerent ; his quaſi pro coronide & corona ſuperimponimus Canonem 57. Cauſ. II. Quæſt. 7. e S. GREGORIO M. deſumptum , vigore cujus , *Admonendi ſunt ſubditi : ne cùm ſtudent plus , quàm neceſſe eſt , hominibus ſubjici , compellantur vitia eorum venerari* .

Pag. 618. *ante not.* (1) *poſt illa verba* definitæ ſunt *adde quæ ſequuntur* .

Hoc jure ſemper uſi ſunt Principes in negotiis Eccleſiaſticis , ex quo Eccleſia in Imperio eſſe coepit , imò & ab ipſa Eccleſia ſæpiſſime moniti ſunt & rogati , ùt in ſui favorem eo ſuo jure uterentur . Vide Canonem Concili Pariſienſis de an. 829. apud Gratianum *Cauſ.* XXIII. *Quæſt.* 5. *Can.* 20. Hinc

eſt ,

eſt, quòd vel primis ſæculis videamus ab Imperatoribus reparatas injurias per Canonum violationem in judiciis Eccleſiaſticis illatas: Sic docet P. de Marca *de C. S. & J. Lib. IV. Cap.* 2. & probat exemplo S. Athanaſii Alexandrini, & Conſtantini Imp. Athanaſius ſcilicet à judicio adverſùm ſe in falſa Synodo Tyria reddito Auguſtum appellavit, *Princeps verò appellationem ſuſcepit, & partibus diem dixit, qua ſe in Conſiſtorio ſuo ſiſterent*, ſunt verba Illmi Pariſienſis Archiepiſcopi *l. c. num.* 4. qui & exinde rem geſtam ex fidæ Hiſtoriæ narrat, *ut omnibus*, inquit, *pateat, hanc Appellationem ejus generis eſſe, quæ hodiernis appellationum tanquam ab Abuſu formulis apprimè reſpondet*. Hujus rei fidem facit reſcriptum ejuſdem Conſtantini, quod extat apud *ATHANASIUM in Apologia contra Arianos pag.* 202. *Opp. Tom. I. edit. noviſs.* nec non Sozomenum *Hiſt. Eccleſ. Lib.* II. *Cap.* 28. in quo notanda ſunt verba: *Nihil aliud poſtulavit* (Athanaſius) *quàm ut vos evocari, huc juberem, quo nobis præſentibus, quæ per vim paſſus eſſet, conqueri poſſet; quod cùm mihi æquum & temporibus meis congruum videretur, ſcripto vobis denuntiatum volui, ut quotquot ſynodum Tyri abſolviſtis, ſine omni tergiverſatione ad Prætorium noſtræ Clementiæ conveniatis, reipſa, quantum ſeveritatis integritatiſque ſit in veſtris ſententiis, coram me declaraturi.* &c.

Hoc ampliùs: ut ſe à *Novi Juris* executione tutos præſtarent Epiſcopi, Principes quaſi cuſtodiæ Canonum ab ipſo Chriſto propoſitos interpellabant, ut ſua auctoritate *novorum Decretorum* tanquam *abuſivorum* executionem impedirent. Exemplum eſt in duabus *CAROLI CALVI* Imp. ad HADRIANUM II. Rom. Pontificem Epiſtolis, quæ habentur inter Epiſtolas Hincmari Remenſis. In prima agitur de negotio Hincmari Laudunenſis Epiſcopi, qui trium Synodorum judicio depoſitus Romam appellaverat, quemque ad ſe mitti Romam præceperat HADRIANUS, quo judicium retractaretur, idque præter diſciplinam Canonum antiquorum. Ibi verò CAROLUS Imperator (ſeu potiùs HINCMARUS Remenſis ſub ejus nomine ſcriptor Epiſtolæ) poſtquam docuit, alienum eſſe à Canonibus, ut judicium iſtud Romæ tractaretur; adducit vulgatum S. LEONIS Sermone III. in Anniverſario ſuæ aſſumptionis, locum: *Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipſius fertur æquitate judicium*; quem ſic exponit: *qua ſententia conſtat, quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate non fertur judicium* . . . .

 Et

Et quia ſine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ejus æquitate non fertur judicium (idem eſt de quovis alio Pontificis juſſu, decreto, conſtituto &c.) *judicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, per hoc ipſius privilegio erit deſtitutum.*

Altera Epiſtola de Romana Curia queritur CAROLUS, quòd Presbyteros damnatos, & pœnitentiæ canonicæ addictos Pontifices ſuſciperent, ipſiſque litteras darent, quibus lata in eos Epiſcoporum judicia, inconſultis ipſorum Metropolitanis, evacuarent; imò Epiſcopos ipſos, vel eorum Vicarios Romam evocarent, ut iis præſentibus cauſæ retractarentur; Invocat eam in rem Nicænorum, Antiochenorum & Carthaginenſium Canonum diſciplinam; Epiſcopos aliarum provinciarum Romam ea de cauſa accedere debere negat; Eccleſiis ſua privilegia ſervanda eſſe ex Gregorio M. contendit, ac demum per hæc verba concludit: *hoc igitur ſervemus noſtris temporibus tantò gratius, quantò & Eccleſiæ & Regno erit capacius ſervando; & quæ legaliter & regulariter geſta ſunt, rata eſſe faciemus.*

Pag. 620. poſt titulum §. XI. *dele totum cap. incipiens* Inſtituit, *& finiens* Infidelibus, *& ſubſtitue ſequentia.*

Eccleſia Corpus eſt, & quidem inter omnia nobiliſſimum. Igitur Capite eget, quo dirigatur; & neceſſe eſt, ut vincula, quibus membra huic Capiti alligantur, ſacra ſint & inviolabilia. Eget præterea omne Collegium, omnis Reſpublica, ſiquidem ordinata ſit, communi Cancellaria pro negotiis ſuo corpori, ſuo ſtatui propriis. Tolle hoc commune Eccleſiæ Prætorium, & ſimul aufers medium, quo diſperſæ per orbem Eccleſiæ inter ſe correferant, nec multò poſt omnia in anarchiam dilabentur. Ne hoc quidem Acatholici moderatiores ignorant aut negant. Inter hos celeberrimus Leibnizius in Præfatione ad Codicem Juris Gentium Diplomaticum refert, auctoritatem Romani Pontificis, ambitionem Principum per cenſuras reprimentis, ſæpe ad præveniendum malum profuiſſe; ſed addit: *His Cleri attentatis factum eſt, ut poſtremò, quia nimia affectabant, etiam JUSTA amitterent, QUÆ RETINERE IPSOS E RE CRISTIANA FUISSET.*

Igitur Primatus omni ſtudio in Eccleſia ſervandus eſt, ſanctèque colendus; neque enim ille officit ſacræ libertati, ſed

ſed hanc ſervat potiùs & tuetur . *Ut omnibus fiat ſatis , liquidò & ſecundùm ſententiam meam omniumque Gallorum aſſero , præcipuum primumque libertatis Eccleſiaſticæ fundamentum apud nos hoc eſſe , ut Principatus Apoſtolicæ Sedis ſuum locum ſemper obtineat* , inquit P. de Marca de C. S. & I. Lib. I. Cap. 2. num. 2. In hac Theſi convenimus omnes Catholici , tanquam certa . Utinam autem apud omnes peræque conſtaret , quænam ſint genuinæ partes & propria naturaliaque attributa hujus ſacri Principatus ! Loquendo de facultatibus Summi Pontificis , iiſque ſpecialibus , hoc habeo , inquit Thomaſſinus *Part. IV. Lib. I. Cap. 1. num. 19. primæ edit.* : „ Quamvis dici non poſſit , „ omnes iſtas facultates , quæ non niſi poſt multa ſæcula ap- „ paruerunt , eſſe propriè & immediatè à jure divino ; ne- „ gari nihilominus non poteſt , eas convenire optimè Primatui „ in jure divino immediatè fundato . „ Nos ſanè hac in parte viro erudito aſſentiri non poterimus , cùm [utì à nobis hoc Tractatu demonſtratum confidimus) ab eruditionibus probatum exſtet , iis facultatibus , quæ non niſi poſt multa ſæcula apparuerunt , quibuſque Pontifices hodie utuntur , Evangelicam à Chriſto inſtitutam , & ab Apoſtolis obſervatam Sacram Oeconomiam everti , univerſim Eccleſiaſticæ Diſciplinæ nervos debilitari frangique , primorum & præſtantiſſimorum Conciliorum generalium ſtatuta convelli , judiciorum leges deſtrui , Epiſcoporum jura perturbari , in Sacerdotiis diſtribuendis , in diſpenſationibus concedendis , in jure dicendo plurima confundi , &c. Unde concludimus , tales facultates non convenire Primatui , in jure divino immediatè fundato .

Eadem pag. loco notæ (1) , *quæ deleri debet ſubſtitue deletum cap. incipiens* Inſtituit , *& finiens* Infidelibus , *& dele etiam integram notam* (2) *corrigendo numeros ſequentes* .

Ad pag. 623. poſt notam , quæ finit patriam poteſtatem *adde* .

6) Regibus , & Principibus Sæculi , Pontificibus , & Prælatis Eccleſiæ , timorem , honorem , reverentiam deberi ſcio , ſed majorem veritati . Nec illa reverentia eſt , pu-

blicas

blicas noxiaſque morum labes probroſa adulandi objectione ac cœcitate tegere, ſed potiùs Chriſtiana pietate patefacere, & modeſtia redarguere. Utrumque exhibui, quantùm Deo adjuvante potui, & niſi me mea fallit opinio, quantùm debui. Si quid durius forſan mihi exciderit, vel potiùs alicui viſum fuerit, in facta, non in perſonas jactum eſt.

VINDICIÆ

FEBRONIANÆ

SEU

REFUTATIONES

NONNULLORUM OPUSCULORUM,

QUÆ ADVERSUS

JUSTINI FEBRONII JCti

TRACTATUM

DE STATU ECCLESIÆ

ET

POTESTATE ROM. PONTIFICIS NUPER PRODIERUNT.

BULLIONI 1766.

APUD GULIELMUM EVERANDI.

Qui ſcribit, multos ſumit judices. S. Hieronymus in Expoſit. Symb. in princip.

Sæpe rodentes in publico detrahunt, quod in angulis libenter legunt. Idem in Prologo ad Paralipomenon.

APPENDIX SECUNDA.

JUSTINIANI NOVI

ANIMADVERSIONES

IN

JUSTINIANI FROBENII

EPISTOLAM

AD XL. V.

JUSTINUM FEBRONIUM JURISCONSULTUM

DE LEGITIMA POTESTATE SUMMI PONTIFICIS.

BULLONII
ANNO MDCCLXIV.

Nobilis Jur. Utr. Candidate, Collega peramande!

IGnoſce, ſi fortè erravero in dando ſatis competenter titulo, *JUSTINIANE FROBENI*; Sigla tua *J. U. C.* interpretor, quaſi fores adhuc *Candidatus utriuſque juris*, nec plus aliquid de te ſuſpicari poteram ex epiſtola tua, quæ ſi debuerat eſſe meriti tui ſpecimen, conſultiùs Romæ de-

deſiderares gradum Utriuſque Juris quàm in Germania: nondum enim hic videris maturus ad palmam. Ego ſum tantùm *Juſtinianus novus*, nec indignabor tibi, ſi, cùm (quòd ignoro) forſan jam ſis *Papinianiſta*, aut *Lytus*, *Prolytuſve*, doctior candidatis univerſis, ſi, inquam, volueris me vetere, tam frivolo, quàm ridiculo cognomine *Dupondium* appellare. Dic autem mihi, ſive Collega ſis, ſive non, quo ſpiritu ſcripſiſti epiſtolam illam tuam? An *Catholico*, & *Catholicæ Eccleſiæ propagandæ ſtudioſo*? An verò *ſpiritu zeli curialis pro Aula Papali*? An ab hac exſpectas tuum proemium, an ab Eccleſia Catholica? Quænam tibi potior mater eſt? Ecquam plus diligis? Prodit te tua epiſtola: cave, ne propter eam inter adulatores conjiciare. Accipe interim *Juſtiniani novi*, quaſi ex ore infantis, has animadverſiones.

Ad §. I.

Prælibatum ex novellis germanicis litterariis *Göttinganis* accepiſti primitùs librum *Juſtini Febronii*: prælibaſti acetum ante vinum, & hinc corruptus tibi palatus, ne rectè guſtares: an credis, novellarum iſtarum extractum eſſe genuinum? Falleris: lege ipſum librum, lege, inquam, non percurre, lege, meditare, confer cum recenſione. *Anonymus* partus ſit, aut *emendicati nominis*, erit in pari cauſa cum tuo, imò tuus in pejore, qui cum Summi Pontificis partem ſuſtineas, vereris Germaniæ, per quam largè in terna iam editione ſparſiſti epiſtolam tuam, dicere quis ſis: alia longè res erat *Juſtino Febronio*, qui prævidere debuit *Italorum genium*, id eſt, vindictæ cupidum, apertæ, vel ſubtilis: nemo te, *Frobeni*, ducet in carcerem germanicum, ſi nomen tuum manifeſtares: *Febronio* autem haud ſuaſero, ut apertà fronte univerſam Italiam peragrare præſumat. Condoles huic, *quòd tam pretioſa Eruditionis ac Religionis ſuæ ſpecimina ſparſerit in ventos Boreos*: Eruditum eſſe *Febronii* librum citra ironiam fateberis; legit enim & collegit tanta, quanta nos ambo integro decennio non legeremus

nec

nec colligeremus: ſed nec religionis orthodoxæ, atque Catholicæ, quin & Romanæ, ardorem ei inficiaberis; cuperet quippe glorioſum ſine faſtu & cupiditate Romani Pontificis Primatum in omnes, Græcos, & Latinos, conſentientes & diſſentientes; utque non ſolum Proteſtantibus, & Græcis, ſed ipſis quoque Catholicis, Romæ caeteroqui devotis, querelarum adverſus eam materia auferatur, illis præſertim *horror monarchiæ ſacræ*, in ipſa quoque temporalia Principum influentis: Tu quidem, *Frobeni*, exiſtimas, reducto etiam ad juſtos ac primævos fines Romani Pontificis Primatu, non reverſuros eſſe illos, qui à nobis diſceſſerunt, ad unionem, *utpote aliis longè gravioris momenti fidei articulis à reunione abſterritos*: parum honoris facis Theologis noſtris, quaſi verò in cæteris nondum præſtitiſſent ſatis, & quantum requiritur, ut lux prævaleat tenebris: equidem & illi articulum *de Primatu* invictè *quoad ſubſtantiam* demonſtrarunt; ſed *purgatum ab exceſſibus & gravaminibus nationum* nondum ſtiterunt: imò quam plures eorum in id conducti eſſe videntur, ut ſuis de *inerrabilitate*, *regimine monarchico*, *ſuperioritate in generalia Concilia*, *poteſtate ſaltem indirecta in temporalia Regum*, & ſimilibus opinionibus depurationi poſitivè reſiſtant. Hæc de Primatu principia plus obeſſe credidit *Febronius* reunioni, quàm Theologica *Lutheri* & *Calvini* de aliis rebus fidei; eo quod notum ſit, nec Principes, nec miniſtros eorum adeò tenaciter adhærere *Luthero* vel *Calvino*, plurimum verò rationibus ſuis politicis timere à Primatu illo, quem multi figurant, & majores noſtri jam ante illos Novatores populis & Eccleſiis gravem atque ſuſpectum reputarunt. Si ſpes ſua fefellit *Febronium*, quod tu, *Frobeni*, neque per declarationem Novelliſtæ Gottingani, neque per diſſertationem *Barthii* Lipſienſis aſſeverare potes pro certo, cur eidem illudens condoles? nonne *Juſtinianus* noſter ait: *nonunquam à judicio diſcordat effectus*? Attamen Gottingenſes Novellæ id non *negarunt rotundè*, ſed nolentes judicium ſuum proferre, prædicunt; in refutatione ac cenſura hujus libri reunionem fore

omnium minimè conſiderandam ; id quod tuum probat ſpecimen .

Non approbo tibi , quòd ironia utaris condolentiæ , quòd *in ventos Boreos* ſparſa fuiſſe dicas monita *Febronii* ad Miniſterium Romanum : Ergòne ad Auſtrum nemo erit qui recogitet corde ? An omnis prædicatio Romæ ſurdas inveniet aures ? An tu, *Frobeni* , ſcis , Romam ſic cogitare : *Reunio tamen non fiet , licèt Papa ſuum Primatum contraheret ad primas cunas : ergò non contrahatur , ſed inſiſtatur principiis hactenus à Miniſterio Papæ ſtabilitis* . Religioſior te ſum , & credo potius , multum fructum, etiam Romæ, habitura eſſe monita *Febronii* ; Et quidſi, Roma nolente cedere, intercederent Imperator, Reges, Principes, Reſpublicæ Catholicæ, *ut ante omnia reguletur Primatus Eccleſiæ* , emendenturque nævi Romanæ Curiæ , quatenus omnes reuniendi ſciant , in quantum agnoſcere debeant Primatum , in quantum non ſit opus , ne populi , qui à noſtra unione deſciverunt , abſterreantur magnitudine Romanarum prætenſionum , pro quibus non invenitur inſtitutio Chriſti : Quid faceret Papa ? An poſſet obſtare , quominus Imperator, Reges , Principes , Reſpublicæ per Concilium generale adimant , quod ſponte non vult dimitti , ut ſic , remoto lapide offenſionis primario , tractaretur cum reuniendis , quorum alii in pluribus , alii in paucioribus dogmatibus à nobis diſſentiunt , omnes tamen una , Græci , Ruſſi, Angli, Sveci , Dani , Batavi , Helveti , oderunt dilatationem philacteriorum Primatis in Eccleſia : & quidni oderint , quod oderunt ipſimet Catholici ? An ulla eſt Aula , ulla Natio , ulla Reſpublica Catholica, quæ ſit contenta Maximis Curiæ Romanæ ? An non ſunt clamores plurium jam ſæculorum ? Orbis coadunatus non fallitur ; aut ſola ſapiet Roma, deſipientibus univerſis ? Nulli ſunt faſti abſque triſti recordatione calamitatum , quas Nationes & Eccleſiæ ſuſtinuerunt ex abuſiva interpretatione Primatùs Romani : qui ſentit , gemit ; qui gementem ridet , crudelis eſt . Punctum Primatus hie-

rarchi-

rarchici in Eccleſia eſt punctum delicatum, quia politicum: Principum in temporalibus ſupremitas, Eccleſiarum libertas à Chriſto eis data, Epiſcoporum Apoſtolatus, & cum Papa Fraternitas conciliari debent cum Primatu: quò minus Primas prætendet, eò facilior erit conciliatio, quò plus, eò difficilior, eò majus obſtaculum reunionis; meo quidem ſenſui non evelles, *Frobeni*, mutatarum Religionum principale motivum apud Aulas fuiſſe excuſſionem Papatus prædominium affectantis; tollatur hoc gravamen præprimis, & tunc tententur reliqua: politicum præcedat, quia ſolet magis trahere, vel retrahere, quàm theologicum. Miratus ſæpe fui mecum, magnis ſumptibus mitti à Congregatione de Propaganda Miſſionarios, qui populis à Catholica Eccleſia diverſis demant impreſſas contra doctrinam noſtram opiniones, docendo e. g. quòd Catholici immolando Sacrificium Miſſæ neutiquam detrahant Sacrificio Crucis, quòd venerando Sanctos cœlicolas, eorumque imagines, procul abſint ab idolatria, quod exſpectando cœlum tanquam mercedem bonorum operum nihil derogent meritis Chriſti; non autem mitti ullum ad aulas Legatum Apoſtolicum protdemendo ipſis horrore à Papatu, explicando illis, *quid de odioſis rebus Papa non prætendat*, *quid tantum ſcribant hyperbolici Canoniſtæ ad diſplicentiam ipſius Papæ*; & dummodo ederetur tandem ſuper hac tam ardua re Manifeſtum aliquod Apoſtolicum, ex quo omnes intelligerent, Papam non quærere monarchicam poteſtatem, non pecunias, ſed ſolas animas, agnoſcere apoſtolatum juris divini in fratribus ſuis Epiſcopis, nolle ipſum hos tractare ùt vicarios ſuos, &c.

Sanè Primatus debet habere ſuos cancellos, & iſtos oportet manifeſtari, his maximè, qui ſuæ poteſtati terrenæ metuunt ab indefinitis finibus plenitudinis poteſtatis: ſi *Febronius* nimis arctos poſuit, tu *Frobeni*, ſtatue juſtos, populiſque acceptabiles; aut ſi prætenderis, non licere per Deum ullos ejus primo Vicario ponere limites, tene pro certo, reunionem non eſſe ſecuturam, etiamſi reuniendi cœteros

teros articulos fidei nobiſcum amplecterentur. Quod eredas, ſi momentum reunionis, compoſitis cæteris diſſidiis omnibus, demum perveniret ad ſolam controverſiam de auctoritate ſummi Pontificis, *vix ullum eruditorum hominum inter Acatholicos recuſaturum eſſe, Succeſſoribus Petri deferre eum honoris gradum, quem Galli Papæ tribuunt ſine difficultate, ſine incommodo*, neſcio, utrm rectè ſenſeris; nam & ipſi Galli nondum ſunt liberi ab omni difficultate, & incommodo Primatus Romani: tenta nihilominus ſemel, pete à Romana Curia commiſſorium offerendi reverſuris ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ eccleſiis eaſdem, quas Gallicana habet, libertates, eadem tamen incommoda; & perſpice 1) an Curia tale mandatum tibi ſit datura, 2.) an tu illo dato aliquid, ni plus dimiſſum fuerit, ſis effecturus.

Ad §. II.

Non approbo, ais; modeſta vox: noluiſti *improbare*, multò minus hæreticum, vel ſchiſmaticum dicere *Febronium*: nec iſte hoc eſt promeritus, ut qui Primatum Romani Pontificis cap. II. ſic demonſtravit, ut nemo prudens ſuſpicari poſſit, *Febronium* eſſe hæreſi infectum. Syſtema ejus de *Primatu Directorii* cupit tam extra Concilium, quàm in Concilio, *præviam communicationem* cum *Fratribus ſuis*, qui non tam ſunt *Cardinales*, ſex inter ipſos Epiſcopis exceptis, quàm *cœteri Epiſcopi*, antequam aliquid definiatur, vel conſtituatur univerſim: Quid magis ſervit unitati? quid huic plus nocet, quàm *commuicata cum ſolis Cardinalibus* imperativè obtrudere Epiſcopis totius orbis? Scis, cur lubentiùs communicetur cum *Cardinalibus*, quàm cum *Epiſcopis*? De ſtylo Curiæ illi ſunt *meri Conſiliarii*, quos ſequi non obeſt monarchiæ: at Epiſcopi ſunt Conjudices: vota horum ſunt *deciſiva*, non *conſultativa tantùm*: hoc temperat ſanè monarchiam, qua pura non erit conſultum Eccleſiæ. Iniquus es *Febronio*, & incidiſti in illud genus hominum, qui auctori ſtudent conciliare invidiam, dum ais, eundem cuivis nationi

ac

ac regno permittere , *ut poſſit ſibi providere ad tempus de capite nationali, ſi Papa juſtis Synodi decretis ſe opponat* . Infidelis mutilator es in allegando, quo more nihil eſt turpiùs ſcriptori : ait *Febronius* cap. IX. §. 4. *In hac diſpoſitione cogatur nationalis Synodus* . . . . . *RELINQUATUR & RESTITUATUR ROMÆ, QUOD EI LEGITIME DEBETUR* , *ſed recipiantur uſurpata* : *fiant aptæ conſtitutiones ad impediendum* , *ne Roma decretis talis Concilii nationalis contravenire* , *eave intervertere valeat* : in Nota 3. ponit : *Si Papa juſtis talis Synodi decretis ſe ſe opponens* , *IN EJUS INVIDIAM CUM REGNO SCHISMA FACERET* , *ET A SUA ILLUD COMMUNIONE PROPTEREA REPELLERET* ; *cùm IPSIUS*, *non regni* , *& Epiſcoporum regni* , *juſtè procedentium*, *facto & culpa hoc accideret* , *EXTRA ORDINEM* , *AD TEMPUS*, *de capite nationali HUIC ECCLESIÆ providendum eſſèt* : Ecce loquitur de caſu , quo Schiſma inciperet *à facto Papæ injuſto* : ſervandam nihilominus docet cum eo *communionem eſſentialem* , quam nulli eccleſiæ licet rumpere , etſi Papa ei foret malus . Hoc , uti jacet in concreto libri , non approbas ? Quidni autem ? Non excogitavit hoc extremum remedium ipſe *Febronius* : allegavit exempla *Eccleſiæ Gallicanæ* in num. 3. & 5. Dic. *Frobeni* , quid tu habeas contra hanc praxin Eccleſiæ, in rebus adverſis æque ac ſecundis tam glorioſæ.

Non approbas ſecundò , quòd *Febronius* Papæ imputet prætenſionem , uſurpationemque *juris monarchici in regimine eccleſiaſtico* : Fœlix Eccleſia eſſet , ſi *Febronius* imputaret ſolummodò , quod tu , *Frobeni* , ais non prætendi à Papa. Quid autem? An non prætendit Papa eſſe ille , & talis , qualem ipſum *Benedictus* XIV., Cardinalis *de Luca* , tot *Rotales Deciſiones* , tot celeberrimi Canoniſtæ Romani deſcripſerunt ? Lege adhuc ſemel integrum §. XI. capitis III. Febroniani , & invenies , nequidem eum imputaſſe illa *Papæ*, ſed *Curiæ Romanæ*. Nixum ais Febronium *quorundam* Canoniſtarum *hyperpolicis* expreſſionibus : nobiliſſimos adduxit

de

de Italis Canoniſtis , ut exinde metiretur lector ſenſum ignobiliorum : Rotam adduxit frequenter : hæc tibi, *Frobeni*, non rotatur : ergo *hyperpolica* manet , & in rerum experimentis ipſis *hyperpolicè* decidit ; quis hoc non apprehendat? Fateris *hyperboles* , id eſt, *exceſſivè prolata* : aſt ! ſunt ibidem adducta plurima, ſummæ in praxi conſiderationis , & attentionis , quam deſuper faciant nationes . An *omnia univerſim* ac in toto folle ſunt hyperbolica , an *duntaxat nonnulla* ? Dic , amabo , depura & ſecerne ! Reduc hyperboles ad *præciſum veritatis* : videbimus , an plus placiturus ſis Romanæ Curiæ , quàm *Febronius* : vedebimus , an tributurus ſis Papæ *Monarchiam* , an *Primatum directorii* ? Animadvertes fortaſſe in deliberatione tua , non minus periculi eſſe in *refutando* Febronio , quàm in *ſuſtinendo* eodem ; parum enim eſt, quin defenſor diſpliceat Curiæ, fatendo aliquid , vel diſſimulando . Crede mihi : *Febronius* eſt mirabilis liber : alliciet multos ad ſectandum : multos ad refutandum : hinc pugna & conflictus ; ex his merita & demerita : qui impugnabunt, hi ipſi timeant ſibi ab indignatione Romæ : concedent enim fortè , quæ Roma ægrè feret conceſſa , ſicut tu , *Frobeni* , nunc dicis eſſe *hyperboles* , quod Curialiſtæ *hyperboles* eſſe nunquam cenſuerunt, ſed ſimplices practicaſque veritates Juris Pontificii Italici . Cauſalis tua non prætenſæ à Papis Monarchiæ , arguit te aut factorem glaucomatum eſſe, mali commatis hominem , aut ignorantem rerum à Papis geſtarum : *ex ipſa* , inquis , *ſerie Actorum eccleſiaſticorum patet , nullum unquam Papam auctoritate propria poſuiſſe ullam legem univerſalem Eccleſiæ ſine præeunte ſenſu , vel praxi fermè univerſali totius Eccleſiæ : monarchæ agunt non ſic* . Quid ſcribis , *Frobeni* , híc ? Itàne omnibus Conſtitutionibus Paparum , ſive in Corpore juris , ſive in Bullario magno extent , præivit ſenſus , vel praxis fermè univerſalis totius Eccleſiæ ? Nonne leges , privilegia, epiſtolæ decretales , facta te confundunt ? Quis ſenſus , quæ praxis totius Eccleſiæ præivit receptioni *quarumlibet* appellationum , conceſſioni enormium, ac priùs inauditorum privilegiorum , reſervationibus

novis

novis cauſarum velut majorum, mandatis apoſtolicis de providendo, reſervationibus beneficiorum, primorum fructuum, ſpoliis clericorum, quæſtoribus, exactioni juramentorum à palliandis Metropolitanis, prohibitioni functionum pontificalium ante receptionem palii? An non vox Monarchæ eſt hæc: *Romanæ Eccleſiæ legem Concilia nulla præfixerunt: Omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt: In eorum ſtatutis Rom. Pontificis patenter excipitur authoritas. PASCHALIS II.* in cap. 4. de Elect. An non vox Monarchæ eſt: *Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcitur Pontificem pertinere, ita, quod non ſolùm ipſa, cùm vacant, poteſt conferre, verùm etiam jus in ipſis tribuere vacaturis?* Clemens IV. in Cap. 2. de Præb. in 6. An non vox Monarchæ in Regula ſecunda Cancellariæ reſervante *omnes Eccleſias patriarchales, primatiales, archiepiſcopales, nec non omnia monaſteria virorum* &c. qua praxi, quo ſenſu vel voto totius Eccleſiæ condita fuit hæc nova regula? Regula, ad quam totus orbis obſtupuit? Sic agunt, *Frobeni*, Monarchæ, nec aliter.

Non approbas tertiò, quòd *Febronius* cap. VII. §. 8. indefinitè ſcribat, *Papam exemiſſe Regulares à juriſdictione Epiſcoporum*; cùm tamen certum ſit, Regulares à ſummis Pontificibus nunquam fuiſſe à juriſdictione Epiſcoporum exemtos *circa res pertinentes ad diſciplinam eccleſiaſticam, utpote immediatè relictam juri Epiſcoporum*. Perfunctoriè ſcribis hic, *Frobeni*, & nodum in ſcirpo quæris, imò nodum ſcirpo facis, qui dicis *indefinitè* ſcribere *Febronium*, cùm tamen expreſsè loquatur de *exemptione perſonali* Regularium; hanc factam eſſe à Papa multis Ordinibus religioſis non negaveris: *diſciplina monaſtica* per hoc ſubtracta fuit Epiſcopis: an hæc diſciplina non eſt res pertinens ad diſciplinam *eccleſiaſticam*? An non monaſteria ſunt quædam parvæ parochiæ intra diœceſes, quarum curam antiqui Canones detulerunt Epiſcopis? Aſpice vel ſolam rubricam in Decreta-

B libus

libus Gregorii IX. *de Religioſis domibus*, *ut Epiſcopo ſint ſubjectæ*, certè non tantùm *quoad externa negotia*, ſed etiam quoad *interna domus*, mores perſonarum, diſciplinam regularem, œconomiam: An non contra hanc ſubjectionem datæ ſunt quàm plurimæ exemptiones? An non etiam contra Concilium Lugdunenſe in *Cap.* 1. *de Privil. in 6.*? An non etiam ante Tridentinum quoad *functiones hierarchicas*, & ad curam paſtoralem ſpectantes obtinuere privilegia Regularium? Vide Febronii indicem chronologicum ad an. 1227. 1257. 1300. 1304. 1311. 1479. Cerne privilegia, oſtende prævium ſenſum, aut praxin totius Eccleſiæ, aut fatere animum Monarchæ. Quid per Tridentinum Concilium illis privilegiis Regularium poſt acres contentiones demum detractum fuerit, non ignorabunt Epiſcopi, uſuri quoque jure ſuo: ſed nondum acceperunt ſatis de jure ſuo, ſua an Curialiſtarum Romanorum cauſa, vel culpa, tu æſtima ex geſtis Tridentinis.

Non approbas quartò, quod *Febronius* cap. V. §. 4. (erit §. 5.) circa cauſas forenſes eccleſiaſticas *indefinitè*, ſine diſtinctione *cauſarum*, *perſonarum*, & *temporum* improbet *recurſum* ad Curiam Romanam: alteruter noſtrum, *Frobeni*, aut non attentè legit, aut non eſt aſſecutus *Febronium*: ego eum ſic intellexi, ut neget 1.) Papatui eſſentialiter adhærere jus recipiendarum appellationum ex omnibus mundi partibus 2.) Ut explicet, quo modo S. Athanaſius, & alii per tumultum oppreſſi *recurrerint* Romam. 3.) Ut interpretetur celebrem Canonem *Sardicenſem* de appellationibus ad Papam. 4.) Ut alia contraria ſtudeat ſolvere. 5.) Ut oſtendat tempus iſtarum appellationum exortarum. 6.) Ut abuſum, jam ſæculo XII. plenum: 7.) ut adſcititium jus recipiendi appellationes non improbet *ex toto*, ſed *promiſcuas* duntaxat appellationes, etiam in cauſis *particularium* perſonarum: dum hæc deducit, non improbat *indefinitè*, ſimulque diſtinguit cauſas, perſonas, tempora.

Ha-

Habeatur Romæ ſtylus conſtans, de cujus aſſerti veritate valde dubito, ergo illuc appellandum erit à quolibet? Sed & habentur Romæ certa principia, juxta quæ non judicaretur in partibus: An neſcis moneri à pleriſque Canoniſtis, judicari Romæ ſemper juxta bullas, licet in Germania ignotas, nec reflectendas à Conſiſtoriis: An neſcis, fruſtra in Germania allegari recentiora quædam & particularia privilegia Regularium, niſi ea agnita fuerint ab Ordinariis locorum? Romæ, ſi quis Epiſcoporum velit agere contra eadem, priùs petet *aperitionem oris*; & hac etiam obtenta in fine os, ſicut prius, tenebit clauſum. Abi itaque cum tuo *ſtylo conſtante*: non allicis, ſed abſterres. Sint in Rota *judices ſelecti ex nationibus Europæ*: unus *Germanus* eſt, unus *Gallus*, duo *Hiſpani*, tres *Romani*, quibus accenſe unum *Bononienſem*, reliqui omnes pariter Itali: huic exiguo ſelectui cauſas Germaniæ confidere periculoſum. Anne Rota minùs frequenter & conſtanter judicat ex principiis Gallicanæ Eccleſiæ firmis aſſertionibus directè oppoſitis, quod unus ex Auditoribus Gallus ſit? Exempla ſi deſideras, adi *Febronium* cap. III. §. 11. not. 1. 2. 3. 4.

Quid vis per hoc: *Rotales ſententiæ firmiùs hærent*? An non ingenioſa tritura forenſis Romana invenit viam, eas quoque evertendi? Si (quod calculare non potuiſti) Roma non redeant tot reformationes judiciorum inferiorum, quot redeunt à Germanicis Dicaſteriis altioribus, ſignum eſt, quòd Conſiſtoria bene ſoleant judicare, aut, ſi contingat eadem à S. Nuntiaturis Apoſtolicis reformari, Italica principia, ùt ùt Germaniæ non quadrantia, perfractè ſuſtineri Romæ. *Problema* facis, *ſummæne majores efferantur extra fines patriæ per appellationes ad Dicaſteria Romana, vel per appellationes ad Archiepiſcopum conſtitutum extra provinciam appellantis & appellati*: Quæſo! quæ retorſio? Perpende diſtantiam; conſidera terribiles deſcriptiones Advocatorum Romanorum, protractiones cauſarum illuſtrium ſtudioſas, ut famelici & ſe, & hæredes nutriant; contemplare, utrùm de-

narius ſemel profectus trans Alpes redeat in Germaniam, ſicut redit propter viciniam, & commercium de Metropolibus ad civitates Suffraganeorum. Inepta ſanè affers contra *Febronium*: refuta eum argumentis juridicis, hiſtoricis, & canonicis.

Ad verſum: *Dixi abſque diſtinctione &c.* Hic punctim, cæſim, inciſim, mixtim, feris *Frobeni*. Suppoſititias eſſe Decretales cum *Febronio* agnoſcis, non *Romæ*, ſed, quod ab eo bene notari cupis, *in ejus vicinia*, confictas eſſe aſſeris, quod mihi perinde eſt; interrogas, quotuſquiſque Archiepiſcoporum S. R. I. Principum ab epocha ſuppoſititiarum Decrelalium in Germania legerit appellantium cauſas? Retorſione uteris, ac *Metropolitanos* vis excitare contra *Febronium*, ut qui *Romanas* appellationes improbare non debeant, ne *metropoliticas* ex identitate rationum amittant: hinc eis revocas in memoriam, *ſingulas* cauſas, præſertim *minores*, v. g. ſponſalium, divortiorum &c. inter plebejos primis duodecim ſæculis, ante fictitias Decretales, ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum *per modum appellationis* nunquam, *prout nunc ſolet*, delatas, nunquam *extra Synodum* tractatas, vel definitas, minus autem *ſoli judicio unius vel alterius Conſiſtorialis* relictas fuiſſe; addis interrogationem, quo ſæculo prima vice *à Conſiſtoriis* Epiſcoporum *ad Conſiſtoria* Archiepiſcoporum provocatum fuerit? Sic agit homo politicus, italoque ingenio præditus: invidiam Auctori facit per id, quod aliorum intereſt; ut quilibet ſuis rebus metuens diſſimulet alterius abuſus; ſicque nævus nævum ſuſtentet. Quid dicam? Nihil ex me: Judicium Epiſcopali alterius *Metropoliticum* eſt coævum Nicæno Concilio I. Can: 5. Sed judicium ſupremæ appellationis Romanæ ab omnibus Mundi cardinibus nequidem adhuc ſæculo VI. apparuit, dum Novella Juſtiniani CXXIII. cap. 22. inſtantiarum eccleſiaſticarum gradus diſtinxit. Febron. cap. V. §. 5. Appellationes *Romanas* promoverunt falſæ Decretales; idem cap. cit. §. 6. Metropoliticis judiciis nocuerunt; idem cap. IV.

§. 4.

§. 4. Judicio *Synodali* Metropolitarum ab immemoriali tempore additum eſt *Conſiſtoriale*, ut *intermedio quoque tempore* eſſet judicium multiplicatis cauſis, dum Synodale *tantùm bis in anno* celebrabatur: poſtea demum, omiſſis Synodis provincialibus (quas Romanorum artibus difficiliores & rariores factas, obſervavit *Febronius*) remanſit ſolum *Conſiſtoriale*. Nil hoc ad criſin tuam, *Frobeni*, ſic placuit provinciæ: nihil contra hanc praxin querelæ in Conciliis, plurimæ autem contra appellationes Romanas. Contemnis, ac vilipendis *Conſiſtoria* Metropolitica: ſine: viros habent valde eruditos Germanica, non *in uno, alteròve Conſiſtoriali*, ſed *toto Collegio* conſiſtentia ſub reverendiſſimis Præſidibus. Non prolicis orexin appellationum Romanarum per hoc, quòd *Romæ cauſæ publicè imprimantur, diſtrahantur, pro conſultatione cum amicis expertis, proviſis non ſolum bibliothecarum publicarum, ſed & privatarum immenſo ſubſidio conferantur*; nam tantò prætioſiores ibi ſunt lites: conſultatores alios, qui praxin & jura patriæ, in qua lis nata eſt, noverint, Romanis bibliothecis & conſultatoribus Patres Baſileenſes prætulerunt: præfert uſque modò Gallia: de impreſſis Advocatorum Romanorum libellis, nec non Deciſionibus Rotæ judicare non eſt *Juſtiniani novi*; audivi tamen, multa vituperari tam in principiis, quàm in ſtylo Italorum: *hyperbolicos* eſſe Canoniſtas, dixiſti ipſe; quanti valent tales?

Mirè prætereà loqueris: *Circa cauſas conſimiles non receditur facilè à deciſis: nec Rota facilè rotatur: econtra in Germania defuncto uno vel altero Conſiſtoriali vel Actuario, jam Conſiſtorium cum ſtylo ac praxi novum eſt*: condoleo tibi, quòd tam ſiniſtrè informatus ſis de Conſiſtoriis Germaniæ, magis autem, quòd tam flebilia afferas ad refutandum *Febronium*. Nimiùm digrederis, nimium probas, nempe; quod Germani, omiſſis Conſiſtoriis Epiſcopalibus & Metropoliticis, deberent *immediatè* jus experiri in Rota: nolim tibi demere bonam de Rota non rotari ſolita opinionem, propterea tamen à te non perſuadebor. Hoc unicum

ad-

addam, non laudari ab ipſilmet Italis conſtantiam Rotæ: Petrus Ravennas ex Petro de Anchorano ſcribit: *Domini de Rota nolunt recedere à ſuis deciſionibus, etiamſi adducantur rationes validiores in contrarium*: Eſtne hoc laude dignum?

Proteſtaris nolle te hilum detrahi Capitulationibus Cæſareis, pro tuendis juribus Nationis Germanicæ: Servari ergo vis Art. XIV. monumenta perpetua infractionum Curiæ Romanæ, & conteſtes *Febronii*. Putas autem, ſtylum Romanæ Curiæ præferendum eſſe *inconſtanti* ſtylo Dicaſteriorum Germaniæ, donec *ſtylus conſtans ac uniformis* introducatur *per Conventus Cleri Germanici*. Non capio periodi tuæ cohæſionem, nec exprobationem *inconſtantis* ſtyli, nec denique amabilitatem conſtantiæ ſtyli Romani, contra quem motas apud Febronium pag. 638. querelas ante omnia remove, expurgando prætenſam ſtyli conſtantiam *obſtinatione* in principiis, reunioni diſſentientium obſtantibus: hac depoſita, ſi, quod prætendis, neceſſe tamen non eſt, præſens aliquando fuerit Conciliis Germaniæ *Delegatus Apoſtolicus*, poterit hic bonum opus operari ad mentem ac votum *Febronii*; ſecus, domi remaneat.

Non approbas quintò, quod cenſeat *Febronius*, per ſummas pecuniarum Romam mittendas *emungi Germaniam*: vetus querela eſt, primus eam *Febronius* non adinvenit, qui procul dubio fragilem tuam ad plenè probata reſponſionem riſu explodet, dum Germaniam, velut lacrymantem infantulum hiſce cantilenis vis placare, quòd *Reſervationes beneficiorum & Annatæ ſucceſſerint feliciter pactionibus Simoniacis, & prædationibus Potentiorum decuplo pejoribus*: Sic igitur zelus Dei, ne ſaltem omnia, aut pleraque beneficia venderentur à *Simone*, *Petrus* excitavit ad ſervandas plurimum collationes ſibi, quia in *Petrum*, ejuſque miniſtros Simoniæ beneficialis cadere non poteſt! Sic beneficia in menſe Papæ vacantia gratis & pro Deo conferuntur, vacantia in menſibus Ordinariorum collatorum Simoniacè! Sic vivente

Pa-

Papa quoad alternativam menſium alternant Simon & Petrus! Sic mortuo Papa, cùm ceſſent Regulæ Cancellariæ reſervantes, regnat earum loco Simonia! Quis imputet talia Germanis univerſim? Nemo, niſi detractor. Si Regula ſecunda Cancellariæ à vocatione Patriarcharum, Primatum, Archi & Epiſcoporum, Abbatum, felici reſervatione abegit emptiones venditiones columbarum, qua conſcientia dimiſit Nicolaus V. Papa hanc regulam ſanctam quoad Germanos, reſtituitque horum Capitulis per Concordata liberas electiones? Sive Italus ſis, *Frobeni*, ſive Germanus, erubeſce. *Prædationes decuplo pejores*, quibus ſucceſſiſſe feliciter *Annatas* ſcribis, intelligis fortè illas nonnullorum Imperatorum, qui *jus Regaliæ* in majores Eccleſias Germaniæ exercebant, ac tempore Sedium & Dignitatum vacantium redditus Epiſcopatuum vel Abbatiarum ſibi cum relictis à defuncto Prælato theſauris attribuebant: ſed morbus ille medicina *Annatarum* Romana non indiguit: abierat ille diu ante excogitatas Annatas: nullus Pontificum Romanorum unquam dedit pro motivo Annatarum, quod tu modò das, fortè primus. Retractum Cleri Germaniæ *in ſervitutem Laicorum Simoniacorum veterum* nec volet *Febronius*, nec fomidabit Annatis abolitis; metus panicus eſt, quem oggeris, *Frobeni*; Capitulationes Cæſareæ fecerunt nobis vallum, quin opus ſit ſolvere Annatas, ne majorem Laïcis ſummam cogantur pendere Eccleſiæ; aut, ut phraſi tuâ utar, ne Simon aut prædo auferat burſam, neceſſe non eſt Petro dare *denarium* Annatarum, *denarium* vocas, utinam millecuplo plus non eſſet! ſanè tam gravis pondere eſt iſte *denarius*, ut Petrus eum ex ore piſcis extrahere non poſſet, ſicut *ſtaterem* Matth. XVII. De nulla ſervitute loquere nationi liberæ: Romanæ Eccleſiæ amat hæc eſſe *filia*, non *ancilla*, non *tributaria*: atque ideo tantum lamentata eſt, dum vivit Eccleſia Germanica, pridem à ſervitute Regiarum intruſionum atque ſpoliorum liberata, poſtmodùm à propria Matre trahi in ſervitutem reſervationum, & annatarum. An ideo fortè Romani Pontifices tam ſtrenuè ſe oppoſuerunt dominatui

natui laico in electionibus, & bonis eccleſiarum, ut hoc ſuppreſſo ipſi dominarentur reſervando Prælaturas, & avocando theſauros? Sic nos Germani, dum vitabamus Charybdim, incidiſſemus in Scyllam. At, per Leges Imperatorum, Regum Germaniæ, *Ripuarias*, *Bojoarias* licuit unicuique libero homini *donare Eccleſiis res ſuas*: ergo & fructus primi anni Eccleſiæ Romanæ: licuit utique & adhuc licet: verùm án à *dono* ſunt Annatæ, an ab *extorſione*? An tu, *Frobeni*, primus eas vis adſcribere *voluntariis Eulogiis*? An tranſcripſerunt Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ noſtræ fructus primi anni Sedi Apoſtolicæ ideò, *ne exponerentur denuò enormibus exactionibus Nobilium vix ſanandis*? Affectas profectò ignorantiam originis Annatarum, & ægerrimè demum factam tranſcriptionem: &, ſiquidem verum eſſet, quòd anguſtiatæ noſtræ Eccleſiæ elegiſſent minus malum ad evitandum majus, àn hæc fuiſſet liberalis oblatio? An non manſiſſet ingens gravamen, quod remittere nullam magis deceret Eccleſiam, quam Romanam? Quid reſcripſit, quid fecit magnus Papa Gregorius ſanctus, dum Meſſanenſis Epiſcopus *Felix* ipſi proxenio miſerat palmatianas? *Conſuetudines, quæ Eccleſiis gravamen noſcuntur inducere, noſtra nos decet conſideratione remittere, ne illuc aliqua cogantur inferre, unde ſibi inferenda debent potiùs expectare . . . . . Nobis autem de cætero, nequid tranſmittere debeas, inhibemus; & quoniam non delectamur xeniis, palmatianas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus, ſed EAS, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno FECIMUS pretio VENUMDARI, & ID Fraternitati tuæ TRANSMISIMUS ſigillatim*. In Regeſt. Lib. I. Epiſt. 64. (*hodie* 66.) ex qua deſumptum eſt fragmentum *Cap.* 1 *X. de Conſuet.* Palmatianas noluit Vir ſanctus, & appetiiſſet Annatas, vel palliorum pecunias immenſas titulo donationis? Tu fortè neſcis, quàm durum ſit Germanis has pecunias conquirere, quàm trepident mortem Principis Archi vel Epiſcopi, aut Abbatis Conſiſtorialis, quot execrationes faciant ruſtici, cives, imò & clerici in Came-

meram Apoſtolicam, dum propter confirmationes vel pallia indicuntur ſubſidia charitativa, tributa, collectæ, & quidem difficillimis ſæpe temporibus belli, aut ſterilitatis: nemo tecum dicet, dari à Germanis S. PETRO id, quod ſibi eſt *ſuperfluum*; nequidem neo-Epiſcopis primo anno aliquid eſt ſuperfluum: imò duos Galliæ Epiſcopos propter annatas reſidere primis annis non potuiſſe in ſuis Epiſcopatibus, narrat Febronius, quem falſi non argues. Annatas cedere *in bonum temporale*, *&* *ſpirituale* Eccleſiarum eas ſolventium, non probaſti, & qui probabis? Bonum *temporale* non procuratur diminutione patrimonii: nullam adhuc vidi *Cameram*, quæ propter bonum *ſpirituale* dantium acciperet pecunias, Apoſtolica non erit prima, nec dicet: *da mihi animas*, *cætera tolle tibi*. Sed *jus ſemel atque tranſcriptum quis jure revocet*? Eſt in primis jus *in praxi exceſſum* ultra mentem cedentis Germaniæ: aliter exigitur, quàm ſit per Concordata præſcriptum: eſt de conſenſu nationis Germanicæ in *futuro* Concilio mutabile; quando autem habebitur hoc futurum Concilium? revocari abſolutè non voluit *Febronius*, ſed ad normam canonicam in Concilio generali redigi, præſertim donec Romana Curia reliquos Concordatorum articulos ſervat.

A *Febronio* digrederis ad alium novellum Scriptorem *Anonymum*, quem *Rhoxium* appellabo: hic profectò bonum opus operatus eſt, edendo *Concordata Nationis Germanicæ integra*; quotuſquiſque enim erat, qui inquirebat in ea decreta, de quibus loquitur paragraphus fin. Concordatorum: *In aliis autem*? Nos laudamus curam hujus Viri, Tu, *Frobeni*, miraris ejus incuriam, 1.) quòd non adverterit, Papam EUGENIUM IV., dum in bulla ſua: *Inter cætera deſideria* Annatis renuntiavit, nihil egiſſe *ob defectum ſui Capituli præſertim Cardinalitii*, utpote quo eadem die & hora non ſecuto, bonorum Cameralium ceſſio non valeat, ac proin revocationi obnoxia ſit. Verùm te potiùs incurium dixero, *Frobeni*, quia non aſpexiſti §. 13. *de venerabilium Fratrum*

C *noſtro-*

noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & conſenſu pollicemur . 2.) Quòd *Rhoxius* non advertit, Eugenium IV. ſolùm condonaſſe *reſtantes* Annatas, & taxas, non autem *ſolvendas in futurum*. Sed unde ſcis, quòd Auctor ille non adverterit ad §. 7. qui utique ſolùm remiſit *præteritas* ? Ad nullum ejus bullæ ſub num. VI. paragraphum fecit notam vel ſcholion : ergo nihil advertit ! Similiter Eugenius IV. in bulla : *Ad tranquillitatem* §. 4. dixit : *permittentes interim .... ſperamus autem &c.* hoc pariter adverterit oculatus ille anteceſſor, qui probè novit, Germanos poſtea concordando receſſiſſe ab acceptatione Decreti Baſileenſis *de Abolitis Annatis*. Deſine igitur mirari, *Rhoxium*, ſed & iraſci ei, quòd alia recenter ob oculos ibi poſuerit, quæ non arridebunt tibi. In eo autem nihil quæras præſidii, quòd Eugenius IV. ediderit prædictam Bullam *febricitans & lecto affixus decima die ante ſuum obitum* ; nam ut componerentur omnia cum Germanis adhuc vivente Eugenio, non inſtiterunt Germani, quos ille morbus potiùs retrocedere fecit, ſed ipſe Papa, totaque Curia, & Roma.

Denique non approbas ſextò, quòd *Febronius* Cap, VI. §. 13. conqueratur *de ſummis Romam confluentibus* propter *privilegia* & *diſpenſationes*. Non legiſti ibidem querelas *Febronii*, ſed aliorum ante ipſum clariſſimorum virorum, qui improbant facilitatem, & ſcandala diſpenſationum : viſne tantorum Doctorum planctibus contradicere ? Vis nihil prorſus emendari in Dataria ? Vis contra Tridentinum pro diſpenſationibus pecunias Romam mitti cum furore ? Vis Sedem Apoſtolicam non erubeſcere à mundo ? Narrant viatores, quò veniunt, quot milliones ſcutatorum importent ei diſpenſationes & gratiæ per annum, quàmque Romæ ſint venalia ferè omnia ; An bene ſonat fama nunc communis, quòd quidam Germaniæ Comes nuper pro diſpenſatione affinitatis ſolverit Romæ ultra viginti florenorum Rhenenſium millia ? Reſponſio tua præambula ad rem hanc non eſt : Novimus

vimus ſummum Sacerdotem & *declarare*, & *diſpenſare* poſſe, etiam in nonnullis, quæ ſunt juris *naturalis*, & *divini*, veluti in votis & juramentis promiſſoriis: *Declarationes meræ* ſint hujuſmodi diſpenſationes, an *veræ relaxationes*, hìc non diſputemus; ego veras relaxationes & abſolutiones eſſe puto; quòdſi meræ declarationes, *Probabiliſtarum* gregi tamen, jam ultra duo ſæcula *in utroque foro* (utinam non etiam Romæ, & diſſimulante Roma) dominantium eas credendas haud fore, tecum ſuſtineo: in omnibus ergo caſibus, ubi de voto ac juramento conſtat, vovenſque aut jurans voto vel juramento liberari cupit, adeundus eſt Epiſcopatus, *non ſemper* autem præcisè *ſummus Epiſcoporum*; noſti quippe, quòd tam Theologi, quàm Canoniſtæ multorum votorum ac juramentorum relaxationes relinquant Epiſcopis; hi quoque in ſua ordinatione acceperunt Spiritum Sanctum, utique eundem, quem Papa, nam teſte S. Paulo, *idem Spiritus operatur in omnibus*, proindeque & illi *ſpiritu principali & forti* præditi ſunt; licèt rectè conſtitutum fuerit, ut *in certis* ſolus adeatur Apex Sacerdotii, id quod *abſque Monarchia* poſſe contingere, docet *Febronius*; tumidum deſpotiſmum hic ab eo incuſari, non reperio, neque verò etiam facilitatem diſpenſandi in *votis*, *juramentis*, *fæderibus*, *pactiſque ſolemnibus*, à quibus vinculis ſe ſe extricandi ſpurium appetitum immeritò affingis, *Frobeni*, multis de Germania: diſpenſationem ſuper ligamine *matrimonii dumtaxat rati*, non diſputavit *Febronius* Papæ: de *ſponſalium* contra jus quæſitum diſpenſatione pariter non tractavit: res auctoribus nondum eſt comperta, an non Epiſcopus etiam reſcindere valeat ſponſalia, ſi tentatis omnibus inflexibilis maneret animi à ſponſo ſponſave averſio.

Illud verò reperio in *Febronio*, quòd neget Papæ diſpenſationem *cum derogatione Concordatorum Germaniæ*, quia *pactum ſolemne* ſunt, vinculum juris naturalis & gentium continens: item, quòd adducat querelam Cleri Germanici de anno 1479. derogari *ſæpius ſtatutis & conſuetudinibus*

Eccleſiarum Germaniæ : an non fateri debes, *Frobeni*, quotidianam adhuc clauſulam : *non obſtantibus ſtatutis etiam juratis*, *&* *conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium*, quibus pro hac *vice derogamus* ? Quî purgas in hoc facilitatem, quî auctoritatem monarchicam ? Si, quod ſuprà dixiſti, Capitulationibus Cæſareis ne hilum vis detrahere, debebis eo ipſo dictam clauſulam detrahere plurimis bullis Pontificiis.

Ad leges *merè Eccleſiaſticas* veniamus : hic ais : *norunt*, *&* *ſolent Romani Pontifices cautè diſtinguere* inter *leges Conciliorum generalium*, & inter *ſuorum Anteceſſorum*, vel *Conciliorum particularium* leges : de his poſtremis nihil ſcribis, facilis ſit Papa in diſpenſando, vel difficilis : aperi, quæſo, mentem tuam *ſuper facto & jure*, ut reddam tibi meam. Circa *Conciliorum generalium*, vel *Anteceſſorum leges* ſic ponis : *diſpenſant non niſi rarò*, *cautè & modeſtè*, *referendo motiva diſpenſandi graviſſima*, *exponendo circumſtantias particulares*, *quæ à legislatore prævideri*, *vel exprimi nequiverant*, *& allegando exempla Anteceſſorum in ſimili caſu diſpenſantium* : Quid ſcribis, *Frobeni*, contra notorium ? Ecquos vis perſuadere ? Imperitos rerum ſolos. Confunderis multitudine diſpenſationum innumerabilium ſuper reſidentiis Canonicorum, ſuper pluralitate beneficiorum, clericis nec ſublimibus, nec literatis, indulgeri ſolitâ ; ſuper ætate promovendorum ad ordines, ad beneficia ſimplicia, & curata, ſuper gradibus conſanguinitatis & affinitatis, non tantùm in ſecundo gradu æquali, ſed etiam mixto cum primo : Nonne hæc ſunt contra Tridentinum, & alia Concilia generalia, & veterum Pontificum praxin, ac conſtitutiones ? Lex Tridentina hæc eſt : *In CONTRAHENDIS matrimoniis vel NULLA OMNINO detur diſpenſatio*, *vel RARO*, *idque ex cauſa*, *& GRATIS concedatur* : *in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur*, *niſi inter magnos Principes*, *& ob publicam cauſam*. Huic legi ſe ſubtraxit penitus Roma : An in tertio & quarto gradibus nunquam, vel rarò diſpenſat ? An cum ſolis magnis Principibus diſpenſat in ſecundo gradu ? An ulli

ulli diſpenſantur *gratìs*, niſi *in forma pauperum*? Et an non hæc ipſa forma de ſtylo Curiæ habet certas requiſitas circumſtantias, e. g. copulæ carnalis, aut ſuſpicionis copulæ, ne ſæpius cum pauperibus diſpenſari debeat *gratis*? Divitibus datur diſpenſatio erga pecuniam, pauperibus abſque pecunia non datur, niſi ſpecialiores afferant circumſtantias: Divitibus uſque adeo, ſi plus pecuniæ largiantur, ſub rubrica *ſine cauſa*, vel *ex certis cauſis*, nulla ſpeciali expreſſa, nec probatâ, diſpenſatur: & hæ quidem formulæ præ cœteris placent Datariæ. An talia vis defendere? An excuſare periculo, ne privati Doctores, binarii, trinarii ex Probabiliſtis diſpenſare vellent circa univerſos Canones, & univerſa Decreta utriuſque Juris? Ad prævertendam colluviem tantam malorum exiſtimas, à *Juſtino* non debuiſſe recuſari *denariolum vagum*, manui Petrui pendendum: debile motivum! Serventur tantùm duo verbula Tridentini, *rarò* & *gratìs*, & nulla erit colluvies malorum, nullius Probabiliſtæ conſultum: imò ſervetur unicum verbulum *gratìs*, & ſponte ſua ſequeretur verbum *rarò*. Denariolus tuus vagus colligit ex Germania ingentem ſummam auri & argenti præter ſnmptus cambii: pecunias exportari, jam leges antiquæ Romanæ ex regulis ſanæ politices prohibuere. S. Petrus (adde quoque S. Paulum) denariolos vagos non quæſivit, nec poteſtatem diſpenſationis ſibi creditæ objectatione venalitatis diffamari voluit: an Sanctus Apoſtolus, ſi reſurgeret è cineribus ſuis, manus ſuas extenderet ad hæcce munera? Vix millioneſimus, inquis, inter Germanos gravatur: Atqui eſt ingens ſumma! ergo, qui gravatur, valde gravatur, ſua quippe portio eò gravior erit, quò pauciores gravatos finges. Aſt! *Expenduntur hi denarioli in cauſas publicas pro bono & honore univerſalis Eccleſiæ*: Occaſio plurima eſt in ipſa Germania: relinquatur huic pecunia ſua: æquius enim eſſet, ut ibi impenderetur, ubi naſcitur proventus; quòd bonum vel honos Catholicæ Eccleſiæ proveniat ex hoc modo conquirendi theſauros, non credo: honeſtiùs abſtineretur: ita viſum eſt Patribus Tridentinis, qui

pro-

procul dubio tuas, *Frobeni*, ratiunculas habuere compertas.

Ad §. III.

Venis tandem ad ſcopulum præ cæteris tibi viſum formidandum: ignoſce, ac patere, ut repetam priora ad §. 2. *Febronius* non permittit, ut Natio vel Regnum faciat ſchiſma: loquitur pro caſu, *quo Papa inciperet illud*: qui incipit, ille quoque primus deſinet, alioqui, ſi *perpetuum* fuerit ſchiſma, culpa in eo reſidebit, qui incepit, & pertinax eſt. Exempla tua non ſunt ad rem, quam probare intendis, nempe quòd hæc *Febronii* doctrina *fermè omnia ſchismata, in perpetuum quoque approbaret*: Parùm inter ſe diſtinguis *remedia interimiſtica*: Quæ *tolerantiam pertinacium PACTITIAM* continent, viam plerùmque ſternunt ad perpetuitatem; ſicut Edictum Paſſavienſe an. 1552. Pax religioſa Auguſtana an. 1555. Weſtphalica an. 1648., cujus ultimæ perpetuitas eadem eſt, quæ præcedentium, ut corrigam te quòd dicas, *interemiſtica pacta an.* 1552. *&* *an.* 1555. *tranſiiſſe per pactum Weſtphalicum ex temporalibus in perpetua*. Alia eſt vis *interimiſticorum SINE PACTO*, præſertim ſine tolerantia, *uſque ad amicabilem*, quæ natura ſua nutrit perſiſtentiam in cœpto; cujuſmodi remedium in caſu ſchiſmatis, per Papam juſtis Synodi nationalis decretis ſe ſe opponentem excitati, foret conſtitutio Capitis nationalis ad tempus. Hujus generis interimiſtica urgent ad remittendum arcum nimis tenſum, ne injuſta extenſione penitùs frangatur. Exemplum cape recentiſſimum: Curia Metropolitica Moguntina perquam offenſa fuit per Romanam ob decretos proceſſus appellatorios in cauſa Decani Spirenſis ante omnia reſtituendi: Romæ nihil poterat efficere: at in Comitiis Electionis Joſephinæ an. 1764. proponebantur ejus generis remedia, per quæ paulò pòſt Moguntinus obtinuit remiſſionem cauſæ appellatæ ad ſuas manus. Novimus Italos: ludunt, & illudunt, donec advertant, nationi ſerium

eſſe

eſſe animum efficacis, ipſis diſplicentiſſimi remedii aſſumendi; nunc enimverò cedunt: ſic coegerunt eos Galli, Luſitani, Veneti: ſic Germania an. 1439. EUGENIUM IV. neutralitate electa compulit, ut ipſe diverſa remitteret de nimiis prætenſionibus. Non diffidebis à me, *Frobeni*, ſi dixero debere nationibus eſſe remedia ad refrœnandos Romanos, ſi exorbitarent, & Primatis obtentu Eccleſias gravarent. De ſchiſmate Ultrajectino quod affers, neſcio, an commendet eruditionem tuam. Lege noviſſimè editam à Concilio provinciali Ultrajectino deductionem: ſchiſma eſſe fatetur, ſed *Auctore Papa*, qui communicare volentibus communicare recuſat; nondum eſt *centenarium*, ſed ab initio hujus ſæculi XVIII. epocham ſuam numerat: ſi, quod abſit, evaderet *perpetuum*, in cauſa eſſet *obſtinatio*, tum ipſius Cleri Batavici, certas doctrinas (quas tamen ille judicio Univerſalis Eccleſiæ, quin & Romanæ Sedis ſubjicit) fortè nolentis dimittere, tum etiam Romanæ Curiæ, cupientis Batavica Capitula cum ſuis Capitibus ſupprimere, ſeptemque Provinciarum unitarum Catholicos regere *ex Congregatione de Propaganda* per nudum Vicariatum Apoſtolicum, & puras Miſſiones, quam rem probari à paucis intelligo, meum tamen judiciolum ſuſpendo, exſpectaturus tuum, *Frobeni*. In longè diverſo caſu procedunt dicta *Febronii* de ſubtractatione *obedientiæ ad tempus*, nempè cùm ſubtrahens tantæ eſt auctoritatis, ut plurimum interſit Papæ, ſubtractationem tolli. Non videtur Papa multùm curare, an Eccleſia Ultrajectina ſit unita ſibi, nec ne, aliàs certè media compoſitionis proponeret: ſed tractet ſemel Eccleſiam Germanicam, Hiſpanicam, Gallicanam, ſicut Ultrajectinam hactenus tractavit, & videbit diverſitatem.

Quòd *Febronius* adduxiſſet in exemplum hujus ſuæ doctrinæ *anteriora ſchiſmata*, præſertim tempore Concilii *Conſtantienſis* & *Baſileenſis*, non reperi in eodem: quocirca in vanum laboras dando diſparitatem; ipſemet ille non vult *diviſos* unius ejuſdemque Nationis *animos*, ſed *propo-*

ſitum

ſitum reſiſtendi, & ſubtrahendi *conjunctum*: non tamen (quod nimis invidioſè dicis) invitavit Europam ad facienda ſchiſmata: ſcripſit unicè, quid olim nationes fecerint, quid iterum facere poſſent, ſi Papa excederet, & injuſtum ſchiſma, non communicando eis propter ſuas prætenſiones non agnitas, facturus eſſet: credo ego, gratiam haberi debere amico ſequelas rerum oſtendenti. Similiter figulum agis, *Frobeni*, dum *Febronio* affingis hanc propoſitionem: *Omnes Papæ à ſingulis nationibus electi ſunt legitimi*: qua enim pagina hoc legiſti? Cumque fatearis, eandem *non exprimi ab eo verbis*, vis tamen reipſa ineſſe libro: cur autem? *quia in caſu ſchiſmatis ſingulis nationibus conceſſit electionem proprii Papæ ad tempus*. An conceſſit tunc *Febronius* electionem *proprii Papæ*? Nationi ſubtrahenti *ſupremum tribunal* admiſit NB. *ſcilicet eo modo, quem anno* 1408. *in Gallia obſervatum fuiſſe ſcribit Jeſuita Berthier*: eratne tunc Papa Galliæ? Abſtine impoſterum à talibus imputatis, quia virum probum non decent: dic, quod dixit Auctor, &, ſi dictum ejus tibi diſpliceat, refuta, quin affingas ei non dicta. Salva manente unione cum Sede Apoſtolica, ſi Sedens primus ſcindat, non adibitur ampliùs ipſe ſcindens, ſed loco ejus conſtituetur aliud tribunal: neque credo, quòd *totalem* ſubtractionem putaverit *Febronius*, ſcilicet quoad ea etiam, quæ *jure divino* pertinent ad Primatum, cùm pag. 575. hortetur cum Remenſi Archiepiſcopo, *omni ſtudio quærendam & ſervandam unionem cum Sancta Sede*; & pag. 548. *ſcindendæ unionis nullam dari juſtam excuſationem*; denique totum ſubtrahendæ obedientiæ negotium, utpote delicatum, *cum cautelis* gerendum eſſe monet pag. 595. Quibus perpenſis credo, non diſſenſurum eſſe à me *Febronium*, ſi dixero, ab initio non eſſe faciendam rupturam cum Papa, *niſi quoad ſolum commercium in temporalibus*, avocandos Roma Legatos & Reſidentes, prohibendos ſubditos, ne cambia vel pecunias Romam deſtinent; ſicut ea vidimus practicata fuiſſe à pluribus Principibus Catholicis, *Ludovicis* XII. & XIV. Galliæ Regibus ſub Urbano VIII., Alexandro VII.,

Inno-

INNOCENTIO XI., *Joanne* V. & *Joſepho* I. Portugalliæ ſub BENEDICTO XIII. CLEMENTE XI. BENEDICTO XIV.; hujuſcemodi enim rupturæ & fortiùs vellicant avaram auri Nationem, & ſchiſma Eccleſiaſticum non faciunt.

Ad §. IV.

In hoc, *Frobeni*, vis curioſiùs expendere *ipſum tempus*, ad quod concedat *Febronius Juſtinus* cuilibet Nationi *proprium Papam*: Cum umbris pugnas: unus Febronio maneret Papa, ſubtractis adſcititiis, præſertim *pecuniariis*, ſive ut tu loqueris, *denariolis vagis*, *vix millioneſimum gravantibus*; hoc modo ſperare licet, brevi tranſiturum ſchiſma, quod inciperet à Papa; quia vita ejus ab ipſis Papæcidis Romanis vix tuta foret. Fruſtra oggeris, redituram tunc quæſtionem *Gerſonis* de *Auferibilitate Papæ*: Quòdſi advertas, *ſchiſmatum durationes ſolere eſſe longiores*, mone, ne ad hoc extremum ſinat ſe induci Papa, juſtis Synodi Nationalis decretis injuſtè reſiſtens, de quo ſolò caſu loquitùr *Febronius*. Dum laudas Sigiſmundi Imperatoris induſtriam in extinguendo *tricipite Pontificum ſchiſmate*, approbas dictum veriſſimum *Febronii* poſt alios, pag. 582. & 585., *ſchiſmatibus*, *aliiſque malis Eccleſiæ non occurri efficaciùs*, *quàm per ſæculares Principes*. Conſequentias, quas hìc uſque ad finem facis ex falſo ſuppoſito eligibilitatis plurium Paparum, etiam triginta vel quadraginta, non tango; quia ſeipſis ruunt, corruunt univerſæ. Tu, *Juſtiniane Frobeni*, diſce poſthàc modum redarguendi, qui ſit ſincerus, genuinus, irreprehenſibilis: cave imputationes, detorſiones, & pro invidia creanda factas conſequentias: verbo: *recenſe*, *& refuta fideliter*.

Quid verò poſtulas in verbo valedictionis à *Febronio*? ais ad eum: *Poſthàc Summo Pontifici ſaltem Primatum Directorii*, *CUI SIT PARENDUM*, *concede*. Ergò *Monarchicum*

Regimen! non enim ſcio ullum, *cui ſit parendum*, Directorii potentem, niſi ſit Monarcha, qualem effectum negaſti ineſſe Pontificibus Romanis.

Vale, Domine Collega, & tene pro certo, ad refutandum *J. Febronium* deſiderari alium, quàm Tu, & ego ſimus: Eſt, erit, & manebit *liber ſingularis*, liber Miniſtrorum in majoribus Aulis totius Europæ, liber Prælatorum in Conciliis, quàm formidandus Romæ, tam gratus Nationibus liber veritatis & juſtitiæ.

ADDITAMENTUM.

Ad §. II. v. Non approbas quartò.

ANtequam hæc typis exſcriberentur, comparuerunt in publico *Germani Pacifici Literæ reſponſoriæ ad Juſtiniani Frobenii Epiſtolam*, eandem ſcilicet, quam hic impugnamus. Cùm minuta talia ſcripta, paucis foliis conſtantia, facilè diſpareant, atque in hoc una alterave contineatur obſervatio, quæ has noſtras Animadverſiones firmat, ideoque à pluribus legi, atque ab iis, qui publica commoda moderantur, maturè ponderari merentur, hinc eas hoc loco ſubnectere viſum eſt. Sunt autem ſequentes.

„ §. 13. Rotam extollis, quod *in ea ſint judices ſelecti ex* „ *Nationibus Europæ*: Sed deſine fabulà hac imponere re„rum intelligentibus; quid enim juvant in Dicaſterio ali„quot vota Tranſalpinorum, ubi ſoli Itali eminenter ma„jora efficiunt? Præterea, quid juvat Germaniam Gallus, „ Hiſpanus &c. ubi hi tam parum quàm Italus notitiam in„ſtitutorum Germaniæ habent? Nonne & Canones (ùt „ Van Eſpen deducit) & antiqua Obſervantia & Jura Ger-

„maniæ,

„ maniæ , & Concentus omnium Conſtitutionum Imperii „ volunt, quaslibet cauſas in Germania ortas per Judices „ Germanos eſſe judicandas ? Taceo , quòd nequidem re„ periatur Germanus, qui diverſa Jura & Inſtituta diverſa„ rum Germaniæ regionum intelligat, & ſi talis reperiretur, „ & ſi etiam ad Rotam aſſumeretur, quòd tamen is in omni„ bus cauſis Germanorum Ponens; aut primus Reſponſalis „ non ſit futurus; taceo, quod in caſibus, ubi is etiam ta„ lis ſit, nihilominus deciſum Rotæ nil niſi principia „ Italica proferre ſoleat . . . . .

„ §. 15. *Quòd problema* dicas *eſſe* , *num ſummæ majores* „ *efferantur Romam* , *vel ad Archiepiſcopum conſtitutum ex*„ *tra Provinciam appellantis & appellati* , in hoc te nu„ gari velle puto: Nam (præterquam quòd caſus non ſit da„ bilis, ubi ad Archiepiſcopum extra Provinciam conſtitu„ tum appelletur) quantillum pecuniæ Urbis Archiepiſcopa„ lis lucratur , ſi illuc proceſſus Appellationis deferatur ? „ Ut plurimum Advocati anteriores exhibenda conficiunt „ ſecundùm ſtylum Dicaſteriis Germaniæ communem ; ſic „ tantùm Procuratore apud judicium Metropolitanum opus „ eſt; Sed quid huic datur ? Inſpice Taxam *Salisburgenſem*, „ *Trevirenſem* , aut (quia tu Suevus es) tuam Metropoli„ ticam *Moguntinam*; ſecundùm hanc Procuratori pro ar„ ra das 2. florenos , pro receſſibus & correſpondentiis ve„ rò annuè 9. florenos ; Judicio & Secretariis etiam parum „ ſolvitur : ſic ſecundùm taxam tuam Metropoliticam pro „ plenariis Appellationis Proceſſibus 6. florenos, pro inſi„ nuatione 30. crucigeros, pro quovis milliari 20. crucige„ ros, & , ſi opus habes ulterioribus compulſationibus 4. „ florenos , & pro quolibet extractus protocollaris bifolio „ 12. crucigeros exſolvis.

„ Longè aliter ſe res habet intuitu proceſſus apud Tri„ bunalia Urbis : hìc exhibenda præcisè ſecundùm ſtylum „ Romanum debent concipi : hinc Advocatum tuum Ger-

„ manicum ad conquirenda materialia cauſæ, & ad curan-
„ dam correſpondentiam latinam retinere, & huic non tan-
„ tùm Agentem, ſed & Advocatum Romanum debes ſu-
„ peraddere: quæ in Dicaſteriis patriis acta ſunt, in linguam
„ latinam ut vertantur, curare debes, id quod ſolum ſæ-
„ pe majoris conſtat, quàm integra Inſtantia Metropolitica:
„ ipſa miſſio actorum unà cum commercio epiſtolico trans
„ alpes quanti conſtat? ipſe Stylus Curiæ quot ſumptuoſis
„ anfractibus ſubjacet? vix decreti tibi ſunt plenarii Proceſ-
„ ſus, mox, ſi adverſario tuo incidit exceptione fori de-
„ clinatoria uti, novum Dicaſterium (ſcilicet Signaturam
„ Juſtitiæ) habes aliquoties perambulandum; ubi exhiben-
„ da res typis debet eſſe impreſſa; quæ hic à tuo vel ad-
„ verſarii tui Advocato exhibentur, non priùs in Germania
„ conſpicis, niſi poſtquam Romæ ſuam jam ſententiam ob-
„ tinuerunt; & hinc fit, ut plerumque Advocatum utrum-
„ que in erroneo ſuppoſito hæſiſſe, mores ſuos Italicos ve-
„ lut ſimiliter in Germania obtinentes ſomniaſſe, ſicque fal-
„ ſa admiſcuiſſe, vel vera negaſſe deprehendas, quin adhuc
„ tempus ſit, eatenus monita tranſmittendi. Poſtquam ali-
„ quoties hanc Signaturam Juſtitiæ perambulaſti, novum
„ tribunal (ſcilicet Auditoris Papæ) proſtat; hic in ſcrip-
„ tis, ſecundùm ſtylum Romanum conceptis, pro & con-
„ tra diſputatur; emanato deciſo proſtat recurſus ulterior
„ ad Signaturam Gratiæ, ubi rurſus agitur, excipitur, re-
„ plicatur &c. tandemque ſequitur Deciſio Papæ. His om-
„ nibus emenſis cauſa principalis nondum Romæ cœpta
„ eſt. Nunc verò pone, coram Rota, ſeu veriùs Com-
„ miſſione Rotali, proceſſus ipſe ſuum ſortiatur initium.
„ Poſtquam lata eſt ſententia, nova, & poſt hanc tertia
„ in eadem Rota tibi ſuppetit inſtantia, queis finitis novi-
„ ter ad Auditorem Papæ, & inde ad Signaturam Gratiæ
„ potes recurrere; imò & tunc adhuc ſpecialis ad Revi-
„ ſionem actorum non raró conſtituitur Congregatio: Sic
„ fit, ut ſubinde cauſa privata (ubi etiam nulla incidentia
„ ſpecialiter occurrunt, ubi nullus ad Congregationem Con-
„ cilii

„ cilii ſaltus fuit ſuſceptus) Germanos ultra triginta flore-
„ norum milia conſtet , ceu *Moſeri Fama Imperii* exem-
„ plum præbet : ut adeo planè non ſit , cur Judicia Ger-
„ maniæ cum Tribunalibus Urbis quoad quantitatem ſump-
„ tuum ſint comparanda , ſed potiùs mirari debeat , quòd
„ Germania (quæ bene cognoſcit , quòd bono communi
„ multò convenientius foret , ſi mille expendantur intra
„ limites Regni noſtri , quàm ſi tantùm centum exportentur)
„ appellationibus Romanis tantopere adhuc indulgeat , ut
„ his arreptis , quilibet ad ſolvendum condemnatus , e. g.
„ Clericus ſuos operarios (queis pecunia Romanis anticipan-
„ da non ſuppetit) mercede ſua defraudare valeat , ceu
„ in terris Trevirenſibus non ita pridem vidimus . „

Hactenus in ſua Epiſtola *Juſtinum Febronium* probat *Germanus Pacificus* , illiuſque ſententiam in hoc , utì & in pluribus aliis , ſuo calculo firmat ; in quibuſdam tamen, maximè in duobus , ſe illi contrarium præbet : ſcilicet 1.) approbat Frobenii criſin , quá is monet , graviſſimis ſchiſmatibus anſam dari poſſe , ſi juxtá Febronii aſſertum cuivis nationi integrum foret , ſibi providere ad tempus de Capite Nationali , & huic jura Papalia interim committere, ſi fortè Papa juſtis Synodi Decretis ſe ſe opponeret . 2.) Improbat Febronii conatum , illuc tendentem , ut omnia , quæ occaſione ſuppoſititiarum Decretalium Iſidori Primatui acceſſerunt (quò *Cauſæ Majores* potiſſimùm referuntur) ei rursùs detrahantur ; qui conatus , ait , ipſis Germaniæ Concordatis adverſatur .

Verùm quantum *ad primum* , minuent metum ſuum auctores utriuſque Epiſtolæ , quàmprimùm legerint , quæ de hac ſubtractione , tanquam negotio planè innoxio , & remedio , utì valido , ita ferè ordinario , & in catholicis regnis uſitato , paulò antè ſub finem §. 3. memoravimus & explicavimus . *Quoad alterum* fuit imprimis Febronio animus exhibere univerſalem Primatum , qualis is ſua natura

eſt ,

eſt, relinquendo prudentiori judicio, an ejus jura per falſas Epiſtolas augeri potuerint, Eccleſiæ verò cognitioni ac definitioni, an & quatenus hi errores pro communi bono emendandi ſint. Deinde ſcripſit Febronius non pro Germanica ſolùm Eccleſia, ſed pro omnibus Eccleſiis. Demum idem Cap. VIII. §. 9. primæ edit. ſatis probavit, Concordatis Germaniæ non impediri reductionem genuini Juris Canonici.

APPENDIX TERTIA.

JOANNIS CLERICI,
PALATINI
AD
JUSTINUM FEBRONIUM
EPISTOLA EXCITATORIA
ADVERSUS
OBSERVATIONES
QUASDAM SUMMARIAS
HEDILBERGENSIS JESUITÆ
IN
EJUS LIBRUM SINGULAREM,
CUM NOTIS
AD EASDEM OBSERVATIONES.

JUSTINE FEBRONI!

INdigna mihi res viſa eſt, à Jeſuita Heidelbergenſi, *P. Joſepho Kleiner*, Theologiæ Profeſſore, habitam in Te, tuumque librum ſingularem, fuiſſe promotionem Baccalaureorum biblicorum & formatorum. Quinque erant, iidemque *omnes Clerici*, ut hic ordo à juvenilibus annis educeretur in prælium, adversùs eos, qui ſcribunt *contra praxes Romanæ Curiæ*, licèt *apprimè* eſſent *Catholici*,

Catholici, nihilque aliud vellent, quàm reformationem abuſuum; ut celerici ſæculares diſcerent maturè *ſentire Jeſuitice*, non attendendo, an ſentiant *patrioticè*, ut ſpiritus illius Societatis, cujus nexum nuper aperuit Gallia oculis nationum, inſpiretur his, qui in officio continebunt laicos, nequando aliter de poteſtate Papæ, & actionibus Curiæ ſentiant, quàm docent, fortè autem ipſi non credunt, Jeſuitæ, nec docere pergerent; ſi eis Papa adverſaretur: præclara *Clericorum pro Germania, & Palatinatu* educatio! Hoc ampliùs reperi, inductos fuiſſe juvenes illos Clericos, *ut ſiniſtrè ſcriberent de proximo*, quaſi fines malos ſub ſpecie bonæ rei intendiſſet, quod eſt, ita velle *Catholico-Romanos* facere Clericos, ut deſinant eſſe *Chriſtiani*, quorum character eſt charitas, charitatis autem non cogitare malum de proximo, ſed interpretari ejus dicta facta, ſcripta in meliorem partem.

Sed ad rem! Tuum eſt nunc, *Febroni*, ne obdormias, ſed exurgas; ſiluiſti autem hactenùs, etiam ad Epiſtolam *Juſtiniani Frobenii* refutatu facillimam: an fortè timuiſti? en tibi illudit incircumciſus Theſiſta Heidelbergenſis, interrogans Te ſic: *Quid ſibi dicet ipſi Febronius, ſi propediem librum ſuum non in Urbe modò, ſed & in Germaniæ diœceſibus in prohibitorum librorum ſerie deſcriptum leget? Conſtabitne tum ſibi ille animi vigor, quo hæc omnia proſpiciens, ac ſibi vaticinatus prævie contempſit?* Allegat autem tuam Præfationem ad Theologos §. *His omnibus*, & *Cap. IX* §. 7. Verum eſt: cordatè ſcripſiſti, *Febroni*, ſed oportet quoque ſcripta, quæ impugnantur, cordatè tueri, ſcribis enim ipſemet pag. 624. in Addendis, *virum fortem decere, ut ab honeſto propoſito, vigilandi pro gloria ſponſæ Chriſti, & laborandi pro reunione Chriſtianorum, ne objecto quidem diſcrimine, & fortunæ temporalis jactura, deterreatur*: hanc fortitudinem opere demonſtra. En *publicus profeſſor* te agreſſus eſt, & quidem *turpibus objectis*; eſt ergò tempus, ut obvies agreſſori, ne, ſi ei non reſponderis, ſapiens ſibi videatur.

deatur. Sic autem habet Heidelbergenſe Programma ad diem 13. Aug. 1764. *Unio diſſidentium in religione Chriſtianorum diſſertationibus inauguralibus pertractata, facta antitheſi parallela ad Juſtini Febronii JCti librum pro reuniendis diſſidentibus in religione Chriſtianis compoſitum*. Quæſtiones inaugurales ſunt: R. P. Promotoris: *Utrùm ſuprema & INDEPENDENS Romani Pontificis poteſtas ſæculis octavo antiquioribus incognita, & diſſidii religionis inter Chriſtianos cauſa dici poſſit*, prout aſſerit Febronius Cap. II. §. 12. num. 3., & Cap. VIII. §. 7. &c. DD. Baccalaureorum: I. *Utrùm ex actis Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis erui poſſit abuſus poteſtatis ſacræ ex parte Pontificis, qui ſit impedimentum reunionis?* ùt innuit Febronius in Præfat. §. *Sed nondum*, & Cap. VI. §. 15. nu. 6. & 8. II. *An ex Gravaminibus nationis Germaniæ de anno* 1510. *& anno* 1523. *rectè colligatur, impedimentum reunionis referendum eſſe in exceſſum poteſtatis ſacræ ex parte Pontificis, aut Curiæ?* Ad Cap. VI. §. 13. n. 3. 4. & 6. III. *Quid ad promovendum unionis negotium ſperari poſſit ex Conciliorum, tum generalium, tum nationalium frequentatione?* ad Cap. IX. §. 3. & 4. IV. *Quid de reliquis remediis (retentionis bullarum, legitimæ reſiſtentiæ, appellationis ab abuſu &c.) à Febronio aſſignatis ſentiendum?* ad Cap. IX. §. 8. 9. 10. V. *Quænam veriores cauſæ, & remedia diſſidii religionis inter Chriſtianos ſtatui poſſe videantur?* Et hæc quidem ex parvo illo actu inaugurationis accipe: ipſæ autem *Obſervationes ſummariæ* quinque habent capita: in I. *Summa libri Febroniani. Criſis ejuſdem Summaria*: in II. *examinatur cauſa diſſidii religionis inter Chriſtianos à Febronio aſſignata*: in III. *diſcutiuntur media reunionis à Febronio propoſita*: in IV. *expenditur, rectène Febronius arbitri, aut monitoris partes aſſumpſerit, in iiſque decenter verſatus ſit?* In V. denique occurrunt *Reflexiones nonnullæ, & concluſio*. In cunctis vult ab eo nigrior Jeſuita fieri Febronius, tanquam audax cenſor, exaggerator, exprobrator, Heroſtratus, incendio templi Dianæ nomen illuſtrare tentatus, *novi aliquid moliens pro Epiſcopis contra*

E *Pontifi-*

Pontificem, larvam verò huic machinationi inducens reunionis, quæ ſiquidem ipſi ſeriò cordi eſſet, non debuiſſet Caput Eccleſiæ ipſorum adverſantium exponere exiguæ exiſtimationi; fructum, illo *reunionis* fruſtrato, fortè hunc fore, quòd promptuarium ſubminiſtraverit Proteſtantibus ad Sedem Papalem, & cum ea Eccleſiam faciliùs ſubvertendam. Defendit hanc Obſervationum chriſtiano Jeſuiticarum congeriem L. R. S. & P. E. P. A. C. id eſt *Ludovicus Rüſter*, *Seren. & Potent. Electoris Palatini Alumnus Clericus*; dedicavitque Regimini Palatino. Aerem hac ſua machina verberat Jeſuita; novi ego plures de excelſo hoc Collegio viros, ſublimis undequaque meriti, quibus ille non perſuadebit, ut credant *independentem* Suprematum Papæ, neque ut de libro tuo ſentiant malè: Tu vale ſic ut prævaleas. Dabam Argentorati in feriis, 2. Octobris 1764.

R E F L E X I O N E S

J U S T I N I F E B R O N I

In ſummarias obſervationes Jeſuitæ Hidelbergenſis.

AD CAPUT I.

§. 1. Fateor, *Febronii* librum fuiſſe inexſpectatum *phænomenon*, opportunum tunc multis Imperii noſtri ſtatibus, præſertim Moguntinis, propter diſſidium non leve cum Curia Romana, quæ illis denique ceſſit. Stella hæc Legatum Apoſtolicum in Germania diu retinuit, cauſavit Brevia, & ſollicitationes plurimas; Roma in ſollicitudinem abiit: optandus eſſet toties Cometa talis, quoties Romani excedunt. *Oculi Jeſuitarum* fuerunt præ oculis cœterorum *intenti*: quia viderunt, *ſuis prædicari*, *& poſſe noceri*.

§. 2. *Latere voluit Auctor*. Multi pii ac religioſi Auctores, *etiam uſque ad Jeſuitas*, anonymi prodierunt, exemplo *Ludovici*

dovici Antonii Muratorii Mutinenſis, qui ad explorandos primos præventorum impetus elegit aliquot in libris bonis nomen *Lamindi Pritannii*: Anti-Febronius nuperrimus, in his Obſervationibus ab Heidelbergenſi Jeſuita laudatus, finxit, & nomen *Juſtiniani Frobenii*, & locum editionis *Bullionium*: non carpo; quia converti non poſſunt hæc duo: *Omnis, qui malè agit, odit lucem*, &, *Omnis qui lucem odit, agit malè*, monente Evangelio ipſo, ut *in abſcondito* faciamus bonum. Quod hac occaſione Jeſuita ſubjungit, temerariæ ſuſpicionis notam non effugit, ſcilicet *Februniani Operis auctorem eundem eſſe cum Anonymo Principiorum Juris Eccleſiaſtici Catholicorum ad ſtatum Germaniæ accommodatorum an.* 1746. *edito, ſuſpicio eſt.* Fallitur tamen, ſi fortè ſperet, *Febronii* exiſtimationem per hoc apud Eruditos minutum iri: Hæc *Principia Juris Eccleſiaſtici*, ſæpiùs reimpreſſa, in Pragenſi ac Vindobonenſi Academiis publicè prælecta ſunt, tanquam genuinum primumque inter Catholicos Syſtema Juris publici Eccleſiaſtici Germaniæ. Poſt hunc Auctorem venerunt alii de eadem materia tractantes, inventis addentes, uti *Zechius* Ingolſtadienſis Jeſuita, & *Zallweinius* Saliſburgenſis Benedictinus, viri æquiores *Gautherio* Jeſuita Colonienſi, & *Staidelio* Tyrolenſi Minorita, paſſim contemptis, & ſæpe iniquæ cenſuræ accuſatis.

§. 3. Hic Obſervator Heidelbergenſis accuſat Febronium calliditatis peſſimæ: *labor & contentio* Febronii erat Obſervatori, *aggredi POTESTATEM Summi Pontificis*; & quidem *favore Epiſcoporum*; nam. §. 53. ſic ponit: *liceat nobis hic in aurem dicere Febronio, quiſnam ei verior in hujus libri ſcriptione ſcopus fuerit; controverſa nimirum à quibuſdam Epiſcopos inter & Pontificem jura ipſe aſſerere Epiſcopis voluit*. Invidiæ obnoxiam rem colorare viſum eſt Febronio, *& ſi quo modo perſpicacium oculos fallere hac ratione poſſet*, alium ſcopum prætexere, videlicet *unionem* diffidentium in religione Chriſtianorum. Si ſic inceſſit Febronius, non egit virum bonum: ſi non ſic, vir malus eſt iſte Jeſuita. Vir minimè præventus potiùs credet ſinceritatem ſcopi, à Febronio tam apertè declarati; nimis

enim ſæpe, nimis ardenter, nimis anhelando expreſſit *ſcopum reunionis*, juxta & vindicationis S. Sedis à vilipendio, animorumque averſione: *gemitum columbæ* audi, non *ſerpentis ſibilum*; retrò apertum circa abuſus ſiparium non latet Epiſcopalium jurium advocatia, non hypocriſis, non ſtratagemata. Si ſic *in loco ab invidia theologica* inſtruantur *Seminariſtæ Heidelbergenſes*, ut evitaturos invidiam ſcriptores ſub praetextu *perſpicacioris viſus*, tam veri, quàm fucati ſcopi, diſcant rapere in eandem invita litera libri, erit profectò brevi tempore *mali germinis Seminarium*, cujus alumnos ſic educatos quilibet inter cavillari doctos numeret. Quae *pro Epiſcopis* ſcripſit Febronius, aeque ſunt in propatulo, ac caetera: non igitur capio, cur Obſervator in §. 53. ſic invehatur in eum: *id verò ſi intendit, cur non egit palam? Quid larvam opus erat inducere?* Qui jura cujuſdam intendit aſſerere, is eadem ſub clara luce conſtituit; nam, ſi ſub modio abſconderet, centeſimus, niſi dono perſpicaciae, quo Obſervator gloriatur, praeditus, his, quae non advertit, haud moveretur: quae utilitas tanti laboris? Id ergò aequius eſt credere ſcopum libri, quod liber profitetur, quodque, ipſo fatente Obſervatore, Febronius *frequentiùs, & cum emphaſi teſtatur*.

§. 4. Hic de *origine mali*, & *diſſenſionis radice* Febronius in praefat: ad Papam, & Cap. VI. §. 12. 13. Cap. VIII. §. 7. non fuit benè obſervatus: non indicat *mali originem*, ſed *malo medelam non fore* demonſtrat, neque *ſecuturam unionem*, niſi graves exceſſus & abuſus poteſtatis ſacrae priùs tollantur: non *poteſtati* culpam tribuit, ſed *abuſui*, prout ipſemet Obſervator primò poſuit: & ideo malè ſequitur ibidem: *HANC per ſpurias Decretales introductam, per Bononienſes ſtabilitam, HANC, tanquam malorum omnium fontem, toto opere, ait, ſe expugnare: HAC ſublata &c. EA verò ſubſiſtente &c.* debuiſſet eſſe: *HUNC*, ſcilicet *abuſum*, *HOC ſublato*, *EO verò ſubſiſtente*. Toto hoc opere expugnari à ſe profitetur Febronius Cap. III. §. 9. in princ. *formam illam monarchicam*. Cap. VIII. §. 1. in princ. ſic fatur: „ Conſidero Papam *ut Caput*

„ *Eccle-*

„ *Eccleſiæ*, non *ut Monarcham*, (Audi, qualem) penes quem „ ſit jus, & auctoritas, *per ſe* univerſam Eccleſiam, & ſin- „ gula ejus membra regendi, & pro exercitio ſacri hujus „ imperii *Epiſcopis partem ſuæ poteſtatis PRO ARBITRIO com-* „ *municandi*, *TOLLENDIQUE* reſideat: Si *in hoc* erro, *fateor* „ *me ſcripſiſſe totam errorum congeriem*: ſi non erro, credo, *me* „ *dixiſſe veritates*, *naturaliter & neceſſariò cohærentes*, aptaſ- „ que *ad reſtituendam nativam illam Eccleſiæ formam*, & diſcipli- „ nam, quàm omninò confulſit *infelix illa Monarchiæ ſacræ idea*, „ per falſas Iſidori Decretales in Chriſtianum orbem invecta.„ Hìc præciſè negatum ivit Febronius *Monarchiam* ſacram, cujus hæc eſſet vis ac poteſtas, ut, qui ſolus regit, *pro arbitrio* communicare & *tollere* queat partem commiſſi regiminis, ſicut olim Imperator Præſidi provinciam *dare*, *& auferre* potuit pro lubitu, quia monarcha erat. Aſt Obſervator, quaſi nondum doctus extrahere aliquem librum exactè, ſubſtituit: *Sique in hoc erret* (videlicet, negando Pontifici ſupremam atque univerſalem ſupra omnes Eccleſias, etiam ſupra Concilia, poteſtatem) *totam ſe errorum congeriem ſcripſiſſe fatetur*: Cur, quæſo, hanc parentheſin Jeſuita ſuis concepit verbis, & non potiùs retinuit verba Febronii, concedentis, imò ſtrenuiſſimè defendentis *Caput Eccleſiæ*, non autem agnoſcentis in ea *talem Monarcham*, qui poſſit *per ſe univerſam Eccleſiam*, *& ſingula ejus membra regere*, & pro exercitio ſacri hujus imperii *Epiſcopis partem ſuæ poteſtatis PRO ARBITRIO communicare & TOLLERE*? An Heidelbergenſis ille Doctor hanc monarchicam poteſtatem conſentit aſſerere Romano Pontifici *per anti-theſin parallelam*? Si non, ſentit cum Febronio, cujus non erat æquus obſervator, ſed mutilator, truncator, perverſor.

In Præfat. ad Epiſcopos §. *An hæc*. optans Febronius, *ut Eccleſiæ miſerè disjunctæ reuniantur*, ſic ſubjungit: *quod*, *PROUT NUNC RES ROMÆ SUNT*, *in æternum non eveniet*: hìc denotatur *concretum abuſionis practicum*, non *abſtractum ſacræ poteſtatis*. Similiter in Præfat. ad Reges & Principes §. *Quiſquis*, appro-

appromittit, religionem noſtram *omnibus* apparituram eſſe ſanctam & amabilem, ſi omnis materia *diſciplinæ* reducatur ad eum ſtatum, quo fuit, antequam adverſarii noſtri *de INJUSTO jugo, & EXCESSU poteſtatis* haberent non infundatam querendi materiam, & dat rationem, me credente bonam, quia, licèt ſcandala hæc non potuiſſent, nec debuiſſent dare fundatam anſam ſcindendæ unionis, *attamen, PROUT NUNC RES SUNT, plurimorum animos ita occupant, ut propterea ſinum matris horreant*. Conſiderat ergo Febronius non *abſtractas* rationes, ſed *concretas* rerum, *prout nunc ſunt*; & quidem *pro duplici parte*, Romæ videlicet & *eorum*, quos reuniri amaret.

Ad verſic. *Eo denique cætera*. Ignoſce *Kleinere*, non referuntur eò *cætera*, *quæ Febronius ex omni antiquitate collegit*, ut Pontificis oſtendat exceſſus; nam 1.) Perquàm ſollicitus fuit, ut ex Conciliis & Patribus evidentem ſiſteret ejus Primatum, id quod procul dubio diſplicuit *Barthio* Lipſienſi, verito, quòd deberet fieri Catholicus. 2.) Multas S. Sedi præ aliis Eccleſiis prærogativas aſſerit: luſtra dumtaxat indicem in verbis; *Romanus Pontifex eſt caput* Eccleſiæ. 3.) Exceſſus non tam *Pontificibus*, quàm potiùs *Romanis*, attribuit. Lege Cap. VIII. §. 10. ubi, *abſit*, inquit, *ut quæ hactenùs expoſuimus tot tantaque Chriſtianæ libertatis impedimenta, ea OMNIA ET SINGULA Romanis PONTIFICIBUS imputemus! Poſtquam idea ſtatus monarchici SPIRITUM CURIÆ infeliciter occupavit, vix aut nullatenùs liberum eſt, etiam moderatiſſimis Pontificibus cogitare, aut ſaltem agere ſecùs atque à multo tempore CARDINALES, MINISTRI, omnes denique URBIS CONGREGATIONES, COLLEGIA & DICASTERIA cogitaverunt & conſtanter practicaverunt, PAPA aliter, quàm ad ductum Iſidorianarum Decretalium procedens, à ſuis contemptim haberetur; imò tanquam diſſipator peivilegiorum, divino jure primæ Sedi annexorum, omnes excogitabiles oppoſitiones & contradictiones experturus eſſet.* Adde præfat. ad CLEMENTEM XIII. §. *Cur in gratiam*, ubi multùm abeſt, ut culpam tribuat huic optimo Pontifici; de

Mini-

Miniſterio autem ejus & *Romanis* ſic ſcribit : *Noſti ROMAM, noſti GENIUM CURIÆ : attollunt ROMANI Papam ultra modum , ut ſe paſcant , repleantque marſupia denariis : colunt Te ſolum propter ſe , ac ad ſua deſideria : rege , ſicut illi te regere non amant , abdica quæ primitùs & legitimè tibi non ſunt data , & illicò videbis , qui Tui loco coluerint , quidque ſibi avaritia decedere conqueratur &c.* Nec credo Patrem Sanctum, Dominum noſtrum Sanctiſſimum , tam eſſe iniquum Febronio , quàm eſt ei Romana Curia , cujus iſte viva tetigit , & quidem non tam ſuis , quàm orthodoxorum ante nos Patrum ac Doctorum digitis . 4.) Febronius permulta congeſſit ad revocandam *Eccleſiarum libertatem* , nec non conciliandam in eadem *libertate uniformitatem* , ne una natio plus debeat , quàm altera , communi omnium in Eccleſiaſticis Capiti , quod utrumque argumentum ſua natura præclariſſimum eſt . 5.) Demum genuinos Canones à ſpuriis ſecernit , quod ſuo merito ſuaque utilitate non vacat ; falſum verò eſt, quòd *eò omnia referat , ut exceſſus Pontificis oſtendat* .

§. 5. Ephemerides *Gottingenſis* Academiæ ad manus non habeo : Viderit interim Jeſuita *Kleinerus* , an non præſtitiſſet , *media inſtaurandæ unionis* deſcribere *ipſiuſmet Febronii* verbis , apud quem non invenient hanc propoſitionem : *Pontificis poteſtas atque auctoritas diminuenda* ; imò diſtinguit inter *POTESTATEM* , & *EXCESSUM* : *non IPSAM PONTIFICIAM POTESTAEEM , ſed EXCESSIVUM EJUS USUM moderandum , & ad normam genuinorum Canonum temperandum eſſe , ſuſtinetur,* ait ipſemet in præfat. ad Papam . Item : *ad ſatisfaciendum hæreticis JURA Romani Pontificis MINUENDA NON SUNT.* Porrò : *Non dubito , quin futuri ſint , qui mihi temerè objiciant . A ME PONTIFICIAM AUCTORITATEM REPUDIARI ; ego ſanè poteſtatem nullam rejicio, quæ ad utilitates Eccleſiæ,ad coædificationem templi , hoc eſt, ad compactionem membrorum,corporiſque Chriſti conjunctionem , pertinere videatur; illam verò,quæDOMINATUM , à Chriſti inſtituto, alienum,florentioribus Eccleſiæ ſæculis incognitum , iis , qui foris ſunt , terribilem, quærit, à populi cervi-*

cervicibus removendum contendo. Similia in præfatione ad Epiſcopos. Timeat ergò Obſervator, ne, ab Ephemeridibus Proteſtantis Novelliſtæ deceptus, non ſervaverit, quod à Doctoribus jure poſtulavit Febronius, *non aliter venditare propoſitiones*.

§. 6. Multò plura ſunt in præfationibus, quæ *Kleinerus* hic extrahere debuiſſet, præſertim *ob*, *& proteſtationes*, atque *ingens deſiderium*, videndi Majeſtatem Romanæ Eccleſiæ, *dimiſſis prætenſionibus humanis, reunitiſque univerſis Chriſtianis*, in ſua antiqua gloria ac veneratione. Abeat ergo ille, & diſcat diligentiùs ſcripta aliena recenſere.

§. 7. Ire per ſingula non potuit, qui properavit; atque utinam tardior fuiſſet *in eo, quod tetigit*, nec *partis* Romanorum *extremæ*, ſine fructu Sanctæ Sedi & populis obventuro, apertus *ſectator* exiſteret! Ex eo partiali ſpiritù præſagit *reſponſiones aliorum* pro opportunitate; laudat *Juſtiniani Frobenii* criſin; *Ignatium Schwartz* S. J. commendat, & *Petitierum* Abbatem Senonenſem, qui ſerviant ſtricturis, ſtylum *pro ſuprema atque INDEPENDENTE primæ Sedis poteſtate*, eandemque ex ſæculis, etiam octavo antiquioribus, aſſertum ituris; indicat *Henricum Kilberum* S. J. his, qui vindicent Papæ *poteſtatem Conciliis ſuperiorem* ex ipſius etiam Eccleſiæ Gallicanæ (ſi Superis placet) tum antiquæ, tum recentioris, ſenſu, nequaquam obſiſtente anni 1682. declaratione. Ergo Kleinerus totus quantus eſt *Curialis Romanus*, in quem Germaniæ oculi bene reſpiciant, qui adeò vult hìc Febronio *duas* creare *invidias*, 1.) Quòd *Richerianum ſyſtema* pro duce habuerit. 2.) Quòd *ex fontibus aliunde graviter notatis* liberaliter hauſerit: addit *contemptum*, quòd nihil admodùm attulerit *difficultatis novæ*, *ac non jam aliàs confutatæ*, utpote qui in unum librum, *non unius tamen anni ſtudio*, congeſſerit, quæ aliàs ſparſa legimus in Scriptoribus, *Pontificiæ Sedi parum faventibus*, *aut etiam apertè adverſantibus*: ſcopum denique Febronii ſubjungit: *ad JURA Romanæ Cathedræ evertenda PENI-*

TUS

TUS, *ſi fieri poſſet*, *atque expugnanda*; ſcopum (ſi verus eſt) ſanè peſſimum, & vel ideò abſque pleniſſimà probatione nemini, præſertim typo publico, objiciendum. Verùm aliis melioribus Viris ideò contra *Curiam Romanam* ſcripſiſſe videtur Febronius, *quia amavit cum devotione catholicá Cathedram Romanam*: hæc non ex *lignis*, ſed *juribus* conſiſtit: qui jura *penitus* vult tollere, is & cathedram: atqui hanc non tollere, ſed genuinis modis extollere voluiſſe Febronium facilè intelliget, quiſquis ejus opus *in ſpiritu intelligendæ veritatis* legere, ac meditari voluerit.

Richeriani Syſtematis ductus *ſatis apertè* apud Febronium detegi, hic per calumniam obſervat Jeſuita Heidelbergenſis. In eo *Edmundus Richerius* à doctrina, quam *Gallicana Eccleſia* publicè profitetur, potiſſimùm diſcrepat, quòd ille docuerit, Romanum Pontificem Eccleſiæ quidem Caput eſſe, at *ſymbolicum duntaxat*, *ſeu figurativum*, *miniſteriale*, *accidentarium*, *non neceſſarium*. Vide Tournelium Tr. de Eccleſia, Quæſt. 5. art. 2. An talia ſomniavit Febronius? Si vir eſt *Kleinerus*, edicat diſtinctè, in qua doctrina, aut qua propoſitione, minùs orthodoxa, *Richerium* ſequatur *Febronius*. Dum ſic falſum fontem, è quo hauſerit Febronius, calumnioſe indicat Jeſuita, diſſimulat veros, quibus ille patenter uſus eſt, videlicet S. *Bernandum*, *Joannem Salisburienſem*, *Hildebertum* Archiep. Turonenſem, *Petrum* Cardinalem *de Aliaco*, *Julianum* & *Cuſanum* Cardinales, *Gerſonem*, Claudium *Eſpencæum*, *Boſſuetum*, *Natalem Alexandrum*, Claudium *Fleurii* & liberaliter hauſtum *Barthelium*, Canoniſtarum hodie Principem: Sùntne hi, ſimileſque fontes *aliunde graviter notati*? Suntne *Apoſtolicæ Sedi parùm faventes*, *aut etiam apertè adverſantes*? *SEDI*, inquam? Nam *Curiæ* parùm propitios eſſe ſino, quæ Sedis ſanctæ honori, dum *nimietate* credit ſervire, plus adverſatur, quàm alii, quos illa putat Sedi adverſari.

Non eſt, quod ait noſter Obſervator, ſcilicet *ex Proteſtantibus MAXIME auctoribus* ſua depromſiſſe Febronium:

potiùs, contrario ſtudio, abſtinuit ab his Scriptoribus. Equidem cap. VIII. §. 8. n. 7. retulit verba Tubingenſis Cancellarii, *Pfaffii*, ſed expreſſè addidit, *eum eſſe Proteſtantium ſacris addictum*; & cur retulit? ut ex ſenſu eorum, quos reuniri optaret, oſtenderet impedimenta removentia incrementi ſanctæ religionis noſtræ: Nonne ſciri opportebat, quid horreatur ab ipſis? Horretur autem inter alia *habitus multorum, & præcipuè certorum Regularium ad Papam, qualis eſt modo*, velut periculoſus rationi Status politici. His, ut-utcunque veris, certis hominibus bilem moveri, quis dubitet?

Cap. II. §. 12. n. 6. Febronius citat *Pufendorfium*, pariter addendo, *eum fuiſſe Proteſtantem*; neque enim neceſſarium eſt, ut quis Catholicus ſit ad decidendam quæſtionem ibi motam, an ſit *ex triplici forma regiminis Ariſtotelica* diſputandum, dum forma Eccleſiæ diſquiritur: *Ariſtotele* hic non eſt opus, ſed *Scriptura* & *Traditione*. Sivè *verum propriumque Statum* ſupponamus eſſe Eccleſiam Chriſti, ſive dumtaxat *Collegium ſacrum in ſtatu* (quod poſterius vero ſimilius eſt): noſſe oportet, *qui regatur Eccleſia*: an *ab uno*, ſicut Jeſuitæ volvuntur, revolvuntur à ſuo Patre Generali, an *à pluribus*, an *à multitudine*? Deciſio *negativa* faciliùs certiuſque datur: forma nec eſt *democratica*, nec *ſimplex ariſtocratica*, nec *ſimplex monarchica*: duo prima ſunt de fide catholica: tertium (quod *Tournelius* unum de duobus extremis nominat) vix tranſmittent Epiſcopi, nec Papa affectabit. Plures Theologi, & Canoniſtæ docent cum Cardinale Bellarmino *Monarchiam ariſtocratia temperatam*: ſed in evolvenda hac idea inter ſe non concordant: aliqui eam explicant ex forma regiminis Imperii Romano-Germanici, malè profectò: Febronius *ex forma Collegii apoſtolici, Caput & Directorem habentis, cum certis officiis Capiti etiam extra conventum incumbentibus, & prærogativis eidem competentibus jure Primatus*. Hoc ſyſtema ipſe elegit, quia Scripturæ ac Traditioni conforme eſt, quia ſalvat Epiſcoporum dignitatem; quia Curiæ Romanæ invidiam ab animis,

etiam

etiam Catholicorum, arcet; quia Principibus ſæcularibus nec minimam apprehenſionem relinquit.

Propter hoc, a bona mente (uti omninò præſumi debet) profectum Syſtema, non puto acuendos eſſe in Febronium atros Theologorum calamos, idque ex motivis, quæ ipſe dedit paſſim, ac nominatim in Præfatione ad ipſos: nec opus eſt verbo dignari eos Jeſuitas, qui *ſimplicem Monarchiam*, *INDEPENDENTEMQUE poteſtatem, etiam ſupra Concilia, quive infallibilitatem Pontifici aſſerere contenderent, aut qui Generali Concilio ſuperioritatem in Papam negarent*: flagellarent hi omnes excuſſa ſtramina: Scribant quantum volent, nunquam *univerſa Eccleſia* recognoſcet ſuo Capiti independentiam, infallibilitatem, exemptionem à Canonibus generalium Conciliorum, ſpiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis. In illos autem inſurgendum, qui nomini maculam ex periculoſa doctrina impingere tentant, qui dicta mutilare ac pervertere audent, qui ea, quæ pro exoneranda Germania à gravaminibus Curiæ Romanæ, juxta Leges fundamentales Imperii, ac tot Capitulationes Cæſareas ſcribuntur, impugnare præſumunt; tunc enimverò calamum ſtringere ſuadet amor patriæ, atque ipſi quoque Imperii Fiſco indigitare homines Bono Germaniæ publico reſiſtentes; quæ res, ad imitationem Galliæ ac Belgii, nec non aliorum Orbis Catholici Statuum, vel maximè hinc eſt etiam in Germania neceſſaria, quia id genus Sodales contra bonos patriotas ſtatim invidioſiſſima ſcripturiunt, ſicut Febronius prædixit, e. g. *Ex Auctoribus hæreticis ſua ſcripta eſſe compilata; nigros ſibi eſſe omnes cum Schwarzio Jeſuita auctores, qui ſpecialem cum Curia Romana nexum illi habere videantur; ipſum quaqua verſum ſpirare hoſtilitatem adverſus Cathedram S. Petri; poſuiſſe os in cœlum; ſacrilegè de Majeſtate diſputaſſe; pruriiſſe ſæculi noſtri genio, cui ſæpè nihil pulchrum ſit, niſi quod cum audaciore Sacrorum criſi, & quorundam contemptu conjunctum ſit* &c.

Sanè Febronianus Tractatus neminem contempſit, nec audaciorem *circa Sacra* criſin adhibuit, qui in ſacro Eccleſiæ

 regi-

regimine omnia cuperet eſſe ſacra, nihil *ex mundanæ politiæ maximis* mutuatum, in quo nimiùm videntur peccare Romani, & *miniſteriales eorum ſpiritus*; hi quìppe volunt illis eos' licere exceſſus, quos in ipſis notarunt hæretici, & eo ipſo, quòd hi notarint, quàmprimum ſe accingunt ad refutandum, quidquid iſti ſic ſcribant. Sic faciunt mali cauſarum advocati, negantes aut in dubium vocantes etiam vera & certa facta, aut, ſi iſtud nimis impudens eſſet, palliolis obtegunt, coloribus obducunt.

Inſerere hìc juvabit prolixiorem animadverſionem epiſtolicam ſuper fatis Febroniani Operis ex agro Moguntino: „ Sunt, inquit ille, homines quidam *ita ineptè religioſi*, „ ut ſuis aſſertionibus ſat ſuperque conſultum eſſe putent, „ ſi poſſint dicere, *eas ab hæreticis improbari*: contingit his „ ſæpè numero, ut, dum ſuffragium ſuis æmulis denegant, „ illud denegent veritati, quod facti genus boni omnes nuſ„ quam probabunt, nuſquam probabit Eccleſia. Si virorum „ illorum methodum adoptes, inde ſequetur, quod ea, quæ „ S. *Bernardus*, *Durandus* Mimatenſis Epiſcopus, *Julianus* „ Concilii Baſileenſis Præſes, Cardinalis *Contarenus*, ejuſque „ in novemvirali Conſilio ſodales, *Adrianus VI.* Papa, de „ vitiis & exceſſibus Curiæ Romanæ benè verèque ſcripſe„ runt, monuerunt, erudita, pia, & ſancta eſſe deſinerent, „ ſi apud recentiorem aliquem hæreticum deſcripta inveni„ rentur. Igitur, ſi verè damnandi ſunt illi exceſſus, dam„ nentur, & damnabuntur à quocunque ratione & æqui„ tatis ſenſu prædito; ſicque artificium illud adulatorum, & „ adulatricis Curiæ diffuetur, & in vagum pulverem fatiſcet.

„ Duas autem potiſſimùm reperi *ſedes* in aureo Febro„ nii tractatu, in quibus vitia Romanæ Curiæ exponuntur: „ nimirum *Cap. III.* §. 11. tractat. de quibuſdam non feren„ dis *Romanorum ſententiis*, in regimen Eccleſiæ univerſa„ le, & privatas particularium fortunas influentibus. *Ca„ put VI.* §. 13. refert abuſus regiminis ſacri, qui in Roma„ na Curia *effectivè*, *& cum magno plurium ſcandalo, atque*

Eccle-

„ *Eccleſiæ dehoneſtatione*, practicantur. Primus horum lo-
„ corum non excerpſit *Hottomannum* aliquem, aut *Carolum*
„ *Molinæum*, ſed, qvantum hinc illinc tentans exploravi,
„ fideliter extraxit Proſperum *Fagnanum*, Cardinalem *de*
„ *Luca*, Deciſiones *Rotæ*, & tractatum de Synodis, à Pa-
„ pa Benedicto XIV. compoſitum, per eundem, poſtquam
„ cathedram Petri conſcenderat, recognitum, & auctum.
„ Judicet autem quiſque, *an hi ſint homines ſanctæ Sedi*
inſenſi.

„ Abuſus, qui in altero dictorum Capitum recenſen-
„ tur, verbotenùs deſumpti ſunt ex actis Comitiorum Im-
„ perii, ex edictis & declarationibus piiſſimorum Impera-
„ torum, ex conſultationibus Epiſcoporum Galliæ, ex Con-
„ ſilio delectorum à *Paulo III.* Cardinalium & Prælatorum,
„ ex ſcriptis graviſſimorum virorum, *Guilielmi Lindani* Epi-
„ ſcopi Ruremundenſis, Claudii *Eſpencæi*, quem in Febro-
„ nio revixiſſe puto, Franciſci *Duareni*, Pauli *Langii* mona-
„ chi Ziticenſis, Jacobi *Regii*, & aliorum, quos omnes &
„ ſingulos non niſi commune Eccleſiarum bonum præ ocu-
„ lis, & cordi habuiſſe, nemo eorum, qui verum & æquum
„ amant, dubitat; nulli autem ſano hactenùs in mentem ve-
„ nit, viros illos de offendenda, vel etiam lædenda ſanctà
„ Sede cogitaſſe, bene verò, & optimo quidem animos de
„ eadem Sede, totaque Eccleſia ab apertis ſcandalis & inor-
„ dinationibus purganda.

„ Alios etiam ſubinde per ſui operis decurſum Fe-
„ bronius refert Sctiptores, viros ſemper graves & bonos,
„ qui vitia Curiæ notant, pro horum emendatione vota fa-
„ ciunt, & conſilia dant: Inter hos cæteris frequentius oc-
„ currit celeberrimus Cancellarius Gerson. Sed anne hi
„ tantique viri dicendi ſunt impii, & infenſiſſimi Romanæ
„ Sedis hoſtes? Vel unum, quem jam nominavi, *Gerſonem*
„ intueamur, idque brevitatis amore, ex ſolis *Jeſuitarum*
„ ſcriptis, qui hac in parte nemini ſuſpecti eſſe poſſunt: In-
„ ter hos Petrus Caniſius Lib. I. de Maria Deipara cap. 5.
„ eum vocat *doctiſſimum ſuæ ætatis Theologum*: Antonius
Poſſe-

„ Poſſevinus in Apparatu ſacro *Virum ingentis doctrinæ*, *&*
„ *pietatis*; *qui eò etiam eſt inſignior*, *quòd in pluribus diffi-*
„ *cilè poſſit agnoſci*, *utra in eo fuerit major*, *pietas*, *an eru-*
„ *ditio*: Cardinalis Bellarminus Lib. de Scriptor. eccleſ. *Vi-*
„ *rum doctum*, *&* *pium*: Jacobus Qualterius in Tabula
„ Chronol. ſtatus Eccleſiæ *Virum ſua ætate eruditione & vi-*
„ *tæ innocentia conſpicuum*: Heribertus Roſweidus cap. 7.
„ Vindiciar. Kempens. *Virum per totum orbem celeberrimum*:
„ Dionyſius Petavius in Rationario temporum P. I. Lib. 9.
„ Cap. 8. *præſtantis ingenii fama celebrem*: Ludovicus Cal-
„ lotius Lib. III. de Hierarchia eccleſ. cap. 17. n. 3. *ma-*
„ *gnum*, *doctum* *&* *pium*. &c. Tantùm virum quiſquis
„ Romæ inſenſum vellet dicere, neſcio, an liret honori Ro-
„ mæ: Veriùs dicam, Gerſonium, alioſque non inferioris
„ meriti viros, non fuiſſe hoſtes *Romanæ Sedis*, ſed *vi-*
„ *tiorum in Romana Curia vigentium*." Hæc ille ad Febro-
nium, tam ſuper Heidelbergenſis Theologi Obſervationibus,
quas citius vidit, quàm ſuper *BREVI* Sanctiſſimi Patris ac
Domini noſtri Clementis XIII. menſe Martio 1764. dire-
cto ad Archi-& Epiſcopos Germaniæ, ejuſque duras in Fe-
bronium poſitiones iſtas:

1.) *Romanam Cathedram funditus conatur evertere.*
2.) *Omnia ille ex hæreticorum*, *&* *huic ſanctæ Sedi infen-*
ſiſſimorum hominum libris conquiſita, *&* *depromta in*
unum congeſſit.
3.) *Quædam etiam abſurdiſſima de ſuo voluit adjicere*, *ne*
cuiquam inimicorum ejuſdem Apoſtolicæ Sedis ſecundus
eſſe videretur.

Quid ad has poſitiones propiùs reflectendo, prudens ille atque eruditus Moguntinus, cujus verba hic fideliter referuntur, porrò reſcripſerit, edicetur infrà, dum in ſerie Heidelbergenſium Obſervationum de condemnatione Febroniani Operis tractabitur *cap. V.* §. 55.

AD

AD CAPUT II.

Quoniam reflexiones iſtæ in Caput I. abundantiores fuere, ita quidem, ut in nonnullis earum quædam etiam præoccupata ſint ex iis, quæ in ſequentibus tractat *Kleinerus*, ſic erit in his tantò brevior ſtylus, ita tamen, ut nihil quod ab adverſario perperàm poſitum eſt, impunè patiatur elabi; potiſſima autem opera erit in allegandis & detegendis fallaciis, quibus ille Sophiſta-Theologus frequenter uſus eſt.

§. 9. Hic ſtatim ingentis falſi arguitur Obſervator noſter, dum ita fatur: *Sic itaque diſcurrere Febronius convincitur: Pontifex SUMMA utitur in Eccleſiæ regimine poteſtate: igitur Proteſtantes à nobis diſſident, aut à reunione prohibentur*. Non ſic diſcurrit, nec talia per ſomnium quidem cogitavit Febronius, quaſi, quia Pontifex *ſumma* in Eccleſia poteſtate uteretur, ideo Proteſtantes à reunione alienarentur; ſed quia *exorbitantem*, *bonis mentibus intolerandam*, *à Chriſti inſtituto declinantem*, & *cum genuina Traditione non combinandam*; *veris Canonibus adverſantem*, exercere poteſtatem poſſe deſcribitur: *Summa* poteſtas ei ſemper debebitur, non *indefinita*, ſed Eccleſiæ legibus adſtricta.

§. 10. Quod ex Epiſtola Frobenii hic adfertur, nempe: *ſi de ſola auctoritate Pontificia inter Catholicos & Proteſtantes ageretur, vix unum Eruditorum inter acatholicos fore, qui recuſaret ſucceſſoribus in cathedra Petri deferre eum honoris gradum, quem Galli Papæ tribuunt ſine difficultate, ſine incommodo*: ei obviam itum eſt in *Juſtiniani novi* animadverſionibus in ejuſd. *Frobenii* Epiſtolam §. 1. in fin. Agnoſcitur interim hic à *Frobenio* ſimul & *Obſervatore*, quòd pro reunione opus ſit ad minus Primatum Petri ſic delineare, ut *Galli*: impedimentum igitur reunioni præſtant, qui *Italica* principia Primatus *indipendentis*, *inerrabilis*, *incorrigibilis*, *abſolutè-monarchici*, *quaſi-omnipotentis*, populis divenditant.

§. 11. Si non deſint inter Proteſtantes viri, eruditione & auctoritate conſpicui, qui unius Capitis pro tanto cor-

corpore, quale eſt Eccleſia, neceſſitatem agnoſcant : ſi ipſa Auguſtana Confeſſio Pontificiam auctoritatem non quidem inter *ſubſtantiales* defectus ſacræ noſtræ Religionis reponat, ſed inter *abuſus* tantùm, habebit hos Febronius tantò propinquiores ſuo ſyſtemati, qui ejuſdem Capitis neceſſitatem, & fundatam illius in Sacra Scriptura ac genuina Traditione exiſtentiam, ferè majore, quàm quiſquam alius, fide, & Catholicis & Acatholicis demonſtrans, eos *abuſus* minimè ſiluit, quos utrorumque reunioni impedimentum ponere judicavit.

Interim patietur Obſervator noſter Heidelbergenſis, ei hic palam dici, falſam, inconſideratam, & catholicæ Polemicæ præjudicioſam ejus aſſertionem eſſe, *quòd Pontificis poteſtas in ipſa Auguſtana Confeſſione INTER ABUSUS recenſeatur*. Scilicet Art. XXVIII. qui eſt de poteſtate eccleſiaſtica, nullus quoad hoc notatur abuſus, quòd ſit *poteſtas eccleſiaſtica Epiſcoporum*, atque inter hos *Romani Pontificis*; imò verò docetur *a*) diſcrimen inter *eccleſiaſticam* poteſtatem, & poteſtatem *gladii* : *b*) utramque *propter mandatum Dei* religioſe venerandam, & honore afficiendam eſſe, *tanquam ſumma Dei beneficia in terris*. Unde patet, quòd reditus ſub Epiſcopalem, atque adeo Pontificiam poteſtatem non debeat Auguſtanæ Confeſſioni Addictis videri ejuſdem Confeſſionis derelictio : At verò *abuſum* vocavit eadem, quòd *Pontifices freti poteſtate clavium etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere conati ſint*; *Non irrumpat*, inquit, *poteſtas eccleſiaſtica in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus, aut contractibus, non præſcribat leges Magiſtratibus de forma reipublicæ, ſicut dicit Chriſtus : Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Vides, Kleinere, quid abhorreant A. C. Addicti : nunc Tu veni, fac Febronio *antitheſes parallelas*, obtrude illis Primatum independentem, omnia potentem, an eos ſuo horrori non relinques? Si prudentia

dentia tua mollius aliquod Primatus Apoſtolici ſyſtema eligendum propterea duxerit, non erit ſatis dicere, eſſe regimen Eccleſiæ *monarchico-ariſtocraticum*, ſed explicare propiùs oportebit, *quì hoc Tu intelligas*, tam quoad *ſingulas* eccleſias, quàm quoad *omnem*: & tunc videbimus, an habeas *antitheſin parallelam* adverſus explicationem Febronii, an ſolummodo *diſparatum ſyſtema*. Cæterum, quid §. 10. & 11. velis concludere adverſus illum, nemo Dialecticus videbit.

§. 12. Jam dictum, quòd recuſare uni alicui Hierarchæ ſubeſſe non ſit alienum ab Auguſtana Confeſſione: *cui autem*, ſeu *qualiter imperaturo*, id eſſe in propoſito: Deſcribe, mi Kleinere, Proteſtantibus *Jus Pontificis ſupremi* per integram partium enumerationem, ſcribe quoque illis, quid de juribus enumerandis ſit ex *mandato Dei*, quid ex *conſtitutione humana*, quid ex *falſis Decretalibus*, conſequenter, *errore* acquiſitum, quid *ſine omni jure per meram praxin facti*; ſcribe, inquam, veritatem, ſicut eam habes in tua conſcientia, & exſpecta, an non te Itali *Maimburgum* facturi ſint: Si nihil dixeris, aut Italicè deſcripſeris Jus Pontificis, non capitulabunt tecum Proteſtantes; quia reverſuri volent ante omnia ſcire Jus Pontificis, imò volunt Pontificem dimittere multa jura prætenſa, ſicut majores noſtri Sæc. XV. non receſſerunt à neutralitate ſua ad Eugenium IV., niſi priùs *rebus regulatis*: Sine hoc prædicare illis neceſſitatem Capitis in Eccleſia nihil proderit, cùm ſint dicturi: *oſtende nobis tale Caput, quale Chriſtus inſtituit, quodque plus non petat, & ei ſuberimus*. Cur autem Proteſtantes (prout nunc res ſunt) potiùs recuſent uni ſubeſſe Hierarchæ Romano, quàm ſingulis in quavis provincia Principibus, quibus tamen illi Jus Sacrorum concedunt, rationem hanc, inter reliquas, & differentiam accipiat Obſervator: 1.) quòd nullus cujuſcunque religionis Monarcha ſæcularis unquam prætenderit aut prætendat Jus Sacrorum tam duris conditionibus ac ſervitutibus in ſibi ſubjectos exercere, quàm ſint illæ, quas Febronius ex irrefragabilibus

monumentis deſignavit *Cap. III.* §. 11. nec non *Cap. VI.* §.13. *&* 14. 2.) Quòd in omnibus regnis, maximè verò in Imperio Romano-Germanico, Principibus per leges & ſanctiones pragmaticas fines poſiti ſint, quos in exercitio Sacri Juris ne in minimo tranſgredi eis permittitur, quando ex contrario Romani ſuſtinent, Papam nullis Canonibus ſubjici, nullis circa prætenſum jus ſuum pactis ligari, & à nemine, ne ab univerſa quidem Eccleſia in generali Concilio congregata judicari, corrigi, reformari poſſe. Poſt hæc interroget iterum, uti facit hìc, Jeſuita noſter: *quænam iſta ſit illatio: ſolvuntur ſecundùm taxam Cameræ Apoſtolicæ pro expeditione brevium & bullarum expenſæ, annatæ penduntur, coadjutoriæ conceduntur, plurium aliquando beneficiorum aut curionatuum unio permittitur &c. igitur Proteſtantes diſſident, aut non redeunt?* interroget, inquam, Collegas ſuos Heidelbergenſes Profeſſores Reformatæ religionis, & hi, reflectendo ad mox citata Febronii loca, nec non ad ejuſdem *Caput VI.* §. 15. cordatius ei dabunt reſponſum, quàm ſit ejus interrogatio frivolè concepta. Conſequentias aliorum, qui vult redarguere, prius ipſemet debet feciſſe bonas.

§. 13. & 14. Ita: fides unica eſt, quidquid ſit de iis, qui ſupra cathedram Moyſi aut Petri ſedent; hoc nemo ſolidiùs demonſtravit, quàm Febronius *Cap. I.* §. 9. Idem agnoverunt tot ſereniſſimi Principes, præſertim noſtri Palatini, ad avita ſacra, in quibus hoc unitatis meritum invenitur, redeuntes; attamen hæc non impediunt, quominùs æque ſolidum reputetur ejuſdem Auctoris effatum in Præfatione ad Chriſtianos Reges & Principes, ſcilicet: *ejuſmodi converſiones FREQUENTIORES FUTURAS, pro modo, quo Eccleſiam purgabimus à ſuperfluo & odioſo.* At enim neque ignoramus, neque ſilere poſſumus, illos hactenus rediiſſe ferè ùt ſingulos atque privatos: nullus adhuc rediit cum totâ Ditione ſua: aliqui duras debuerunt inire conditiones contra Religionem Romano-Catholicam cum Statibus provinciæ ſuæ, ſic, ut terræ Principum, reunitorum difficultate ma-

gna,

gna, hodienum ſint terræ Proteſtanticæ, ipſique earum Principes, licèt Catholici, reputentur adhuc in Comitiis eſſe de ſic dicto Corpore Evangelicorum: non malè hanc cauſam inde repetes, quia populis impedimenta reunionis nondum ſunt penitùs remota, Miniſteria aularum & Directoria Statuum provinciæ timent ſibi à deſpotiſmo Curiæ Romanæ, nec putant conſultum, quòd exterus quiſquam tantum, quantus ante reformationis tempora practicatus fuerat, in temporalia & eccleſiaſtica influxum habeat, ùt ùt Princeps ſine ſubditis reunitus à tali influxu tutus exiſtat, quamdiu tota terra non eſt catholica: reverà enim ejuſmodi Principes non aliter ſubſunt Papæ, nec plus ab eo in illos prætenditur, quàm juxta Febronium ſubeſſe deberent, ac prætendi poſſet: unde ab his Principibus, quibus Papa potius indulget inſolita, quàm ut in eos exerat principia Italica Primatus, ab his, inquam, infeliciter deducit Eximius Antitheſiſta *innoxium* poteſtatis ejus exercitium quoad reliquam Eccleſiam, cœteroſque fideles. Quid porro de illis terrarum Regibus, qui regna perderent, ſi vel privatim reunirentur? Quid de Græcis, quid de Ruſſis quorum reditum pariter anhelat Febronius? an hi, licèt pauciſſimis diſcrepent à Romana Eccleſia doctrinis, revertentur ad centrum unionis, niſi Curia Romana, ejuſdemque ſatellites contrahant poteſtatis ſupremæ fimbrias juxta ſuaſum Febronii.

§. 15. *Sinamus tantiſper* (ſic pergit Kleinerus) *poteſtatem illam Pontificis eſſe aliquod impedimentum: eâne ſublata ſperanda protinùs unio? minimè quidem*. Ponis hic, Kleinere, *Poteſtatem ILLAM*, ecquam? Procul dubio, ſi refutare cogitaveris Febronium, intellexiſti *illam*, quam is Papæ non competere ſcripſit, non *illam*, quam ſtrenuè aſſeruit: quoad priorem vis adhuc uti figura liberalis conceſſionis rethoricæ: miſerum te, qui ex lectis Catholicorum, & Proteſtantium, præſertim Juriſconſultorum & Politicorum, libris nondum percepiſſes, *pro certo* abuſum poteſtatis Pontificiæ eſſe unum de præcipuis reunionis obſtaculis! Excedentem

 Pon-

Pontificis poteſtatem *unicum* eſſe articulum, qui Proteſtantes à Catholicis ſeparet, nullibi dixit Febronius; quinimo contrarium inſinuavit cap. VIII. §. 7. num. 15. Hoc dixit eod. § 7. n. 4. omnem, quæ ſupereſt, futuræ concordiæ ſpem in *æqua* diminutione jurium Papalium poni: hoc ibidem cum Catholicis & Acatholicis melioris notæ Scriptoribus addidit, *ſolum* illum Pontificiæ auctoritatis exceſſum reunioni perpetuum futurum impedimentum; rationem innuit ALEXANDER III. in cap. 5. X. de Reſcriptis, quia talia *animos exaſperant*; exaſperatus autem animus ad reconciliationem parum eſt diſpoſitus. Multiplices poſt hac *Bahrdthius* articulos, qui utriuſque Religionis ſectatores dividunt, quantùm voluerit, diſtinguat illos inter *capitales* & *naturales*, addat etiam, conſilia Febronii doloſa eſſe, & ad circumveniendum Proteſtantes adinventa: Vani hi clamores moderatiores ex Acatholicis, præſertim aularum Miniſtros, qui jurgia Theologorum atque pertinaciam, compoſitis, quæ ad rationem ſtatus pertinent, nihil curant hodie, & prudentiores è Catholicis non deterrebunt à quærendo optato illo reunionis fine, & locum relinquent huic propoſitioni æque veræ ac omnibus probis Catholicis acceptæ: *Sublatis impedimentis politicis, ſublatis itidem ſcandalis, quæ vigent in Eccleſiaſtico regimine, regreſſus ad avita Sacra Proteſtantibus multò erit gratior, multo facilior.*

Mirandum verò maximè eſt, quòd Jeſuita hic inventis *duobus* Proteſtantibus, Ephemeridum Gottingenſium conditore, ac Bahrdtio, eos triumphans adoptet, dicens: *en ipſorum Proteſtantium de cauſa à Febronio allata judicium!* An duo ſunt omnes: An non & omnes, & hi ipſi duo, exceſſum poteſtatis Pontificiæ inter cauſas ſeparationis eorum ab Eccleſia Catholica admittunt? Ut nihil cedat Theologus JCto, in his, ubi ſalva fide cedere multa poſſet, non refragatur dicto Theologi Proteſtantis, *evulſa etiam radicitùs Papæ poteſtate unionem inter nos & ipſos fieri non poſſe*, nequidem eatenùs, ut ſuſtinuiſſet, prout Theologum Catholicum

licum decuiſſet, *temperata primùm Papæ poteſtate ſpem multam reunionis apparituram*. Semel dixi, atque iterum dico: *removeantur obſtacula politica, removeantur ſcandala pecuniaria, & captioſitas Theologica brevi cadet: Concilientur nobiſcum Miniſteria Conclavium, & tacebunt miniſtri plebium*. Nunquam Theologi Proteſtantes Sæc. XVI. introducere potuiſſent novas religiones, niſi Principes, eccleſiaſticæ poteſtatis exceſſum pertæſi, *ex cauſis politicis* eos protexiſſent. Multum refert, in quæ turbulentus quis homo tempora, in quos homines, in quam animorum diſpoſitionem incidat: pone Germaniam Sæc. XVI. faviſſe Romæ, nunquam ad ſcopum perveniſſet Martinus; aſt invenit præparatam facileque ſuſceptibilem odii materiam titio fumigans.

§. 16. *Originem* diſſidii Religionis *veram* quærit hic Heidelbergenſis Theologus in *Lutheri* invidentia ob commiſſam *Tezelio* promulgationem indulgentiarum. Fallitur vir bonus, fuit illa ſolùm *occaſio* & *anſa* magni hujus infortunii, non *vera origo*; hanc majore ſinceritate indicavit, multò plus vadens retrò in anteriora ſæcula, Febronius *cap. VI. §. 15. per tot.*, qui etiam *cap. VII. §. 8. n. 6.* agens de furore Lutheri, per delegatam Dominicanis indulgentiarum publicationem excitato, obſervat, huic æmulationi locum futurum haud fuiſſe, ſi Papa Epiſcopis ſua in Monachos jura reliquiſſet.

Quàm ſupplicem ſe *ab initio*, verè, ſimulatè, erga Leonem X. geſſerit *Lutherus*, huc non attinet: dum rupit apertè cum Papa, Principes protectores invenit, qui tanto rerum ſuarum periculo eum protexerunt, necquidquam curantes Papam. Unde hoc? Averſio, antiqui temporis habens telam, pervenerat apud eos ad ſummum: intolerabile exiſtimarunt eſſe jugum: ſic evenit, quando Poteſtas ſinit per ſæcula creſcere querelas contra ſe pridem motas, nunquam ſublatas: totum ſæculum XV. malè contentum fuit Roma: hæc non curavit: ſequelæ Sæculo XVI. eruperunt uſque

eò

eò, ut florentiſſima regna, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, & multa parte Germaniæ, prorſus deſciſcerent, quorum reunionem deſperat modò *Kleinerus*: auxilium quæſivit deſerta Roma in novo Jeſuitarum Ordine; aſt quid hic effecit quoad reunionem Regnorum? Multi prudentes Catholici credunt, plus eum nocuiſſe, quàm profuiſſe *negotio reunionis*; quia, ſilendo machinationes & artes, quas ipſe in ſe nunquam debuiſſet ſuſcipere, dogmaticæ rei Catholicæ admiſcuit *principia Italica de ſummo Pontifice*, nationibus ſuſpecta, nunquam apud diſſentientes à nobis guſtanda, quoniam nec ab ipſis Catholicis regnis guſtata hactenùs. Si quidquam pro libertate Eccleſiarum nationalium docere non auſit hæc Societas contra prætenſiones Pontificias, eſt & erit *ad finem reunionis* inutilis; plus efficient alii Regulares, magis quieti, minùs audaces, atque calentes.

Reperiri apud Auctores Proteſtantes plura commenta, ad conflandam Sedi Apoſtolicæ invidiam excogitata, & capillis attracta, verum eſt, probantque tot libri maligna mente conſcripti, quos inter eminet *C. Thomaſius* in Lancelloti Inſtitutiones Canonicas; ſed omnia dicere commenta, non ſinit manifeſta veritas, & conſentiens ipſorum quoque Catholicorum, imò Actorum publicorum, tam Imperii Germanici quàm aliorum Regnorum fides, ac relatio, ante & poſt exortos Proteſtantes: talia negare velle, non abſtergeret invidiam, ſed homines à Romanis ad mercenarias inficiationes conductos argueret, à quibus ſibi regna quædam ſapienter caverunt, & caveant univerſa.

§. 17. *Kleinerus* celebribus Conſtantienſis Synodi in Seſſ. 4. & 5. Decretis hoc loco reponit toties ab eruditis Gallis, aliiſque, ſpeciatim etiam à Febronio contritas objectiunculas, ſcilicet 1.) ea tum emanaſſe, cùm ii ſolùm in Concilio ſederent, qui de obedientia Joannis XXIII. eſſent. 2.) illa de eo demum caſu intelligi debere, quo nullus certus atque indubitatus Papa exiſteret. Quare prudentiæ

erit,

erit, ſequi conſilium ſuprà datum, *excuſſam paleam fruſtra verberari*. Quod hic de Seſſ. 33. Concilii Baſileenſis memorat noſter, longè ineptiſſimum eſt, quandoquidem omnibus conſtat, eandem Synodum poſt Seſſionem XXIV. œcumenicam amplius non fuiſſe. Vid. *cap. VI. §. 16. n.* 11.

Quid autem diſputat Kleinerus, an Decreta illa Conſtantienſia Seſſ. 4. & 5. fuerint *conciliariter* facta, nec ne? Negare non poteſt, *à Nationibus facta eſſe*, quæ ſine deliberatione extra Concilium præcedente non ita ſubitò conveniſſent, ut nec dehortantes Papales audirent: Sententia igitur fuit *Nationum*, ſi detur, non fuiſſe ſententiam *œcumenici Concilii*: quantum ponderis in ea fuerit, collige vel inde, quòd MARTINUS V. ad ſummum non niſi verbis latentem qualemcunque conſequentiam habentibus eorundem decretorum confirmationem declinare conſultum duxerit. Natio Germanica renovavit hanc ſuam de auctoritate Concilii ſupra Papam ſententiam tempore Concilii Baſileenſis an 1439. acceptando, & poſtea ſibi ab EUGENIO IV. nec non NICOLAO V. firmari petendo, firmatumque obtinendo ejuſdem Decretum *Placuit*, licèt factum modò poſt Seſſionem XXIV. ibi autem ſic: *Ne ſub prætextu variarum opinionum, aut Romani Pontifices, aut alii quicunque; non ſatis univerſalibus Conciliis obedirent, prædiſpoſuit eadem Divina Pietas, in ſacro Conſtantienſi Concilio Synodorum univerſalium juriſdictionem ita declarari, ut nulli relinqueretur ambigendi occaſio; cùm decreto ſolemni definitum exiſtat, univerſale Concilium habere auctoritatem immediatè à Chriſto, cui quilibet, cujuſcunque ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & membris, ac pertinentibus ad ea*. Conſideratis omnibus, videat Jeſuita Obſervator, an Papa *poſſideat* hoc dignitatis ac poteſtatis faſtigium, quod ſaltem Nationes, Germanica cùmprimis, eidem abnegarunt, abnegatione Concordatis munitâ: Re inſpecta, erit *prætenſio*, non *poſſeſſio*.

§. 18.

§. 18. Quidquid hic videatur Kleinero, minimè deſperandum, nec ceſſandum, ſed à miſerantis Dei bonitate exſpectandum, etiam poſt quoſcunque labores à Tridentinis Patribus pro reformatione ſuſceptos, ut, qui reſidui ſunt in Eccleſia, præſertim Romana, ſat graves abuſus, aliquando auferantur. Hoc ſperavit pientiſſimus Cardinalis *Carolus à Lotharingia*, qui hanc ſuam ſpem, hoc deſiderium Gallicanæ, imò univerſalis Eccleſiæ, ſub finem Synodi ad ejuſdem acta, ſub quadam proteſtationis ſpecie referri voluit. Ut autem deſiderata hæc ardentibus Eccleſiæ votis reformatio effectivè ſequatur, ſuſpiriis, querelis, remonſtrationibus, etiam in publicum ſparſis (cùm priva tim datæ ſupprimantur) opus eſt, ut, qui aliis rationibus non vincuntur, ſaltem pudore ſtimulentur ad tollenda tot probra. De Patribus, qui Tridenti ſederunt, Febronius locutus eſt ex actis publicis Synodi; inter hos alii reformationem urſerunt egregiè, & ex integro; alii, præſertim Legati Pontificii, obſtiterunt totis viribus, quoties de reformanda Romana Curia agebatur, ſive directè, ſive indirectè; hæc in commodum & obſequium Eccleſiæ bona fide & debita fidelitate referre, non eſt nimiam in carpendo & reprehendendo libertatem exercere.

Audet hic in terminis generalibus aſſerere Jeſuita, *querelas, & capita reformationis LEGITIMA ſublata, & MODO LEGITIMO emendata eſſe*. Agat hic Kleinerus, ſi vir eſt, ſincerè ac fideliter, enumeret querelas legitimas, capita legitima: enumeret verò plenariè, addat 1.) quæ Tridenti effectivè fuerint reformata. 2.) an, quæ, & qualiter ex ibidem emendatis Romæ recepta ſint & actu obſerventur, & tunc conferamus *Kleineriana* cum *Febronianis*, ut appareat, uter gravamina iſta poſuerit, & reſpective poſiturus ſit *ſine diſcrimine & criſi*, uter adulator, & inquus inficiator deprehendendus ſit à ſapiente Orbe, uter cordatus, verax, ingenuus *Agnitor* ſimul & *Confeſſor*.

§. 19 & 20. Videamus, inquit idem Heidelbergenſis Obſervator, quo candore, & ſelectu argumentorum uſus ſit

Fe-

Febronius ad convincendam Romanam Curiam tantorum abuſuum. Imprimis, ait, proferuntur quædam ex *Gravaminibus decem* Maximiliano I. Imp. an. 1510. oblatis in Auguſtanis Comitiis, quæ reperiuntur in *Goldaſti* ſubleſtæ fidei Conſtitutionum Imperialium Collectione. Ad hoc reſpondetur *a*) Febronius Cap. VI. §. 13. n. 3. omnibus nota hæc Gravamina non ait deprompta ex *Goldaſto*, ſed ex *Frebero*, Conſiliario Palatino primi nominis, primæque eruditionis; hic an ea, quæ edidit, hiſtorica monumenta ex turbidis fontibus haurire ſolitus fuerit, an ex authentico deſcribere, & publico dare, interroget, ſi id neſciat, Kleinerus, ex aliis Profeſſoribus Heidelbergenſibus, præſertim Juris Publici & Hiſtoriarum. *b*) *Goldaſtum* in ſua Collectione *nonnulla* (Conſtitutionem enim, quod edidit, totum Corpus intitulare *figmenta*, nimis procax & ferè ſtolidum eſt) edidiſſe, quæ eruditorum criſin patiuntur, non negatur; inter hæc autem, ſeu dubia, ſeu apocrypha, eò minùs recenſenda veniunt *decem illa Gravamina*, quòd ipſe in eorum capite memoret, eadem *anno* 1518 *Seleſtadii in officina Schureriana cum licentia Imperatoris Maximiliani ad incrementum Germaniæ & Dei gloriam* (ſic præfert titulus) *impreſſa eſſe*, tam apertè autem & audacter nemo in publico mentiri ſolet. *c*) Ipſe Pallavicinus Jeſuita Hiſt. Concil. Trid. Lib. I. Cap. 2. n. 7. hunc decem Gravaminum libellum adverſùs Curiam Romanam Maximiliano Cæſari oblatum fuiſſe, non diffitetur; imò ex Cæſaris reſponſione ad gravamen octavum *de novis indulgentiis* arguit ad agnitam ab illo Papæ proteſtatem: hæreticus verò impoſtor vel maximè ad iſtud gravamen finxiſſet reſolutum Papæ inimicum. *d*) Eadem gravamina illis, quæ deinceps, variis occaſionibus, ac diverſis in regionibus edita, ipſique Romanæ Curiæ inſinuata fuere, perfectè reſpondent. *e*) *Goldaſtum* hic feſeliſſe; Joannem *Wolffium*, *Lunigium*, *Georgium*, *Pfeffingerum*, *Conringium*, *Oldenburgerum*, *Struvium*, & alios ferè innumeros ex fallente deceptos in editione & recenſione horum X. Gravaminum, dura eſt litera: durum Collectores, eò quòd ſint Proteſtantes,

nulla fide dignari, ſine quovis in contrarium teſtimonio, ſine veriſimilitudine falſi.

§. 21. *Gravaminibus Centum* anni 1523. eandem, ſi poſſet, *Kleinerus* figmenti notam inureret. Conſtat ea tribus potiſſimùm capitibus abſolvi: nempe expoſitione gravium ſervitutum, ſpiritualium & politicarum, queis Romana Curia populos premat: Germaniam facultatibus exſpoliet: Magiſtratus ſæcularis juriſdictionem ſibi vindicet. Jeſuita dicit, Catholicos adverſùs ea continuò reclamaſſe, detexiſſe technas, admixtas veris quibuſdam querelis plurimas falſitates docuiſſe &c. Verùm *a*) probat Struvius *Corp. Hiſt. Germ. Period. X. Sect.* 4. §. 21. *not.* 77 & ex ipſo Gravaminum tenore apparet, præſertim in Procem., nec non ex Gravam. 13. 14. 22. & potiſſimum 99. qualiter ea communi, *ſaltem laicorum*, Principum Electorum, & Statuum conſenſu compilata, Imperatori præſentata, & ab hoc Summo Pontifici pro medela tranſmiſſa fuerint. *b*) Si fortè à *nonnullis* Principibus & Ordinibus *Eccleſiaſticis* (pone etiam, ſi vis, à *paucis ſæcularibus*) contradicta fuiſſent, ſpectaret hoc ad ea, quibus antiquiſſimæ quædam leges & conſuetudines Eccleſiaſticæ culpantur, quales ſunt jejunium, tempus nuptiarum interdictum, prohibitio graduum in matrimonio, feriæ ſacræ, conſecrationes & benedictiones Eccleſiarum, cœmiteriorum, campanarum &c., non verò ad duras illas innovationes, uſurpationes, exactiones, demùm communium Eccleſiæ legum violationes, de quibus hìc agitur. *c*) Quæ Febronius ex Gravaminibus Centum in rem ſuam traxit, ferè ad hæc tria reducuntur: 1. Quòd in præjudicium Epiſcoporum Regularibus exorbitantia exemtionis privilegia concedantur. 2. Quòd annatæ exigantur cum exceſſu, & ad deſtinatum primitùs finem non impendantur. 3. Quòd amore auri Romæ nunc omnia ferè venalia ſint, pro Palliorum redemptione ingentes ſummæ exigantur, præbendarum pluralitas ferè in infinitum concedatur. Atqui horum *primum* jam occurrit inter Querelas nationis Germanicæ propoſitas

in

in Dieta Confluentina anni 1479. *Alterum* in Epiſtola Caroli V. Imp ad Adrianum VI. PP. de an. 1522. *Tertium* in EdictoMaximiliani I. an. 1510. de abolendis quibuſdam Germanorum gravaminibus , nec non in *Pauli Langii* Ziticenſis Monachi Chronico . Ut quid igitur Obſervator noſter oleum perdit & operam in diſquirendo , num hæc eadem gravamina fuerint de numero illorum , quæ an. 1523. communi *omnium* Ordinum voto Norimbergæ compilata ſunt ? Si vel decem ſolùm è Proceribus Germaniæ talia protuliſſent gravamina , numquid non audiendi fuiſſent ?

§. 22. Agnoſcit hìc cum aliis Catholicis noſter Heidelbergenſis Theologus , Nationis Germanicæ gravamina ex parte fuiſſe *legitima* , ſed ea, ait , per Pontifices ſublata. Econtra ſuſtinetur, eorum , quæ Febronius Cap. VI. §. 13. ex actis publicis extraxit , & §. ſeq. in unam ſummam contraxit , *nullum* ſublatum eſſe . Hac occaſione obſervandum,hunc Auctorem non omnia , quæ inde à Conſtantienſi Concilio uſque ad Tridentinum à diverſis Nationibus prodierunt adverſùs Curiam Romanam gravamina , ſuo libro inſeruiſſe , ſed ea tantùm *quæ in hodiernum uſque diem ſubſiſtunt* . Ut tamen aliquem colorem ſuis verbis appingat Jeſuita , ait 1.) *Teſtatur ipſe Frider. Georgii in Lib. Gravaminum fol.* 331. *Adrianum VI. Datariæ regulas arctiùs circumſcripſiſſe* . Hoc eodem loco ſcripſit Georgius , & nihil ampliùs : „ Adria-„ nus , ubi curiæ Romanæ artes & conſilia perſpecta ha-„ buit , communicato hoc ſermone cum *Guilielmo Encourt* , „ & *Theodoro Hezio* , ſibi familiariſſimis , profeſſus eſt , mi-„ ſeram eſſe Pontificum conditionem : quibus videbat de-„ eſſe vires emendandi Eccleſiam , & corrigendi ea , quorum „ iniquitatem agnoſcerent , quandoquidem omnes corruptelæ atque abuſus in formam ſtatus politici quæſtuoſiſſimi „ evaſerint . . . . . Sic propoſitum Adriani de inſtituenda „ reformatione , priùſquàm Legatum mitteret in Germa-„ niam , eluſum eſt . Ne tamen cuncta in vanum viderentur deliberata , præcepit nominatis *Encurtio* & *Hezio* , quo-

„ rum alter erat Datarius, alter à ſecretis, ut in concedendis indulgentiis, diſpenſationibus, regreſſibus, & coadjutoriis moderati eſſent, donec lege perpetua certam ad normam dirigerentur „ Aſt hæc quantum abſunt ab effectiva illa reformatione, qualem Eccleſiæ & Curiæ ſuæ neceſſariam eſſe agnovit & dixit Adrianus in Commonitorio, quod ſuo in Germaniam Legato Cheregato dedit! Quàm parùm ea etiam, quæ hac in parte ſuo Datario & Secretario præcepit, deinceps ſervata ſunt, hodieque ſervantur! 2.) Verum equidem eſt quod h. l. ſcribit *Kleinerus*, Adrianum ad Urbis & Curiæ reformationem ipſo opere perficiendam, evocaſſe *Johan. Petrum Caraffa* Epiſcopum Theatinum, & *Marcellum Gazelium* Cajetanum; ſed quem exitum ſancta illa propoſita & conſilia habuerint, hiſce memorat Raynaldus *in Annal ad an.* 1523. *n.* 117. „ Conceperat ille graviſſima „ decreta ad exſcindenda Aulicorum aliorumque vitia, atque impietatem abolendam, quæ ob immaturam mortem promulgari non potuerunt. „ Idem teſtatur *Paulus Jovius* in Vita *Hadriani* VI. quam precibus memorati *Encurtii* (quem alii *Enchenvordium* vocant) eidem Papæ addictiſſimi conſcripſit. 3.) Scribit Eximius Heidelbergenſis, Decreto, quod præſentibus, Ferdinando Cæſaris Locumtenente, Guilielmo & Ludovico Bavariæ Ducibus, aliiſque Principibus, maximè Eccleſiaſticis, & Campegio Clementis VII. Legato, 6. Julii 1524. Ratisbonæ editum eſt, *ſaltem juſtis gravaminibus* ſatisfieri. Hujus Decreti articulos exhibet Pallavicinus *Lib. II. Cap.* 11. In eo quidem plures abuſus & exceſſus pecuniarii, quibus populi *à Parochis* & *Epiſcopis* ſubinde onerantur, debitè perſtringuntur, & laudibiliter corriguntur, de gravaminibus autem *Curiæ Romanæ* altiſſimùm ſiletur; de his autem ſolis *Febronio* eſt, & *Kleinero* debet eſſe quæſtio. 4.) Paulus III. inquit, adhuc ante Tridentina decreta an. 1540. quadruplicem ſelegit Cenſorum triadem, qui emendationis leges *Cameræ Apoſtolicæ*, *Rotæ*, *Cancellariæ* & *Pœnitentiariæ* præſcriberent. Ut breviores ſimus, ad Pallavicinum *Lib. III. Cap.* 17. *n.* 3. nec

non

non *Lib. IV. Cap.* 5. *num.* 3 4. de hoc negotio tractantem, lectorem confidenter remittimus, ex ibid. relatis prudenter judicaturum, an inde aliquid permanentis boni pro reformatione erui valeat.

§. 23. 24. De Tridentina Synodo, cujus Decreta Reformationis hic extollit *Kleinerus*, egimus ſuprà §. 18. Addit ille, quòd res ipſa pro hoc Concilio, laudabili ejus reformandi ſtudio, & ampliſſimo hujus laboris ſucceſſu loquatur: Comparentur, inquit, & conferantur utriuſque temporis ſacrarum functionum dignitas, ſacrificiorum frequentia, aſſiduitas chori, eccleſiaſtici ritus obſervatio, templorum cultus, firmitas in commiſſis eccleſiis reſidendi ætas ac doctrina ad ſacros Ordines promovendorum, pietas denique in reliquum populum inde diffuſa &c.; ad quæ, ait, qui æquo reſpicere animo voluerit, fateri profectò debebit, à nullo unquam hominum conventu poſt orbem conditum, quàm ab iſto Tridentino, tantum ad homines probitatis incrementum perveniſſe. Ita, addit, rectè concludit Pallavicinus *Lib. XXI. Cap.* 3.

Verùm hic iterum, & pro more, Lectorem divertit Jeſuita ab eo, de quo agitur: Non quæritur, an & quæ Tridentinum reformaverit circa vitam & mores *privatorum*, aliaque, quæ ille hic recenſere voluit ad ſpargendum pulverem in oculos eorum, qui ad rem ipſam non advertunt. De eo inter nos agitur, an, & quid, à laudato Concilio *cum effectu* emendatum ſit *circa Romanam Curiam*, ejuſque agendi rationes, in ſtatum & regimen Eccleſiæ univerſale influentes. Videat ille, an non hodie æque ac ante Tridentinum plures ſanctiſſimorum Pontificum conſtitutiones, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ multùm accomodæ, ligent, donec decem ſcutorum numeratione ſolvantur? An non quotidie Romæ diſpenſetur ſine canonica cauſa in beneficialibus & matrimonialibus? An non ibidem Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione concedantur ſuper beneficiis nullam curam

anne-

annexam habentibus, ſola intentione tranſmittendi beneficium quaſi hæreditariè? An non exiles præbendæ contra jus & æquum penſionibus graventur? An non omnes promiſcuè lites Romam trahantur cum diſpendio juſtitiæ, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ? An non Epiſcopi æque poſt, quàm ante Concilium Trid. per exorbitantes exemptiones, reſervationes &c. impediantur in exercitio ſuorum verorum jurium & functionum eis à Deo impoſitarum, quibuſque meliùs & convenientiùs intenderent, quàm quos Roma hos in fines ad ſua commoda conſtituit? Et quæ ſunt ejus generis plura, à Febronio *Cap. VI.* §. 14. ſingulatim recenſita. Amat Roma, ut reformentur alii, ſed non vult reformari ipſa; patitur, imò deſiderat, ut in Conciliis bonæ concipiantur regulæ, dummodò nihil decedat ſuæ avaritiæ, aut ambitioni. Quo plura ibi conſtituuntur, eò copioſior Romæ ſeges diſpenſationum petendarum enaſcitur.

§. 25. Hic ſuam cantilenam renovat Obſervator, dicens, Febronium *fontes illimes* adiiſſe, ex Proteſtantibus ſua deſcripſiſſe; interim magnam ei gloriæ partem eripi, ex quo P. *Ignat. Schwartz* graviſſimum illius argumentum *de Gravaminibus Nationis Germanicæ* jam à pluribus annis in ſuis Collegiis Hiſtoricis occupaverit, & refutaverit. Calumnia Jeſuitæ *de impuris fontibus* jam ſuprà aliquoties, præſertim §. 7., diluta fuit. Quæ de genuinis Nationum querelis adverſùs Romanam Curiam relativè ad præſens argumentum tractat *Schwarzius*, ea aptiora ſunt faſcinandis & conſopiendis pueris, quàm ad ſatisfaciendum viris cordatis, qui de reparando honore Eccleſiæ, & reſtituenda Diſciplina ſerio cogitant. Sed linquamus ea modò: teneamus hac in parte medium inter utrumque: dimittat *Febronius* omnes quarumcunque Notionum, & profanorum hominum adverſùs Sanctam Sedem quandocunque motas querelas; admittat *Kleinerus* illas, quas protulerunt S. *Bernardus*, *Durandus* Epiſcopus, *Adrianus* PP. VI. delecti à Paulo III. Cardinales & Prælati, & quidem in tantum, in quantum earundem quere-

querelarum materia *hodieque* ſubſiſtit, & ceſſet omnis ulterior diſputatio, dummodò harum poſteriorum *effectivè* ſequatur emendatio.

§. 26. Scripſit *Franciſcus de Vargas*, Regis Hiſpaniæ Legatus, è Concilio Tridentino, *hæreticos quotidie inſolentiores fieri*, ex quo diſpiciant, graves in Eccleſia abuſus non reformari. Hac occaſione duo memorat *Kleinerus*: 1. Quærit, an in ſola Romana Eccleſia fuerint hi abuſus, quò eos *Febronius* videtur reſtringere. 2.) Ait, paulò antè à ſe demonſtratum, qualiter à Tridentino Eccleſiaſticis abuſibus medela lata fuerit. *Ad primum* reſpondeo, abuſus omnium graviſſimos fuiſſe in Eccleſia Romana, unde ii in alias particulares Eccleſias dimanaverunt, quemadmodum hoc delectorum Cardinalium & Prælatorum novemvirale Collegium Paulo III. haud obſcurè ſignificavit. *Ad ſecundum*, emendatos quidem in hoc Concilio fuiſſe *privatorum*, & *particularium Eccleſiarum nævos*, ſed non *generaliores aulæ Romanæ*, uti vidimus §. 23. & 24. & hoc ipſum fuiſſe quod Hiſpaniarum Orator, ſuæ aulæ cum dolore reſcripſit. Non abnuit equidem Febronius, *Vargam* quædam duriùs perſtrinxiſſe; ſed hoc non cadit ſuper technis, quibus Romani exceſſivam ſuam auctoritatem ſtabilire, Patrum libertatem reſtringere, proprioſque abuſus colorare ſtudebant, has etenim omnia genuina Acta Concilii loquuntur.

§. 27. „Si monarchicum regnum, ùt ipſe Febronius „Cap. IX. §. 5. innuit, multò ſit aptius habendum, Conci„liis, tum *generalibus*, tum *nationalibus* celebrandis; cur „eadem poteſtas ſumma & independens in regimine Ec„cleſiæ vitium habeat? promiſſo præſertim, & adfuturo ſem„per divini Spiritus præſidio„? Ita Jeſuita Obſervator; ſed fallitur vir bonus, aut fallit; non fuit loco citato, nec potuit eſſe quæſtio de Conciliis *Generalibus*, ſed de *Nationalibus* tantum. Cur forma monarchica minùs quadret ſtatui *Univerſalis Eccleſiæ*, etiam in ſuppoſito, quòd ſtatus monarchicus

chicus aptior ſit gubernando cuivis regno *particulari*, explanavit Febronius Cap. I. §. 8. n. 5. Manebit autem ſemper firmum ac ſtabile, quod ille alibi docuit, formam & ſtatum regiminis *Eccleſiaſtici* non vanis ratiociniis, ſed Scriptura, & Traditione determinari debere. Porrò illud divini Spiritus infallibile præſidium, de quo *Kleinerus* loqui videtur, non *uni Pontifici*, ſed *toti Eccleſiæ* promiſſum eſt.

§. 28. Hìc ſuas Jeſuita conjecturas promit de cauſis diſſidiorum religionis, & non ſecutæ reunionis, diverſas à Febronianis: Adſcribit illas 1.) ſecreto juſtitiæ divinæ, peccatis populorum irritatæ, judicio: 2.) languori & inertiae plurium, negotium religionis, & reſtituendae unionis in curis poſtremis, aut nullis numerantium: fortè etiam, ait 3.) libris obſcuro in angulo procuſis, perniciem in moribus, in fide periculum circumferentibus. Sunt utique inſcrutabiles Dei viae, & profunda ejus judicia; ſed propterea hominibus non negligenda *cauſarum mediatarum*, quibus aut mala eveniunt, aut bona impediuntur, *indagatio*; uti & mediorum, quae adversùm illa ab humana prudentia dictantur, applicatio. Itaque quo magis languor ille, hìc incuſatus, culpandus venit, eò ampliùs Febronii zelus & labor, pro reunione ſuſceptus, laudandus eſt. Sanè libri obſcurorum virorum, undecunque adventantes, cùmprimùm moribus damnum & fidei periculum generare deprehenduntur, vituperandi & damnandi ſunt; ſed neſcio, à quibus libris plus detrimenti Eccleſiae, & impedimenti reunioni afferatur, an ab obſcuris illis libris, de quibus hìc loquitur *Kleinerus*, quique ſuam in fronte damnationem circumferunt, an ab illis, quos *Febronius* Cap. III. §. 11., nec non Cap. IX. §. 2. n. 10. tanquam reunionis impeditivos optimo jure omni rationabili creaturae denuntiavit, quique eo ipſo, quòd publicam approbationem oſtentet, etiam probis noxia ſua principia inſtillant. De his conſtat, quòd ſcripſerint delecti à Paulo III. Cardinales ac Praelati: „ „Principium horum malorum (ſcilicet horrendorum abuſuum, „ & hinc natae diviſionis in Eccleſia) inde fuiſſe, quòd

„ nonnulli

„ nonnulli Pontifices, prurientes auribus, ùt inquit Paulus
„ Apoſtolus, *coacervaverunt ſibi Magiſtros ad deſideria ſua*,
„ *non, ut ab iis diſcerent, quid facere deberent, ſed, ut eo-*
„ *rum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id,*
„ *quod liberet*: Inde effectum eſt, præterquàm quòd *prin-*
„ *cipatum omnem ſequitur adulatio*, ùt umbra corpus, dif-
„ ficilimuſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Princi-
„ pum, quòd confeſtim prodirent Doctores, qui docerent,
„ *Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium* &c.

AD CAPUT III.

§. 29. 30. Diſcutit hoc Capite Obſervator media reunionis à Febronio propoſita; ac imprimis quidem applaudit *Bahrdtio* ſcribenti, „ *Febronium* contra libertatem conſcien-
„ tiae à Proteſtantibus praetenſam, *idem dare Eccleſiæ uni-*
„ *verſæ, quòd Papæ dextraxerat*; *Patrum, Conciliorum, Cano-*
„ *numque ſententiis* (hoc eſt Traditioni, & quidem Eccle-
„ ſiaſticae tantùm, cui ad finem propoſitum Febronius in-
„ ſiſtit) Unde dicta ab illo *nefanda conſcientiarum vincula* ap-
„ pellat: librum verò ejus vel ipſis Proteſtantibus *periculo-*
„ *ſum*, ac *ſtructas* in eo *latentes inſidias* pronuntiat. „ *Hinc*, inquit Jeſuita *ab iis gratiam iniit Febronius, in quorum gratiam ſcribere videri cupit.* Ignoſcat Eximius Pater: vel à nemine, vel ab omnibus Chriſtianis, ille gratiam inire, & uni verae Eccleſiae, Chriſti ſponſae, ſervire cupiit; & ſi huic Lutherano, reunionis, uti videtur, praevento oſori, fortè iis, quae Febronius *Cap. I. §. 9.* pro unitate, pro infallibilitate, pro perpetuitate Eccleſiae tam convincenter ex ipſis Proteſtantibus protulit, puncto, ille diſplicuit, tanto acceptior omnibus Catholicis, imò quibuſcunque pacem & concordiam diligentibus videri debet. Sanè Joan. Erneſtus *Schubertus* Theol. Doctor, & in academia Helmſtadienſi Profeſſor primarius, in praefatione ſuae Commentationis *de Juriſdictione Romani Pontificis* pag. XXV. haec de Febronio memorat: *Ejus erudita Commentatio de Statu Eccleſiæ & legitima pote-*

ſtate Pont. Rom. à *PROTESTANTIBUS non minùs celebratur, quàm* à *DOCTORIBUS ET CORDATIS CATHOLICIS*.

Mirandum igitur, quod *Kleinerus*, qui etiam Philoſophus videri cupit, à ſingulari Viro concludat ad omnes Proteſtantes, quos inter noſcuntur eſſe, qui reuniri totis viſceribus cupiunt: mirandum, quòd Catholicus Theologus non detraxerit illius ab Eccleſia Catholica formidini larvam: mirandum magis, quòd furioſa *Bahrdtii* verba non erubeſcat referre, quibus dicta Febronii nuncupat *nefanda conſcientiarum vincula*, *librum ejus vel ipſis Proteſtantibus periculoſum*, ùt qui *ſtructas latentes inſidias* contineat. Candidè atque ita apertè cum univerſis locutus eſt Febronius, ut nemo non prima facie videre debeat, in quid collimet, nempe *ut ſit ovile unum & paſtor unus*. Caeterùm idem dare *Eccleſiæ*, quod detraxerat *Papæ*, voluiſſe Febronium nemo prudens dicet, quia abuſus certè noluit vindicare *Corpori*, qui eos abeſſe optavit à *Capite*, nec ita fuit demens, ut putaret Caput Eccleſiae reformandum eſſe, deformanda autem membra: demens ſit ille, qui ſcripſit, *acutè id advertiſſe laudatum Bahrdtium*.

Uſque autem adeò odiſſe videtur Kleinerus Febronium, ut hic in ſua parentheſi maluerit eſſe interpres Bahrdtii, quàm fateri, Febronium aliquid pro reunione praeſtitiſſe: ait enim (quod nec credere, nec dicere debuiſſet) *a*) Quòd Proteſtantes *horreant conſcientias alienæ ſubjici poteſtati*, id quod eſſet contra Apoſtolum ad Romanos XIII. Cap. 2. *b*) Quòd *traditionis MENTIONEM refugiant*: ſinent tamen ſecum loqui ſuper traditionibus, quatenus hae adoptentur, ac ſemper adoptatae fuerint à cunabulis Eccleſiae.

§. 31. 32. Hìc Jeſuita comprobat celebrationem Conciliorum, tam *generalium*, quàm *particularium*; ſed negat, ea unquam ſuffeciſſe, aut extinguendis haereſibus, aut finiendis ſchiſmatibus; exemplum adducit in *Arianiſmo*, & *Pela-*

Pelagianiſmo. Sic ille, dum Conciliorum, tanquam finaliter deciſivum controverſiarum in Eccleſia à Chriſto inſtitutum remedium approbat, eorum efficaciam deprimit: quaſiverò perficacium & rebellium hominum, juſtis ac ſolemnibus Synodorum decretis ſe ſtatim ſubmittere recuſantium malitia illarum auctoritati quidquam detrahat, & ſpretis illorum reclamationibus, Eccleſia in Generalium Conciliorum deciſis non ſemper agnoverit infallibile Spiritus Sancti oraculum, cui omnis deinceps ætas, ipſique rebelles, aut ſaltem eorum ſucceſſores, ſe ſe tandem ſubmiſerunt. Sed de eo apud Febronium non agitur: Ille *Cap. IX.* §. 3. non proponit Concilium generale *tanquam medium modernis in circumſtantiis aptum ad finiendas controverſias religionis*, quæ ſuperſunt inter Catholicos & Proteſtantes; *ſed ad tollendos patentes abuſus*, qui ſunt in Eccleſia Catholica in ordine & conſideratione ad regimen Univerſi, atque facilitandum per hoc Proteſtantium ad nos reditum; quippe cujus ſpem ille in *Præfatione ad Reges & Principes* unicè ponit in hac depuratione, à Concilio *Canonicè-libero* nunc meritò exſpectanda, poſtquam jura Pontificis reſpectivè, & Epiſcoporum in tanta luce poſita, & Iſidorianorum Canonum, quibus Eccleſia hodieque defiguratur, malitia detecta eſt: *Liberum* autem ſemper erit hoc Concilium, ùt primùm Romanus Pontifex ſe quoque eidem ſubjectum ſincerè profitebitur: *taliter liberum* requirere Concilium, non eſt ſuppeditare arma, & exceptiones Proteſtantibus.

§. 33. Quod de œcumenicis Conciliis univerſim nunc dictum eſt, idem ſpeciatim repetitur de *Tridentino*. Liberrimè in illo tractatæ fuere materiæ religionis & fidei: hoc nemo Catholicorum negat, ne ipſe quidem Fr. *Paulus Sarpius*: In materiis Status Eccleſiaſtici non fuiſſe convenientem Epiſcoporum libertatem reſpectu Curiæ Romanæ & Miniſtrorum ejus, doluerunt in ipſa Synodo plures egregii Prælati, & ſcripſere viri graves, tum ex ipſo Concilio, tum poſt illud. Enimverò, numquid *ipſis volentibus* jura, quæ

ordini ac caracteri Epiſcopali divinitùs annexa eſſe, omni jure prætendebant, à Romanis magna ex parte abrogata fuere? An non pauca illa, quæ ipſis reddita ſunt, *tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati*, non potentes habere juſtum, acceptare *debuerunt*? Numquid ne ſub hac quidem qualitate Epiſcopalem poteſtatem *in propria ſua Capitula ſæcularia* (quorum multa Pontifices magna diffirmitate exemerant) & in *Regulares* recuperare *potuerunt*? &c. Sanè Epiſcopi Galliæ & Hiſpaniæ nihil anhelabant magis, quàm excutere hos compedes, & rumpere catenas; ſed ſciebant Romani illis objicere majorem numerum Italorum, huic ſervituti adſuetorum.

Antequam ab hoc paragrapho Heidelbergenſis Obſervator dimittatur, non poteſt calamus, quin eundem hujus etiam falſi incuſet, quo *ibid.* aſſerit Febronium ad hoc, ut Concilium *Generale*, componendis his rebus idoneum *liberè* celebretur, *Galliam proponere videri*. Sed nemo hoc ne per divinationem quidem ex illius libro eruet: Hoc dixit, & verè. Concilia *Nationalia* in ſtatu ſeu regno monarchico faciliùs congregari, & feliciùs abſolvi; addere potuiſſet, certiùs quoque in obſervantiam deduci, dummodò monarcha velit; hoc enim ſæpè defuit generalium quoque Conciliorum virtuti, quod monarchæ noluerint adjuvare.

§. 34. 35. Quorſum, inquit hic *Kleinerus*, ablegabit fideles Febronius, ſi, quod evenire poteſt, poſt plures demùm annos Concilium convocari valeat? *Reſpondeo*: ad reliqua *ſex remedia*, quæ poſtremo ſuis Operis Capite providè propoſuit. Hic Jeſuita breviter enarrat impedimenta, quæ *Tridentino* tum inchoando, tum reſumendo, nec non *Baſileenſi* proſequendo intervenerunt. Sed quàm malè vir ille ſuo ſyſtemati & honori Curiæ Romanæ (cui ſoli opportuna & importuna injectio horum impedimentorum, & conſequenter mali perpetuatio debetur) conſulat, videre poteſt apud Febronium *Cap. VI* §. 15. *n.* 4. *&* 6. nec non *Cap. IX.* §. 3.

§. 36. Prætenſiones Epiſcoporum, ait ille, non tam ſunt *certæ*, ſed *merè controverſæ ſaltem*: Papa non tam facilè

cilè dimittet jura, quæ hactenùs pleniſſimè poſſidet; ſic Febronius non tam erit angelus pacis, quàm præco belli. Omnibus his jam obviatum eſt *Cap. VI.* §. 16. n. 11., nec non *Cap. IX.* §. 6. 7. Si Papa non tam facilè vellet dimittere, quæ nec *pleniſſimè*, nec *univerſaliter* poſſidet, nec *ſemper*, *ubique*, *apud omnes Eccleſias orbis* poſſedit, tunc, Judice *Kleinero*, illud politicum adhiberet: *divide, & impera:* hæc ipſa verò practica olet mundum, quem deſtruet Spiritus Dei in Conciliis Generalibus, ad hoc enim ipſa à Deo inſtituta ſunt, ut, quæ dubia & controverſa in Eccleſia exiſtunt, auctoritate Spiritus S., & ſua definiant: reſtituta his ſua independentia, ſuoque vigore, reliqua fluent de ſe ipſis. Cæterùm non omnia dubia ſunt, quæ certi homines in ſcholis dubia facere vellent, in Concilio autem vix auderent; neque minùs *manifeſtè* abſurda ſunt, quæ Febronius *Cap. III.* §. 11. & *Cap. VI.* §. 13. exhibuit, etſi ea Romanis arrideant. In rebus per ſe tam apertis omnia jura permittunt & approbant implorationem Principum Catholicorum per media *Retentionis bullarum*, & *Appellationis ab abuſu*, quæ ſibi multùm diſplicere hic innuit Kleinerus: „ An ex his remediis, inquit, ſperari aliquid ad unionem poſſet? ſi ab eventu capere argumentum licet, unica Bulla *Unigenitus*, & ſciſſæ deſuper Galliarum Eccleſiæ documentum dabunt. „ Ego equidem ſic judico: ſi intuitu Bullæ *Unigenitus* remedium Retentionis rigidè obſervatum eſſet, nullam in Gallia ſciſſionem quoad *fideles* (ipſæ enim *Eccleſiæ* non fuerunt ſciſſæ) orituram fuiſſe; ſanè in aliis regnis, in quibus eadem Bulla publicata non eſt, tranquillè vivitur.

§. 37. 38. Hic ſibi multùm Jeſuita gratulatur, quòd eum *Juſtinianus Frobenius* ſua ad *Juſtinum Febronium* Epiſtola prævenerit in detegendo *formidando ſcopulo*, cui hic Eccleſiam exponit *Cap. IX.* §. 4. *n.* 3. *&* 4. permittendo, ut certis caſibus, illo præſertim, quo Papa juſtis Synodi nationalis decretis ſe opponeret, ei obedientia *ad tempus* abrogari, & per conſequens Eccleſiæ illius regni ſimiliter *ad tempus* de ſupremo capite ſpirituali provideri valeat. Sed temperabit „

perabit, puto, Eximius ſuum gaudium, poſtquam in *Juſtiniani novi* animadverſionibus in eandem *Juſtiniani Frobenii* epiſtolam §. 3. vanum hunc metum ex integro diſſipatum legerit. Unde quæ ibidem fusè & ſolidè expoſita ſunt, hic pro confutando Jeſuita inutiliter repeterentur.

§. 39. 40. Hoc Caput concludens *Kleinerus*, conſentit *Bahrdtio*, aſſerenti, uniri non poſſe Religiones, quarum doctrinæ, in quibus altera ab altera diſcedit, ita religionis naturam ac ſubſtantiam afficiunt, ut ſi conjungendæ eſſent, alterutra omninò tolleretur. Nihil hoc effato verius eſt; ſed nihil etiam ſententiæ *Febronii* conforme magis; quare hic nullibi tradidit, optavit, aut ſuaſit hunc modum irenicum, ut ex principiis ac Confeſſionibus utriuſque Religionis, Proteſtantium & Catholicorum, una (quæ non niſi *tertia ſpecies* eſſe poſſet) conflaretur: ex contrario eos, qui *avita Sacra* deſeruerunt, qua potuit maxima inſtantia, invitavit ad reditum; quem ut per Dei, auctoris omnis boni & pacis, gratiam, etiam humanis mediis (nam miracula non tam facilè debemus exſpectare) obtineret, hoc tum alibi, tum præcipuè in Præfatione ad Reges & Principes, omnibus votis expetiit, ut illis exhiberetur hæc Sponſa *ſine ruga & macula* ſpecioſa.

AD CAPUT IV.

§. 41. & ſeqq. Totum hoc Caput, quo Obſervator expendit, *rectene Febronius arbitri, aut monitoris, partes aſſumpſerit, & qualiter in iis verſatus ſit*, vix attentionem meretur & reſponſum. Ut verbo dicam: Febronius hac in parte jure omnibus Chriſtianis communi uſus eſt, ſuam ad reunionem Eccleſiæ conferendo ſymbolam, impedimenta rei adeò optandæ bona fide oſtendens, nihil imperans, nullum in particulari taxans, conſilia pro modo ſui talenti promens, aut potiùs ea, quæ à viris bonis jam data ſunt, colligens, & repetens. Si ſcripſit iterum, quod juſſu CLEMENTIS V. ſcripſit *Durandus*, quod juſſu PAULI III. *Contarenus*, quod Julia-

Julianus & *Cuſanus* Cardinales, & , ut plures alios prætermittam, quod *Benignus Boſſuetus* & *Claudius Fleury* (quorum opera undique, atque adeò ipſa in Roma in pretio & exiſtimatione ſunt) pro Deo & Eccleſia ſcripſere, quid *Febronio* exprobrabitur? Si forte *Kleinero* eique ſimilibus duriora aut ſtringentia magis videantur argumenta & teſtimonia, quibus ille uſus eſt, cogitent hi iterum, illum non eſſe eorundem *auctorem*, ſed *compilatorem tantùm*, &, ſi quid eſt amplius, *compoſitorem*, ſeu figulum. Si autem veritas odium parit, quid impedit, quominùs illa dicatur pro bono publico? Pueris pillulæ deaurantur; viri his involucris non indigent, nec dicunt: *durus eſt hic ſermo*, modò fuerit bonus, & verus.

Memini, me legiſſe typis datam anno 1743. Argentorati Orationem ab Johanne Leonardo Frœreiſenio, Lutheranæ Seclæ Theologo, *de miſero Eccleſiæ, Auguſtanæ Confeſſioni addictæ, in permultis locis ſtatu*, quam Kleinerus ipſe §. 11. laudat. Dolet in ea ille, nullam modicamve inter eos eſſe conſonantium legum & diſciplinæ, unumquemque cœtum ſui juris eſſe, neque ab alio pendere, & quæ lubet, ſtatuere; atque hinc corruptelas oriri in conſtitutione Parochiorum, in matrimoniis, in diſpenſationibus, in divortiis, in benedictionibus, in licentia opinionum &c. Attamen auditum non fuit, hunc Theologum propter hoc ſcriptum à ſuæ communionis aſſeclis & Præpoſitis odia ac perſecutiones (quas Jeſuita §. 53. Febronio intentare videtur) perpeſſum eſſe.

§. 45. 46. Hic aſſerit Obſervator (*pueriliter* utique) Febronium *arbitri* ſeu *judicis* partibus iniquè fungi, cùm unius ſolum partis momenta, eaque à *Poteſtantibus* & *Gallis* (quos ſic bellè conjungit) mutuata, ponderet, contrarias autem exceptiones negligat; addit tamen, eum non minùs Epiſcopis, pro quorum juribus advocatum agit, parcere. Ad hæc unicum illud repoſuiſſe, aut ab Obſervatore noſtro quæſiviſſe ſufficiat: an toties à Febronio nominati Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Doctores (excludemus

ab

ab eorum ſerie omnes Acatholicos, imò & Gallos) an inquam illi quoties abuſus & vitia Curiæ Romanæ ob oculos Eccleſiæ poſuerunt, ſimul etiam addiderint quæſitas pro illorum excuſatione cauſas & exceptiones? hæc opera tuis *Kleinere*, tuiſque ſimilium ſtudiis reſervata eſt: ſed cave, ne tibi objiciatur quod Paulo III. dixere præclari illi Novemviri, non Acatholici neque Galli, ſcilicet, „ nonnullos Pon-„ tifices, prurientes auribus coacervâſſe ſibi Magiſtros ad „ deſideria ſua, non, ut ab iis diſcerent, quid facere de-„ berent, ſed ut eorum ſtudio inveniretur ratio, quâ lice-„ ret id, quod liberet.

§. 47. 48. Regularium exemptiones eisdem fatis ſubjectas eſſe, quibus abſoluta Pontificis Monarchia ſubjacet, omnibus notum eſt, ut pluribus monuit Febronius. Hic, ſi Heidelbergenſi Jeſuitæ credas, non modò in Regularium *Exemtiones*, ſed & in eorum *Inſtituta* invehitur. Ita: improbat ille horum *EXEMTIONES* ab ordinariâ ſuorum Epiſcoporum jurisdictione: idem fecerunt *S. Bernardus*, *S. Franciſcus* Monacorum Patriarchæ; idem fecêre inde à natis his exemptionibus tot viri ſancti & docti; idem hodieque faciunt plerique Epiſcopi. *INSTITUTA* Monachorum duas habent facies, quarum una *vitam regularem* reſpicit, altera *Statum publicum*. Quòd ad *priorem* attinet, nihil inſtituto Chriſti & ſpiritui Eccleſiæ per ſacratos ejus Canones manifeſtato magis conforme eſt, quàm ut omnia, quæ circa ſpiritualia in quavis diœceſi geruntur, ſint ſub immediata inſpectione & ſollicitudine Epiſcopi ejus loci; quidquid ſecùs fit, ac ſeorſim ab illius curâ & directione ſuſcipitur, quantumcunque in ſe bonum ſit, ad cenſum abuſuum referendum venit. Quantum ad *poſteriorem* reſpectum, ille meritò inſpectioni & poteſtati Magiſtratûs politici ſubjicitur, hujus eſt cognoſcere, an omnimoda Monachorum ſubjectio ad exteram poteſtatem, hujúsque ſecreti influxus in illorum actiones in- & externas regno & ejus ſtatui ſint indifferentes: ille intelliget diverſitatem inter ea, quæ Obſervator confundit aut aſſimilat, dum hoc loco inſinuat, non eapropter ordinem

Ducum

Ducum aut Officialium exercitus pro ſuſpecto habendum, ſi unus ex illis ſuo Regi inſidias ſtruxerit; dicètque noſtro Jeſuitæ, meritò totum Officialium corpus ſuo Principi ſuſpectum videri, ſi ſinguli extero Domino ſe ſe juramento obſtringant, & ab eo ſecreta mandata accipiant, quibus intellectum, voluntatem & actiones ſuas accommodare debeant: ille noverit ex Hiſtoriis regnorum & Actis publicis, an verum ſit, quod hic narrat Eximius Heidelbergenſis, ſcilicet, unum ſolum Regularem in Hiſtoria prodi, qui ſacrilegas manus ſuo Regi inferre auſus ſit; alii ſanè ſat longum talium texunt catalogum.

„ Si ex Deo, inquit ille, ſunt Regularium inſtituta, „ atque his conformiter inſtitutis illi vitam exegerint, non „ evertet ea Febronius: ſi à ſuis quique legibus receſſerint, „ corruent ultrò. Miror, quòd talia proferat Jeſuita: Hinc certe de ejus inſtituto, aut inſtituti fideli obſervantia ſiniſtra ſuſpicandi anſam deſumere quis poſſet ab iis, quæ, permittente Deo, Societati nuper evenerunt in Luſitania, & in Gallia. Dari inter Regulares *multos* valdè egregios viros, nemo abnuit, & de eo omnium minimè dubitat Febronius: hoc ille ſuſtinuit, *omnes* Publico fore utiliores, ſi ſuis quique Epiſcopis plenè ſubjecti eſſent, *nullum* verò ſic Statui publico futurum aut incommodo aut periculo. Liceat hic addere, Jeſuitis duram illam ſortem in memoratis duobus florentiſſimis regnis nunquam obventuram fuiſſe, ſi non eſſent ab ordinaria Epiſcoporum inſpectione ac juriſdictione exempti.

§. 49. 50. Quærit hoc loco & miratur Obſervator, 1.) cur homo privatus Cenſoris ſibi munus aſſumens, quid in Eccleſia rectè factum, quid ſecùs, quid agendum deinceps edicat, ac pro ſua libertate redarguat? 2.) Quare Pontifici Romanæque Curiæ palam, atque in pubblica orbis facie exprobrarit exceſſus diu ſublatos, quorum integros catalogos percenſuit? 3.) Quorſum ex *Eſpencæo* & hujus viri ſtylo ſcribat, proſtare Romæ; & in quæſtu pro meretrice

ſedere librum, qui *Taxa Cameræ*, *ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ* nuncupatur? cùm tamen illi non incognitum eſſe debeat, in nulla Curia pro expediendis gratiis labores gratis ſuſcipi: 4.) An ad ſacratas Principum perſonas mordaci ſtylo appetendas ſufficiat, quod quis ex antiquitate contra exceſſus, quos aut obſervat, aut ſibi fingit, loqui ſciat? Ad ſingula reſpondeo: ad 1.) Nemo prudens & æquus *Claudio Fleury*, viro pio, ſapienti, & apprimè docto, malè hactenus vertit, quod pro bono Eccleſiæ in ſuis Diſcurſibus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam præviis, ſimili innoxia libertate uſus ſit. Ad 2.) Repeto, quod ſupra §. 22. jam memoratum eſt, ſcilicet, illos tantùm ex quàmplurimis Nationum aliorumque gravaminum articulis à Febronio ſelectos & retentos eſſe, qui hactenùs ſublati minimè ſunt. Si adhuc ſat amplus horum catalogus hodieque proſtat, eò amplior juſtiorque eſt de gravi hoc Eccleſiæ incommodo proborum virorum dolor. Ad 3.) Claudii *Eſpencæi* merita non novit, aut ſaltem pro condigno non æſtimat Jeſuita Palatinus. Quidquid ſit: juſtum atque in omnibus Cancellariis (non diffiteor) uſitatum eſt, ut aliquid pro Expeditorum labore ſolvatur; videamus in exemplo, an in hoc ſiſtatur Romæ: Reſignatur Canonicatus, Perſonatus, vel aliud beneficium in favorem, mediante teſtimonio idoneitatis: ſolvitur in Cancellaria taxa expeditionis: hactenùs rectè: reſignatarius jam antè poſſederat alterum Canonicatum: ad ſimplicem ejus, ſicut cujuſcunque petentis, ſupplicam conceditur diſpenſatio ſuper incompatibilitate, dummodo priori taxæ addantur *decem ſcuta*: Habet idem reſignatarius præterea Præpoſituram in alia eccleſia, ſuperadduntur alia *decem ſcuta*, & eadem facilitate, eodemque tractu, ſine ulteriore, aut veriùs ſine ulla *quoad hoc* informatione, imò nullo ſingulari ſuffragante merito, vel titulo, qui pluralitatem juſtificet, eidemmet Bullæ etiam ſuper hac pluralitate ulterior inſeritur diſpenſatio: Interim reſignans eſt proximus morti, & veroſimiliter non ſupervivet viginti dies: numerantur iterum *decem ſcuta*, & ſine mora derogatur Regulæ *de Viginti*. Si aliis adhuc diſpenſatio-

tionibus & Canonum derogationibus ad aſſequendum ſuum finem ſupplicans indigeat, tot ſemper ratione ejuſdem beneficii numerabit *ſcutorum decades*, quot Canones eidem obſtare deprehendentur. Vocet hæc, ſi velit, criticus noſter Obſervator *pretia laboris Expeditorum*; alii judicabunt aliter, neque putabunt unquam in quavis alia Curia tali via proceſſum iri. Ad 4.) *Sæcularium Principum imperia* eorumque jura infinitè variant: ita quidem, ut nonnulli eorum ſuos ſubditos deſpoticè regant. Qui actualia, & à lungo tempore uſitata illorum jura & receptam regiminis formam ex remota antiquitate impugnare, atque ad avitam normam reducere ſuſciperet, malè ſuaſus dici deberet. *Eccleſiæ regimen* ex contrario ſemper idem eſt, non habens alias pragmaticas ſanctiones, quàm S. Scripturam, & Canones totius Orbis Catholici reverentia ſacratos; ad hos provocare, & quemvis neo-electum Pontificem, tanquam hæredem jurium & obligationum Petri, juxta juramentum ab eo alias præſtari conſuetum, revocare, ſemper honeſtum eſt, & cur non cuivis erudito pro modo ſuæ capacitatis permiſſum? hic ſi futilia profert, pro mercede riſum & contemptum reportat: ſi ſolida, dabunt ejus ſcripta cum tempore proventum. Cæterùm, ſal parti corporis ſanæ affricatum eam non lædit, ulceri inſperſum mordet. Neque tamen abſolutè vetitum cenſeri debet, ſcribere etiam de præſenti ſitu regnorum & ſæcularium Statuum, eorumque notare nævos; hinc & Juris Publici Germanici Scriptores ſolent in ſuis Syſtematibus deputare unum Caput *defectibus formæ & regiminis Imperii Romano-Germanici*.

Quando *Seniorem* increpare liceat, docet Canon. 28., quando filius queri *de duro patre* Canon. 36; quòd Petri ſucceſſor ad querimonias contra ipſum non debeat quidem reſpondere *ex poteſtate officii*, dicens: *ovis paſtorem ſuum non reprehendat*, ſed, *ex ratione*, tradit Canon 40. Cauſ. II. Quæſt. 7. Non increpavit *Seniorem* Febronius, ſed obſecravit: non eſt conqueſtus de *patre duro*, CLEMENTE XIII. domino noſtro ſanctiſſimo piiſſimo; querimonias nationum

veteres, nondum ſublatas, non Petri, ſed Curiæ culpas Ei humiliter annuntiavit. *Kleinerus* ad officii poteſtatem confugit abſque ratione virtutis: hominem privatum tacere jubet contra Curiam Petri: ſecundum eum ergò omnes ſilere, omnes parere, ut ſtupidi ad juſſa ſui Generalis Jeſuitæ, tanquam baculus ad regimen manus cæci deberent, & ante Febronium debuiſſent; ſic non ſatisfieret admonitioni S. Gregorii M., quam tanquam Regulam in Decretum ſuum retulit Gratianus Can. 57. cit. Cauſ. II. Quæſt. 7. ſcilicet, *admonendos eſſe ſubditos, ne cùm ſtudent plus, quàm neceſſe eſt, hominibus ſubjici, compellantur vitia eorum venerari*. Sic *ſubditos* moneri voluit S. Papa & Eccleſiæ Doctor, non unum tantùm alterumve *ſubditum*.

Dicet autem fortè: *Prælati* ſoli poſſunt loqui, non *privati*. At quid ſunt in ſyſtemate *indipendentis monarchæ* Prælati, niſi privati, reſpectu Monarchæ? Et qui Prælati, ùt quoque ſunt perſonæ publicæ, omnia, nihil prætermittendo utilium, dicerent, niſi eſſent, qui eis dicenda ſubminiſtrarent, cordati Doctores privati? Hi ad ſingulos Prælatos nec ſcribere poſſunt, nec proficiſci: qui ergò eis loquentur? nònne libris in facie totius Orbis loquentibus? Sed *hoc in tempore* illa nequaqam fuere opportuna! Ecquando ergo erunt opportuna? Qui nunquam ſe venturum eſſe alicui opportunum advertit, is adventum ſuum aliquando ſaltem opportunum facere debet: Nònne ſat diu Græci atque Moſcovitæ in ſchiſmate ſunt, quia *tale* Caput Eccleſiæ, *quale* depingunt monarchiſtæ, nunquam agnoſcent? *Pontifici* non objecit Febronius *uſurpationem*, hoc enim verbo notaſſet *ipſius perſonalem actionem*, ſed ſuaſit *uſurpatorum ſpontaneam dimiſſionem*: hæc expreſſio cur non conſentiret *cum profundo reſpectu erga Sedem Romanam, ac ſincera veneratione erga Succeſſorem Principis Apoſtolorum*. Actor. cap. 2. abſque violatione reſpectus *diſceptabant adverſus Petrum* fideles, qui ex circumciſione erant, dicentes: *quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Si tunc magiſter

ſter urbanitatis *Kleinerus* adfuiſſet, forſan & illis urbaniores Petrum alloquendi modulos ſuggeſſiſſet.

§. 51. Quando ex Cardinale *Orſò* ſequentia deſcribit Febronius cap. VI. §. 15. n. 4. " Inde, ſi verum fateri „ volumus, prima mali labes, quòd homines temerarii ve- „ lut Eccleſiæ reformandæ ſtudio, in ſummos Eccleſiæ Prin- „ cipes ora laxare, eorum mores & vitia carpere, legitimam „ poteſtatem contemnere, jugum excutere, & auctoritatem „ invadere auſi ſunt ": applaudit Jeſuita, dicens, Febronium ſua reſponſione *Orſum* nequaquam refellere; in quo an ille rectè judicet, æſtiment prudentiores & ſinceriores, poſtquam utriuſque ſcripta inter ſe contulerint. Mihi illud ſolum hic liceat addere: *Supponamus, quod intra tria ſæcula nullus Eccleſiæ reformandæ ſtudio in ſummos Pontifices os laxaſſet, horum mores carpendo, regendi modum taxando, abuſus ſacræ poteſtatis detegendo; ſed, quod omnes, parvi & magni, ejus auctoritati, prout exercebatur, ſe ſe ſubmiſiſſent, impoſitum jugum patienter & ſine murmure ferendo*: qualis putas, mi Jeſuita, hodie foret ſtatus in Europa? Quoties hæc cogito, ſpecialiter veneror Dei providentiam, qui vel per ipſas hæreſes tantum fecit boni.

Dum hic de anſis & cauſis recentiorum hæreſum obiter tractamus, putemus in illis recenſendis *Orſo* & *Kleinero* fideliores fuiſſe *Cardinales Legatos Concilii Tridentini Præſides*, qui in ingreſſu ejuſdem Synodi Patres nomine Pontificis ita allocuti ſunt apud Harduinum Tom. X. col. 11. „ Meritò de nobis dicitur, quod Propheta in perſona Dei, „ veterem populum accuſans dicit: Duo mala fecit popu- „ lus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt „ ſibi ciſternas, non valentes continere aquas ..... Si „ verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin „ nobis conſcii ſimus in adminiſtrando munere nobis impo- „ ſito in plurimis defeciſſe, & *horum malorum, ad quæ cor-* „ *rigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe* .....

„ Ve-

„ Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam, „ & abuſus (ùt vocant) complectitur. Hic verò nihil atti- „ net diu inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores „ fuerint, *cùm præter nos ipſos ne nominare quidem ullum* „ *alium auctorem poſſimus*. Quare ad tertium accedamus, „ quod impedimenta pacis in ſe continet : qualia ſunt arma „ vel domeſtica, vel externa: hæc enim jam pridem pacem „ Eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant. De quibus „ hoc tantùm dicimus : ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis „ oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit: „ qui duorum priorum capitum rei ſumus, in quibus nos „ excuſare non poſſumus, *etiam horum armorum præcipuam* „ *nos cauſam eſſe*, *negare non poſſumus* . . . . . Omnes or- „ dines una rationis ſerie accuſans in veteri populo dicit „ Ezechiel in perſona Dei : *Sacerdotes ejus contempſerunt* „ *legem meam*, & polluerunt ſanctuaria mea: *inter ſanctum* „ *& profanum non habuerunt diſtantiam*. Principes ejus in „ medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effunden- „ dum ſanguinem, *ad perdendas animas*, *& avarè ſectan-* „ *dum lucra*. Populi terræ calumniabantur calumniam:Hæc „ ille. Quæ utinam ad illa ſolum tempora pertinerent, ac „ non *noſtri quoque temporis imaginem referrent*.

AD CAPUT V.

§. 52. 53. Poſtremo hoc Capite *Kleinerus* paucas, in præcedentibus omiſſas, reflexiones colligit, quas hic tanquam flores ſpargit. Imprimis vero in aurem dicit Febronio, quiſnam ei verior in ſui libri ſcriptione ſcopus fuerit : ſcilicèt *controverſa à quibuſdam Epiſcopos inter & Pontificem jura*, *ipſe Epiſcopis aſſerere voluit*. Medium ſumpſit Obſervator pro fine ; nihil refert! Videtur autem ille hanc conjecturam hauſiſſe ex Brevi Apoſtolico, cujus memini ſuprà Capite I. ſub finem, in quo hæc verba lego : “ In magnas „ miſerias ſemper deciderunt Eccleſiæ, quarum *Epiſcopi* pu- „ tarunt, depreſſa Romani Pontificis poteſtate, *plus ſibi*

ac-

„ *acceſſurum potentiæ & dignitatis*. " Hæreamus paululùm hoc loco, & ponderemus, an non triſtis nimiùm doceat experientia, vel ea occaſione & cauſa illum miſeriarum cumulum, tam quoad *hæreſes*, quàm quoad *corruptionem diſciplinæ*, Eccleſiæ potiſſimùm obveniſſe, quoad Romani Præſules cum præjudicio & depreſſione Ordinis Epiſcopalis, ac contra genuinos Canones nimium ſibi poteſtatis ſumpſerint. Non agitur in toto Febroniano Opere *de efferenda una alterave Eccleſia cum præjudicio Romanæ*, ſed *de relinquendo & reſpectivè reſtituendo, quod debetur omnibus*: Neque queſtio eſt *de acceſſu, ſeu attributione novæ poteſtatis* aut dignitatis, ſed *de nativo jure*, nec non auctoritate ex Chriſti inſtituto omnibus Epiſcopis competente, non ad mundanam gloriam, ſed ad implendum divinum illud & apoſtolicum officium, unicè comparatum ad ædificationem domus Dei, & animarum ſalutem.

Si itaque ex una parte juſtum ſit, ut cum ſacratiſſimi hujus ordinis inverſione vera Romani Pontificis poteſtas non imminuatur; æque juſtum erit ex altera parte, ut neque deprimatur illa Epiſcoporum. Quodſi verò hæc ſub præſidio falſarum Decretalium, tot tantarumque inordinationum fonte, ſuppreſſa inveniatur, nihil æquum & honeſtum magis, quàm ut omnia reſtituantur in ordinem Spiritui Dei & Eccleſiæ conformem. Quis autem ſuſtinebit, malum inde oriturum, ſi Chriſti inſtitutum impleatur, & Canones fideliter obſerventur? Poſſet tamen, non diffiteor, malum eà occaſione enaſci; ſed non niſi inexcuſabili eorum malitia, qui tanto bono impediendo & arcendo omnes ſuas vires, & quævis remedia, quantumvis in Jure reprobata, impendere, atque ita Eccleſiam turbare molirentur. Cæterùm (quòd laudato Brevi quoque inſinuari velle videtur) *novarum rerum cupidi* minimè dicendi ſunt, qui Canones ſervandos, per imprudentes & ſcandaloſas diſpenſationes non taminandos, Epiſcopos in exercitio jurium eis à Chriſto creditorum haud turbandos, impediendoſve prætendunt.

Fina-

Finaliter ſpem aliquam & deſiderium hic prodit Obſervator, noſcendi eum, qui ſub commentitio Febronii nomine tantum *mali* in Eccleſia *fecit*, dicat *retexit*, pro emendatione utique, conſequenter pro vero Eccleſiæ *bono*. Liceat ei modò reſpondere verbis Salviani in præfat. ad Lib I. de Avarit. *Sed requiret forſan aliquis, quis Auctor ſit; poteſt hoc quidem quæri, & rectè quæritur, ſi inquiſitio valet ad fructum aliquem pervenire; cæterùm ſi infructuoſa eſt, quid neceſſe eſt, ut laboret curioſitas, cùm profectum curioſitatis non ſit habitura cognitio: in omni enim volumine profectus magis quæritur lectoris, quam nomen auctoris.*

§. 54. Quem fructum permanentem, inquit *P. Joſephus Kleiner*, ſperabit ex opere ſuo Febronius, poſtquam eo, quem præferebat, fine excidiſſe ſe ex ipſis DD. Proteſtantibus intellexit? Intellexit hoc utique ex *Friderico Bahrdtio* Lipſienſi; ſed hujus viri judicio ſpem ſuam nondum concidiſſe ſentit, ex quo ille (uti ſcitè Juſtinianus Frobenius) *articulos differentiales in materia Religionis nimium diducat, velut ſutor corium*. Quidquid autem hujus rei ſit, præcox nimium eſt utriuſque judicium: à reformatione Eccleſiæ, id eſt, *Curiæ Romanæ*, inchoandum voluit Febronius negotium reunionis; illi, & conſequenter ipſi reunioni, potiſſimum impedimento ſunt, qui identidem clamitant, *Romæ bene fieri omnia*. Cave, *Kleinere*, ne in horum numero inveniaris. Quòdſi ità poſt reformationem reunio, ſecundùm ea, quæ ſuprà §. 39. dicta ſunt, non ſequatur, minimè tamen prima illa opera perdita videbitur. Addit hic Jeſuita Obſervator, fortè aliquando Proteſtantium quendam ſic uſurum laboribus *Febronii*, quemadmodum *Burcklinus* anno 1752. ſuis fucum facturus, ex Epiſtola paſtorali Epiſcopi Montaubani, ex ſimili Epiſtola Archiepiſcopi Viennenſis, ex ſcriptis Philoſophicis R. P. Donati Piar. ſchol; denique ex Operibus Card. Proſperi Lambertini, ſuam Evangelicam doctrinam confirmare aggreſſus eſt. Faciat hoc quiſquis volet; videat interim, & ſincere edicat *Kleinerus*, an non melius ſucceſſerit *Febronio*, dum *cap. I.* §. 9 ſuſcepit ex libris

Pro-

Proteſtantium demonſtrare unitatem & infallibilitatem Eccleſiæ Catholicæ, quam *Burklino* roborare doctrinam Evangelicorum ex ſcriptis Catholicorum; atque eo titulo illi gratias habeat, pro hoc ſaltem paſſu, verſus reunionis negotium facto; ſiquidem non ignoret, ab uno hoc puncto ferè totum reliquum dependere.

§. 55. *Quid ſibi dicet ipſi Febronius, ſi propediem librum ſuum non in Urbe modò, ſed in Germaniæ diœceſibus in prohibitorum librorum ſerie deſcriptum leget?* ſic hoc loco interrogat Kleinerus. Febronius novit, Jeſuitas non fuiſſe poſtremos in ſollicitanda hac prohibitione, etiam ſuggeſtis, divulgatiſque nominibus falſis. Quantùm autem ad prohibitionem ipſam, conſultum videtur, hic inſerere continuationem Epiſtolæ Moguntinæ, cujus fragmentum dedimus circa finem Capitis primi: Sic autem poſt tres poſitiones ibidem relatas proſequitur ſcriptor hujus Epiſtolæ: " Cohorrui, „ dum iſta legi; neque enim reperi in Febronio, quo fine „ ille conatus eſſet *evertere funditùs Romanam Cathedram*. „ Voluitne is *in centrum unitatis* ſubſtitui aliam? Cur ei „ non vult credi, dum ait, ſe *adhærere ſanctæ huic Cathedræ*? „ Nonne, quia dixit, *Miniſteriales Cathedræ* nocere Ca- „ thedræ, ejuſque veteri gloriæ? Nihil minùs agit Febro- „ nius, quàm ut Cathedram S. Petri evertere conetur; econ- „ tra totus in eo eſt, ut hanc ſtabiliat *adverſùs imprudentiam illorum, qui tam exotica ei jura, tituloſque appin-* „ *gunt*. Hoccine Cathedram Petri evertere eſt, ſi dicatur, „ & firmiter ſuſtineatur, *Petrum non potuiſſe omnia extra,* „ *præter, & contra jus*? Si negetur, *quod ſolus à Chriſto* „ *immediatè obtinuerit officium prædicandi, reliqui vero Apo-* „ *ſtoli non niſi ab ipſo, & per ipſum*; *quod habuerit jus &* „ *poteſtatem deponendi reges*, & quæ ſunt plura ejus gene- „ ris? Peſſimè concludit, quiſquis ab eo Cathedram Petri „ funditus everti prætendit, qui huic Cathedræ agnoſceret „ & linqueret, *quidquid ei in Sacra Scriptura & vera Tra-* „ *ditione tribuitur*, econtra inde auferendum & recipien- „ dum aſſereret; quod apocrypha ſcripta perperam ad-

 jece-

„ jecerunt. Dimenſurare non poſſum, *cæcitas*, an
„ *vindicta*, Miniſtrorum Papæ ſit major: Sed ubi
„ tactus vivus, ibi dolor, ubi dolor, ibi vindicta, ubi vin-
„ dicta, ibi mox cœcitas; oculos clauſerint neceſſe eſt, aliàs
„ vidiſſent flores Catholicorum Doctorum, in libris, qui
„ coævi ſunt, & antiquiores libris hæreticorum. Quantùm
„ hic aſtutia curialis circumvenit religionem ejus Clemen-
„ tis, quem ex primogenia Urbis acclamatione Febronius
„ vocat *Papam ſanctum*! Quanta impoſtura fieri voluit to-
„ tius Germaniæ Archi-& Epiſcopis hac cenſura! pauciſſi-
„ mi legunt totum librum, plurimi credunt Brevi Apoſto-
„ lico: eruditi autem advertunt, *Febronium eſſe virum de-*
„ *ſideriorum pro reformatione Curiæ Romanæ, pro reunione*
„ *diſſidentium, pro extirpatione hæreſum, viamque voluiſſe*
„ *præparare bona mente*. Febronius ferè omnia depromp-
„ pſit apertè ex Catholicorum, & quidem primæ Notæ,
„ libris; cur hoc tacetur in Brevi? Cur, gemente veritate, in
„ eo ſcribitur, *omnia ex hæreticorum, & Sanctæ Sedi infen-*
„ *ſiſſimorum hominum libris conquiſita eſſe*, imo adeò, *abſur-*
„ *diſſima quædam* de ſuo adjeciſſe Febronium? Suſpicor
„ ideo, ut horrifica hac tuba perterriti Germani abjiciant
„ Febronium, ne velut in ſpeculo videant Romanorum ma-
„ culas & rugas; imò credo, ipſos Romanos, perlectis ali-
„ quibus paginis, abjeciſſe hoc ſpeculum, inſtar vetularum
„ quibus illud pulchram faciem non oſtendit." Hæc ille.

§. 56. His denique adjicit Obſervator jocum ex nomine *Febronii*, quod à ſuo Auctore non incongruè aſſumptum fuiſſe notat, quippe qui in carpendo, redarguendo, ſummiſque Eccleſiæ Præſulibus perſtringendis *febriculæ* quadam intemperie ſit actus, à qua non ſanabitur felicius, quàm ſi *ad domum Simonis Petri*, in hæreditaria Petri Romana Sede, ſubjectione debita, ac conjunctione animi majore, convertatur. Domus Simonis ipſamet tot tantiſque febribus laborat, quas Febronius demonſtravit, ut febriculam habens exſpectare poſſit meritò, donec ſocrus Simonis, veterana illa Curia, ſuis febribus magnis fuerit ſanata. Hanc ſocrum non

non ſanabit Simon Petrus; neque enim ullus adhuc Romanus Pontifex à ſæculis in ſananda ſua Curia felix erat medicus. Febricula *Febronii* tranſibit: febres magnæ ſocrus Simonis manebunt, niſi miſerentis Chriſti ſponſa Eccleſia medeatur pharmacis opportunis, importunis. Eſt autem quæſtio, utrùm ſocrus iſta febricitet, an non veriùs ſit mortua, quia ſenſu caret, non audiens tot virorum proborum remonſtrationes, non videns ſequelas. Si mortua, tunc erit tractanda ſicut reſuſcitanda filia Principis: Dominus ùt venit in domum Principis, recedere juſſit *tibicines*, & *turbam tumultuantem* (a). Tibicines ſunt blandi illi adulatores, quorum primi ſunt Jeſuitæ; turba tumultuans ſunt illi Curialiſtæ, qui ad conſpectum Febronii, aut quærentes aliquid, aut perdere metuentes, cœlum terramque commovent adverſus eum.

§. 57. 58. Finaliter *Kleinerus* Patrem luminum, à quo unitas omnis & concordia, demiſsè rogat, ut pulſo omni diſſidio, cum tot animarum immortalium interitu conjuncto, feliciſſima illa tempora propiùs velit illuceſcere, quibus, pulsâ diſſenſionum caligine, erit *unus Paſtor & unum ovile*. Bona ſunt hæc vota, neque alia format funditque *Febronius*; ſed cum hac differentia: *ille* vult, ut non ſit quæſtio de tollendis noxis & offendiculis, utcunque conſpicuis, & Acatholicorum æquè, imò adhuc magis, quam Catholicorum animos percellentibus, queis Paſtor ipſe, & ovile extrinſecùs per alios circumdantur: *hic* ad pellendam illam caliginem, & facilitandum digreſſis ovibus acceſſum deſiderat, ut, qui de procuranda reunione ſolliciti ſunt, & ex officio eſſe debent, de tollendis his obſtaculis, præſertim cùm de ſe ipſis mala ſint, efficaciter cogitent: Quis horum, putas, rectius vovet, orat, agit? Si videas febricitantem pro recuperanda valetudine quotidie multumque orantem, atque interim cibos, quibus febris nutritur, continuò manducantem, numquid dicis, ab hoc Deum irrideri, aut ſaltem tentari?

(a) *Matth. cap. IX. v. 23.*

CON-

CONCLUSIO.

Hactenus ſuppoſui, *P. Joſephum Kleiner* S. J. in Heidelbergenſi Univerſitate Theologiæ Profeſſorem Criticarum Obſervationum, de quibus agitur, auctorem eſſe. Quòdſi in hoc erravero, & ille fortè ſit, qui eaſdem celſo & illuminato Regimini Electorali Palatino dedicavit, poterit illi confidenter dici, eum non eſſe de bonis, ſed ſiniſtrè informatis Alumnis, qui, dum de Religione agi exiſtimant, falſa aliis imputare, eaque pro veris venditare, ſibi conſcientiæ minimè ducunt. Scilicet, ſcripſit ille, Febronium a) ex *Proteſtantibus maximè Auctoribus*, tum verò etiam b) ex *Scriptoribus Pontificiæ Sedi parùm faventibus*, quin & *apertè adverſantibus*, ſua hauſiſſe. Atrox calumnia eſt; & quia illa fructui, qui ex Febroniano Opere meritò ſperatur, obeſſe poſſet, hinc nemo miretur, ſi, quod jam ſupra factum, ea hic denuò depellatur.

Si *SOLI Proteſtantes* haberent ea teſtimonia, & quidem *omnia*, tranſmitti poſſet injuria: imò autem! quidſi in ſolo librorum Proteſtantium foro venum expoſita illa teſtimonia emiſſet Febronius, an eſſent *ea verba Proteſtantium*, an verò *Patrum*, *Prælatorum*, & *Doctorum Catholicorum*? An ideò *merx* erit vitioſa, quia *mercator* nihil valet? Nonne licet Catholico excerpere ex Proteſtantium libris collecta in unum gravamina, ab ipſis Catholicis ſparſim ſcripta? Si & hæc, ab illis ſic juſtificata, rejici, refutari, tanquam ab hoſtibus Sedis ſanctiſſimæ prolata debeant, tunc Proteſtantes jure conquerentur, ſe, *cùm quoque Catholico dicunt*, non exaudiri. Quid tum? *Perduratio in malo*. Poſt hæc, invitantur Heidelbergenſis Alumnus cum ſuo Magiſtro, ut quantumcunque volent producto ſtudio & labore in Proteſtantium libris conquirant omnia, vel etiam potiora tantùm, Conciliorum, Patrum, & Catholicorum Doctorum loca, quibus Febronius uſus eſt ad confutandos Romanorum abuſus; nunquam id præſtabunt, operam perdent; etenim falſum dixerunt.

Suppo-

Supponamus interim, ne ullum quidem ex abuſibus Romanæ Curiæ, quos Febronius recenſuit, à quoquam Catholicorum retectum fuiſſe, hos hiſce de rebus tacuiſſe ad unum omnes, totum hoc opus hæreticorum eſſe, quid tum? Hæreticorum librorum aliquis in Eccleſia uſus eſſe debet, ſed ſobrius; non tantum ad illos, quatenus contra fidem ſcribunt, confutandos, ſed & ad mores noſtros, quatenus hos cum juſtitia reprehendunt, emendandos. Qui ex illorùm operibus decerperet, & in odium Catholicæ Eccleſiæ derivaret, quæ illi huic falſo & perperam impingunt, ſtultè & malitiosè ageret: Qui in Acatholicorum (quos omnes ſtipites eſſe & cœcos, aut iniquos judices, nemo prudens dixerit) ſcriptis ea obſervaret, quæ in Catholicis Prælatis eorumque regimine cum veritate & juſtitia carpuntur, & omni jure emendanda eſſent, atque de his Præpoſitos Eccleſiæ, ſubinde etiam & pro re nata Principes ſæculares, moneret, ut illi juſtà adverſariorum criſi excitati, cautiores reddantur & moratiores, bonum opus faceret. Demus rei exemplum novum, materiæ conveniens: Dixit Febronius Cap. IX. §. 2. n. 13. epiſtolà à Georgio Shelhornio Memmingenſi Bibliothecario anno 1747. ad Cardinalem Quirinum ſcripta, Tiguri impreſſa, evidenter demonſtrari, qualiter pium illud & celebre Conſilium de emendanda Eccleſia à delectis Patribus Paulo III. datum, non verò Sturmii aliorumque in illud obſervationes, in Indicem librorum prohibitorum relatum fuerit. Profuit æquum viri Acatholici monitum, ita, ut laudati Cardinalis, qui officio præfecti Congregationis Indicis ſub Benedicto XIV. fungebatur, cura effectum ſit, ut in recognita ejuſdem Judicis editione anni 1758. his verbis: *Conſilium de emendanda Eccleſia* nunc demum additum conſpiciatur: *cùm notis & præfationibus Hæreticorum*. Sic, quod olim huic probroſo Catalogo non tantùm perperam illatum videbatur, ſed & re ipſa malè, ex ſola ratione politica, inſertum fuerat, nunc ſaltem honeſtè ibidem comparet.

Quod

Quod de *Scriptoribus*, *juribus S. Sedis* prætenſe *adverſantibus*, illi proferunt, peræque frivolum deprehenditur. Humanæ infirmitatis argumentum eſt, eos nobis inimicos putare, qui contradicunt paſſionibus noſtris, præſertim cùm eæ ſub ſpecie religionis velantur. Non fuerunt à Febronio in aciem deducti, niſi viri graves & pii, quoſque omnes Eccleſiæ pro talibus agnoſcunt. Duo ſunt in Febronio loca exſtantiora, quibus Curialiſtarum infirmitates, bona tamen mente, deteguntur: Scilicet *cap. III.* §. 11. exhibetur miſera illa facies Juris Sacri Publici, quo Curia regitur & regit; & id quidem ipſis Romanorum coætaneorum noſtrorum verbis. Dein *cap. VI.* §. 13. ſiſtuntur gravamina, ab aliis adverſus Romanos edita. Judicet autem totus Orbis, judicet Roma ipſa, uter horum locorum ei magis adverſetur, & an non majores inimici ſint *proprii ejus domeſtici*.

AP-

APPENDIX QUARTA.

AULI JORDANI JCti

EXAMEN DISSERTATIONIS,

QUAM

MAG. CAROLUS FRIDERICUS BAHRDT

LIPSIENSIS

DIE 14. DECEMB. AN. 1763.

ADVERSUS

JUSTINI FEBRONII TRACTATUM

PUBLICO EXPOSUIT.

CUm eodem ferè tempore in manus meas incidiſſent C. F. Bahrdt Cathechiſtæ Lipſienſis Diſſertatio, & Joſ. Kleineri S. J. Theologi Heidelbergenſis ſummariæ Obſervationes, tam illa, quàm iſtæ, adverſus Juſtini Febronii Librum, pro reunione diſſidentium in Religione Chriſtianorum compoſitum, directæ, comparatione facta haud difficulter adverti, magis hac in parte ingenuum eſſe hunc *Cathechiſtam*, quàm *Jeſuitam*. Ille ſinceritatem ſcopi, pietatem, pro Eccleſiæ ſalute curioſitatem, eruditionem, Febronio recognoſcit; iſte verò ſcopum larvatum, impietatem, temeritatem, Eccleſiæ perturbationem, partis epiſcopalis unicum ſtudium, parum eruditionis ex penu propria eidem objectat.

Ca-

Catechiſta Diſſertationis ſuæ §. IV. dicit " vehemen-
„ ter eos errare videri, qui præter animi ſinceritatem, quam
„ partim in præfatione,partim in toto paſſim libello, miri ficè
„ demonſtravit, eſſe aliquid in eo homine putent, quod Re-
„ ligioni noſtræ (*Lutheranæ*) conſentaneum ſit §. V. Hoc ita-
„ que *Febronii* ſyſtema eo fine compoſitum editumque eſt,
„ ut via nobis demonſtretur, qua omnes in religione Chri-
„ ſtiana diſſidentes in gratiam redire, ſacrorumque commu-
„ nionem reſtituere poſſent. Neque in hac re juſtas homi-
„ ni laudes denegare poſſumus (*Eſt enim ingenui & philoſo-
„ phi animi neque hoſtium virtutem contemnere*, Nazianz. Orat.
„ III. p. 29.) quippe qui multa cum ſolertiâ, induſtria,ſum-
„ mæque eruditionis inſigni demonſtratione hoc, quod vo-
„ luit, efficere conatus eſt. Bono enim & ſincero animo
„ ad ipſum Clementem ſcribere videtur, eumque rogare,
„ ut ineptos eccleſiæ curiæque Romanæ abuſus expellere,
„ priſtinamque catholicæ Matri pulchritudinem reſtituere, ſi
„ poſſit, velit. Deinde §. XIV. *Febronius*, inquit, Vir
„ alioquin, ùt nobis videtur, plus, & in Eccleſiæ ſalute cu-
„ rioſus. Denique §. XVI. Neque tamen minùs nobis ipſis
„ magno in pretio ſemper erit iſtud opuſculum *Juſtini Fe-
„ bronii*, quippe quod ſumma cum eruditione perſcriptum;
„ rebuſque & variis, & ad diſcendum idoneis, refertum
„ eſſe intelleximus.

Poſt hæc *Lutheranus* procul abfuit, ut perſonæ Fe-
bronii per concitationem invidiæ nocere voluiſſet; *Jeſuita*
verò totus in hoc intentus eſt, ut perſonæ conciliaret odium
Hierarcharum potentium; cùmque metueret, ne Febronius
ſaltem Epiſcopis placeret, quorum jura tam ſtrenuè vin-
dicavit, §. 46. ſcribit: *Epiſcopos indignis modis adverſariæ
criſi exponit, cùm defectus, qui in epiſcopalis muneris admi-
niſtratione evenire aliquando poſſent, aut admiſſi fortè à qui-
buſdam ſunt; palam, atque in apertam orbis lucem recenſeat.*
Ubi autem recenſuit Febronius defectus *in epiſcopalis mu-
neris adminiſtratione*? Malam ſcilicet gratiam apud eoſdem
Epiſcopos Kleinerus Febronio venari conatus eſt per hoc,

quod

quod *indefinitè*, *ac ſine diſcrimine univerſum Epiſcoporum ordinem dehortetur à pluralitate Epiſcopatuum*, *à translatione ad fœcundiores Cathedras*, *à Brevibus eligibilitatis*, *à retentione Prælaturarum inferiorum cum Epiſcopatibus* : *à promotione nepotum*, *ab indultis conferendi beneficia in menſibus reſervatis*, *per hoc quoque*, *quòd Epiſcopis in mentem revocet*, *ſponſam pauperem & unicam debere eſſe Epiſcopo æque charam*, *ac divitem*, *pluresque contra Apoſtolum uxores*. Quantùm hic ſpiritus Jeſuiticus diverſus eſt à ſpiritu SS. Canonum, ut eum, qui illo agitur, odibilem velit reddere! ut dicat bonum malum, & malum bonum! Si malè ſcripſit *Febronius*, ponat *Kleinerus* anti-theſes, commendet pluralitatem Epiſcopatuum, translationes ad fœcundiores Cathedras, Nepotiſmum &c. Indefinitè ac ſine diſcrimine non audebit: Aſt dicet, nec debuiſſet *indefinitè*, *ac ſine diſcrimine* Febronius univerſum Epiſcoporum ordinem à talibus dehortari! Quidni? Nonne, ut eſſent ſemper aliqui potentiores Epiſcopi, qui ejuſmodi deſideriis agitati recordarentur, ſe ſuoſque nepotes indigere Roma, & ſic politicè tacerent, imò & bonum opus ſufflaminarent reformationis abuſuum? Dicet ulteriùs: in Germania ſaltem (quidquid in contrarium ſtatuant ſanctiſſimi Canones) utile eſt, plures in eodem ſubjecto reuniri Epiſcopatus, ut tantò fortiùs reſiſtatur Acatholicis: Sed & in hoc fortè plus præjudicii eſt, quam ſoliditatis: Vidimus noſtra ætate omnes Weſtphaliæ infulas reunitas ſuper idem caput; quid hoc profuit adverſus arma Proteſtantium? Videmus hodie eoſdem Epiſcopatus inter tot capita diviſos; quid hoc Religioni nocebit? quinimo veroſimiliter proderit.

Sed & aliud quid hic in tranſitu monendus eſt Heidelbergenſis Theologus, quòd nempe ſenſum totius Eccleſiæ Proteſtanticæ de opera Febronii, quaſi ea inanis eſſet, aſſeruerit ex duobus dumtaxat viris, Novelliſta videlicet Gottingano, & Catechiſta Lipſienſi: à duobus ſcilicet individuis argumentatur ad omnes contra præceptum Logicæ. *Quem fructum*, inquit, *permanentem ſperabit ex opere ſuo Febronius*,

nius, *poſtquam eo*, *quem præferebat*, *fine excidiſſe ſe ex ipſis DD. Proteſtantibus intellexit*? Ergo jam excidit fine intento Febronius, quia ſcripſit Bahrdtius §. 16. *rogamus itaque Febronium*, *ut conceptam ſpem planè abjiciat*, *deſinatque exiſtimare*, *ſanum quemdam Lutheranum propoſitas pacis conditiones eſſe acceptaturum*? Potuiſſet autem Kleinerus videre, quantum Religioni ſuæ verius timuerit Catechiſta à Febronii propoſitis conditionibus: hinc §. 1. *ſopitos paſſim Proteſtantium animos* excitat, *deque hoſtium præſentia monet*; §. 4. *nihil toto ſuo opuſculo Febronium effeciſſe* ait, *quàm ut faciem novam indueret nefandæ* (ſic nominat Catholicam) *religioni*, *incautiſque hominibus*, *ut ſunt hodie LUTHERANORUM PERMULTI*, *eam commendaret*; §. 5. methodum ejus novam eò pertinere, ut ſatisfiat illi parti gravaminum, quæ de Pontifice fuerant, & hoc facto, *Proteſtantes* cum *Romano-Catholicis ita conjungantur*, *ut leniori Papæ imperio*, *& Epiſcoporum liberiori poteſtati ſubjecti*, *expulſos divino beneficio errores recipiant*; §. 6. non dubitat, fore *pleroſque*, tum *plebejos*, tum *eruditos*, *qui hanc adverſarii ſui rationem non omnino contemnendam eſſe*, *exiſtiment*; *ita enim eſſe ſuos homines*, *ut non id tantùm*, *quòd novum eſt*, *arripiant*, *verùm etiam in religionis potiſſimùm cauſa faciles ſint in concedendo*; ſæculi noſtri (quod fæcem & ſentinam reliquorum nominat) homines *non adeo curioſos eſſe in religionis integritate*, neque videndi veri tam ſtudioſos, *ut divinæ veritatis puritatem*, *ſanctitatemque eo fervore cuſtodiant*, *ac tueantur*, *quo MAJORES SUI eam defenderunt*: medios inter Chriſtianos ampliorem ſibi officinam *mundi hujus ſpiritum* collocaſſe, *atque univerſi exitii ſpectatorem magis eſſe*, *quam auctorem*; *DOCTISSIMOS enim VIROS*, è quorum numero *ne omnes quidem THEOLOGOS* ejicit, *de momento doctrinæ Religionis FRIGIDISSIME SENTIRE*; *Indifferentiſmum ferè univerſalem eſſe*, religionem putari ei, qui de omnibus dubitet, aut *qui eclecticus ſit*; non allaborare eos vehementer in conſervatione ejus, quod *fundamentum totius ædificii myſtici*, id eſt, *Eccleſiæ*, appellatur, nempe *Scripturæ Sacræ*, *ejuſ-*

ejuſque auctoritatis, & certitudinis; *emendant* enim (ſic proſequitur) *addunt, detrahunt, torquent, explicant, prout cuivis ingenio, principiis, oſtentationique conſentaneum videtur*; & mox: *Expellite PAUCOS ſeverioris diſciplinæ, ſanctioriſque animi Chriſtianos, RELIQUIS, cujuſcunque artis, ſexus, ætatis, ſtatuſque hominibus præbendas, fœminas, reditus, commercia, munera, privilegia date, ET FEBRONIUM STATIM AD OVILE PONTIFICIUM SEQUENTUR*: proindeque non reddidit bonas gratias labori Febroniano, ſic pergens: *NOS AUTEM, & nobiſcum omnes, qui Reformationis beneficium grata mente repoſuimus, ſacris revelationibus edocti, FEBRONIO NULLAS CERTE GRATIAS AGIMUS pro ſumma ejus contentione, ſummoque ſtudio, quo viam novam nobis ad Eccleſiarum unionem demonſtrare contendit* §. 7. rejicit oblatam à Febronio pacem, quia hæc non eſſet *abſque inſidiis*, non exiſtimans equidem, à pacis ſtudio planè abhorrendum eſſe (id quod contra ſpem Pacis Weſtphalicæ foret) ſed extimeſcens talem pacem, quæ cum inſidiis conjuncta ſit; *verbis enim* (ſic ſubjungit) *Febronius pacem offert, re ipſa bellum nuntiat*: Ad iſtud ſe parat Bahrdtius, animi bulliens calore, Theologus juvenis, & quidem rigidè ad normam primævorum Lutheranorum, inſtar eorum de tyrannide, conſcientiarum libertate, erroribus *Romanenſium*, quos vocat *Catholicos*, verba faciens: Aſt, videns, fruſtra conſcribi à ſe milites ad normam belli ſuam, mox invehitur in illos Lutheranos, *qui bella fugiunt*, *aut qui diſſenſionem, diſceptationes controverſiaſque ex Eccleſia exterminari volunt*, ſic conqueſtus: *ſæpiſſimè enim NEFARII hominum iſtorum CLAMORES, de modeſtia in refutandis adverſariis, de pace in Eccleſia colenda, de abſtinentia à controverſiis crebrioribus, DE NON APPELLANDO ANTI-CHRISTO, de tolerantia, & ejus genus alia, nihil aliud nobis oſtendunt, quàm timidi, effœminati, frigidique animi documentum: nolunt muneribus, amicitiis, reditibus, commercio, beneficiis, patronis, Regibus, ob veritatis ſtudium, & amorem aliquid detrahere: clamant itaque illud Prophetæ: Pax, pax, ubi*

pax neque eſt, neque unquam eſſe, ſalva veritate poterit. Demum § 16. ita finit: *Interim tamen, conſolaturi Febronium* (id quod ironiæ habet aliquid) *viginti mille Sectæ noſtræ deſertores ipſi promittimus, ſi velit ipſe ad nos venire, ſingulisque tantam pecuniæ ſummam, vel opum aliarum copiam largiri, quantam pro ſuo quiſque ingeniolo optare unquam viſus eſt: ejuſmodi homines NON EXIGUO NUMERO, quod fatemur, HODIE LUTHERANAS ECCLESIAS COMPLENT, qui à LUTHERO, PRÆTER NOMEN, NIHIL ACCEPERUNT, quique PRO PARVO LUCRO, præſertim, ſi vel PUBLICA INFAMIA, vel parentum cognatorùmque clamores evitari poſſent, aliena caſtra ſequerentur. ATQUE HUIC GENERI HOMINUM VEHEMENTER COMMENDANDA ERIT FEBRONIANA UNIENDI DISSENTIENTES METHODUS*.

Hæc vidit *Jeſuita Kleinerus*; ſed quomodo viſa judicavit? Arripuit unicè *difficultatem* reunionis in odium *Febronii* propter ſummam renitentiam *Bahrdtii*: diſſimulavit reunionis *facilitatem* (poſt ſublatos Curiæ Romanæ abuſus) quam ingenuus ille Confeſſor Lutheranus & extimuit, &, deſcribendo modernam diſpoſitionem plerorumque Lutheranorum, eo ipſo ſperandam oſtendit contra ſuas præventiones. Nempe eò res demum pervenit, ut (paucis Theologis eorum exceptis, quos Eccleſiæ reuniendæ parum attendent) doctiſſimi Lutheranorum hodie non curent multum ſuos Theologos, nec ipſum *Lutherum*, à quo nomen primò acceperunt, poſtea malentes vocari *Evangelici*, aut *Proteſtantes*, vel *Confeſſioni Auguſtanæ Addicti*. Hoc ſine Bahrdtio novimus nos Catholici pridem, Theologos Lutheranos (*Zelotas* horum intelligo) cum ſuis controverſiis, quæ perturbarunt Eccleſiam, vix audiri à Juriſperitis ac Miniſtris Aularum ampliùs, non, quia omnes iſti ſpiritum Chriſti cum ſpiritu mundi commutaſſent, curamque Religionis ac ſalutis prorſus abjeciſſent, ſed, quia in nonnullis controverſiis meras tricas ſcholæ depræhendiſſe ſibi videntur, quibus carere potuiſſet pax Eccleſiæ, in cæteris defectum ſufficientis probationis, quod Eccleſia *Catholica* ſit in errore aliquo

liquo, in luce autem veritatis ſit *Lutherana*, imò in diverſis jam tenent potiùs cum Catholicis ; hinc non frequentant cœtus ſacros, non audiunt verbi prædicationem, non ſubeunt exomologeſin, non communicant Cœnæ, & quoniam retinaculis quibuſdam (inter quæ nimietatem poteſtatis Pontificiæ præcipuo loco eſſe credidit Febronius ; accedere quoque poteſt obligatio credendi aliqua, ſuper quibus exiſtentia revelationis ipſorum oculos adhuc fugit) attinentur, quò minùs ad Catholicos tranſeant, ideò reſultat *tertia ſpecies, nec Catholicorum, nec Lutheranorum*, contenta credere illa, in quibus Catholici cum Lutheranis conveniunt, in medio autem relinquens puncta, circa quæ diſſident. Hiſce viris modica luce opus eſt, ut redeant ad Catholicos, nempe, ut Catholicus aliquis calamus eis oſtendat, rationem Capitis, in Eccleſia Catholica firmiter credendi, *non conſiſtere in imperio monarchico, non in Summi Pontificis infallibilitate, non in ſuperioritate ad Concilium generale, non in lubitu definiendi & conſtituendi, quod quiſque Papa vult, non in jure deponendi Reges, aut in horum temporalia ſe immiſcendi*, ſed *in poteſtate, quam una cùm Apoſtolis collegialiter exercuit S. Petrus, Caput, Præſes, Director Collegii Apoſtolici*; tunc jugum erit ſuave, & onus leve; tunc evaneſcet in ipſis impreſſus à pueritia horror à Papa, tanquam cui ſe ſubmittentes exponerent libertatem conſcientiæ ſuæ *periculo tyrannidis*, quam, more primævorum Lutheranorum, toties exaggerat *Cathechiſta Lipſienſis*, plus honoris habiturus, ſi & hoc verbum omiſiſſet, nec conqueſtus eſſet, quod prudentes inter Lutheranos Viri clamitarint *non appellandum Anti-Chriſtum*, commendarintque *modeſtiam* in diſputando. Videtur mihi iſte ſeveram Theologiam ſuam *ad literam Lutheri*, etiam *ultra fines Auguſtanæ Confeſſionis*, ſuis inculcare velle, in quo inſtituti ſui exceſſu oleum, meo judicio, perdidit; nam *indocti* eum non capient, *docti* verò ſapientiores ſunt, quam *ut omnia credant, quæ ſtripſit Lutherus*; hinc nequidem diſputationem *adverſus Lutheri ſcripta* accipiunt à Catholicis, fortè ex *Luthero* argumentari volentibus: miter

Chri-

Chriſtianus foret, qui nollet captivare intellectum ſuum *in obſequium propoſitionis Eccleſiæ*, vellet autem promptè *in honorem Lutheri*, cui nequidem primi aſſeclæ per omnia adhæſerunt. Hæc & alia manifeſta *nutantis Eccleſiæ Lutheranæ* argumenta vidit Saxo noſter, vidit, & timuit, ne nutans collabeſceret, quia primus fervor abiit, pertinacia receſſit, contemptus Theologorum Proteſtantium ſupervenit cum frigore circa diſſidii capita *purè Theologica*: id quod in religionibus *politicum* eſt, *circa regimen Eccleſiæ*, attenditur adhuc maximè: circa hoc ſublatis ſemel horroribus, Theologi Lutherani paucos ſibi adhærentes retinebunt: hoc erat, uti quidem judico, judicium *Febronii*: hoc advertit *Bahrdtius*, & ſuis Hannibalem eſſe ante portas annuntiavit, bene gnarus, quo loco ſint hoc tempore res, animique Lutheranorum, quam multi eorum ſint diſpoſiti, facileſque ad Chriſtianam reunionem.

Quid verò *Kleinerus Jeſuita* ad hæc? Dum laudare *Febronium*, atque cum ingenuitate adjuvare debuiſſet in bono propoſito, exprobrat ipſe huic, quod horrori politico Proteſtantium larvam detraxerit, docendo, *quid eos de Papa oporteat credere, & non amplius*, candidè fatendo, *in quo peccet ars politica Curiæ Romanæ, in quo peccent ſervi ejuſdem JESUITÆ, nihil audentes docere, quod principiis Romanis vel eminùs adverſatur*, qui dum potiſſimas Germaniæ Academias ſub prætextu, quod ipſi *hæreticorum ſint mallei*, ad ſe rapuerant, magnam *Tractatus de Fide* partem in eo abſumpſere, ut probarent; *Papam non ſubeſſe Conciliis generalibus, meliùs gubernari Eccleſiam per ſolum Papam, quàm per Concilia; nam illum ſe ſolo, cùm loquitur ex cathedra, errare non poſſe*: ſciebant bene, quòd hæc doctrina non ſit *de fide catholica*; attamen quoque inter *Polemicam adverſus Proteſtantes* eam pertractabant, ſic, ut multi eorum exiſtimarent, teneri nos Catholicos credere *has puras opiniones*: iidem verò Jeſuitæ conſcientias ſcholarium Catholicorum in eas anguſtias cogere ſatagebant, ut piaculo ſibi ducerent Germani, contrarium tenere, periculo autem, ſi pu-

publicè ſuſtinuiſſent. Gratias nullas habet *Jeſuita* Febronio, quod eis in faciem reſtiterit, multas verò *Germaniæ*: jam etenim verò ſentit re ipſa cautiorem Italorum inceſſum in Imperativo modo: vident in ſpeculo *Febronii* faciem rerum Eccleſiæ Germanicæ, quam crediderant perpetuò manſuram eſſe *cœcam obedientiæ terram*, quacum Papa facere poſſet, quod luberet. Sed & Curia Romana, ſi cœteros de Germania in ſinum Eccleſiæ ſeriò revocare velit, gratias habeat Febronio, quòd viam oſtenderit, nempè mitigationem doctrinæ *de Primatu Petri* eò uſque, ut ab eo Principibus & Aularum miniſteriis nulla ſit apprehenſio.

At verò hìc mox intercedit dehortator *Bahrdtius*, ajens Febronium ſtruere inſidias latentes, & *Kleinerus* §. 30. laudat *acumen* animadverſionis, quam habuit Bahrdtius, his verbis: *ACUTE verò advertit laudatus ſuprà Barhdtius, Febronium contra libertatem conſcientiæ, à Proteſtantibus prætenſam*, idem dare Eccleſiæ univerſæ, quod Papæ detraxerat, Patrum, Conciliorum, Canonumque ſententiis (*hæc eſt traditioni, & quidem eccleſiaſticæ tantùm, cui ad finem propoſitum Febronius inſiſtit*) conſcientias ſubjici: *unde dicta à Febronio* nefanda conſcientiarum vincula *appellat, librum verò ejus vel ipſis Proteſtantibus* periculoſum, ac ſtructas in eo laten-tes inſidias. *Hanc ab iis gratiam iniit Febronius, in quorum ſcribere videri voluit.*

Miror, quòd Jeſuita ſic ſcribere non erubuerit, laudans uſque adeo *acutam* obſervationem. Nec verum eſt, quod Febronius *latentes* inſidias ſtruxerit; nam palam locutus eſt, ſe cupere diſſidentium Eccleſiarum reunionem: palam dixit, quid oporteat reuniendos de Eccleſia credere, nempe illud Apoſtoli, quòd ſit *columna & firmamentum veritatis*, & illud Chriſti, quòd *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. An rectè prætenditur libertas conſcientiæ adverſus talem Eccleſiam? Sic quis Lutheranus Lipſienſis teneret aliquod dogma contra Catechiſmum Lipſienſis Eccleſiæ, an non Catechiſta Bahrdtius hunc denuntiaret Synodo vel Con-

ſiſto-

ſiſtorio emendandum ? Si tanta debeat eſſe libertas conſcientiarum, ut nequidem Eccleſia eis imperare poſſit, cur Catechiſta culpat eos, qui *eclectici* ſunt in credendo, cùm utantur jure pretenſo libertatis conſcientiarum ſuarum ? Cur amarè queritur de indifferentiſmo ferè univerſali ? Si Eccleſia *Catholica* non habeat tantum juris, ut conſcientiis fidelium imperet, *ne ſint indifferentes ad ea dogmata particularia*, in quibus diſſident Chriſtiani, quæ ergo Eccleſia hoc jus habebit ? Cur accuſat doctiſſimos ſuæ religionis Viros, quod negligant conſervare *fundamentum totius Eccleſiæ*, S. nempe *Scripturam*, *ejuſque auctoritatem*, *& certitudinem*, quòd *emendent*, *detrahant*, *addant*, *torqueant*, *explicent*, *prout cuivis ingenio, principiis*, *oſtentationique conſentaneum videtur* ? Hi ſunt mali fructus prætenſæ conſcientiarum libertatis adverſus Eccleſiam, de qua dixit S. noſter Augustinus, Doctor Catholicus : *Ego Evangelio non crederem*, *niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret auctoritas*. Sepone iſtam, ac cujuſcunque Eccleſiæ auctoritatem, & exſpecta criſes, atque interpretationes in Biblia utriuſque Teſtamenti ! Exemplo nobis ſint procuſa cum notis hoc ſæculo *Biblia Wertheimenſia* : interpres in his etiam ſecutus eſt libertatem conſcientiæ ſuæ, contempta quacunque Eccleſia ; quid autem factum eſt ? Eccleſiæ Lutheranæ maximis conatibus opus fecerunt ſupprimi, velut peſſimum partum, cujus ? *Libertatis conſcientiæ*. Si hæc cuique fideli à ſua Eccleſia debeat relinqui, cur Theologi Lutherani JCtum C. *Thomaſium*, cur *Wolffium* Philoſophum, adeo perſecuti ſunt, cur multos quoque *Prædicantes*, & quoſdam de plebe homines diris proceſſibus exagitarunt, quoniam non videbantur credere, ſicut ipſi credendum eſſe crediderunt ? An jurare debere in *formulam Concordiæ*, *libroſque Symbolicos*, quos vocant, aut carere miniſteriis, profeſſoratibus &c. non eſt conſcientiarum libertati frœnum injicere ? Legantur apud *Carpzovium* pœnæ hæreticorum etiam Lutheranis uſitatæ, qui ſi hæreſi conjungant blaſphemias, ultimo quoque feriuntur ſupplicio, ſi abſque his & ſeditio-

ditione pertinaciam, mulctantur excommunicatione & exi... Vana igitur, bonæque Politiæ, tum ſacræ, tum profanæ nociva eſt prætenſio tantæ libertatis, ut impunè quis poſſet ſenſum ſuum anteponere decretis Patrum in Conciliis, & Eccleſiæ Catholicæ.

Deinde non eſt verum, quod Febronius idem dederit Ecclcſiæ, quod Papæ detraxit; nam multa ſunt, quæ optaret ipſe prorſus abeſſe à tota Eccleſia, ſicuti eſt dominatus ad imaginem ſæcularis imperii ſenſim effictus, malorum radix ambitio, avaritia, nepotiſmus.

Traditionibus & inſtitutionibus *verè eccleſiaſticis* nemo Juriſprudens reſiſtet, qui novit etiam in civili republica *Jus* dividi in *ſcriptum* & *non ſcriptum*, hocque ſubdividi in *traditum* & *conſuetudinarium*: pulchrè de hoc argumento S. Basilius relatus à Gratiano in Can. 5. Diſt. XI. Nec minùs eleganter S. Augustinus relat. in Can. 1. Diſt. XII. *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri, ſicuti, quòd Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus S. anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervetur ab univerſâ, quacunque ſe diffuderit, Eccleſia. Alia verò, quæ per loca terrarum regioneſque variantur, ſicuti eſt, quod alii jejunant ſabbato, alii verò non, alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantùm & dominico, alibi tantùm dominico, & ſiquid aliud hujuſmodi animadverti poteſt: totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes.* Ecce hìc traditiones locorum *particulares*, traditiones vel *Apoſtolicas*, vel *Eccleſiaſticas*, omnes laudabiles: nemo diſcretus cum ſcandalo reliquorum fidelium iis tam diu aſſuetorum poteſt prætendere, ut abrogentur: Feſta prædicta Auguſtinus non eſt auſus *præcisè* referre ad *Apoſtolicam traditionem*, nec audebit Bahrdtius, quorſum ergo? Cum Au-

N gu-

guſtino *VEL* ad *Apoſtolicam*, *VEL* ad *Eccleſiaſticam*. Cæterùm à traditiunculis cavet ſibi ipſa Catholicorum criſis, & eò minus obtrudet eas redituris in unionem.

Traditionibus quoque *divinis*, quas extra S. Biblia admittunt Catholici, vir prudens fidem abrogare non poteſt, ſi cogitet, *ante Moyſen* omnia fuiſſe tradita, *à Chriſto* nullum Evangelium conſcriptum, nec *ſcribi*, ſed *prædicari* juſſum; illud *Matthæi* octo annis poſt Aſcenſionem Domini, illud *Marci* novem, & quod ſupererat, illud *Lucæ* annis 14. 19. imò 29., illud *Joannis* 32., ſcripta eſſe, à multis Apoſtolorum ne viſa quidem: ergo *traditione* conſtitit tunc noſtra doctrina Evangelica: ſcripturis ſubſecutis, an quod præceſſit, *jus traditum*, nihil amplius valere debuit? Ad Juriſprudentes appello, nec plus ajo.

Aſt Kleinero *diſſertiùs* Bahrdtius, ac *rotundè* negat, evulſa etiam radicitus Papæ poteſtate, unionem nos inter & ipſos fieri poſſe, quòd ea etiam ſublata, complures ſuperſint articuli, *abſolutè* aut *hypotheticè* capitales, & qui ad ipſam Religionis naturam ſpectent, è quibus priores ad 37., poſteriores ad 12. deducit. An hoc totum credidit Heidelbergenſis Jeſuita? An penitùs deſperavit, fore, ut politicis obſtaculis (non genuina Papæ poteſtate) è medio ſublatis, Bahrdtius cum ſuo puſillo grege deſereretur à plurima parte Lutheranorum, plus credente noſtris, quàm ipſorum fundamentis? Quid, ſùntne illorum antitheſes tam evidentes, ut prudens vir audacter queat dicere, quòd ſint in Eccleſia Catholica 37. *errores abſolutè tales*?

Errores hos imputatos confuſim prorſus enumerat Bahrdtius, nec ponit Catholicas *Theſes*, ſeu enuntiationes, ſed ſolùm *Titulos* & materias, in quibus nos errare contendit, cùm tamen debuiſſet dicere, quomodo ſonent errores. Coordinemus titulos:

MATE-

MATERIA DISSIDII.

„ **I. De cauſa ſalutis in Chriſto ſolo non**
„ **quærenda. II. De coadjutrice Chriſti Ma-**
„ **ria & Sanctis. XI. De cultu reliquiarum.**
„ **XII. De cultu imaginum.**

DOCTRINA CATHOLICA.

Legatur vel ſolum Concilium Tridentinum Seſſ. XXV. de invocatione Sanctorum, & ad 1.) videbitur hoc dogma: *JESUS Chriſtus Dominus SOLUS noſter redemptor & SALVATOR eſt*. Adde c. 6. de Juſtificat. Ad 2.) Nec Maria, nec Sancti, Catholicis ſunt *coadjutrix*, & *coadjutores CHRISTI* in ſalvando, ſed orationes ſuas Deo pro hominibus offerunt: non *juvant ſalvantem*, ſed patrocinio *aſſiſtunt ſalvandis*: non cogitavit juvare Chriſtum in ſalvando Apoſtolus, nec Chriſtum juvari voluit ab aliis, dum ſcripſit ad Rom. I. v. 10. *ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis* & XV. v. 30. *obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut ADJUVETIS ME* (*me*, inquam, non *Chriſtum*) *in orationibus veſtris pro me apud Deum*: ſimilia toties repetit Paulus in ſuis epiſtolis. Unde ad 2.) Qui *invocationem Sanctorum*, patronorum noſtrorum combinare neſcit *cum cauſa ſalutis unica, in Chriſto quærenda*, non didicit diſcernere, nec reflectere, quòd Sancti à nobis invocati nos non ſalvent, ſed apud Chriſtum nobiſcum pro ſalute inſtent conjunctis precibus: *jam de ſua incolumitate ſecuri, & adhuc de noſtra ſalute ſolliciti*, inquit S. Cyprianus de Mortalitate circa fin. Scilicet conſtat ex Scripturis, per Angelos cæteroſque Sanctos offerri orationes noſtras ante thronum Dei. *Tobiæ XII.* 12. *Apocal. V.* 8. Gaudium eſſe in cœlis coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; & ſimiles eſſe Sanctos Angelis *Luc. XV.* 7. *Luc. XX.* 36. Magnam in cœlis celebrari ſolemnitatem & lætitiam Angelorum & San-

 cto-

ctorum cum Chriſto regnantium, de extinctione idololatriæ, quæ per Babylonis caſum & ruinam in Apocalypſi myſticè deſignatur. *Apocal. XVIII.* 20. *XIX.* 1. 2. 3. 4.
„ Exultare Sanctos in gloria; lætari in cubilibus ſuis; ex-
„ altationes Dei in gutture eorum, ad faciendam vindictam
„ in nationibus; increpationes in populis: ad alligandos
„ reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in mani-
„ cis ferreis, ut faciant in eis judicium conſcriptum: Glo-
„ riam hanc eſſe omnibus ſanctis ejus." *Pſ. CXLIX.* 5. Juxta quem ſenſum Chriſtus ait ſeſſuros ſecum Sanctos ſuper ſedes ad judicandas duodecim tribus Iſrael *Sapien. III.* 8. *Iſai.* III. 14. *Matth. XIX.* 28. 1. *Cor. VI.* 2. 3. *Apoc.* II. 26. 27. Omnia Pontificem & Jeremiam poſt mortem orare pro populo & pro omni gente ſua. 2. *Machab. XV.* 12. 14. Si ergo Sancti preces noſtras ad thronum Dei perferunt, ſi gaudent de peccatorum converſione & pœnitentia, ſi nationes regunt & judicant; dubium nullum eſt, quin manifeſtet illis Deus fuſas ad eos preces, quemadmodum & Prophetis futura pandit, & indicavit olim Eliſeo quidquid in ſecretiori Syriæ Regis Concilio tractabatur. 4 *Reg. VI.* 12. Certè longè majori donantur a Deo Sancti in cœlis ſcientia & intelligentia, quàm Prophetæ, dum adhuc in terris agunt. Eſto tamen fuſas ad ſe ipſos preces Sancti non intelligant (quod tamen dici ſine temeritate nequit;) non propterea ſupervacaneum foret ipſos invocare: fortaſſe enim orant generatim pro omnibus, qui ipſos invocant. Non abs re fuit S. Auguſtini de Cura pro mortuis cap. XVI. n. 20. ea de re verba promere, ubi *Iſta quæſtio*, inquit, *vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur Martyres iis quos per eos certum eſt adjuvari; utrùm ipſi per ſe ipſos adſint uno tempore tam diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis .... An ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiis ſupplicantium (ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſunt, nec quid agant ſcimus). Deus omnipotens, qui eſt ubique præſens, exaudiens Martyrum preces, per Angeli-*

gelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbeat hominibus iſta ſolatia. Res hæc altior eſt, quàm ut à me poſſit attingi, & abſtruſior, quàm ut à me valeat perſcrutari. Cæterùm mos ille Sanctos invocandi ab Apoſtolorum traditione manat. Hunc ſervavit ſemper Eccleſia. Hujus traditionis teſtes ſunt omnes Eccleſiæ Patres, vel ſcriptores Eccleſiaſtici Ad 11) Quid mali eſt venerari *oſſa & cineres* illorum corporum, quæ erant *templum Dei, & Spiritus Sancti, ac membra Chriſti?* 1. Corinth. III. v. 16. VI. v. 15 & 19. Per reliquias *Eliſæi* Deus patravit miracula in lege veteri IV. Reg. XIII. v. 21. ita, *ut mortuum prophetaret corpus ejus.* Eccl. XLVIII. v. 14. In lege nova uſque adeo *per umbram* Petri, per *ſudaria & ſemicinctia* Pauli. Actor. V. v. 15. XIX v. 12. Similia de ſacris lipſanis retulerunt nobis viri digniſſimi fide, oculati teſtes, *AMBROSIUSS, AUGUSTINUS*, & alii: an fabulæ ſunt? Sin autem vera, quidni honoremus inſtrumenta divinæ thaumaturgiæ? Sanè cultus Reliquiarum Apoſtolicæ traditionis auctoritate firmatur. Hujus traditionis (ut quamplura alia prætermittam) argumentum omni exceptione majus eruitur ex hiſtoria translationis reliquiarum S. Babylæ Epiſcopi Antiocheni & Martyris, factæ temporibus Juliani Apoſtatæ, cujus meminere S. Chryſoſtomus, Rufinus, Sozomenus, Socrates & alii. Ad 12.) Tam innocens à violatione divini præcepti *Exod. XX.* eſt cultus *Catholicorum* erga imagines Sanctorum, quàm eſt *Lutheranorum* uſus earum in templis, non obſtante, quòd *Calviniſtæ* improbent eundem in Lutheranis: equidem & hi, & illi primitùs, ubi animi cum ferocitate calebant, *idololatriæ* labem Catholicis aſpergere volebant, ſed prudentiores inter ipſos viri non potuerunt eam deprehendere; ideo nunc ceſſat hoc opprobrium: nempe, ùt ait Tridentinum loc. cit., non credimus, ſicut idololatræ, *ineſſe aliquam imaginibus divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed, quoniam HONOS, qui eis exhibetur, REFER-*

TUR

TUR AD PROTOTYPA quæ illæ repræſentant , ita , ut per imagines, quas oſculamur , & coram quibus caput aperimus , aut procumbimus , CHRISTUM ADOREMUS, SANCTOS, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, VENEREMUR. Quid , amabo, in hiſce doctrinis omnibus eſt , non dicam , *erroris*, ſed *retinaculi* , ne illas amplectantur nobiſcum , practicentque Lutherani ? In fronte operum Lutheri cernitur ipſe pictoris arte coram imagine Chriſti è cruce pendentis flexis genibus orans ; & quis Proteſtantium putat ſe peccare , ſi ſervet apud ſe pictas tabellas , quibus exprimantur ad vivum vel religionis myſteria , vel Chriſti aut Sanctorum effigies ?

MATERIA DISSIDII .

„ III. De ſatisfactione per paſſionem Chri-„ ſti hominis, non θεανθρώπου

DOCTRINA CATHOLICA .

Non explicat hic Bahrdtius , in quo ſit prætenſus error Catholicorum : docent hi , ad exhibendam ſatisfactionem pro peccato condignam opus fuiſſe 1.) ut *ut ab eadem natura*, quæ peccaverat , exhiberetur. 2.) ut *infiniti valoris* eſſet ; ad quæ duo requiritur *perſona divina*, duas ſuſtinens naturas , *divinam* & *humanam* : humanam , *quæ pateretur* , divinam , quæ *paſſioni communicaret infinitum valorem* , & ſic utique *totum Compoſitum Theandricum* ſatisfecit offenſo Deo: ſicut dicit S. Augustinus in Enchiridio cap. 108. *Neque per ipſum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum JESUM Chriſtum , niſi eſſet Deus* , & S. Anselmus Lib. II. *Cur Deus homo* Cap 6. *Hanc ſatisfactionem non poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo , neceſſe eſt , ut eam faciat DEUS-HOMO*: hoc pacto verificatur illud Apoſtoli ad Rom. V. v. 10. *cum inimici eſſemus , reconciliati ſumus Deo per mortem FILII EJUS* . In hac doctrina quis carpet errorem ?

MATE-

MATERIA DISSIDII.

„ IV. De inſtituendis miſſis pro quotidianis „ delictis, mortalibus, & venialibus. VIII. De „ ſacrificio mortuis, & vivis neceſſario.

DOCTRINA CATHOLICA.

Miſſas multi hodienum faciunt Lutherani, tam *ſiccas*, id eſt, abſque Cœna dominica, quàm cùm iſta. Confeſſio Auguſtana art. 24. ait: *Falſò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant, retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reverentia celebratur: ſervantur & uſitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquam, quod latinis cantionibus admiſcentur alicubi germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendum populum, nam ad hoc opus eſt ceremoniis, ut doceant imperitos . . . . Aſſueſit populus, ut una utantur ſacramento, ſi qui ſint idonei, id quoque auget reverentiam, ac religionem publicarum ceremoniarum*. Ed infrà: *Servatur apud nos una communis Miſſa, ſingulis feriis, atque aliis etiam diebus, ſiqui Sacramento uti velint*.

Miſſam eſſe *Sacrificium* cum memoria *Sacrificii Crucis*, docent Catholici; Proteſtantes autem exiſtimant, *ſacrificium à ſacrificio Crucis diverſum huic præjudicare*: hos inſtruxit Concilium Tridentinum Seſſ. XXII. de Sacrificio Miſſæ c. 2. *Una eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa; cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc* (oblationem incruentam Miſſæ) *uberrimè percipiuntur: tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur*. Hæc verba continent invictum huculque argumentum contra prætenſam derogationem; nam *eadem hoſtia, idemque Sacerdos* ſibi non derogat, & oblatio, quæ facit percipi fructus oblationis factæ in ara Crucis, non derogat hujus fructibus, ac virtuti: ſic explicatur, quomodo Chriſtus non ſolum ſit Sacerdos *ſecundùm ordinem Aaron*, ſed etiam *Sacerdos in æternum ſe-*

cun-

cundùm ordinem Melchiſedech, ſacrificio utrinque viſibili offerens ſe Deo, ſemel *cruento*, ſemper *incruento*, mòdo. Cur iſtud *duplex* Chriſti *Sacerdotium*, ſic explicatum, agnoſcere non poſſent Proteſtantes per conſcientiam ſuam? *Manducandum* ſe præbet Chriſtus in Euchariſtia, ſecundùm nos, & illos: quæro an *immolatum* manducaverunt Apoſtoli in cœna, vel *non immolatum*? *Immolandum* in Cruce, repones hoc quidem rectè propter verba Evangelii: *Corpus, quod pro vobis TRADETUR*: *Sanguis, qui pro vobis EFFUNDETUR*; ſed & *immolatum priùs Deo* præbuit ſe manducandum Chriſtus his, qui Cœnæ illi Dominicæ interfuerunt; *paſcha novum* aſſimilavit *paſchati veteri*, quod præmiſit; vetus paſcha priùs immolabatur, deinde manducabatur: *teſtamentum novum* tunc fecit; ſolemnia teſtamentorum ſigilla erant *concomitantia in eodem contextu ſacrificia*, ut conſtat ex Scripturis; neque in more Judæorum poſitum erat, tales eſcas participare, niſi *priùs Deo immolatas*: ſic eſt communio euchariſtica Chriſtianorum: non participant manducando, niſi priùs Deo immolatum: *inſpecta vi verborum*, commedunt ſeparatim corpus, ſeparatim ſanguinem Chriſti, quid hoc eſt, niſi commedere *priùs mactatum*? Et cui mactatum? Certè non manducaturis, ſed Deo, nam *pro eſca ſola animæ* Chriſtus non habuiſſet opus, ſeparatis verbis dare corpus, ſeparatis dare ſanguinem ſuum, ſed potuiſſet dicere: *hoc ſum ego: manducate me*.

Nunc ad 4.) & 8.) Dum Bahrdtius objicit Catholicis *neceſſitatem* Sacrificii miſſatici pro mortuis, & vivis, ad delenda *quotidiana* peccata, videtur repetere Auguſtanam Confeſſionem art. 24. verſu: *acceſſit porro*: quaſi verò noſtris opinio hæc eſſet, *quòd Chriſtus ſua paſſione ſatisfecerit PECCATO ORIGINIS, & inſtituerit Miſſam, in qua fieret oblatio pro QUOTIDIANIS delictis, mortalibus, & venialibus*: hincque manaſſet *publica opinio, quod Miſſa ſit delens peccata vivorum, & mortuorum ex opere operato; hìc cæptum eſſe diſputari, utrum una Miſſa dicta pro pluribus tantundem valeat, quantum ſingulæ pro ſingulis; hanc diſputationem peperiſſe iſtam infinitam multitudinem Miſſarum*:

Con-

Contra quas opiniones oppoſuit prædicta Confeſſio duo hæc : 1.) *Paſſio Chriſti fuit oblatio & ſatisfactio, non ſolùm pro culpa originis , ſed etiam pro omnibus reliquis peccatis* 2.) *Si Miſſa delet peccata vivorum, & mortuorum ex opere operato; contingit juſtificatio ex opere Miſſarum , non ex fide , quod Scriptura non patitur* . Ad hæc dico , nos Catholicos ſentire , 1. (quòd paſſio Chriſti tam pro peccato originis ſatisfecerit , quàm pro peccatis quotidianis , juxta illud Apoſtoli ad Galat. I. v. 4. *dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris* ; & 1. Joan. II. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris , non pro noſtris autem tantùm , ſed etiam pro totius mundi* . Ergo conſentimus . 2.) Miſſam delere peccata *vivorum* , eo modo, quo docuit Tridentinum Seſſ. XXII. Cap. 2. *per hoc Sacrificium fieri , ut , ſi cum vero corde , & rectâ fide , cum metu & reverentiâ contriti , ac pœnitentes ad Deum accedamus , miſericordiam conſequamur , & gratiam inveniamus in auxilio opportuno ; hujus quippe oblatione placatus Dominus , gratiam, & donum pœnitentiæ concedens , crimina & peccata , etiam ingentia dimittit* . Quantum nunc diſtamus adhuc ? Neutra pars tribuit Sacrificio Miſſæ *immediatam* peccatorum remiſſionem : cœtera non puto eſſe irreconciliabilia . 3.) De ſupradictâ *propitiatoriâ* Sacrificii virtute *pro defunctis* aliter loquendum eſt , quàm *pro vivis* ? nam hi quidem *pœnitentiæ* doni capaces ſunt , illi vero *patientiæ* tantùm , illis non remittuntur *culpæ*, ſed temporales *pœnæ tantùm* . Hinc Tridentinum l. c. docet, *ritè juxta Apoſtolorum traditionem offerri Sacrificium pro defunctis in Chriſto , nondum ad plenum purgatis* : hic effectus eſt *immediatus* , etiam *pro vivis* , in quantum his pœnæ pro peccatis remiſſis delentur . 4.) Quidquid agit Sacrificium Miſſæ , agit *ex opere operato , virtute valoris immenſi* , ſed fructus tribuit finitos . 5.) Rariùs , aut ſæpiùs offerri hoc Sacrificium Magiſter divinus non præcepit , contentus dicere : *hoc facite in meam commemorationem* ; item , *hoc quotiescunque feceritis* . Sæpiſſimè celebrantur apud nos Miſſæ ; quia actus latriæ repetiti , toties quoties placent Deo, placant Deum . 6. (Si qui ſint, qui exinde quæſtum faciant , abuſus eorum eſt, non

O Eccle-

Eccleſiæ noſtræ. Alvarus Pelagius ex ordine Minorum Theologus ac Decretorum Doctor, Pœnitentiarius Joannis Papæ XXII. Epiſcopus primùm Coronenſis, dein Silvenſis, ſcripſit librum *de Planctu Eccleſiæ*, quem librum Card. Bellarminus *Opus inſigne* appellat, & tanti feciſſe dicitur S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ut illum de manibus nunquam dimitteret; hic inquam Alvarus ſic ſcribit Lib. II. Cap. 5. *Tot hodie dicuntur Miſſæ, quaſi quæſtuariæ & conſuetudinariæ, vel ad complacentiam, vel ad ſcelera cooperienda, vel propriam juſtificationem, quòd apud Populum vel Clerum ſacroſanctum Corpus Domini jam vileſcit. Can. 1. Extra. de Privilegiis, quia omne rarum pretioſum. Diſt. XCIII. Can. Legimus. & rarum eſt omne, quod magnum eſt. Cauſ. II. Quæſt. 7. Can. 4. Unde & almus Franciſcus voluit,* * *quòd in quocunque loco Fratres contenti eſſent unâ Miſſâ, præſciens Fratres ſe velle juſtificare per Miſſas, & ad quæſtum eas reducere; ſicut videmus hodie fieri. Unde & dicebat, quòd una Miſſa cœlum & terram implebat. Hoc dico ſalvo eo, quod dicitur Extra. de Celebratione Miſſarum Cap. Cùm creatura.* Hæc (quæ Diſciplinæ ſunt) an, & quam attentionem mereantur, quòdve remedium requirant, ſpectat ad officium Epiſcoporum.

MATERIA DISSIDII.

„ V. De pœnis temporalibus pro peccato „ ſuſtinendis, tanquam à Chriſto non ſublatis. IX. De Purgatorio.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 5. Hiſtoria Eccleſiaſtica de pœnitentibus his, qui poſt baptismum ſunt lapſi, maniſeſtè nos docet, primitivam Eccleſiam ſenſiſſe, quòd Chriſtus non ſuſtulerit onus Deo ſatisfaciendi poſt remiſſa peccata, cui ſenſui ſanctæ Matris

* Epiſt. 12. inter S. Franciſci Opuſcula.

tris noſtræ cur quis repugnet multùm, non video; cùm in omni nuovo dubio prudentiſſimè ſit iniquirendum, *quid ſenſerit de illo antiquitas veneranda, & eccleſia primævi temporis*; nam & iſta ſcivit Scripturas, & meliùs, quàm nos, an Chriſtus pœnitenti contrito omnem pœnam voluerit condonare, nec ne. Ad 9. *Statum* quendam *intermedium* inter beatam vitam, atque æternam damnationem, longè proniùs recipient populi, quàm duram Lutheranorum aliorúmque Proteſtantium doctrinam de animâ aut ſtatim ſalvandâ, aut ſtatim damnandâ: Doctrina de *Oratione pro defunctis* non eſt à Chriſtianis modò inventa, acceperunt hi eam à Judæis, teſte 2. *Machab. XII.*, quem librum ſaltem ùt hiſtoricum fide dignum acceptabit *Bahrdtius*. Eum ſtatum, quo defunctis fidelium preces prodeſſe poſſunt, quem nos *Purgatorium* appellamus, certiſſima probat Traditio. Hæc à Chriſti ætate ad noſtra usque tempora fuit ſemper omnium omnino Eccleſiarum fides, cujus teſtes proferri poſſunt præcipui ex Sanctis Patribus; & in hoc Eccleſia Orientalis conſentit, & ſemper conſenſit cum Occidentali. Cæterùm nimietatibus hac in parte ſatis occurrit Tridentinum *Seſſ. XXV. de Purgatorio*, ubi ſtatuit, ut *apud rudem plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, à popularibus concionibus ſecludantur. Incerta item, & quæ ſpecie falſi laborant, evulgari, ac tractari* Epiſcopi *non permittant. Ea verò, quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant vel turpe lucrum ſapiunt; tanquam ſcandala, & fidelium offendicula prohibeant.*

MATERIA DISSIDII.

„ VI De ſatisfactionibus per orationem, „ jejunia, & eleemoſinas. XXII. De merito „ bonorum operum, eorúmque in juſtifica- „ tionem influxu. XXVI. De bonis operibus,

„ à ſola Eccleſiæ inſtitutione valorem & me-
„ ritum accipientibus. XXIV. De perfecta le-
„ gis impletione, eâque meritoria.

DOCTRINA CATHOLICA.

Hæc omnia tanti non ſunt, ut reditum Proteſtantibus ad nos diſſuadere prudenter debeant: orationem, jejunia, eleemoſynas, alia opera bona, actúsque virtutum placere Deo, qui & his moveatur, placetur, eaque remuneretur, omnes Chriſtiani tenent, nullus autem quòd hæc opera quidquam valeant, *ſine ſatisfactione*, *& merito Chriſti*, & *ſine auxilio gratiæ divinæ*, nobis gratis per Chriſtum datæ. Igitur ad *6.*) *Satisfactio*, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, *non ita noſtra eſt*, *ut non ſit per Chriſtum JESUM*, nam qui *ex nobis* tanquam ex nobis nihil poſſumus, *eo cooperante*, qui nos confortat, *omnia poſſumus*; ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, *in quo vivimus*, *in quo meremur*, *in quo ſatisfacimus*, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui *ex illo vim habent*, *ab illo offeruntur Patri*, *& per illum acceptantur à Patre*: ſic docet Tridentinum Seſſ. XIV. Cap. 8. Nihil eſt in hac explicatione, quod acceptare religio aut conſcientia Lutherano vetaret. Dicere autem, *quòd homo reconciliatus Deo per Chriſtum*, propter ſatisfactionem Chriſti *non teneatur aliquá ratione de ſuo quoque ſatisfacere*, hoc nobis Catholicis, Latinis, Græcis, eſſet magno ſcandalo, quia antiquitùs inauditum, & diſciplinæ ſemper traditæ contrarium, alliceretque ad pecandum: Subtiliùs verò diſputare, *an*, *quid*, *quantum noſtra ſatisfactio addat ſatisfactioni Chriſti*, non eſt opus ad reunionem: ſufficit credere, *quòd homo*, pœnitentiæ laborem ſubiens, *ſatisfactionem ſuam ponat*, *ſatisfactio autem Chriſti eidem vim apponat*. Ad 22. De *merito bonorum operum* pura nobis fit altercatio: non con) ſidimus cum Judæis in operibus legis moſaicæ, non cum-gentili-

gentilibus in operibus naturaliter bonis, non gloriamur in operibus noſtris, quaſi ex ſe meritoriis, *gloriamur verò in Domino, cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*, Trid. Seſſ. VI. Cap. 16. Agnoſcimus, quòd *ſufficientes non ſimus, cogitare aliquid à nobis ipſis, quaſi ex nobis*, ſed *quòd ſufficientia noſtra ex Deo ſit* 2. Corinth. III. v. 5. Confidimus in Eo, qui *potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ut abundemus in omne opus bonum*: 2. Corinth. IX. v. 8. Et bene agentes expectamus *mercedem*, toties in Evangelio promiſſam, & ſub *nomine mercedis* expreſſam: expectamus *coronam juſtitiæ*, quam reddet nobis *juſtus Judex* poſt certamen, & curſum conſummatum: 1. Timoth. IV. Speramus cum Davide *retributionem*: Pſalm CXVIII. v. 112. & cum Moyſe in *remunerationem* aſpicimus. Hebr. XI. v. 26. His fretum ſolatiis Tridentinum loc. cit. docet, nos, ſi tamen in gratia deceſſerimus, cenſeri vitam æternam illis operibus, quæ in Deo facta ſunt, *verè promeruiſſe*.

Diſputet nunc Theologus *Bahrdtius* cum Theologo *Kleinero*, nihil erit, ſepoſitâ pertinaciâ, facilius quàm oſtendere, & capere *veritatem meriti* in operibus deſcriptis: Si autem verum ſit, quòd Theologi Lutherani docent, *bona opera noſtra in ſemetipſis eſſe peccata, nec eſſe neceſſaria ad ſalutem*: hos meritò vel ipſimet ſaniores Viri ex Lutheranis, velut delirantes homines, & ad Chriſti præcepta de neceſſitate bonorùm operum cœcutientes Theologos exploderent. De *influxu* bonorum operum *in juſtificationem* quid altercamur? Tridentinum noſtrum Seſs. VI. Cap. 6. & 7. vocat actus juſtificationi præambulos, fidem, ſpem, dilectionem Dei, dolorem de peccatis, odium peccati, propoſitum ſervandi mandata Dei, *diſpoſitionem & præparationem*, quam *ipſa juſtificatio conſequitur*: declarat porro Cap. 8. quòd *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promereatur*. Cur Lutheranus per ſuam conſcientiam non poſſet huic doctrinæ acquieſcere? An fortè juſtificatur homo peccator *ſine*

præpa-

præparatione, *& diſpoſitione*? An, ſi nihil eorum, quæ præcedunt, promereatur juſtificationis gratiam, diſſerimus? Quòdſi illa Theologorum noſtrorum ſcholaſtica diſtinctio *meriti de congruo* à *merito de condigno* diſpliceat, ac ſuppoſitis quoque omnibus conditionibus, quas vulgò ponunt noſtri pro eo, ut meritum ſit *de condigno*, nondum videretur adeſſe proportio operis ad mercedem, diſſimulabimus, modò Lutheranus credat, ſicut Tridentinum exponit, nempe *a*) *Opera præcedentia non promereri gratiam juſtificationis*, i., tranſitus à ſtatu inimicitiæ ad ſtatum amicitiæ Dei. *b*) Opera verò ſubſequentia *verè promereri*, & habebimus pacem; quid enim contendemus de verbis ſcholæ, quibus non fuit uſum Concilium, procul dubio ſtudioſe, ne tricæ naſcerentur circa definitiones meriti *de congruo*, & *de condigno*.

Ad 26.) Mirabilis rubrica hæc eſt *Bahrdtii*: Quis Catholicorum docet, quòd *inſtitutio Eccleſiæ* impertiatur vel unico operi bono valorem, & meritum? Equidem verum eſt, quòd qui obedit Eccleſiæ, etiam in his, quæ ſunt præcepti merè humani, faciat bonum opus, & mereatur, ſicut qui præcepto Magiſtratus ſui, aut parentum ſuorum amore Dei, & in ſpiritu Dei, obedit; ſed propterea Eccleſia non dat rationem meriti. Ad 24.) Impletio legis quin ſit *verè meritoria*, modo ſuprà explicato, non eſt, cur hæſitet quiſquam. Altera quæſtio, *an poſſibilis ſit perfecta Legis Evangelicæ impletio*, ſic eſt nervosè reſoluta per Tridentinum Seſs. VI. cap. 11., ut accedere ei poſſint ſine hæſitatione Lutherani: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis; cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve*. Servare ſermones Chriſti ex dilectione poſſumus cum divino auxilio, *licet enim in mortali vita, quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea deſinunt eſſe juſti*. Secundùm quod dicimus, *hominem poſſe cum gratia Dei implere mandata Dei omnia & ſingula*

gula tam perfectè, ut non teneatur ſub amiſſione ſalutis ea perfectiùs obſervare. Quæſtio verò illa, *an homo cum ORDINARIIS gratiæ auxiliis poſſit DIU vitare omnia peccata venialia*, controvertitur inter Doctores Catholicos, nec pertinet ad diviſionem. Debuerunt autem primi Lutherani crudas habuiſſe hac in re propoſitiones, quarum meminit cum horrore Tridentinum, videlicet a) *Dei præcepta homini juſtificato obſervatu eſſe impoſſibilia*. b) *Juſtum in omni opere bono ſaltem venialiter peccare*, aut, quod intolerabilius eſt, *pœnas æternas mereri*. Sub ejuſmodi doctrinis populos perfractè continere non eſt prudens, neque pium: hinc non credo, eas ſuſtineri velle à *Bahrdtio*, ſicut jacent: id autem fortè propter ſuum verbum: *de perfecta* impletione legis putabit, mordicùs à Lutheranis uſque ad deditionem Catholicorum defendi debere, quòd *homo juſtificatus poſſit quidem INCHOATE, & IMPERFECTE; non tantùm EXTERNAM, ſed etiam INTERNAM obedientiam præſtare mandatis Dei, non tamen poſſit ullum præceptum Dei PERFECTE implere*, quantum Deus de rigore legis ſuæ requirit; *quamvis poſſit* ſecundùm imputationem & gratiam Evangelii, *quatenus Deus propter merita Chriſti vult eſſe contentus imperfecta obedientia, tranſgreſſionem non imputando, propter fidem in Chriſtum*: Uſque ad hanc ergo diſtinctionem pervenit diſputatio de poſſibili obſervatione mandatorum Dei! Sic ceſſum eſt à Luteranis illud: *inchoatè, & imperfectè ſervari*, retinendum dumtaxat: *perfectè impleri non poſſe mandata*. Sed præcurſor Domini miſſus eſt *parare Domino plebem perfectam*. Luc. I. v. 17. & Magiſter noſter nos voluit eſſe *perfectos*: Matth. V. v. ult. Luc. VI. v. 40. Voluit a te, Theologe, ut diligas Dominum Deum tuum *ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, Matth. XXII v. 37. Marcus addit *& ex tota virtute tua*. Cap. XII. v. 30. Lucas Cap. X. v. 27. ait: *& ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*: An hoc præſtare potes auxiliante Deo? Si potes, perfectè amabis: ſi non potes, an ergo *inchoatè*, & *imperfectè amando* implebis *primum & maximum mandatum*?

Et,

Et, ſi non ſis impleturus, quia dicis, te non poſſe, an erit *tranſgreſſio* primi & maximi mandati? an peccatum mortale? an cum eo ſalvaberis? Salvabor, inquies, quia *fide apprehendo Chriſtum*, & ſic facio, ne imputetur mihi illa tranſgreſſio: qua autem fide? *inchoata*, *imperfecta*, an *perfecta*: ſi hac, quidni etiam *perfecta charitate* complecteris Deum? Si *fide ſolùm inchoata*, *& imperfecta*, per quid aliud ſupplebis imperfectum fidei tuæ? Et de illo iterum redibit inſtantia. Agnoſce, in illa diſtinctione nihil eſſe firmitatis, nec poteſtatis, retinendi aliquem virum prudentem in tuo hoc dogmate, ùt ùt à prima cruditate defœcari volitum: *prudentem* Theologum requirit vir *prudens*, non quærentem diffugia diſtinctionum, modoſque explicandi inextricabiles afferentem.

MATERIA DISSIDII.

„ VII. De diſpenſatione a ſatisfactionibus „ propriis pro pecunia Papæ committen- „ da. XII. De indulgentiis.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 7.) Imputat hìc Bahrdtius aliquid Catholicis, quod non docent: Papæ nullibi commiſit Eccleſia, ut cuiquam remitteret erga pecuniam ſatisfactiones Deo debitas: illud tamen ſcimus, *peccata redimi eleemoſinis*. Dan. IV. 24. *Eleemoſynam reſiſtere peccatis*. Eccleſ. III. 33., *omnia munda eſſe nobis*, *ſi demus eleemoſinam*. Luc. XI. 41., *comparari per eas theſaurum non deficientem in cœlis*. Luc. XII. 33. Hac ratione legimus pridem fuiſſe redempta jejunia, ab Epiſcopis indicta, erga taxas Eleemoſynarum, apud Balutzium *Capitular. Tom.* I. *pag.* 199. *de an.* 769. Nihil in hoc mali: Succeſſerunt abuſus graves: reformatio facta eſt per Tridentinum *Seſs. XXI. cap.* 9. item *Seſs. XXV. in decreto de indulgentiis*. Ad 13.) Contra *indulgentias* rectè explicatas, & ſalva diſciplina conceſſas, nemo poteſt aliquid habere, fundatæ ſunt in Scripturis, & Hiſtoria Eccleſiaſtica: abuſus, qui in his irrepſerunt, ex ſuperſti-

perſtitione, ignorantia, quæſtu, ſublati ſunt: uſus manſit: nec *pœnitentias* velle ſubire, nec ad *indulgentias* confugere, eſt contra praxin primitivæ Eccleſiæ, in qua pœnitentiæ lapſis injunctæ debuerunt exſolvi, niſi, cum accederet indulgentia. *Confeſſio Auguſtana* art. 28. recognoſcit Epiſcopis *poteſtatem clavium*, ſeu mandatum Dei, *remittendi*, *&* *retinendi peccata* juxta Evangelium Joan. XX. 23. Qui peccata *retinere* poteſt, is & pro peccatis pœnitentias *reſervare*: qui *remittere* peccata poteſt, is & pœnitentias, ex regula, qui poteſt plus, poteſt etiam minus: imprudens eſt dicere, non redituros ad Romanam Communionem Lutheranos *ideo*, *quia in illa dantur indulgentiæ peccatoribus*; non enim dantur invitis, ſed volentibus; nolens autem volentem non ſpernat, ac multò minùs indulgentem his, qui volunt eas, Eccleſiam: *contemptu*, cujus ratio nulla eſt, *ſepoſito*, liberum eſt unicuique Catholico, *aut pœnitentias peragere*, *aut indulgentias quærere*: qui hoc nolet, peragat primum: nam *Dominus noſtra ſatisfactione placandus*. Cyprian. Epiſt. XI. Et Scriptura pluribus in locis *opera pœnitentiæ* præſcribit.

MATERIA DISSIDII.

„ XIV. De contritione cauſa remiſſionis
„ peccatorum. XV. De fide è pœnitentiæ ra-
„ tionibus ejicienda. XX. De fide ad juſtifi-
„ cationem non neceſſaria, vel non unice ne-
„ ceſſaria.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 14.) Non diſputabimus de æquivoco: *cauſa*: peccata nemini remittuntur, niſi pœnitenti: huic neceſſarium eſt Davidis *cor contritum*, *&* *humiliatum*: Petrus pœnitens doluit, & *flevit amarè*. Matth. XXVI. v. ult. Mulier peccatrix *lachrimis rigavit pedes Jeſu*. Luc. VII. v. 38. ecce dolorem: *dilexit* dolens. ibid. v. 47. ecce *contritionem*: remiſſa ſunt ei peccata, ecce fructum contritionis. Ad 15.) Mala eſt impu-

 puta-

putatio, ſi Bahrdtius *de fide recta* loquatur. *Diſponuntur ad juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, CREDENTES, vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud inprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Trid. Seſſ. VI. c. 6. Hinc ad 20.) quoad primum membrum: *fidem unicè neceſſariam* qui aſſerit, ſapientes Scripturam in ſua Communione non retinebit; *dolor cum charitate* nimis ſæpe in Scripturis præſcribitur: *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 1. Cor. 13. v. 2. Si nihil ſum, neque juſtificatus ſum. Chriſtus Luc. VII. v. 47. de muliere peccatrice dixit ad Simonem Phariſæum, *remittuntur ei peccata multa, quoniam DILEXIT multum.* In eodem cap. v. ult. dixit autem ad mulierem: *FIDES TUA te ſalvam fecit*: conjunxit dilectionem cum fide: fidem unicè neceſſariam nullibi docuit. Quid hoc utilitatis attulit Eccleſiæ, quod Lutherus cum ſuis tantopere contenderit, *fidem SOLAM eſſe, quæ nos juſtificet, ac ſalvet*, uſque adeo, ut labem corrupti textus *Rom. III. v.* 28. propter ſuam opinionem incurrere non dubitarit, addendo *ſolam*: quid, inquam, ex hac nova doctrina utilitatis? Cum fateri debeat, nec fidem ſine charitate, nec charitatem ſine fide, juſtum facere; hoc populos docere ſuffecit, quin opus eſſet diſputare, cui earum virtutum *principaliter* adſcribenda ſit juſtitia. Sanè, propter hanc diſſenſionem Bahrdtius non retrahet ſuorum animos ad reunionem diſpoſitos, dicent quippe ei, quòd hanc diſceptationem curare, ac magno unitatis bono præferre non ſit prudentis.

MATERIA DISIDII.

„ XVI. De fide in ſolo aſſenſu poſita:
„ XVIII. De ſupervacanea in fide fiducia.

XXIII.

„ XXIII. De certitudine ſalutis non niſi per „ peculiarem revelationem impetranda. XVII. „ De fide implicita, ſive carbonaria.

DOCTRINA CATHOLICA.

Mirum eſt, quòd homo ſuis opinionibus ita poſſit devoveri, ut propter ejuſmodi ad univerſalem Eccleſiam reverti dehortetur alios. Ad 16.) Cùm juxta Apoſtolum 1. Cor. XIII. v. ult. *nunc maneant fides, ſpes, charitas, tria hæc*, rectè admittitur *fides in ſolo aſſenſu poſita*, quæ illuſtrat intellectum; rectè quoque adſtruitur poſt hanc fidem dogmaticam *ſpes* à fide illa diſtincta, quæ erigit, ac ſuſtinet voluntatem: ad 18.) Huic ſpei ineſt *fiducia*, ſive *confidentia*, quæ & ſæpe in Scripturis vocatur *fides*, ſed diverſa à fide intellectus: abſit, ut *ſupervacanea* à nobis reputetur fiducia vel confidentia, *quæ magnam habet remunerationem*. Hebr. X. v. 35. Tridentinum noſtrum Seſſ. VI. cap. 6. deſcribens diſpoſitionem impiorum ait: *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntnr, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*: allegat quoque duos textus, quorum alter *fidem*, alter *fiduciam* requirit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt &c.* Heb. XI. v. 6. & *confide fili: remittuntur tibi peccata tua*. Matth. IX. v. 2. Quod autem ad 23.) Lutherani requirant ultra *fiduciam* catholicam particularem hanc, quòd *qui juſtificari cupit, teneatur firmiter ac certò eſſe perſuaſus, ſe juſtificationem obtinuiſſe*, hoc revera difficile, imò citra particularem revelationem impoſſibile eſt requiſitum obtinendæ juſtitiæ, quis enim eſt *abſolutè certus* de ſua præparatione, ac *tali* certitudine, *cui non poteſt ſubeſſe falſum*? Equidem Auguſtana Confeſſio art. 20. putavit, *experiri pavidas conſcientias*, quod ſua de individuali hac fiducia doctrina *plurimum conſolationis afferat*; *quia conſcientiæ non poſſint reddi tranquillæ per ulla opera, ſed tantùm fide, cùm certò ſtatuunt, quòd propter Chriſtum habeant*

placatum Deum: Sed vereor ne hæc inventio in ipſis rerum experimentis magis augeat pavorem, & inquietudinem conſcientiarum; eo ipſo enim, quòd hoc requiſitum credant eſſe neceſſarium, in animo autem ſuo non percipiant, contriſtantur, pavent, inquietantur: profectò & Catholicorum conſcientiæ hoc conſolationis genus lubentiſſimè acceptarent, ſi naſci hoc in cordibus ſuis experirentur; vana autem perſuaſione nolunt ſe decipere, conſcientiaſque ſopire affectata fidei particularis certitudine, gnari, quòd dixerit Apoſtolus 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*: quòdque ad Philippenſes II. v. 12. non ſcripſerit: *non eſt opus, ut in metu & tremore ſalutem veſtram operemini, ſed omnem pavorem poteſtis deponere, hoc ſolo, quòd credatis vos habere vobis placatum Deum per Chriſtum*; ſed contrarium: *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Ad 17.) Catholici neutiquam docent, *omnium* myſteriorum fidem *implicitam*, quàm vulgariter *carbonariam* vocant, ſufficere ad ſalutem, ſed multorum explicitam fidem requirunt.

MATERIA DISIDII.

„ XIX. De fidelibus fornicariis, adulteris, „ mollibus, maſculorum concubitoribus, furibus, latronibus, avaris, maledicis, rapacibus „ &c. XV. De virtutibus impiorum.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 19.) Severa Bahrdtii Theologia negat *peccatoribus*, ſaltem *enormibus*, communionem fidei, impiis poſſibilitatem virtutis natura bonæ. Prioris ſententiæ rigor meritò facit abhorrere hanc Theologiam, & amplecti noſtram; ne mox, ubi quis peccat, amittat omne fidelitatis confortium, ac ſpei anchoram, *cum jure prælaturæ, miniſterii*, ac *regiminis ovium*, ſi quod habet; quam duram ſequelam fruſtra emollivit Auguſtana

ſtana Confeſſio Art. 8. his verbis : *Quanquàm Eccleſia propriè ſit congregatio Sanctorum , & verè credentium , tamen , cùm in hac vita multi hypocritæ , & mali admixti ſint , licet uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur* ; non enim tam quæritur, *an liceat eorum miniſterio uti* , quàm , *an teneatur fidelis ſanctus Prælato , Præpoſito ac Paſtori ſuo peccatori , ſi nullam hæreſin foveat , obedire* , ut qui excidiſſet *Communione Sanctorum* , conſequenter *& omni jure paſtorali*: unde , ſi Theologia *Lutherana* hac in parte vera ſit , vera quoque erit *Huſſitica* Art. 22. *Paſtor malus eſt tantùm æquivocè paſtor* ; & Art. 23. *Prælatus malus non eſt verus Prælatus* . Non teneor autem obedire Prælato non vero . Deinde non licet regulariter fideli accipere Sacramenta *extra Eccleſiam* . Ejuſmodi exoticas ſententias , ab hæreticis jam pridem damnatis mutuatas , oportet potius ſupprimi , quàm tenaciter doceri , præſertim cùm ſint apertè contra Scripturam , & Patres. Ad 25.) Non pertinet hæc theſis propriè *ad fidem* : error tamen eſt damnatus , *Philoſophorum virtutes eſſe vitia* : *Omne , quod agit peccator , vel ſervus peccati, peccatum eſt* : *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati* . Ejuſmodi opiniones procoxerunt ingenia, ſuis in ſpeculationibus nimis exaltata , quæ retundere prudentiæ eſt, quia ſuis paradoxis mundum replent , offendunt fratres, ac perturbant Eccleſiam .

MATERIA DISIDII .

„ XXI. De modo juſtificationis per juſtitiæ „ infuſionem .

DOCTRINA CATHOLICA .

Bahrdtius neminem à fide Catholica per hoc retrahet, quòd dicat : *Si fias Catholicus , credes , animam tuam per juſtificationem ſibi intimam fieri ſanctam, mundam ſine quavis macula*; econtra, *ſi maneas Lutheranus , tunc credes, animam tuam in ſe eſſe ac manere impiam, immundam, maculis plenam ; tantùm enim tegun-*

teguntur peccata tua per merita Chriſti tibi imputata: nemo prudens, inquam, hoc dogmate retinebitur in Communione Lutherana; præſtat enim, & præplacet ſemper, *eſſe verè mundum*, quàm *videri & cenſeri duntaxat mundum, reipſa verò mundum non eſſe*. Qui juſtificatur, dealbatur *ut nix*, imò *ſuper nivem* Iſai. I. v. 18. Pſal. L v. 9. *Charitas Dei in ejus corde diffunditur per Spiritum Sanctum*. Ad Rom. V. v. 5. Non eſt hic obligatio credendi, gratiam juſtificantem eſſe aliquod *accidens abſolutum Ariſtotelis*, quo fortè collimat horror Bahrdtii: credatur tantùm, quòd dicit Scriptura, *venire in animam juſti Sanctiſſimam Trinitatem, & manſionem facere apud eam*. Joan. XIV. v. 23. atque *inhabitare Spiritum Sanctum*. Ad Rom. VIII v. 10. Miror iterum, poſſe dari prudentem virum, qui nollet reuniri nobis, niſi nos dimitteremus *juſtitiam homini intrinſecam*, & amplecti ſyſtema tam exoticum.

MATERIA DISIDII.

„ XXXIV. De libero arbitrio in homine reſiduo. XXXII. De concupiſcentia regeniti „ pro peccato non habenda.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 34.) Nunquam potui capere, qui potuerint homines prudentes generi humano negare id, quod omnes gentes experimento animi agnoſcunt, nobilem videlicet libertatem arbitrii: hi, cùm facere nos non poſſint *beatos*, neceſſario amantes Deum, contendunt nos facere miſerrimos, *neceſſariò peccantes*, & *neceſſariò bene agentes*, prout placet Deo, aut concupiſcentiæ: & horum quidem alii hanc neceſſitatem crudè explicant, alii minus crudè, alii cum ſubtilitate nihil valente. Quæſo, quid coegit recentiores hac theſi, pridem in Manichæis exploſa, his temporibus de novo facere turbas in *Eccleſia*? Sed & in *Repubblica* non poteſt audiri hæc poſi-

poſitio ; nam , ſi neceſſitentur homines ad peccata & delicta , cur puniuntur ? Nemo judicum punit expertes liberi arbitrii , veluti ſunt infantes , mente capti , furioſi , ex morbo delirantes , noctambulones : Deus ter optimus puniret ſic , & non aliter agere neceſſitatos : ego ſanè , ſi ethnicus eſſem natus , & intelligerem hoc eſſe dogma omnium Chriſtianorum , nunquam Chriſtianus fierem , quia percellit & convellit ſanam rationem cum æquitate naturali . Protoplaſtum noſtrum unico peccato ſic corrupiſſe omnes poſteros, ut deinceps liberè peccare nemo poſſit , non credam : Ab *exteris* , inquiunt, *criminibus* poſſumus abſtinere , ſed non ab *internis* : hoc frivolum jam eſt , atque inventum , ne inſulſo dogmate excuſarentur omnes malefactores , carperentur , & offenderentur judices , qui eos puniunt : Qui *internis* tentationibus reſiſtere non poteſt, is conſequente lege neceſſitatis patrabit *externa* , nam tentationum impetus , qui naſcitur intra nos , plerumque *ad externa malefacta* eſt, quæ non committit , qui impetum internum reprimit : toties has pravas inclinationes internè adhuc repreſſit Socrates Philoſophus , quoad habitum corporis malè natus , per philoſophiam , & Chriſtianus id non poſſet per Evangelium , & gratiam ? Hoc dogma tam eſt pernicioſum , ut Magiſtratus prohibere deberet , ne proponatur indoctæ plebi , exigente id prudentia gubernationis . Fanatiſmus Theologicus, capricioſitatis ſocius , quanta nobis mala non peperit ! Sic quoque ad 32.) Res accidit *de concupiſcentiæ involuntariæ perpetuo ac jugi peccato propriè tali*, quoties illa motus ſuos ſtimuloſque emittit , cumque vel ipſum prædicatum *involuntarii* ſaniùs ſentire ſuadeat , accerſunt aliquod *voluntarium in cauſa* , *ante* 5700. *annos poſitâ* , quando omnes in Adam peccavimus : concutit hoc commentum cardines ſani judicii : legunt in Apoſtolo ad Rom. VII. pugnam carnis ejus cum Spiritu ejus eodem tempore: *Video aliam legem in membris meis* , *repugnantem legi mentis meæ* : legunt , Apoſtolum no conſentire *legi membrorum* , ſed *legi Dei* , eique *condelectari* : hic ergo peccaret ſimul, & non peccaret : & ille peccaret ; qui de ſe ait : *Si autem* ,
quod

quod nolo , illud facio , jam non ego operor illud, ſed, quod habitat in me peccatum: ego non operor , ſed ego tamen peccem ! Quæ philoſophia ! An prudens vir credat , *peccatum* , quod vocat , illud , eſſe *peccatum Apoſtoli* ? Eſt *peccatum* , id eſt , *vitium* naturæ corruptæ ſecundùm carnem ; eſt *fomes peccati* , nobis ad agonem relictus , & ab Apoſtolo appellatur *peccatum* , non quòd *verè & propriè* ſit peccatum , ſed *quia ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat* . Trid. Seſſ. V. *de peccato originali* . Hanc planam interpretationem amplecti , delerere aſperam illam Lutheranorum, ac violentam opinionem , nulla poteſt eſſe animi reflectentis repugnantis .

MATERIA DISSIDII.

„ XXXI. De peccato originis in nuda privatione juſtitiæ originalis conſiſtente .

DOCTRINA CATHOLICA.

Fallitur Bahrdtius , ſi putet ; hoc eſſe *imperatum* Catholicis *dogma* : eſt probabilis multorum ex noſtris Theologis opinio ; conſtat enim , eos variare in explicando hoc dogmate : *per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors pertranſiit , in quo omnes peccaverunt*, ad Rom. V. v. 12. Explicationem Auguſtanæ Confeſſionis Art. 2. de Vitio originis noſtratium nemo admittit : *docent , quòd poſt lapſum Adæ omnes homines ſecundùm naturam propagati naſcantur cum peccato* , hoc eſt , *ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum , & cum concupiſcentia ; quodque hic morbus , ſeu vitium originis, VERE ſit peccatum* . Quòd dicitur , *ſine metu Dei , ſine fiducia erga Deum nos naſci* , hoc , opinor facilè dimittent Lutherani ; nam infans non eſt de ſubjecto capaci, dicamus loco ejus, *nos naſci filios iræ* , non , *quia concupiſcentiæ ſemen nobis connaſcitur* , ſed , *quia peccavimus in Adam* : In hoc parente unus filius æque peccavit, ac alter, nullus plus, nullus

nullus minùs altero: ergo concupiſcentia non eſt peccatum originis; conſtat enim, hanc in alio majorem eſſe, in alio debiliorem in quovis genere malæ inclinationis, dari quoque homines natura frigidos, à muliere abhorrentes, ab avaritia alienos, non valentes iraſci, pronos omnibus benefacere, neminem lædere, verbo, *bene natos*, cum harmonia corporis & humorum admirabili: ſi concupiſcentia eſt peccatum originale, ſequeretur, hos ſine eo conceptos eſſe, peccatum hoc non eſſe *univerſale*, nec *æquale* in omnibus: Porro Baptiſmus delet *peccatum originale*, non delet *concupiſcentiam*: hanc ſe ſola *verè* peccatum eſſe, etiam in renatis, ſupra profligavi: conciliabimur autem cum Lutheranis dicendo, quòd *peccatum originale ſecundùm materiale ſuum conſiſtat in concupiſcentia, ſecundum formale autem ſuum in privatione juſtitiæ originalis*, ſicut docet Amort in Tract. de peccato orig. pag. 17. ex Pallavicino Lib. VII. cap. 9. memorans, quod in Tridentino jam fuerit concepta appendix ad decretum de pecc. orig. hœc, *non improbari à Synodo illam poſitionem novam Scholaſticis uſitatam, ajentibus, manere poſt baptiſmum partem materialem peccati originalis, non item formalem*: hac conciliatione poſſunt eſſe contenti, & dimittere curioſam illam explicationem, baptiſmate *peccatum originale tantùm radi, aut non imputari*; cùm baptiſma nos *regeneret* in vitam, conſequenter omne illud tollat, quod veram & propriam peccati, ſeu mortis animæ rationem habet, ita, *ut nunc NIHIL DAMNATIONIS ſit in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant*. Rom. VIII. v. 1.

MATERIA DISSIDII.

„ XXXIII. De peccatis venialibus in ſenſu „ Pontificio.

DOCTRINA CATHOLICA.

Catholici, humanitatis & & fragilitatis noſtræ intuitu, admittunt peccata *venialia* 1.) Ea, quæ, prout commiſſa, *verè*

ſunt *mortalia*, attamen venia digna, & remiſſione ad pœnitentiam, ſicut ait S Ambroſius relatus in *Can.* 47. *Diſt.* 1. *de Pœnit.* de Peccato Evæ: *venialis culpa*, *quam ſequitur profeſſio delictorum*: hoc ſenſu & in lege Moſaica erant alia *venialia*, alia *criminalia* peccata. *Can.* 1. *Diſt.* 6. *de Pœn.* Hæc non remittebantur ceremoniis legis, ſed expiabantur morte, aliave vindicta: illa verò per ceremonias. 2.) Ea, quæ *in ſe verè* ſunt mortalia, *prout tamen commiſſa*, mortem animæ non inferunt, puta ex ignorantia, inadvertentia, ſubreptione, imperfecta animi præſentia, minùs pleno conſenſu, omiſſione reflexionis, aut ſummæ diligentiæ quam vocamus culpam leviſſimam &c. 3.) Ea, quæ *natura ſua* ſunt *levia* & *quotidiana*, in quæ etiam juſti viri cadunt, nec propterea deſinunt eſſe juſti. Trid. Seſſ. VI. cap. 11. ſicuti eſt diſtractio parva in oratione, jocus illiberalis, ſuperflua locutio, verborum jactantia, gloriatio, vanitas quædam, inordinatus amor ſui, vel alterius, exceſſus modicus in cibo & potu, impatientia, duriuſculum verbum &c. Propter talia non credimus nos mereri æternos ignes, quæ eſt digna de Deo cogitatio, ut in quo habemus bonum Dominum, non tyrannum, Pontificem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris. Severior Theologia conjicit in deſperationem, & ideo populi meritò eam derelinquent ac lubenter, quia eſt purum placitum Theologorum ſuorum, & quidem imprudens ſatis. *Lutherus*, ingenii ferocioris Theologus, docuit primùm Art. 32. *Juſtum in omni opere peccare*: damnavit Theſin Leo X. ille verò poſtea plus dixit, *juſtum in omni opere ſuo peccare MORTALITER*, *attamen EX SOLA DEI MISERICORDIA VENIALITER*. Suntne hæc dogmata, ad quæ dimittenda vir expers pertinaciæ, flectere non poſſit animum ſuum? Ego potius ſpero, fore, ut ſaltem Juriſprudentes, aliique moderati inter eos viri nobiſcum ſentiant; quidquid Theologi eorum ſuis ſcholaribus, quibus ſolent plerùmque caput indurare ad non cedendum in aliquo, inculcent.

MA-

„ XXVII. De inſufficentia Scripturæ Sacræ
„ ad inſtitutionem hominis Chriſtiani plenariam. XXVIII. De obſcuritate Scripturæ
„ Sacræ, Eccleſiæ, ut vult Febronius, & Papæ, ut
„ alii dicunt, effatis non colluſtratæ. XXX. De
„ libris apocryphis, qui canonici facti ſunt, ad
„ ſtabiliendos errores à canone noſtro alienos.
„ XXIX. De Scriptura laicis non legenda.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 27.) Inſtitutio *plenaria* omnis chriſtiani hominis *pro quacunque emergente controverſia*, *pro quacunque ſedanda diſſenſione*, *pro quacunque profligenda hæreſi*, aut malè ſanà doctrina, non reperitur in ſola Scriptura ſacra: hoc probat experientia octodecim ferè ſæculorum: probant tot ſectæ ſimul cum *Luthero* exortæ, quæ omnes ſe conantur fundare in Sacra Scriptura: omnes dicunt: *convince me ex verbo Dei, cæteris non movebor*: callidum hoc eſt: norunt enim bene, ſe aliquid ſemper diſtinctionis aut reſponſionis reperturos eſſe ad textum contrarium, ab oppugnantibus ſuum textum everſum non iri: viri adeò cœteroqui boni, & orthodoxi, ùt *Joachimus* abbas, ex Scripturis defenderunt ſuos errores: S. *Cyqrianus* à *Stephano* Papa non potuit ex Scripturis convinci, quod valeat baptiſmus hæreticorum: *Ariani*, *Macedoniani*, *Neſtoriani*, *Monothelitæ*, *Semi-pelagiani*, *Sociniani*, *Janſeniſtæ* hactenus, & olim, allegarunt Scripturas, & reſponderunt ad eas: idem faciunt *Anabaptiſtæ* contra *Lutheranos*, & hi contra *Calvini* diſcipulos: quouſque diſputabitur? Legiſtarum altercationes ſuper textibus Corporis Juris terminantur Principum deciſionibus: ſenſum Scripturarum diſcipulis aperuit Dominus, ut intelligerent Luc. XXIV. v. 45. ad eum

finem & ſuam præſentiam, & Spiritus Sancti aſſiſtentiam promiſit eis, & in eis Eccleſiæ. Jo. XIV. v. 26. Et ideo ad 28) quibus in locis aut *verè obſcura* eſt (quod omnes interpretes experti ſunt, & falſi) Scriptura, aut *ab homine obſcurari*, vel *depravari*, vel *in alienum ſenſum* pro criſi ſua *detorqueri*, aut *concluſiones deduci* volunt, quæ aliis fidelibus videntur eſſe malæ, ſicut conqueritur *Bahrdtius*, multos ſuorum doctiſſimos viros facere; ibi, *non ſcripturis*, ſed *captui hominum*, & *altercationi*, ſubvenire debet *interpretatio* authentica (nam *doctrinalis ſola* hærebit ſemper inter ſpinas diſputationis) ne res abeat in ſciſſuras æternas: non poſſum verò illam in terris alibi quærere, quàm *in Eccleſia* præſertim ſub Capite ſuo conciliariter congregata: hic non judicatur *de verbo Dei ipſo*, utrùm verùm ſit, nec ne, ſed *de contrariis ejuſdem interpretationibus*, & *de concluſionibus ex eo deductis*, nec non, *an hæc illave conciliatio textuum cum textibus recta ſit, vel non*. Sic præcepit Deus rem ſervari in Lege veteri. Deuteron. XVII. v. 8. & ſeq. Sic Eccleſia ab initio uſque huc ſervavit; ſecus, erit. & manebit *Eccleſia* clamoribus & ſcriptionibus *confuſa*. Act. XIX. v. 32. ad 30.) Nimius hic eſt *Bahrdtius*, ponendo, quòd Eccleſia Catholica ideo fecerit ex libris primitus *apocryphis*, id eſt, qui non ab univerſis fidelibus pro divinis agnoſcebantur, fecerit libros *canonicos*, id eſt, divinæ auctoritatis, *ut ſtabiliret errores* à libris, qui ſunt de Canone Lutheranorum, alienos; nam Eccleſia non prævidit, fore poſt tot ſæcula, homines contra quos hac providentia opus eſſet, ut certi quidam libri referrentur in canonem, ſive novi, ſive veteris teſtamenti: nemo hominum in libris illis, quos *extra canonem ſuum* religiosè unà tenuerunt Judæi, e. g. *Tobiæ*, *Judith*, *Eſther*, *Eccleſiaſtici* &c. accuſavit *errores*: pro *hagiographis*, & venerabilibus ſcriptis illos venerabantur, ſed non pro *divinitus dictatis*: Sic & Chriſtiani aliqui nonnullos libros novi Teſtamenti. Mira *conſenſione ſucceſſiva* coaluit iſte Canon, quem non fecit, ſed ab antiquitate accepit Concilium Tridentinum: nulla legitur præceſſiſſe contentio, nulla acris diſceptatio: Concilia,

Pon-

Pontifices, & Patres, à quibus derivamus traditionem ſacri Catalogi, *non deciderunt*, ſed *unicè retulerunt*, quinam libri haberentur pro canonicis in Eccleſia; nec contra eum apparuit tergiverſatio, donec Sæculo XVI. noſtri Theologi ex libris *deutero-canonicis* depromerent argumenta pro orationibus, jejuniis, eleemoſinis, pœnitentiis, virginitate & caſtitate viduali; tunc enimverò Theologorum novorum aſſurrexit ars critica, vanè ſibi perſuadens, argumenta noſtra everſum iri, ſi in dubium vocarent illorum librorum divinitatem: malè, ut opinor; nam erant nihilominus ſemper habiti pro libris *errore carentibus*, eorumque receptio in Canonem manifeſtè probat Eccleſiæ recipientis *antiquum ſenſum* de doctrinis inibi contentis; nunquam enim Eccleſia recepiſſet libros, aliquid contra catholicum ſenſum continentes.

Ad 29.) Hic eſſet aliqua ſpecies, qua *Bahrdtius* ingreſſum reperire poſſet apud ſuos, ne ſe reunirent: *ecce, ſi fiatis Catholici, prohibebimini, ne legatis amplius Biblia*, ſolatium veſtrum, & eſcam ſpiritus: aſt larva eſt; nec verum, ùt jacet, quod laici noſtri non audeant legere S. Scripturam; nam in ſcholis Catholicis ad lectionem publicam S. Scripturæ admittuntur etiam laici, qui eam à capite ad calcem, duce Magiſtro, de verbo ad verbum legant, & explicari audiant. Regula Indicis Romani IV. non prohibet, *etiam laicis*, Biblia in lingua *latina*, *græca*, vel *orientali*, ſolis eruditis nota, ſed ſolum in *lingua vulgari*, ne paſſim, & ſine diſcrimine, quilibet ſcrutator, non habens ſubſidia, & regulas intelligendæ S. Scripturæ neſciens, fortè autem ingenio ſibi præ aliis ſapiente naturaliter pollens, cum periculo animæ ſuæ, & corporis, perſcrutetur myſteria, cœteraque curioſius, privatoque ductus ſpiritu ſibi fabricet exinde concluſiones erroneas: hinc Epiſcopi licentia, de conſilio Parochi, opus eſſe ſtatuit Index: hoc ſanè providè propter experimenta lapſus hominum plebejorum in hæreſes, & errores, quæ & ipſæ Lutheranorum Reſpublicæ habuerunt: veruntamen Index quoad hoc non ſervatur in Germania: Si-

ne

ne licentia Epiſcoporum venduntur cuilibet Biblia vernacula, à Catholicis edita, & in domibus leguntur; id ſolum ſervatur, ut ſi quis *idiota ſimul & bibliorum perſpector, atque ſcrutator in perniciem infirmi ſui intellectus*, deprehendatur, ei Biblia auferantur, relictis Evangeliis, Epiſtoliſque ſeorſim impreſſis, cum Eccleſiaſtico, quem Syrach nominamus. Nihil itaque hinc eſt horroris ab reunione.

MATERIA DISIDII.

„ XXXVII. De Traditionibus, Patribus, „ Conciliis, Canonibus, Papæ effatis, pro „ principio in religione ponendis.

DOCTRINA CATHOLICA.

Principium Religionis *Catholicæ* idem eſt quod *Lutheranæ*, ſcilicet *Evangelium*, cujus puritati nos æquè ſtudemus, ac ipſi ſtudere ſibi videntur. *Evangelium* ſuſcipimus nos cum Tridentino Seſſ. IV. de Canon. Script. *tanquam fontem omnis, & ſalutaris doctrinæ, & morum diſciplinæ*; ſed duplici modo pervenit ad nos Evangelium, ſicut ordo temporum demonſtrat; nam 1.) Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei filius proprio ore primùm illud promulgavit, 2.) deinde per ſuos Apoſtolos omni creaturæ prædicari juſſit. 3.) Poſt ſcripto annotatum fuit ab Apoſtolis & Evangeliſtis, quin adſit 4.) juſſio vel mandatum, ſcripto annotandi Evangelium; quin etiam 5.) nihil penitus omiſſum fuerit in Evangelio *ſcripto*, quod erat in Evangelio *tradito*: Si Bahrdtius contendere velit, *ſcripto Evangelio contineri punctatim atque minutim cuncta, quæ ante ſcriptum erant, & poſt ſcriptum manſerunt in tradito*, tunc debet ipſe ante omnia ſiſtere jus univerſum traditum, ut conferamus illud cum ſcripto, & videamus, an in ſcripto nihil ſit omiſſum de tradito;

to ; imò an non quædam ſint in ſcriptis Paulinis per ratiocinium Apoſtoli ex Scripturis anterioribus, & arte diſcurrendi divinitus ſuffulta, quæ non erant cœteris Apoſtolis tradita : Sic Evangelia *ſcripta* cum epiſtolis potuerunt *aliquid* habere *minus*, quàm Evangelium *traditum*, & *aliquid* etiam *plus*: Apoſtolorum & Evangeliſtarum libri & epiſtolæ non fuerunt de communi conſilio conſcriptæ, ut, quod fortè omitteret unus, notaret alter, & cœteri, ſed alter, reliquis etiam inſciis, ſcripſit, prout occaſio ſcribendi tulit : Unde ſcitur, quòd *totum Evangelium traditum* ſacris illis literis ſuerit mandatum ? Fragile igitur ſemper exiſtimavi dictum iſtud Theologorum Proteſtantium : *hoc non eſt ſcriptum : ergo non eſt tenendum* ; ſive illud eorum : *ubi ſcriptum eſt* ? Rectè verò, & inconcuſsè dixit Tridentinum noſtrum : *Veritatem & diſciplinam Evangelii contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibns*. Contemne traditiones *Evangelicas*, & vide, qui ſuſtineas *Evangelium ſcriptum*, Theologe Lutherane ; quo enim tempore ſcribebatur, & quidem *non ſimul ac ſemel*, ſed *ſucceſſivè*, nec Chriſtus, nec Apoſtoli ejus dixerunt : *nihil credas aliud, quàm quæ ſcripta videris, cætera poſt hæc habe pro fabulis*.

Profundius loquamur invicem : Scripturæ illæ, quas habes, qua ratione ſunt divinæ ? Certè *non in ſe*, nam ſunt *mera exemplaria*, impreſſa, vel manuſcripta *opera mere humana* : exemplaria *ſine originalibus* non probant de jure, niſi aliunde ſuſtententur : ſic tuis exemplaribus fidem divinam non debeo, niſi ſuſtententur à traditione, & auctoritate Eccleſiæ, nobis dicentis, dogmata in iis contenta, ac præcepta moralia eſſe à Chriſto oretenus tradita, & prædicari juſſa SS. Patres non ſunt *principium* religionis noſtræ, ſed *doctores*, *teſtes*, & uſque ad nos *propagatores* : de quibus juniori Theologo rectè dicitur : *interroga majores tuos & dicent tibi*. Deuter XXXII v. 7., hi enim in Timothei perſona juſſi ſunt *commonere, & teſtificari coram Deo*. *Concilia, & Pontifices* ſunt *cuſtodes* perennes depoſiti illius de quo mo-

nuit

nuit S. Paulus Epiſcopum Epheſi : *O Timothee depoſitum cuſtodi*. 1. Timoth. VI. v. 20., & iterum: *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis* 2. Timoth. I. v. 14. Quid depoſuit apud diſcipulum Doctor gentium? Vix ac ne vix quidem *libros utriuſque teſtamenti*; ſed *formam ſanorum verborum, quæ à me AUDISTI in fide, & in dilectione in Chriſto Jeſu*: ibid. v. 13. SS. *Canones* ſunt *principiata* ex Evangelio, & reliquo Dei verbo, non principia: ſunt *venerandæ regulæ, Spiritu Dei conditæ, & totius mundi reverentia conſecratæ*, ut ſolebat loqui antiquitas: an ſapientior poſteritas illos repentè & indiſtinctè abjiciet, velut inutiles Evangelio? Loquor de veris Canonibus *Eccleſiæ*, non de falſis *Iſidori*, & qui iiſdem innituntur, hi enim neque Spiritu Dei conditi ſunt, neque totius mundi reverentia conſecrati. Equidem teſte Berardo, viro clariſſimo, in Præfatione *ad Gratiani Canones genuinos ab apocryphis diſcretos, opus præſtantiſſimum, anno* 1752., *& ſeqq. Taurini editum*, eò deventum erat, ut, cùm Sæculo XVI. ageretur de Gratiano publica auctoritate emendando, nonnulli exiſtimarent, ejus Decretum, in quo tot confictæ Decretales, tot verarum ſiniſtræ interpretationes ac corruptiones conſpiciebantur, una cùm cœteris ſimilibus Collectionibus penitus è medio tollendum eſſe, ita ut (ſi quidem fieri poſſet) omnis talium Canonum memoria interiret, tantoque certiùs Eccleſiaſticæ Diſciplinæ conſuleretur. Sed prævaluit prudentiſſimorum virorum ſententia, qui *emendatione* malo remedium ferri poſſe & debere, judicabant, ne bonæ merces unà cum ſpuriis interimerentur. Sic prudentia & circumſpectione opus eſt, tum in abjiciendo, tum in retinendo: medium tenuere beati.

MA-

MATERIA DISSIDII.

„ XXXV. De Tranſubſtantiatione.
„ XXXVI. De adminiſtratione ſacræ Cœnæ „ ſub una ſpecie.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 35.) Non carpes verbum, quia minùs latinum eſt, nec reperitur in Cicerone; nam & tua Theologia ejuſmodi verba habet: Eccleſia poterit utique ſibi condere verba ad exprimendum myſteria: equidem modò anno 1215. in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. publicè approbatum eſt, ſed propter novellum non fuit reipſa, quaſi ante Innocentium Eccleſia tenuiſſet, in Euchariſtia manere panem & vinum una cum corpore & ſanguine per *conſubſtantiationem*. Aliter S. Cyrillus in Catecheſi III. docuit Eccleſiam Hieroſolymitanam: *Aquam aliquando in vinum COMMUTAVIT, & non erit dignus, ut credamus, quòd vinum in ſanguinem TRANSMUTAVERIT?* Et rurſus: *hoc ſciendum, & pro certiſſimo habendum, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti, & vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* Aliter S. Ambrosius Eccleſiam Mediolanenſem Lib. de iis, qui initiantur myſteriis cap. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed benedictio conſecravit, majorem vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione ipſa natura MUTATUR.* Aliter, aliter S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, cœterique Patres docti ac ſancti, quorum verba huc referre ſupervacaneum eſt. Quæ itaque ſit irreconciliabilis diverſitas

inter nos & vos? Quæ difficultas firmiter tenendi illud Concilii Lateranenſis: *trans-ſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate Divina?* Nonne & vos debetis ſaltem credere tranſubſtantiationem *moralem* panis & vini, quia æſtimare debetis has ſubſtantias, quaſi non eſſent in Euchariſtia, ſed ſolus Chriſtus: cur repugnetis admittere tranſubſtantiationem *phyſicam*? Non repugnat *Auguſtana Confeſſio*, ſed abſtrahit ab opinione illa exotica *companationis* quæ plus difficultatis habet in explicando, quam noſtra *trans-ſubſtantiatio*; quæ enim totum Chriſtum conſtituit in Sacramento hoc admirabilis omnipotentia, poteſt quoque deſtruere, & annihilare ſubſtantiam totam panis & vini. Sed fortè tua philoſophia capere non poteſt accidentia panis abſque pane: quam parum hoc eſt! eadem nec capit modum companationis: ſi non vis admittere accidentia abſoluta Peripateticorum, explica remanſionem accidentium modo Carteſiano cum multis Catholicis. Illud autem mihi placet de Bahrdtio, quòd omiſerit differentiam aliam, *quòd Chriſtus non adſit, niſi in ſumptione*; nam revera iſta excogitata ſententia vapulat apud prudentes, cùm Chriſtus dans Apoſtolis divinum Sacramentum dixerit per verba de præſenti: *hoc EST* (non *erit*) *Corpus meum*; propter quod & Auguſtana Confeſſio Art. 10. docet, *quòd Corpus & Sanguis Chriſti VERE ADSINT, & DISTRIBUANTUR veſcentibus in Cœna Domini*, & Art. 25. *PORRIGI Corpus Domini*. Hoc non ponitur *manducatione*, ſed *verbis Chriſti*, ſicut S. Ambroſius Lib. IV. de Sacrament. cap. 4. catholicè docuit: *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti: hoc igitur adſtruamus. Quomodò poteſt, qui panis eſt, Corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur QUIBUS VERBIS eſt, & CUJUS SERMONIBUS? Domini Jeſu: nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus ſacerdos*

cerdos, *ſed utitur ſermonibus Chriſti*: Cùm verò ſermo Chriſti ponat Chriſtum ſub hoſtia, non diſparentem poſt verba prolata, ſed manentem, donec manducetur, quid cauſæ eſt, quòd nolit *adorari* Chriſtus ſub illo ſacro velo? Qui cœnantes *genuflectunt* Lutherani, quidni adorent eum, coram quo genuflectunt? Quidni in proceſſionibus piis deducatur cum pſalmodiis inſtar Arcæ fœderis? Leviſſima mihi ſemper viſa eſt reſponſio: *Chriſtus ſe nobis dedit manducandum*, *non adorandum*, *non circumferendum*; manebit ſemper manducatio *primarius* veruſque finis ſanctiſſimi hujus inſtituti.

Ad 36.) Fateor, vix eſſe controverſiam, quæ majores in Germania tumultus excitarit, quàm hæc inde à Sæc. XV., & hoc ipſo ex capite retrahi multos ab amplectenda Communione catholica; qui malunt *à non conſecratis* ſuis miniſtris Chriſtum ſub nullo ex duobus ſymbolis accipere, quàm *à conſecrato* ſacerdote catholico eundem ſub ſymbolo panis duntaxat: ad minus *certiſſimè* acciperent totum atque integrum Chriſtum in Eccleſia Catholica ſub ſpecie ſolius panis, hoc enim nullus noſtris ſacerdotibus diſputat, aſt certi eſſe non poſſunt cœnantes in Eccleſia Lutherana, an accipiant Chriſtum, tametſi panem & calicem ſumant; quia nemo, niſi ab Epiſcopo conſecrato ritè conſecratus, habet poteſtatem conſecrandi Corpus & Sanguinem Chriſti. Prudentia dictat, illam eligere Eccleſiam, in qua *certius* communicabo Cœnæ dominicæ, etſi ſub ea non bibam, ſed manducem tantùm. Communionem *ſub una* non introduxit *præceptum* Eccleſiæ, ſed *ſpontanea* fidelium *conſuetudo*, tempore Concilii Conſtantienſis ferè univerſalis, & ideo Seſſ. 13. declarata *in illis rerum circumſtantiis*, quòd eſſet ex nunc pro lege habenda, *quam non licet reprobare*, *aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare*. Voluerunt Huſſitæ Eccleſiam *cogere* ad reſtitutionem calicis, *obtentu mandati divini*, quod tranſgrederentur omnes, quot-

quot hactenus communicaſſent ſub una tantùm ſpecie; ſed hic ipſe *modus cogendi* erat fatalis, eo ipſo enim nihil impetravit, ne dicerent, agnoviſſe tandem Eccleſiam, quod errarit. Si violenti illi homines ſciviſſent *hiſtoriam diſpenſatæ* Euchariſticæ communionis, circa arbitrariam non ſacrificantibus in alterutrà, vel utraque ſpecie ſub ſacrificio communionem, circa *peregrinorum*, ſub ſpecie ſolius panis, ac *infantium*, ſub ſpecie ſolius vini communionem, circa communionem ſub utraque ſpecie ſæculo V. omnibus propter Manichæos imperatam, circa remiſſum poſtea uſu hoc præceptum, adiaphora manente laicis ſub Miſſa communione in utroque ſymbolo, donec Sæc. XIII., quo ſcripſit S. *Thomas*, ipſo teſte in Summæ Part. III. Quæſt. 80. Art. 12. *multarum Eccleſiarum uſus invaluerit*, *in quibus populo communicanti dabatur corpus Chriſti ſumendum*, *non autem ſanguis*, idque idem S. Doctor laudat *providè in quibuſdam Eccleſiis obſervari*; ſi conſideraſſent, poteſtatem Eccleſiæ in diſpenſando hoc myſterio aliquibus perſonis mox negaſſe totam, mox conceſſiſſe Euchariſtiam, velut *energumenis*, & *amentibus* in ultima tantum vitæ periodo, reis autem ultimi ſupplicii primùm non dediſſe, nec adhuc dare in Hiſpania & Gallia, in Italia autem & Germania dare; ſi, inquam, hæc ſciviſſent, ac expendiſſent Huſſitæ, pertinacia Bohemica ſepoſita, facile intellexiſſent, ineptè à ſe urgeri diſpenſatricem myſteriorum Dei Eccleſiam prætenſione præcepti divini, & erroris hactenus commiſſi: diſcretionis virtus poſtulaſſet totam hanc controverſiam tractare *tanquam rem diſciplinæ*, cui præſit pro varietate temporum Eccleſia: tunc impetraſſent, quod voluiſſent. Sic poſtea perfecta fuit Catholicorum cum Bohemis & Moravis unio per Concilium *Baſileenſe*, ſub conditione, quod crederent, ſub alterutra ſpecie totum Chriſtum ſumi, & conſuetudinem abſtinendi ab uſu Calicis fuiſſe rationabilem. Unio conſimilis hodieque fieri poſſet cum vicinis Bohemorum, & aliis; non erit ea in re difficilis Romanus Pontifex, cui in hac

hac parte Eccleſia in Tridentino Concilio poteſtatem ſuam delegavit: novit ille, hanc diſciplinæ relaxationem contributuram eſſe plurimum ad reunionem: & ego ſane doleo, quod (neſcio quibus infauſtis conſiliariis) Epiſcopi Germaniæ non fuerint uſi benignitate Eccleſiæ, per Pium IV. an. 1564. ſibi data, *ut ſacerdotes utramque ſpeciem, decenti ordine ſervato, & omni effuſione vitata, quæ oriri poſſe inter communicantes ſub utraque & ſub una tantùm ſpecie miniſtrare poſſint illam ex devotionis fervore petentibus, dummodo ii, qui illam petierint, cum ſancta Romana Eccleſia communionem habeant, & cùm cæteris in rebus fidem ejus doctrinamque ſequantur, tum hoc quoque confiteantur, & credant, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento tam ſub una, quàm ſub utraque ſpecie, vèrum & integrum Chriſti Corpus eſſe, nec Romanam Eccleſiam erraſſe, aut errare, quæ, exceptis duntaxat Sacerdotibus celebrantibus, cæteros, tam clericos, quàm laicos, ſub ſpecie tantùm panis communicat &c.* Lunig in *Spicilegio eccleſiaſtico*: perſuaſus enim ſum, plurimos de illiteratis, & litteratis Lutheranis, quorum hi ſpeculativas de fide, ſatisfáctione, & merito tricas ſuorum Theologorum non curant, illi verò non intelligunt, ſicque amborum genus denegata ſibi communione utriuſque ſpeciei valde percelli: Cur hæc ſcribam ſcio, quia hæc eſt quotidiana eorum & maxima contra noſtræ religionis amplexationem tergiverſatio, etiam, poſtquam perſuaſi ſunt, & convicti in cæteris omnibus: *Res diſciplinæ eſt, quæſo, concedatur*; ſequetur haud dubiè converſio ingens ad unionem, qua nihil eſt deſiderabile magis; nec puto, tanti eſſe motiva inhærendi diutius præcepto, quod modò Sæc. XV. conſuetudinem contrariam pro lege habendam ſtatuit.

Atque hiſce ſatisfactum credo à me eſſe Catechiſtæ Lipſienſi, manibus pedibuſque contra bonum reunionis pugnanti, quoad articulos ejus 37., quos nimis forti ſtylo declaravit eſſe *primæ claſſis errores, abſolutè & per ſe capita-*

pitales . Tubam ille inflavit ad bellum Theologicum: adſum : reſpondeat ad mea, ſed non tam *ex zelo ſcholæ*, quàm *ſecundum prudentiam*, & *in ſpiritu pacis*, quibus doni ſæpe deſtitutos ſe oſtendunt in diſputando utriuſque partis Theologi.

Nunc pergamus quoque ad eos, ut ipſe vocat, errores, quos ait, *hypotheticè*, *& per accidens fieri capitales* poſſe; cujus quidem diſtinctionis examini haud immoror, quia nimis eſt ſubtilis, & involuta. Numeravit autem 12.

ULTERIOR MATERIA DISIDIJ.

„ **IV.** De auctoritate Scripturæ Sacræ in „ relatione ad nos ab Eccleſia pendente, ut „ Febronius dicit; à Pontifice, ut alii. **V.** De „ interpretatione Scripturæ Sacræ non ex ipſa „ Scriptura Sacra petenda. **VI.** De auctori„ tate Vulgatæ.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 4.) Repeto priora: Sanè poſſunt circumferri Scripturæ pro ſacris, quæ ſacræ non ſunt, licèt aliàs piæ: quis diſcernit *quoad nos*, & *receptionem publicam*? Nonne ſaltem Eccleſia? Hæc fecit, ut quidam libri reciperentur in Canonem, quidam manerent *apocryphi*: aliam cauſam ego quidem non invenio, quare quatuor tantùm Evangelia fuerint agnita, cœtera *Thaddæi*, *Thomæ*, *Barnabæ*, *Bartholomæi*, *Andreæ*, manſerint apocrypha; nec cur unicum duntaxat librum *Actuum Apoſtolorum* habeant pro divino omnes Ec-

cle-

cleſiæ , cùm tamen ſæculo V. exeunte adeſſent *Actus* nominibus *Andreæ*, *Philippi* , *Petri* , *Thomæ*, Apoſtolorum . De infantia , pueritia , adoleſcentia Chriſti nihil ferè habemus in Evangeliis , & tamen Eccleſia noluit ſupplere libro *de Infantia Salvatoris* . Can. 3. Diſt. XV. Ad 5.) Bona eſt interpretandi regula, *quòd textus textum explicet* ; hoc ipſo autem ſupponitur unius textus obſcuritas ; nam ſine hac textus textu non indigeret , ſed eſſet clarus ex ſe ipſo , id quod interjicio propter priorem theſin Bahrdtianam ordine 28. Sed felices admodum eſſemus , ſi ſemper , ſive in Bibliis , ſive in Corpore Juris reperiremus textum clarum, per quem textus obſcurus ſuam interpretationem indubitatam acciperet : optaremus & nos, & vos in S. Scriptura textum, qui ore diſerto contra *Calvinum* diceret : *in figura , ſive apparentiis panis , quas tangimus , verè , realiter , & ſubſtantialiter latet Corpus Chriſti* : aſt , ubi eſt ille textus ? Optaremus contra *Trinitarios* textum , qui diceret : *Unus Deus eſt, & tres ſunt re diſtinctæ perſonæ , quarum unaquæque idem Deus eſt* . Ubi iſte ? Ubi aliquis dicens, *parvulos poſſe baptizari* : Aliquando ſunt textus , quorum altero utitur orthodoxus, altero hæreticus , e. g. Arianus ex hoc : *Pater major me eſt* , infert *Filium Dei non eſſe conſubſtantialem Patri* : Orthodoxus autem ex alio : *Ego & Pater unum* ſumus, infert , eſſe *conſubſtantialem* : affer textum tertium , qui decidat controverſiam hanc . Ad 6.) Revoca in memoriam ſuperiùs dicta : nulla Eccleſia habet autographum Scripturæ Sacræ : omnes utuntur exemplaribus : hæc ſunt vel *linguæ illius* , in qua autographa ipſa ſunt conſcripta : vel ſunt *verſiones in aliam linguam* : talis verſio eſt noſtra ſic nuncupata *Vulgata* , quam præ cœteris omnibus latinis (non etiam hebraicis & græcis) editionibus , & eò magis præ vernaculis , Tridentinum Seſſ. 4. ſtatuit , *ut in pubblicis lectionibus , prædicationibus , & expoſitionibus pro authentica habeatur* : motivum fuit , quia *longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt* : attamen id factum , ſalva futura emendatione codicum,

dicum, quæ tandem opera Pontificum *Pii IV. Pii V. Sixti V. Clementis VIII.* facta fuit, quanquam nondum ad extremos apices, præſertim in pſalmis: Hanc auctoritatem præ omnibus verſionibus latinis cur invideret Lutheranus aliquis Vulgatæ? Daturne aliqua verſio latina melior? Approbatio iſta nihil auctoritatis detraxit fontibus, ad quos recurrunt noſtri interpretes in verbis ambiguis, ac ubi energia, & proprietas quæritur. *Quouſque* ſe porrigat eadem Tridentina approbatio, diſce ex *Vega* Lib. XV. in Concil. Trid, & *Cano* Lib. II. de loc. Theol. cap. 13. qui ambo interfuerunt huic generali Concilio.

MATERIA DISSIDII.

„ VIII. De ſacramentis ſeptem. VII. De
„ intentione miniſtri in Sacramentis neceſſa-
„ ria. IX. De charactere indelebili.

DOCTRINA CATHOLICA.

Ad 8.) Non ſe declaravit *Bahrdtius*, quot ipſe admittat Sacramenta, utrùm duo, tria, quatuor: ſolum *Baptiſmum*, & *Euchariſtiam*, vel ultra hæc *poteſtatem clavium* pro remiſſione peccatorum, nec non *impoſitionem manuum* pro creatione ſacerdotum: diſſident enim Lutherani: Qui eorum agnoſcunt *quatuor* hæc Sacramenta, quidni & *quintum* Confirmationis, qua more Apoſtolorum Epiſcopi dant baptizatis Spiritum S.? Cur non & *ſextum* Unctionis infirmorum, ritum coævum Apoſtolis, ùt diſcimus ex Epiſtola Jacobi Cap. 5., quæ, fatente *Luthero* Lib. de captiv. Babylon, ſaltem *conſuetudine* auctoritatem obtinuit, & eſt antiquiſſimum monumentum, cui vetuſtiſſima Concilia &

Patres

Patres locum dederunt inter canonicas Scripturas ? Cur non & *ſeptimum*, Matrimonium, quod Apoſtolus ad Epheſ. 5. vocat *Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia*: ubi ſe non conjungunt *merè civili ſocietate* mas & fœmina (id quod ne gentiles quidem, & Judæi fecerant) ſed *conjunguntur à Deo* per miniſtrum Dei, *à Deo*, inquam, procul dubio *conjunctis benedicente*; ad quid enim *conjunctio divina* ad conſortium merè civile? ad quid *myſterium magnum* ſub contractu nihil ſanctitatis continente? Plus hic non diſputo. Moveat omnes Chriſtianos pronus ſine quavis diſputatione conſenſus Eccleſiæ *Græcæ* cum *Latina* circa hunc numerum ſeptenarium in Florentino Concilio,& poſt illud, dum etiam pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus *Jeremias*, qui ad Confeſſioni Auguſtanæ adhærendum invitatus Sæc. XVI. fuerat, diſertè declaravit, *Eccleſiam Græcam nec plura, nec pauciora, quam ſeptem, admittere Sacramenta*, reprobans ejuſdem Confeſſionis in hoc numero defectum. Sed nec ipſi *Waldenſes* eundem numerum auſi ſunt reſpuere; nam in fidei profeſſione, quam *Uladislao* Regi obtulerunt, ſic ajunt: *Sacramenta ſeptenario incluſa numero, Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus*; neque etiam *Wicleffus*, nec *Huſſitæ* numerum iſtum diffeſſi ſunt: dolendum itaque, quod modò ſæculo XVI. ſurrexerint circumciſores hujus numeri, non valentes tamen certum alium Sacramentorum pauciorem numerum figere, atque inter ſe convenire: hoc eſt *turbare Eccleſiam.*
Ad 7.) Recte inquit *Tournelius* noſter de Sacram. in gen. Quæſt. IV. art. 1. mala fide à *Chemnitio* referri Theologorum noſtrorum ſententiam *de requiſita ad valorem Sacramenti intentione miniſtri* his verbis: " Docuerunt, ad veri-
„ tatem Baptiſmi requiri non tantum formam inſtitutionis
„ verùm etiam *intentionem miniſtri*, eamque non tantum *reſpe-*
„ *ctu actus baptizandi, ut objecti*, ſed etiam *reſpectu effectus*
„ *baptiſmi*, qui eſt ejus finis & terminus: ideo tria ponunt:
„ *baptiſationem, verba, & intentionem*, & illa tria ſentiunt
„ ſimul requiri ad veritatem & integritatem baptiſmi, ita,
„ ut neutrum ſine altero ſufficiat. " Ad quæ *Tournelius*:

S Ve-

„ Verùm fallitur, & nobis imponit *Chemnitius*: intentio-
„ nem quidem requirunt orthodoxi, ſed *non reſpectu effe-*
„ *ctus baptiſmi*, ut ille dicit, ſed *tantùm reſpectu actus bap-*
„ *tizandi ùt objecti*: quòdſi hoc unum vellent Novatores,
„ *neceſſariam non eſſe intentionem effectus Sacramenti*, ſed
„ *tantùm ritus* ſacramentalis, quem miniſter intus & animo
„ intendit facere, non verò tantùm fingere, ac ſimulare, *non*
„ *eſſet profectò, quòd hac in parte eos reprehenderemus*. “
Plus ergo dico, reconciliabimur, modò requirant ſeriam *ex-ternè* intentionem, etiamſi fortè malus miniſter *internè* ſibi proponeret nolle conferre ſacramentum, id enim quoque graviſſimi quidam Theologi docent cum Ambroſio *Catharino*, *Salmerone*, *Contenſonio*, *Harlæo*, cujus theſis anno 1615. in Sorbona propoſita hæc eſt: *cujuſnam generis neceſſaria ſit intentio, nondum Eccleſia pronuntiavit, adeo, ut internam externamve propugnare non ſit nefas, mihi externam tueri proclivius*: non ſperaverim autem, quemquam ſobriorum Lutheranorum fore, qui priùs nollet reuniri, niſi concedatur ipſis, quod Sacramentum valeat, etiamſi *externè mimicè*, *ac per jocum* adminiſtraretur, quòd ſcripſiſſe videtur *Lutherus*. Ad 9.) Diſſidium eſt vel circa hòc, *quid ſit character*, an aliquid *phyſicum*, an *morale* duntaxat, an *accidens ſpirituale abſolutum*, an *ſacra quædam relatio*, nec remorari debet reunionem, cùm & ipſi noſtri Theologi unionem propterea non ſcindant: vel diſceptatur, *an ſacramenta illa tria*, quæ *reiterare* nefas eſt, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordinatio, *ſignent nos ſigno aliquo*, quale quale iſtud ſit; & in hoc diſſidio cum Proteſtantibus non eſt implacabile bellum, cùm & ipſi admittant diviſionem Sacramentorum in *iterabilia*, & *initerabilia*: baptiſmum ſine ſacrilegio iterari non poſſe, nobiſcum ſentiunt: impoſitionem manus, qua dabant Apoſtoli Spiritum S. renatis, & miniſteria Eccleſiæ, nunquam legimus uni eidemque ſubjecto bis fuiſſe, aut ter ab eis impenſam: Cenſebatur ſemper recipi in his tribus ſacramentis *aliquid indelebile*, quamvis per externam deſertionem malus quiſpiam ſe vellet gerere pro non-

non baptizato, non-confirmato, non-ordinato: Hocin delebile non eſt *gratia ſanctificans*: ergò aliquid aliud, quod vocarunt SS. Patres noſtri *ſignaculum ſanctum*, *& indelebile* cum S. Cyrillo præfat. in Catecheſ., *ſignaculum ſpirituale* cùm S. Ambrosio cap. 7. de iis, qui initiantur myſteriis, *characterem Regis noſtri*, *characterem dominicum ovium Chriſti* cum S. Augustino Tract. 6. in Joan. & lib. VI. contra Donat. cap. 1., qui & alibi comparat eum notæ characteriſticæ militum. *Signari* nos ter docet S. Paulus 2. *Corinth. I. v.* 21. *Ad Epheſ. I. v.* 13. *& IV. v.* 30. Credo ita nos ſignari poſſe à Spiritu S., ut ſignum radi, vel deleri ab homine nequeat, licèt *externa facies* mutetur. Carpſit pridem in hæreticis ſui temporis Tertullianus lib. de præſcript. cap. 41. deletionem characterum: *Alius hodie Epiſcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam & Laicis ſacerdotalia munia injungunt.*

MATERIA DISSIDII.

„X. De Baptiſmo Joannis à Chriſti baptiſ-„ mo diverſo.

DOCTRINA CATHOLICA.

Sic ergo & hæc *Petiliana* diſputatio remoram injiciet reunioni? Quis cedet? Catholicus Lutherano, an hic illi? Credo poſtremum: nam hæc theſis: *Baptiſmus Joannis erat Baptiſmus Chriſti*, nec in Scripturis legitur, neque ex Traditione habetur: quin econtrà diverſitas apertè eſt prodita ab ipſomet Joanne Baptiſta Marci I. v. 8. Joan. I. v. 26., & Apoſtolo Act. XIX. ubi viris ferè duodecim Epheſi dedit baptiſmum Chriſti, quoniam tantum baptizati fuerant in Joannis baptiſmate: quo autem motivo aſſeratur à vobis identitas utriuſque Baptiſmi, notum eſt, nempe propter

ſyſtema veſtrum *de fide juſtificante*, cujus *excitatoria* juxta vos *duntaxàt* ſunt Chriſti Sacramenta, ſic, ut Baptiſmus Chriſti idem faciat, nec plus, quàm Baptiſmus Joannis; hinc Auguſtanæ Confeſſionis art. 13. definitio: *Sacramenta ſunt ſigna, & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, propoſita:* Hæc propoſitio affirmativa nec eſt in ſe revelata, nec ex revelata deducitur, imò repugnat energicis S. Scripturæ expreſſionibus de virtute & efficacia Sacramentorum ex ſe in ſubjectis diſpoſitis: unde prudenter agit, qui hanc ſyſtematis Lutherani ſervitutem dimittit.

MATERIA DISIDII.

„ III. De charitate fidei formam ſuppedi-„ tante, vel ipſam fidem ſuperante.

DOCTRINA CATHOLICA.

Quid tricamur in ejuſmodi? Clarus eſt Apoſtolus 1. Corinth. XIII. v. ult. *major autem horum eſt charitas*: hæc formam non ſuppeditat fidei, *ut ſit fides*, ſed, ut *ſit viva fides*, nam hæc ſine charitate non vivit, juxta illud 1. Joan. III. v. 14. Qui non diligit, manet in morte: Junge ſimul fidem, ſpem, charitatem, & diſputare deſine, utra ſit alterius forma.

MATERIA DISIDII.

„ II. De confeſſione orali, remiſſionis con-„ ditione.

DOCTRINA CATHOLICA.

Multos Lutheranos avertit à noſtrà Communione neceſſitas confeſſionis peccatorum, eos nempe qui pluribus annis apud ſuæ Eccleſiæ miniſtros non ſunt confeſſi, jacentque in profundo miſeriarum animæ, aut, qui pœnitentiarios habuere minus ſeveros, ac generali tantum confeſſione contentos,

tos , contra propriam Auguſtanæ Confeſſionis declarationem : etenim art. 11. *De confeſſione docent , quòd abſolutio privata in Eccleſiis retinenda ſit* . Art. 25. *Confeſſio in Eccleſia apud nos non eſt abolita ; non enim ſolet porrigi Corpus Domini , niſi ANTEA EXPLORATIS , & abſolutis* ; & in fin. *Verùm confeſſio , cùm propter maximum abſolutionis beneficium, tum propter alias conſcientiarum utilitates , apud nos retinetur* . Equidem addit Eadem , *in confeſſione non eſſe neceſſariam omnium delictorum enumerationem ; hanc quippe eſſe impoſſibilem , nec eſſe onerandas conſcientias cura enumerandi omnia delicta ; quòdſi enim nulla peccata , niſi recitata remitterentur , nunquam acquieſcere conſcientiæ poſſent , quia plurima peccata neque videat , neque meminiſſe poſſunt* : Utique hoc non poſſunt prætendere illi , qui ajunt , non dari peccata levia , omnia eſſe mortalia , licet ſint motus carnis concupiſcentis involuntarii , imò & opera bona; aſt Religio Catholica admittit levia peccata, quæ non eſt opus confiteri, multò minus involuntarios motus: remitti docet etiam mortalia peccata *per oblivionem omiſſa* : carnificinam arcet à conſcientiis, docendo , *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia , quorum , poſt diligentem ſui diſcuſſionem , conſcientiam habet, in confeſſione recenſeri ; reliqua autem peccata , quæ diligenter cogitanti non occurrunt , in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelligi* . Trid. Seſſ. XIV. cap. 5. Hoc eſſe poſſibile , tot Catholici ſuo exemplo demonſtrant , nec *Lutherus* diffiteri videtur in libro de Captivitate Babylonica cap. de Pœnit. ubi : *Occulta confeſſio , quo modo celebratur, miro modo mihi placet , & utilis , imò neceſſaria eſt , nec vellem eam non eſſe , cùm ſit afflictis conſcientiis remedium* . Vid. Boſſuet. Lib. III. Variat. Cap. 47.

Principium certum ſemper fuit , *Deum ſolùm peccata remittere* ; hinc Chriſtus oſtendit ſe Deum eſſe , *quia remiſit peccata* . Matth. IX. v. 2. 3. 6. Luc. V. v. 20. ſeqq. Poteſtatem , quam Chriſtus accepit à Patre peccata remittendi, communicavit Apoſtolis & diſcipulis ſuis Joan. XX. v. 21. & ſeqq. SICUT *miſit me Pater , & ego mitto vos : hæc cùm dixiſ-*

dixiſſet, *inſufflavit & dixit eis : accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hæc eſt *legatio*, qua fungebantur pro Chriſto Apoſtoli, quibus ipſe dedit *miniſterium reconciliationis* 2. Corinth. V. v 18. & ſeqq. Hæc legatio & miſſio, hæc inſufflatio Spiritus Sancti ad *remittendum* vel *retinendum* peccata fuiſſet abſque uſu & praxi, ſi cum ea conſtitiſſet libertas, ab his Chriſti ad reconciliandum Legatis petendi abſolutionem vel non petendi: quis enim data alia via remiſſionis commodiore, acceſſiſſet ad eos, qui non tenebantur præciſe *remittere*, ſed etiam *retinere* potuiſſent? Nemo prudens ſe exponit alternativæ conditioni, ab arbitrio alterius pendenti, qui certam aliunde condonationem poteſt habere. Manet ergò, quòd unuſquiſque debeat à Sacerdote petere peccati ſui remiſſionem, unde illud Matth. VIII. v. 4. *Vade, oſtende te Sacerdoti*. Naturale eſt, quòd oſtenſio hæc debeat eſſe ſtipata manifeſtatione, quæ eſt in oſtenſione lepræ veræ aut ſpiritualis ex peccato ſincera confeſſio. Qui *remittere* poteſt, & pro re nata *retinere* debet, faciet id non temerè, ſed cum cognitione cauſæ: *Quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati? Ceſſabunt opera medici, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus exſpectant, quantò magis vulnera animæ ſpiritualis medici ſolatia depoſcunt?* Ita ante mille jam annos ſcripſit Alcuinus Epiſt. 71. Atque ideo Patres Concilii Tridentini Seſſ. XIV. Cap. 5. *conſtat*, inquiunt, *Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent*. Soliditatem & concludentiam hujus argumenti ne ipſe quidem *Calvinus* diffiteri potuit, qui illud alia via eludere laborat, dum Lib. III. Inſtit. Cap. 4. talia ingerit: " Quod contendunt, non poſſe fieri
„ judicium, niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio, te-
„ merè ſibi arrogare, qui ſunt à ſe ipſis judices creati ......
„ Jactant ſibi ligandi & ſolvendi munus eſſe mandatum, ac ſi

quæ

„ quædam eſſet juriſdictio quæſtioni adjuncta : porro hoc „ jus Apoſtolis fuiſſe incognitum , tota eorum doctrina clamat . “ Itaque , ſi ex præmiſſis elucet , Apoſtolos , Epiſcopos , Sacerdotes , non ſibimet ipſis ſumpſiſſe, ſed à Chriſto accepiſſe poteſtatem peccata cum prudentia , juſtitia, & judicio remittendi atque retinendi , hocque munus Apoſtolis nihil minus fuiſſe , quam incognitum , ſequitur , vel ipſo agnoſcente Calvino , ſanum probumque judicium non perſpecta nec agnita cauſa proferri , neque de ſpirituali lepra niſi cum intelligentia & cognitione ſtatui , aut convenientia media illi curandæ dictari & applicari poſſe .

MATERIA DISIDII .

„ XII. De Eccleſiæ infallibilitate , & Papæ „ Primatu , ſenſu Febroniano .

DOCTRINA CATHOLICA .

Ex his textibus : *Portæ inferi non prævalebunt adverſus Eccleſiam meam* . Matth. XVI. v. 8. Et *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumationem Sæculi*. Matth. XXVIII. v. ult. Joannis XIV. v. 16. Et *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis* , ut maneat *vobiſcum in æternum* , *ſpiritum veritatis* ..... *quia apud vos manebit* , & *in vobis erit* : & v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo , ille vos docebit omnia , quæcunque dixero vobis* . Joan. XVI. v. 7. 12. & 13. *Paraclitus non venit ad vos , ſi autem abiero, mittam eum ad vos .... Adhuc multa habeo vobis dicere , ſed non poteſtis portare modo . Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* : ex his , inquam , textibus concludunt Theologi noſtri , Chriſtum promiſiſſe Eccleſiæ perpetuam *directionem duorum aſſiſtentium* , ſuam nempe, & Spiritus Sancti, ubicunque de veritate ſalutis ſermo & quæſtio erit . Concluſionem hanc eſſe prudentem & rectam vel ipſi Proteſtantes agnoſcunt , ſi promiſſiones illæ ſint *abſolutæ* ; quis enim errabit

que

quem duo dirigunt infallibiles? Hinc dicunt, eas eſſe *conditionatas*, ſi nempe *Eccleſia ſemper ſit adhæſura verbo Dei, illudque recte tractatura*; quæ autem hæc cavillatio diſputatoria Scholæ? Quæ prærogativa foret in ejuſmodi conditionali promiſſione? Quæ confidentia Apoſtolis fuiſſet ſcribendi Actor. XV. v. 28. *Viſum eſt enim Sancto Spiritui & nobis*? Quæ fides habenda Paulo 1. ad Timoth. III. v. 15. ſcribenti: *Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*? Sic omnis hæreſis ab Eccleſia damnata ſubterfugiet judicium, cenſorem ſe conſtituet Eccleſiæ, ajens, hanc erraſſe, ſe veritatem deprehendiſſe, nec membrum errans corrigetur, & inſtruetur à Corpore, ſed corpus à membro, licèt fortè unicum eſſet. Hæc per ſe ſunt abſona, & indecora glorioſæ Chriſti Sponſæ Eccleſiæ. Cumque inde à duobus ſæculis tam diverſi ſurrexerint, quorum alii cum Zwinglio, Calvino, Anabaptiſtis, Socinianis, clamant, Eccleſiam Catholicam in his illiſve punctis erraſſe, alii cum Lutheranis, eam in iiſdem non erraſſe, ſed adhæſiſſe verbo Dei e. g. in veritate Cœnæ, in Baptiſmo parvulorum, cui adhærebo potius? Nonne ſoli Eccleſiæ Catholicæ, donec ſim certus, quæ ſit illa alia Eccleſia, cui prædicatum hoc attribueretur, *quod ipſa in nullo dogmate erraverit*. Miror ad hæc, Lutheranos docere, quòd *fiducia cujuslibet Chriſtiani* de juſtificatione ſui per fidem in Chriſtum tantæ ſit certitudinis, ut ei ſubeſſe non poſſit falſitas, contendere autem, *fiduciam totius Eccleſiæ* in aſſiſtentia Chriſti & Spiritus Sancti, dum illa docet ac definit, poſſe vanam eſſe ac deceptam.

Papæ Primatus in ſenſu Febroniano ſiſtit *Vicarium* pro Corpore Eccleſiæ *caput* Capitis Chriſti tam amabile & acceptabile, ut nemini amplius ſub illo degere videri poſſit durum atque difficile. Corpus ſumus, quidni caput habeamus? Una Chriſti Eccleſia ſumus, quidni centrum unitatis quæramus? Proteſtantium multi hoc anhelarunt, agnoſcentes, quid eſſet Synedrion abſque ſummo Sacerdote, Conſiſtorium ſine Præſide, Synodus ſine Directore, Eccleſia ſine Paſtore, exercitus ſine Duce, grex pluribus paſtoribus concre-

creditus ſine aliquo Paſtore ſupremo. Lege Febronium, ejúſque de Primatu Papæ retinendo fortiſſimas rationes: adde illius temperamenta, & evaneſcet omnis reluctatio animi.

MATERIA DISSIDII.

„ XI. De cœlibatu Clericorum.

DOCTRINA CATHOLICA.

Graviſſimis de cauſis cœlibatum ſacrorum Miniſtrorum à primis jam ſæculis coluit Eccleſia Latina: plebes noſtræ huic legi canonicæ ita ſunt aſſuetæ, ut Sacramenta horrerent accipere à Sacerdotibus rei uxoriæ vacantibus: Sunt inter ipſos Lutheranos, qui cœlibes verbi miniſtros cœteris præferant. Plurima pars *militum ſæculi* repellitur à nuptiis; cur non & *milites Chriſti*, ut facent Deo ſoli, *non diviſi*, ſicut ait Apoſtolus, ipſe cultor cœlibis vitæ? Manſit hic in cœlibatu, maluitque caſtigare corpus ſuum, & in ſervitutem redigere, quàm vehementes, quos ipſemet toti orbi faſſus eſt, ſtimulos nuptiis ſedare: monuit alios ad imitandum ſe: *dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ut ſic permaneant. ſicut, & ego* 1. Corinth. VII. v. 8. Et rurſùs v. 27. *ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem*. Infirmis, qui ſe non continent, ſuaſit, ut nuberent: propter incontinentiam Corinthiorum conjugatorum, extra orationis tempus, permiſit opus conjugii, ſed addidit: *hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*: declaravit v. 28. neminem peccare nubendo, verùm adjecit: *tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi: ego autem vobis parco*: monuit v. 29 *ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint.* Talia cum auctoritate & perſuaſione ſolus Prædicator cœlebs plebi fideli audet proponere. Quid ergo ſi Prædicator verbi hanc doctrinam apoſtolicam exponeret, ipſemet verò prolium multitudine ſuam magnam incontinentiam publicè profiteretur? Irrideretur. Equidem *Auguſtana Confeſſio* art. 23. multùm ratiocinatur pro conjugio Sacerdotum, ſed hoc erat pro exculpanda illa turba incontinentium ejus temporis, & propter publicam querelam de

exemplis Sacerdotum , qui non continebant : hodie rara ſunt lapſùs ſcandala . Si continere poſſint Sacerdotes Catholici , cur non quoque Prædicatores Lutherani ? Res hæc non concernit totam Eccleſiam Luteranorum , ſed ſolos Verbi miniſtros, qui utrùm uxores habeant, nec ne , aliorum nihil refert erunt ſat multi, qui accipiant parochias ſub lege cœlibatus , ſicut in Suecia viduati Epiſcopi, & alii malunt retinere beneficia, quàm convolare ad ſecundas nuptias . Conſtat quoque de publicis Principum Proteſtantium ordinationibus , imò & privatis beneficiorum fundationibus, quæ certis dignitatibus & præbendis utriuſque ſexus indixere cœlibatum . Et verò , ſi tot millenæ puellæ ac viduæ , quas nemo quærit in matrimonium , maneant innuptæ & caſtæ, cur Sacerdotes , qui ea, quæ ſunt ſpiritus , carni debent præhabere ex officio, non poſſent , nec deberent ſimiliter continere? Nihilominùs hic verſamur *in puncto diſciplinæ* . Eccleſia Græca indulgentiam fecit Sacerdotibus, certò modo, nec non & Diaconis, quam non fecit Latina , unione ſalva; ſic & reunio fieri poſſet Lutheranorum, ſalva diſpenſatione, ut inſtar Græcorum conjugio gaudeant , retentis quoque dignitatibus & beneficiis .

MATERIA DISSIDII .

„ De vita monaſtica.

DOCTRINA CATHOLICA .

Vita , ſive philoſophia monaſtica rectè inſtituta merebatur ab omni ævo ſuam laudem : *Nov. 5. in princ.* Prodierunt ex monaſteriis viri maximi, pii, ſancti, docti, quibus & Germania noſtra debet fidem Chriſti . Fateretur Auguſtana Confeſſio , *monaſteria fuiſſe olim ſcholas ſacrarum literarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt utiles Eccleſiæ, unde ſumebantur Paſtores & Epiſcopi* . Fœminæ illuſtres ſe abſconderunt in monaſteriis , & exornarunt ſanctitate Eccleſiam . Non ſpernamus pia hæc inſtituta : *unuſquiſque enim proprium donum habet ex Deo , alius quidem ſic , alius verò ſic.* 1. Corinth. 7. v. 7. &

Spiritus

Spiritus, ubi vult, ſpirat. Joan. III. v. 8. Apoſtolus quoque ſuadet, ut *unuſquiſque in ea vocatione permaneat, in qua vocatus eſt*. Ad Corinth. 1. cit. v.20. Hæc antiquiſſima convellere durum eſt, cùm ſint ſemper piæ mentes, quæ ferantur deſiderio ſtatus monaſtici, etiam aſperrimi, quod Eccleſiam Catholicam non parum commendat, & diſtinguit. Quid ſollicitus eſt *Bahrdtius* ſuper alienis conſcientiis, alieno dono, & Spiritu? Qui non vult ingredi monaſterium, maneat foris, nemo cogi ſinitur: datur omnibus annus probationis, ſæpe biennium & ultrà ad exeundum pro varietate inſtitutorum. Nimis mihi prolixus eſt *Confeſſionis Auguſtanæ* Art. 27. *de votis monacorum*, quàm ut ad ſingula reſpondeam: ſunt ibi, quæ moderatus animus approbare non poterit, videlicet, *quòd liceat omnibus monachis, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, eo quòd creatio, & ordinatio Dei cogit eos ad conjugium, qui ſine ſingulari Dei opere non ſunt excepti, vota monachorum non eſſe de re poſſibili, mandatum Dei de conjugio videri pleroſque liberare à votis, hæc irrita eſſe, quia omnis cultus ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus, & electus ad promerendam juſtificationem & gratiam impius ſit; impios proinde cultus fuiſſe vota uſitata, detrahere de gloria Chriſti, obſcurare & negare juſtitiam fidei; factitias religiones non eſſe ſtatum chriſtianæ perfectionis, præconia vitæ monaſticæ eſſe falſa, per ea non ſervari conſilia Evangelica*. Hæc omnia diffusè congeſta ſunt pro eo tempore ad defendendos ordinum religioſorum copioſos deſertores, inter quos tamen ipſos *Lutherus* (licèt parum ad cœlibatum factum ſe eſſe, ingenuè confeſſus ſit) plures annos diſtulit *ad mandatum Dei prætenſum* ducere uxorem. Vid. Bœhmer Jus Eccleſ. Proteſt. tit. de Cler. Conjug. §. 16. & 18. Nunc monachi noſtri non indigent his exquiſitis argutionibus contra vota: perſtant plurimi, & reddunt Altiſſimo vota ſua exemplari devotione: qui modum Sæc. XVI. hic & nunc adhuc ſequuntur, *loquela ſui facti* ſe ipſos faciunt *manifeſtos*: febris plerumque dupla, *ſuperbiæ & luxuriæ*, ſeu *diſſolutæ vitæ*, eos facit regulæ ſanctæ deſertores: redeunt tamen ſponte, *ad finem ſaltem vitæ*, horum multi, relictis illecebris, & plangunt erratum ſuum dolore non ficto, in ſe-

veris, etiam non dictatis, pœnitentiis: an hi ſecuti ſunt *mandatum Creatoris* in deſerendo, qui timoratos ſe probant in redeundo? Prudentes Lutherani ipſimet pro vilibus habent monachos apoſtatas; quia experiuntur, eos eſſe indiſciplinatos, etiam ad morem honeſti mundi. De *operum monaſticorum*, quæ non ex coactione, & hypocriſi, ſed in ſpiritu ſancto fiunt; ſatisfactione ac merito ſentimus, quod de aliis bonis operibus, cum quadam excellentia, attamen ſine hyperbolicis exaltationibus, quas panegyri relinquimus: Monachatum eſſe *ſtatum perfectionis*, ſic accipe, quòd obſervantia regularis vitæ ſucceſſu temporis *reddat perfectum hominem*, non, quòd Religioſi glorientur, *ſe eſſe perfectos*, nam hoc eis non crederemus: *Communio ac partecipatio in precibus & meritis Ordinum*, in quem ſolent nonnullos extraneos ſpecialiter aſſumere, eſt arctior quædam *communio ſanctorum* in vita & poſt mortem: propterea non mutuantur aliis ſua opera. Quod apud quoſdam legitur, renuntiationem ſæculi eſſe *ſecundum quendam Baptiſmum*, hoc ad impropriectatem pertinet, liberæque credulitatis eſt.

Quantum concernit *publicæ rei* ex monaſteriis *utilitatem*, palam eſt, in multis bona ſtudia denuò florere, educarique pueros ac adoleſcentes ad virtutem & ſcientias; fatendum tamen etiam, in perquàm multis adhuc nutriri plurimos inutiles mundo homines non levi ſumptu, nondum tradi diſciplinas, ſicut oporteret: linguas orientales, elegantiam grammaticæ, experimentalem philoſophiam, matheſin, hiſtoriam utramque, diplomaticam, ſanam atque dogmaticam Theologiam, ſtudium SS. Canonum, ſacræ Scripturæ ordinatam expoſitionem, adhuc negligi; occupari autem ingenia juvenum monachorum ac vexari Ariſtotelicis nugis, metaphyſicationibus, diſputationibus de lana capræ, ſcholaſticis ſpeculationibus Thomiſtarum, Scotiſtarum &c. entibus rationis, chymæris, barbariſmis: hoc obſtinationi eorum, qui inter monachos ſenii auctoritate pollent, nec ampliùs docti viderentur, ſi inutilia, quæ didicerunt labore improbo, abjicerent, tribuendum: accedit exiguus ſæpe guſtus literarum

in Prælatis, & penuria eruditorum Inſtructorum. Quàmdiu hæc non erunt in melius reformata, quamdiu Jeſuitæ pergent ſe gerere pro apotecariis omnigenarùm probabilitatum pro Regentibus, Magnatibus, hominibus aulicis, mercatoribus, peccatoribus languidis: quamdiu jactabunt, ipſorum maximè humeris Catholicam religionem ſuſtentari, ſine ipſis in Gallia & Luſitania irreligionem atque hæreſes brevi dominaturas: quamdiu illi putabunt, ſe ita rerum mundi ſapientes eſſe ac prudentes, ut in quovis eorum Collegio unus ſaltem vel duo ſint, qui poſſint agere primarium Principis miniſtrum: quamdiu iidem in ſæcularium, maximè autem in aularum, negotia ſe ſe ingerent, fruſtra ſibi blandietur Heidelbergenſis Theologus Obſervationum ſuarum ſummariarum §. 47. & 48. *non defore inter ipſos Proteſtantes viros æquitatis amantes, qui methodum Febronii improbent*, dum carpit carpenda in Regularibus; non defore, *qui etiam adeo illos deprædicent*, qui doleant exterminium eorum, cujus machinationem non obſcurè, ſed falsò, *Kleinerus* imputat *Febronio* per figuram admirationis. Verùm quos hìc Regulares *Jeſuitæ* defendit? Suos utique, maximeque; neſcio enim, an aliorum exterminio adeo condolitura ſit *Societas*, quæ ſub obtentu melioris boni tot virorum ac mulierum monaſteria deglutivit. Hodie ſanè res publicæ eo loco non ſunt, ut in gratiam Jeſuitarum alii Religioſi à publicis cathedris arcendi veniant; ſic imprimis æmulatione propoſita profligetur ignorantia ac ruditas, quæ per monopolium nutritur. Sed neque illud ſolum eſt, quod in conſiderationem trahi oportet, quando de communibus commodis agitur: Faxit Deus aperiri oculos Principum, & Epiſcoporum, maximè per Germaniam, ne Jeſuitis, ſaltem ſolis, diutiùs confidant ſcholas: eſt ſolœciſmus politicus multarum conſequentiarum: vel unum hoc conſiderandum relinquo, *An ſit è re patriæ noſtræ tales Religioſos præficere cathedris, qui nunquam defendent patriam, & Epiſcopos patriæ contra Aulam Romanam, ſemper hanc contra illos, & totam patriam*; ſicut noviſſimum exemplum dedit nobis Theologus iſte Heidelbergenſis, & procul dubio omnes, quot-

quot

quot in illo Colleg. aliquid ſcire ſibi imaginantur, dum Febronii librum contra abuſus Curiæ *ea ratione* impugnant, ut per hanc bene merentes de Roma, malè mereri de Germania non vereantur; imò non abſque ſcandalo vidi, legique, qualiter illi nativo ſuo ſpiritu ſufflandi odium religionis (quod in politicis tot tantaque mala quotidie generat) ducti, ſubſanarint *Febronium*, quòd *reunionem*, rem vel pluribus Proteſtantibus ipſis tam diu jam exoptatam, pro deſperando ſcopo magni ſui laboris elegerit: *Bahrdtium* in ſuo propoſito reluctandi tanto bono, obfirmarunt, cùm ejus difficultates imaginarias facili opera oſtendere potuiſſent: hoc potiùs à *Kleinero* exegiſſet muneris Theologici ratio, non verò tactum quæſtionum Juris publici & politici Eccleſiæ, præſertim Germanicæ, quod non intelligit.

Tu verò, zeloſe Catechiſta Lipſienſis, tempera poſthac vinum tuum aqua, & obtempera illis Commyſtis tuis, qui diſſuadent contentiones Theologicas: ad quid enim proſunt? Nullum hactenus verè per eas ad vos convertiſtis Catholicum, nedum Doctorem, rudis populus iſta jurgia non capit, ſapientior inter vos laicus contemuit ut rixas ſcholæ: noli porro ſuſtinere *Papiſmum irreconciliabilem*: irenica præſtat amplecti conſilia: ſimus inter nos fratres, idipſum ſentientes in Domino: *jucunda mente invicem vivamus: hora tandem eſt, ut Sancta Mater Eccleſia, quæ pro tam duro filiorum ſuorum diſſidio diù conſternata eſt, pro pace & unitate lætari exultareque incipiat, luctumque præteriti temporis convertat in gaudium; ut qui eodem Chriſti charactere inſigniti ſunt, & eodem baptiſmatis fonte renati, depoſita omni diſſenſione, eundum charitatis & unitatis ſpiritum induant, & ad augmentum gloriamque Nominis Chriſtiani totis viribus intendant, fidemque orthodoxam protegere curent*. Concilium Baſileenſe Seſs. 3. in Epiſt. ad reuniendos Bohemos.

Dabam in Vederovia prid. Id. Novemb. MDCCLXIV.

IN-

INDEX

in tres poſteriores Appendices.

A.

ABuſus Romanæ Curiæ quibus in libris reperiantur notati. 45. An eos detegere permiſſum ſit? 70. ſeq. An eorundem tollendorum fundata ſuperſit ſpes? 4. 56
Annatarum origo. 15. Earundem injuſtitia. 16. Quatenus eaſdem ex Concordato debeant Germani. 17
Anonymus Scriptor, & qui lucem odit, non ſemper agit malè. 35. 80
Appellationum jus quouſque Romano Pontifici concedendum. 10
Auguſtana Confeſſio Pontificis Primatum non reputat inter abuſus. 48. Miſſam non abolevit. 103. Attamen ſiniſtram de ejus fructu idæam concepit. 104. Excludit peccatores à Congregatione fidelium. 117

B.

Baptiſmus Joannis diverſus à baptiſmate Chriſti. 139
Beneficia in Germania an conferantur per ſimoniam? 14. Beneficiorum pluralitati Roma favet. 74

C.

Calicis in Euchariſtia uſus variavit tanquam res Diſciplinæ. 132
SS. Canones ſunt venerandæ regulæ ſpiritu Dei conditæ. 128
Capitis Eccleſiæ jura ut fixa & determinata ſint meritò optatur. 49
Caracter indelebilis in Sacramentis non iterabilibus quid? 138

Cauſæ Majores an. & quouſque Romanæ Sedi relinquendæ. 29
Charitas à fide diſtincta. 140
Chriſtus ſolus, ex Catholicorum doctrina, eſt humanæ ſalutis auctor. 99
Cœlibatus Clericorum an reprehendendus? 145
Communio ſub una tantum ſpecie an repugnet Evangelio. 131
Compoſitum Theandricum pro peccato ſatisfecit Deo. 102
Concilia, Pontifices & Patres ſunt cuſtodes depoſiti fidei. 128
Concilia Generalia ſunt genuinum à Chriſto inſtitutum medium finiendarum hæreſum. 67. Quandonam ea poſſint dici libera? ibid.
Confeſſio auricularis habet fundamentum in S. Scriptura. 142. Non repugnat Auguſtanæ Confeſſioni. 141
Congregatio *de Propaganda* deberet ſtudere minuendo odio Papatus. 5
Conſtantienſis Synodi Decretis Kleinerus Jeſuita frivola objicit. 54. ſeq.
Contritio an ſit cauſa remiſſionis peccatorum? 113

D.

Decretum Gratiani: de eo è medio tollendo Sæculo XVI. agitur. 128
Diſpenſationes in Jure non expreſsè reſervatas concedunt Epiſcopi. 19
Diſpenſationum Romanarum copia, & nimia facilitas. 20. 74. Diſpenſandum gratis. 21
Dubia in Eccleſia, & reſpectu ejus, quænam dicenda ſint. 69

E.

Eccleſia eſt authenticus interpres S. Scripturæ. 124. 135
Ejus infallibilitas unde deducatur? 143
Eleemoſynis quatenus peccata redimantur. 112

Epi-

Epiſcopatuum pluralitas in eodem ſubjecto an Germaniæ Catholicæ conveniat. 89
Epiſcopi ſunt Conjudices fidei una cum Pontifice. 6

F.

Febronii labor an Acatholicis æque ac Catholicis diſpliceat? 65. An ſua ex Proteſtantibus potiſſimum hauſerit? 42. 62. 82. 84. ſeq. Quis ei in ſcribendo ſcopus. 36. 44. An cathedram Romanam tentaverit evertere? 81
Fides ad obtinendam peccatorum remiſſionem neceſſaria eſt. 114. Attamen ſola non juſtificat. ibid. An qui in gravia peccata incidunt, eam amittant? 116
Forma Eccleſiæ an uni ex Ariſtotelicis reſpondeat? 42. 49.

G.

Gallicanæ Eccleſiæ libertates an obtinendæ Eccleſiarum reunioni ſufficiant? 6. 47.
Germania an ſit terra obedientiæ? 95. Cauſæ in Germania natæ ibidem quoque terminandæ ſunt. 26
Germanica Eccleſia Romanæ filia eſt, non tributaria. 15
Gerſonii laus è Scriptoribus Soc. Jeſu. 45
Gravamina nationum legitima an per Romanam Curiam fuerint ſublata. 59
Gravamina decem nationis Germanicæ ſub Maximiliano I. an ſint ſuſpectæ fidei. 57
Gravamina Centum anni 1523. an à Catholicis Imperii Statibus fuerint contradicta. 58

H.

Hæreſum & ſchiſmatum recentiorum genuinæ cauſæ. 53 64. 77. 79. Deo permittente quandoque bonum effectum operantur. 77

I.

Jeſuitæ ſunt parum idonei ad Eccleſias reuniendas. 54. 94. Non ereduntur eſſe boni patriotæ. 32. 43. Alia quædam eis imputantur. 149
Imaginibus Sanctorum qua intentione honor deferatur. 101
Indulgentiæ in Scriptura & Traditione habent fundamentum. 112
Intentio Miniſtri quatenus ad valorem Sacramenti requiratur. 137
Italorum genius. 2. 22. 25. Italicæ Juriſprudentiæ nævi. 13
Juſtificatio peccatoris quo modo fiat. 117

L.

Libertas conſcientiæ an & quæ à Proteſtantibus prætendatur. *66. 95.* ſeq.
Liberum arbitrium in homine eſſe, à nemine prudente negari poteſt. 118
Libri quinam Eccleſiæ magis noceant. 64
Litium Romanarum anfractus. 28. Earundem exorbitantes ſumptus. 27. ſeq.
Lutherani Luthero, & ſuis Theologis non adeo tenaciter adhærent. 92

M.

Mandata Dei quatenus perfectè ab homine poſſint impleri. 111
Matrimonium non eſt contractus merè civilis. 137
Meritum bonorum operum per quid? 109. ſeq.
Metropoliticorum judiciorum origo & fundamentum. 12
Miſſæ ſacrificium non derogat ſacrificio Crucis. 103. Quatenus per illud deleantùr peccata? 105. Quomodo proſit defunctis. ibid. Ex Miſſis non debet fieri quæſtus. 106
Monacorum inſtituta & exemptiones quatenus carpere liceat. 72

Monar-

Monarchicum regimen quodnam ſit? 25. Propriè tale Eccleſiæ non convenit. 37. An illud Papa prætendat? 7. ſeq.
Monaſtica vita ſuam meretur laudem. 146. Monaſteria tamen ſubinde reformatione indigent. 148

O.

Obedientia Papæ debita ob quas cauſas & quomodo poſſit ſuſpendi. 7. 23. ſeq. 69.

P.

SS. Patres qui Catholicis ſint. 127
Peccatum originale in quo conſiſtat. 120. Venialia peccata an dentur? 121
Pecuniarum ingentes ſummæ, quæ ex provinciis Romam deferuntur. 18. 21.
Pœnitentiæ, & pœnæ temporales pro peccato quoad culpam remiſſo. 106
Politicum in adoptanda religione hodie à Rebuſpub. plurimum attenditur. 3. 94.
Pontificatus Romani fines determinari, & populis notos fieri convenit. 5. Ejuſdem exceſſus omnibus populis exoſi ſunt. 4
Primatus in Eccleſia retinendus. 144
Proteſtantes quas ob cauſas à Catholica Eccleſia deſciverint 50. 52. ſeq. Non ſunt penitus à reunione alieni. 3. Ex illis quatenus nonnulli Principes ad avita ſacra redierint? 50. ſeq.
Purgatorium quid ſit. 107

R.

Regaliæ jus quid? 15
Reges & Principes plurimum poſſunt ad Eccleſiarum reunionem. 4

Regulares quatenus à juriſdictione Ordinariorum ſint exempti. 9. Hæc exemptio Principibus meritò eſt ſuſpecta. 73
Reliquiæ Sanctorum ex Apoſtolica traditione venerandæ ſunt. 101
Reunio Eccleſiarum qua ratione effectuanda. 70. 83. An concepta de eadem à Febronio ſpes vana ſit. 90. ſeq.
Richerianum ſyſtema in quo conſiſtat. 41
Romana Curia amat alios reformare, ſed non vult reformari ipſa. 60. ſeqq. Studet capturæ auri. 74. Pontifices non fuere hactenus felices in reformanda ſua Curia. 83. Quibus mediis hæc compellatur ad fines æqui & juſti. 23
Romana judicia populis non conveniunt. 11
Romani Papatus, prædominium affectantis, excuſſio fuit primaria cauſa mutatæ Religionis. 5. 53
Rom. Pontificis ſuprema in Eccleſia poteſtas non eſt impugnanda, ſed indefinita. 36. 39. Hanc ſolam, tanquam abuſivam, Febronius inculpavit. 47 50
Rom. Pontifex quare libentius communicet negotia Eccleſiæ cum Cardinalibus quàm cum Epiſcopis. 6. An ille ſit in poſſeſſione ſuperioritatis ſupra Concilium. 55. An & quouſque ei vacet reformare uſus ſeu abuſus ſuæ Curiæ? 38. 59
Rota in ſuis Deciſionibus an hyperbole ſoleat uti? 8. An & quam ſit in ſuis principiis conſtans? 14

S.

Sanctorum patrocinia quid ſint in ſenſu Catholico. 99. Non derogant meritis Chriſti. 100
Satisfactio pro peccato quomodo per Chriſtum fiat, quomodo per hominem. 108
S. Scriptura an ſola ad inſtructionem hominis Chriſtiani ſufficiat. 123. Ejus libri alii Canonici, alii Deutero-Canonici. 124. Sacram ac veram ab apocrypha quis diſcernat. 134. An lectio S. Scripturæ Catholicis laicis ſit prohibita? 125

Sedes

Sedes Romana diſtinguenda à Curià . 41
Septenarius ſacramentorum numerus ex perpetuo Eccleſiæ græcæ cum Latina conſenſu . 136
Spes ad juſtificationem requiritur, non fiducia in ſenſu Lutheranorum . 115
Statutis particularibus Eccleſiarum an Pontifex derogare poſſit ? 20
Subditis quouſque permittatur, ut de ſuis Superioribus poſſint conqueri ? 75. ſeq.

T.

Theologorum hodiernorum defectus . 3. 84. 112. 119
Traditione verbum Dei propagatum eſt. 126. ſeq. Traditiones aliæ Eccleſiaſticæ, aliæ Apoſtólicæ, aliæ Divinæ. 97. ſeq.
Tranſubſtantiatio quid ſit, & quomodo fiat . 129
Tridentino in Concilio an ſufficiens fuerit libertas circa res diſciplinares ? 63. 67. ſeq.

V.

Vulgata verſio latina Sacræ Scripturæ qua auctoritate polleat . 135

FINIS.